
Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIX
F
30
NAPOLI

XLIX
F
30

XI X
[illegible]



ANNALES
SACRI, PROPHETICI, ET ELIANI ORDINIS BEATISS. VIRGINIS MARIAE de monte Carmeli,

POST CHRISTI SERVATORIS EVANGELIVM per Ascetas, Therapeutas, Eſſenos, Monachos, Anachoretas et Eremitas in Carmelo, Syria, Ægypto, et alijs orbis Christiani locis Propagati.

Notabiliores quoq; euentus mundiales compendio recenſentes.

TOMVS TERTIVS

TOTAM MONASTICAM HISTORIAM PER ſeptingentos, et amplius annos amplectens.

Ex Sacris, prophanis, exteris, et domeſticis authoribus, et historijs.

AD EMINENTISSIMVM ET REVERENDISS.[VM] DOMIN. D. CARDINALEM CHISIVM

PER P. M. IOANNEM BAPTISTAM DE LEZANA Matritensem SS. Congregat. Rituum, Indicis Conſultorem; Beneficiorum Examinatorem, et in Sapientiæ Archigymnasio Romano publicum lectorem Carmelitanum.

Romæ typis Mascardi anno 1653
Superiorũ permiſſu.
P. Colignon Sc.

EMINENTISS. PRINCIPI
ET
REVERENDISSIMO DOMINO
D. CARDINALI
CHISIO
PATRONO OBSERVANTISS.

Vtramque fœlicitatem exoptat humilis cliens

FR. IOANNES BAPTISTA DE LEZANA CARMEL.

TERTIVS hic noſtri Carmelitici Ordinis Annalium Tomus ad Te feſtinat, Princeps Eminentiſſime, vt quanto Te ipſius Author ſerius nouit, tanto citius in tuæ humaniſſimæ beneuolentiæ, qua ipſum aliquoties excepiſti, ſinu, ſuauius conquieſcat. Vt hoc potius ſperarem quàm præſumerem, ſingularis tua pietas in Diuos, & comitas in homines, litterarum præſertim ſtudioſos, ſtringere iure potuit. Vtrumque enim de Te, & fama proclamat, & experientia manifeſtat: omnium etiam verè ſapientum mentes rapit, & alto quodam veluti ſtupore perfundere valet. Quando etenim natiua ſublimitas ijs quaſi monilibus ornata conſpicitur, tyrannæ inſtar poteſtatis, vt quidam dixit, ſibi cuncta proſternit. Mitto gentis Tuæ nobiliſſimum genus, longa Maiorum ſerie ſpectabile, & inter Italiæ Proceres Maximos, vlla abſque inuidia, merito clariſſimum. Mitto, & tui ſingularis ingenij capacitatem, qua primis adoleſcentiæ pubeſcentis annis, ſic ſcientiarum diſciplinis mentem excoluiſti, & ſanctæ correctionis vomere, vitiorum vepribus erutis, fœcunda in ipſa bonarum litterarum ſemina plantaſti, vt in eximio Senenſium Lycæo, tum in philoſophia & vtroque iure, tum in Theologia do-

ctoralem Lauream mirabiliter ſuſcipere condignus repertus fuiſti. Mittam, Te, vt ex Te, auribus accipere merui, Sapientiſſimorum in Sacra Theoſophia huius ſæculi Doctorum, ac Scholæ Principum, elucubrationibus euoluendis eo tempore ſerio, diligenter, ſeduloque vacaſſe. Quid ni ergo quod fertilis inſtar agri, cui ſapientiæ, & prudentiæ ſemina concredita erant, in vberrimam meſſem mens tua euaſerit? Quidni æternæ memoriæ Vrbanus VIII. Summus Pontifex, idcirco varijs, Te primum, negotijs, legationibus, functionibuſque addixerit? Quo viuaciſſimo tuo ingenio obſtetricante, experientiaque iuuante, arduiſſimum illud negotium in Germania, quo miſſus es, non minori fœlicitate, quam facilitate compleres. Cum enim ex incendio, ab Orco, Lutheri, & ſimilium ſollibus excitato, non ſolum grauis nidor eam Prouinciam, inter Europæas maximam, afflaſſet, nec ipſius dumtaxat ſcintillæ in omnium conſpectum exitialiter ſe dediſſent, ſed & pertinax flamma, præruptis repagulis, in totalem eiuſdem ruinam inſuperabiliter erupiſſet; Deo afflante, Chriſtique Vicario annuente, in eas partes ampliſſima cum poteſtate deſtinatus fuiſti, vt fide, pietate, & religione comitibus, contra graſſantem plagam æneus veluti murus Te opponeres; Catholicos pacis vinculo vnires; Acatholicos deijceres; & orthodoxam fidem ſub Summi Hierarchæ obedientia apud nationem illam ingenio tenaciſſimam, Martio pectore propugnares. Nec vana ſpes; plura enim geſſiſti, plurimum laboraſti, infirma confirmaſti, diſrupta conſolidaſti, deprauata conuertiſti, & verbum vitæ in æternitatis cibum commiſſæ tibi Prouinciæ ingenue diſpenſaſti. Merito proinde (vt Hilarij phraſim ſequar) gloriam a Domino, tanquam diſpenſator fidelis, & villicus vtilis, conſequi meruiſti: cum a Sanctiſſ. D. N. Innocentio, nemine ſollicitante, communi applauſu, omniumque gratulatione inter Purpuratos Patres, Vrbis, & Orbis Principes, cooptatus tantæ dignitatis faſtigium aſcendiſti. Quo in munere quem te geſſeris ſolerti ingenio, conſilio, voto, peritia, & diligenti ſtudio, ſacris nempe Cœtibus aſſiſtendo, & Chriſtianæ Reipublicæ negotia, ſecreta præſertim, & arcana, quæ ad Dynaſtas, & ſupremos Principes ſpectant, pertractando, vix eſt qui ignoret. Cum etiam Te in Theologicarum quarundam Theſium, quæ modo apud Apoſtolicum examini ſubijciuntur, totum Roma intentum videt, nonniſi magnum aliquid ad Orthodoxæ fidei incrementum, iuxta amuſſim, & veritatis normam, ac veterum Patrum, aurei Aurelij, & auguſti

Augu-

Auguſtini, ac Angelici Coryphæi doctrinam ſpeciatim, præſagit, ac expectat ex Vaticano Oraculo proditurum, quo Chriſtianus Orbis ab huiuſcemodi diſſidijs vacuus ſecurius quieſcat. Sed quid non ſperandum de eminenti illa, ac ſingulari tua pietate, qua Deum tam ſerio colere ſtudes; iuſtitia, virtutum apice, qua recti ſeruas tenorem, & feruenti charitate, qua omnes complecteris, beneficum, comitem, affabilem, ac ſyncerum Te omnibus exhibendo? Sic quoque ſi ad noſtri Carmelæi Ordinis propriora oculos vertam, Te, dum Coloniæ ageres, ipſius promotorem, & in Romanę Curiæ negotijs circa eius alumnos, ſuperiores præſertim, fouendos, benigniſſimum ſuſceptorem agnoſcit. Senarum Vrbs tua inclyta Patria Carmeli Montis Eremitas noſtros iam olim a nongentis circiter annis, vt in hoc libro oſtenditur, ſuo pietatis ſinu placide excepit, & prima Cœnobij, quod non ſemel, dum in minoribus eſſes, frequentare dignatus es, auſpicia elargita, plurium illuſtrium, tum ſanctitate, tum doctrina virorum, ſeminarium iecit, prout, & Annalia noſtra ſuo loco dabunt; ſic Tu, Senenſis Cardinalis, piiſſimæ, & nobiliſſimæ patriæ ingenua proles, eoſdem fouere non deſines. Accipe igitur, Eminentiſs. Princeps, hoc meę exiguitatis munuſculum, in ęternum obſeruantię monumentum, & deuotionis teſtimonium Tibi ſacratum, & quod auet, & audet, tuis excipe vlnis: eo Tibi gratius futurum, quod totum ſit in egregijs Aſcetarum, & priſcorum Monachorum geſtis referendis. Talibus enim exemplis pię mentes delectari ſolent, quod ipſis, ad Dei amorem, prout appetis, inardeſcere ſoleant. Hæc Tibi ſpiritualia chariſmata, interminabilis vitæ fœlicia auſpicia, a Patre luminum cumulatim concedenda ſupplex apprecor, ac longæuam ſoſpitatem, quo tuorum meritorum promeritam coronam in vtroque homine fœliciſſime conſequi poſſis, prout animitus voueo, & exopto. Vale ſacræ Purpuræ decor.

PRO-

PROTESTATIO AVCTORIS,

Iuxta decreta ſel. record. Vrbani VIII. in principio libri in quo agitur de Vitis, & geſtis Sanctorum, apponenda.

CVM Sanct. Mem. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in S. Congregatione S.R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui ſanctitate, ſeu Martyrij fama celebres è vita migrarunt, geſta, & miracula, vel reuelationes, ſeu quacumque beneficia, tamquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem ſanctiſſimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolute, & quæ cadunt ſuper perſonam, bene tamen ea, quæ cadunt ſuper mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides ſit tantum penes auctorem. Huic decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi obſeruantia, & reuerentia, quæ par eſt, inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu, quicquid hoc Tertio Tomo refero, accipere; aut accipi ab vllo velle, quam quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut S. Sedis Apoſtolicæ nituntur, iis tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

F R.

FR. IOANNES ANTONIVS PHILIPPINVS
S. T. Mag. ac humilis Prior Generalis totius Ordinis Carmelitarum antiquæ Obſeruantiæ Regularis.

CVM Opus, cui Titulus eſt (*Annales Carmelitarum Tomus Tertius*) a Reu. Adm. Patre Magiſtro Io. Baptiſta de Lezana Prouinciali Terræ Sanctæ, &c. multo labore, ac induſtria compoſitum, à Theologis Ordinis noſtri recognitum ſit, ac probatum, Auctoritate noſtra harum ſerie facultatem concedimus, vt typis mandetur, vt pote ad Dei, & Ordinis gloriam non mediocriter opportunum, ſi modo cæteris, ad quos pertinet ita videatur. In quorum fidem, &c. Datum Venetijs die 18. Auguſti 1652.

Fr. Io. Antonius Philippinus Generalis Carmelit.

Fr. Franciſcus Scannapieco Prou. Saxoniæ, & Sec.

Iuſſu

Iuſſu Reuerendiſſimi Patris noſtri Ioannis Antonij Philippini Ordinis Generalis Magiſtri.

HOC Opus, cui titulus, *Annales Sacri, Prophetici, & Eliani Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, &c. Tomus Tertius*, ab Adm. R. P. M. Io: Baptiſta de Lezana elaboratum, non minori delectatione, quam attentione perlegi, in eoque non modo nihil S. Rom. Eccl. fidei, vel morum probitati repugnans comperi, ſed plura, quæ eiuſdem fidei candorem illuſtrent, plurima quæ ad virtutes ſectandas; & vitia vitanda incendant, omnia denique, quæ aſſumptæ hiſtoriæ veritati hactenus ferè, vel ſcriptorum incuria, vel temporum iniuria obſoleſcenti deſideratam lucem afferant; quæq; Authorem ſuum pietatis zelo, ingenij acumine, eruditionis copia, ſapientiæ profunditate, elocutionis perſpicuitate, tam in hoc, quam in alio quouis ſcribendi genere clariſſimum, ſui ſemper ſimillimum, præferant, perſpexi: Digniſſimum proinde iudico, quod omnium oculis fruatur, imò quo omnium oculi fruantur. Romæ in Conu. S. Mariæ Tranſpontinæ die 25. Iulij 1652.

Fr. Paulus a S. Ignatio Carm. S. Theol. Mag. Obſeru. Taurin. Alumn.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſsimo P. Magiſtro Sacri Apoſtolici Palatij.

A. Riualdus Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Fanus Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Vincentij Candidi Sac. Palatij Apoſt. Magiſt. Ord. Præd.

AD LECTOREM
PROTESTATIO.

ID mihi alta mente repoſitum, Religioſe Lector, pro-
fiteor, quod huius operis ſcopus, in quo antiquorum
Monachorum Eliæ ſectatorum geſta recenſeo, is præ-
ſertim ſit, vt ea, quæ ad vitæ noſtræ inſtructionem
ſpectant, Religioſam vitam gerentibus præ oculis op-
ponam. Ioannis illius Eremitæ Caſſiani nuncupati Caſſianus.
veſtigia terens, qui *in Epiſtola ad Caſtorem* ſuis operi-
bus præfixa dicebat: *Propoſitum ſiquidem mihi eſt non de mirabilibus Dei,
ſed de correctione morum noſtrorum, & conſummatione vitæ perfectæ, ſecun-
dum ea, quæ a ſenioribus noſtris accepimus, pauca differere.* Sic etiam, con-
cinnè Ruffinum Aquileienſem *in prolog. ad 3. lib. Vit. Patr.* dicentem Ruffinus.
conſpicio; *Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum, id eſt, Abraham,
Iſaac, & Iacob, Moyſi, & Eliæ, & Ioannis, ideo deſcripta eſt fides, & con-
uerſatio, non tantùm vt illos glorificaremus, quos certe Deus glorificauerat,
& in regno ſuo glorioſos habebat, ſed vt legentibus poſteris conferrent verita-
tis doctrinam, & exempla ſalutis.* Etſi namque *Sanctorum animæ in ma-
nu Dei ſint*, eorum tamen geſta præſidio, exemploque relicta mortali-
bus perſeuerant. Hinc quia omnibus, vt Paulus dicebat, ſapientibus,
& inſipientibus *debitor ſum*, oportuit cum eodem Ruffino dicere: *Nec
enim mei operis eſt diuinæ doctrinæ, Scripturæque, ſophiſticè, & eloquenter
ſignare ſermones, ſed ſuadere mentes hominum in fide & operibus veritatis.*
Et cum Auguſtino contra Felicianum *cap. 2. Simplicitati obedire potius* S. Auguſtin.
ſtudeo, quam tumori. Eius æmulator exiſtens, qui *1. Corinth. 2.* aiebat:
*Veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimo-
nium Chriſti.* Vt enim S. Martinus, teſte Sulpitio, dicebat: *Regnum* S. Martinus.
Dei non in eloquentia, ſed in fide conſtat. Nec propterea a ſimplici illa
pura, & caſta eloquendi forma, qua Sancti, & Patres antiqui vſi ſunt,
abhorrendum iudico, ſed ab illa fucata Rhetorum, Grammaticorum-
que facundia, qua vel mendacia figmentant, vel vera ſic obſcurant (ne
capiantur forſan, & effugiendi locum habeant) vt vix aliquid certi niſi
ſtibiata & illecebroſa verba ab ipſis habeat Lector. Quorum, *Sirenum per-
nicioſam peſtem*, vt eam Iuſtinus Martyr *in cohortatione ad Græcos* appel-

 lat,

lat, effugiens Auguſtinus, & ipſe diſertiſſimus, ſed humillimus *ſerm. 1. de acced. ad gratiam*, dicebat: *Non vobis tonantia, & poetica verba proferimus, non aliqua grammaticorum arte compoſita, nec eloquentia ſaeculari diſerto ſermone fucata*. Ne etiam in immenſum tomus iſte excreſcat, ex hiſtorijs Sanctorum, illis etiam quæ propius horum Annalium ſcopum pertingunt, ea dumtaxat ſeligam, quæ magis pietatem, & vitæ perfectæ doctrinam ſapiant, alijs relictis, quæ aridam ſolummodo hiſtoriam continent. Eo vel maximè, quod ad Chriſtianam pietatem plus exempla quam verba extimulare ſoleant. Nouimus enim ex eiuſdem Auguſtini confeſſionibus quantum illi adhuc vacillanti contulerit audita vita beatiſſimi Antonij Eremitæ; nec dubium quin innumeris alijs idem euenerit. Prædicatorum Inſtituti primus author, & Patriarcha Dominicus, Patrum exemplis ſummopere delectatus ad ſupremam vitæ ſpiritalis, & religioſæ perfectionem peruenit. D. Thomas Aquinas, ſui Patris Dominici veſtigijs inſiſtens, eiuſmodi lectione haud vulgariter afficiebatur: nec id ſane abſque valde ingenti fructu. S. Thereſiæ Virginis clariſſimæ & myſticæ ac ſpiritualis Theologiæ Archimagiſtræ vitæ exempla, quos non ad ritè, ſanctèque viuendum extimularunt, ipſa quoque experientia clamante? Quod ſi his ſolidiora petimus, non deſunt nobis ne ipſius quidem Scripturæ diuinæ teſtimonia. Ieſus Syrach à cap.44. vſque ad 51. in ſuo Eccleſiaſtico, quid aliud, quàm Sanctorum, qui in hac vita Deo placuerunt, exempla commemorat, eaque nobis ob oculos ſpectanda, & imitanda proponit? Matathias ille legis eximius zelator, cum ab hac vita eſſet abiturus, filios ſuos nulla re alia magis quàm recitandis Patrum geſtis, ad agendum fortiter pro Deo, eiuſque ſanctiſſimis legibus, exhortatur, & confirmat. Sed & in nouo teſtamento D. Paulus multus eſt in præcedentium Sanctorum Patrum celebranda fide. Hos ergo pro meo poſſe æmulari ſtudeo, ambiens quoque vt cuncta ad laudem Dei, vtilitatem tuam, & noſtram dicta ſunto.

Præmonendus etiam, quòd etſi in Authorum, quos refero, citatione, & delectu, ſolum Patres, Doctores, Claſſici Scriptores, Catholici, & boni nominis apud me valeant; vnus tamen Ioannes Baleus Anglus author damnatus referri ſæpius debuit; non quidem in rebus ad dogmata, mores, religionem, ſeu doctrinam attinentibus, ſed in hiſtoricis dumtaxat ad Angliæ, ſeu Britanniæ, & Ordinis noſtri geſta ſpectantibus; in iſtis enim, vtpote quia valde verſatus, eo tempore quo Catholicè, & religiosè inter Noſtrates conuerſabatur, fuit; & de quibus plura volumina ſub Eccleſiæ obedientia ediderat, audiri poteſt ſine vllo fidei detrimento; reſciſſis præſertim aliquibus, quibus a ſinceræ veritatis tramite declinare dignoſcitur. Puriſſimos ergo latices, tibi, Lector propinare cupiens, nec gutta quidem praui liquoris infectos tibi offero. Viue felix.

APPA-

APPARATVS
AD TOM. III.
ANNALIVM.

Monachi plures poſt Diuos Baſilium, Auguſtinum, & Benedictum degentes, Eliani Inſtituti, non iſtorum ſanctorum Ordinum erant,
Caput I.

VLGATISSIMA plurium, nec infimæ notæ virorum, exiſtimatio, plus æquo inualuit, credentium, cunctos ſub Monachorum, Aſcetarum, Eremitarumue nomine inſignes, qui poſt tempora ſanctiſſimorum Baſilij, Auguſtini, & Benedicti claruerunt, ad ipſorum Ordines reſpectiuè dumtaxat ſpectaſſe; eorumque vnicos Patriarchas iure compellari poſſe. Eos videlicet, qui in Oriente, & Aſia monachiſmum exercuere poſt Baſilium, ad ipſius inſtitutam Congregationem; qui in Africæ partibus poſt Auguſtinum, ad illius Ordines; & qui in Europa poſt Benedictum, ad eius ſacram Benedictinam familiam. Nihil fermè de Antonio, Hilarione, Charitone, Pachomio, Poſthumio, & alijs Monachorum legiſlatoribus; æquè de Elia primo omnium in lege veteri Anteſignano, ac Ioanne Ieroſolymitano, qui Carmeli Eremitas Regula ſcripta inſtituit, recenſentes: quin potius veluti autumantes, tres illos ſanctiſſimos viros, quaſi ingentia flumina diſciplinæ aſceticæ cunctos alios aſcetiſmi Inſtitutores, riuos veluti exiguos in ſe abſorpſiſſe. Quia tamen iſtorum placitum omnino eſt a veritate alienum, operæpretium duximus, pro ipſa vindicanda laborare, ac oſtendere non omnes Monachorum nomine in Eccleſia inſignes, qui poſt DD. Baſilij, Auguſtini, & Benedicti Inſtitutiones vixerunt, ad ipſorum familias reuocandos, ſed illorum quamplures primordialiſſimi illius Eliani, & Eſſeni Inſtituti, quod Patres celebrant, cultores exiſtimari debere; ac ad Carmelitarum Annales ſpectare, vbi Elianos aſſeclas recenſere noſtri muneris eſſe exiſtimamus.

Monachi Eliani etiam poſt Baſilium, Auguſtinum, & Benedictum.

2 Et, vt rem ab ouo, vt dicitur, exordiamur, de horum Patriarcharum vetuſtiori Baſilio primùm loquendo, ipſum Monaſticas ſuas Inſtitutiones circa annum 363. edidiſſe, eo tempore ex Baronio, & alijs eiuſdem Baſiliani Inſtituti alumnis 2. *to.* ſcriptum reliquimus. Perpendendum igitur an Monachi, qui poſt illud tempus in Eccleſia floruerunt, Baſilium pro Patre, Patriarcha, aut Duce recognouerint, an vero Eliam, Eliſeum, Ioannem Baptiſtam, & filios Prophetarum: ſi enim primum

Poſt Baſilium

probari poteſt, cauſa proculdubio cademus; ſin autem poſtremum pro comperto fuerit, cadat aduerſariorum opinatio, veritas vincat, & reddantur *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*.

Ex D. Hieronymo. 3 Et quidem quo tempore Baſilius viuendi normam ſuis Monachis præbebat, vel circiter, D. Hieronymus Eccleſiæ iubar, cuius tanta erat in ſacrarum litterarum ſtudio aſſiduitas, vt D. Auguſtino teſte, *omnes penè Scriptores legerit*, in eiuſdem Orientis, & Aſiæ partibus aſceticam vitam, ſicut Baſilius gerens, cum ad Paulinum etiam Monachatum geſtire nitentem ſcriberet, Monachorum Principes, & inſtitutores cenſens, nullam vel minimam eiuſdem Baſilij mentionem fecit. Sic enim in ea Epiſtola, poſtquam vnumquodque hominum propoſitum ſuos Principes habere dixiſſet, de Monachis ſubiunxit. *Nos autem habeamus propoſiti noſtri Principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios; & vt ad Scripturarum authoritatem redeam, noſter Princeps Elias, noſter Eliſeus, noſtri Duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis*. Quibus verbis, ſi rectè expendantur, & quod nunquam Baſilium poſt ipſius mortem plures per annos ſuperſtes, omnium Monachorum parentem agnouit, rectè elicitur, quod eſto in Ponto, & Cappadocia monaſticen valde ſuis ſanctis inſtitutionibus Baſilius ipſe propagauerit, non propterea cunctorum Monachorum Patriarcha appellandus veniat. Vnde meritò Alphonſus de S. Victore Benedictinus Hiſpanus in libro, cui titulus *El Sol del Occidente, præłud.* 4. *cap.* 2. §.26. fabuloſum vocat cuiuſdam moderni plus æquo S. Baſilij cognominato Ordini addicti aſſertum, quo dicebat S. Hieronymum Baſilianum Monachum fuiſſe. Apage tale commentum.

Ex Gregorio Nyſſeno. 4 Idem hauriamus intentum ex Gregorio eiuſdem Baſilij germano, Nyſſeno nuncupato, qui vel, ob ſanguinis, & amicitiæ coniunctionem, nihil quod in fratris ſui commendationem faceret prætermittere debebat; præſertim, cum ex Inſtituto Orationem de ipſius laudibus eleganter concinnauerit. Hic ergo Pater non ſolum *Orat.7.in cap.4.Cantici Cantic.* agnoſcit noſtrum Galaaditidem Eliam *vitæ continentis*, & philoſophiæ aſceticæ primum vexilliferum; ſicut *Orat.*15. *& vlt. in ead. Cantic. Canticor.* quod *ad imitationem generoſi in hoc Vate animi, ſe ipſos ſupra mundum hunc vniuerſum attollunt*, Monachi videlicet; ſed etiam in præfata Oratione, qua fratris ſui encomiaſtem agit, ſic de ipſo ſenſit: *An etiam audebimus ad ſublimem Eliam ſermone aſcendere, & oſtendere noſtrum Doctorem* (Baſilium) *ſuæ vitæ inſtituto illius gratiæ aſſimilari?* En iam, Lector, quòd Gregorius ſuum chariſſimum fratrem Baſilium potius Eliæ monachatus ſectatorem, quam primum vexilliferum monaſtices in Orbe putet.

Ex Gregorio Nazianzeno. 5 Iuuat ad rem Gregorius alius Nazianzi Epiſcopus dictus, Baſilio coætaneus, commilito in monaſtica palæſtra, & fidelis, ac familiaris Achates. Is enim *orat.*11. *aduerſus Arrianos* potius Eliæ Carmelum,

quam

quam Baſilij Pontum, aut Cappadociam meditatur; & *Orat.* 19. magis eundem Eliadum Montem, & Ioannis ſolitudinem veluti primos Monaſtices fontes, quam riuos alios conſiderat; propterea quoque, & ad intentum preſsius, cum eiuſdem Baſilij *in Orat. de laudibus ipſius* encomia referret, Eliam, & Baptiſtam *ſummos Philoſophos* vocat; non Baſilium ipſum, qui etſi in hac cæleſti philoſophia ducatum pluribus præſtitit, omnium tamen Anteſignanum Ducem fuiſſe Eliæ reſeruauit.

6 Quid de Ephrem Syro eiuſdem Baſilij addictiſsimo dicendum? Sanè totus hic Pater eſt in Paræneſibus, aſceticis inſtitutionibus, & Monachorum Regulis conſcribendis; vix aliud niſi Monaſticem Therapeutarum reſonare conſpicitur; Eliam, & Baptiſtam commilitonibus crebriùs imitandos opponit; quod verò omnes vniuerſim Baſilium ſuum Ducem agnoſcant, nuſquam comperiet Lector. Vel ergo deſes in tanti amici gloria commendanda, vel potius verus hiſtoricus circa Monaſticam œconomiam, & ipſius Patriarchas, comprobabitur. *Ex Ephrem Syro.*

7 Sed pro multis teſtimonium afferat Ioannes noſter Ieroſolymitanus Antiſtes, de quo præcedenti tomo, & hoc præſenti, plura dicimus. Ille namque librum *de Inſtitutione Monachorum in lege veteri exortorum, & in noua perſeuerantium*, ſub anno a mundi Redemptore 412. pluribus poſt mortem Baſilij, & Monaſticas ab ipſo inſtitutiones per Eccleſiam promulgatas, annis, ſcribens, id pro ſcopo, ac themate habet, vt Eliam, Eliſæum, & filios Prophetarum in lege Moyſis, ac Ioannem Baptiſtam in Chriſtiana, vnicos, & ſingulares Monachorum omnium vtriuſque teſtamenti Patriarchas, ac Duces exiſtimemus; nullam prorſus mentionem, aut memoriam de Baſilio, eiuſue Inſtitutis vir diſertiſsimus, & inter Orientalis Eccleſiæ Doctores, vel ob contentiones cum Hieronymo, & Epiphanio habitas, nominatiſsimus, agens. Si autem magnus pater Baſilius omnium vndequaque Monachorum Orientalium Patriarcha vocari mereretur, quo iure illius regionis tam diligens ſcriptor id tam alto ſilentio inuolueret? Quomodo, non niſi inuidiæ labe tabefactus tantam celeberrimi Baſilij gloriam celaret? Carmelæis præſertim, ad quos librum ſcribebat, & qui eundem Baſilium pro concollega in Eliana ſchola venerari tenebantur? *Ex Ioanne Ieroſolymitano.*

8 Sufficeret etiã ad propoſitum Ioannes vnus Caſsianus cognomine, alterius Ioannis Conſtantinopolitani, Chryſoſtomi cognomento, diſcipulus, & Diaconus. Ex hoc enim vel ſolo authore clarè euincitur poſt magni Baſilij Monaſticum Inſtitutum fuiſſe innumeros monachiſmi cultores, qui cum Baſiliano nihil ferme commune habebant, ſed antiquioris illius Eliani, & Eſſeni dogmatis ſectatores eſſent. Etenim hic Caſsianus, natione Scytha (prout Gennadius, Trithemius, & alij ſcribunt) cum Ægypti, & Palæſtinæ Monaſteria perluſtraſſet, imo a pueritia in eis conuerſatus eſſet, vt ipſe *in præfatione ſuorum operum ad Caſtorem Epiſcopum*, teſtatur, eorum Monachorum Regulas, Inſtituta, habitum, ob- *Ex Ioanne Caſsiano.*

ſeruantias, moreſque deſcribens, plurima dicit, quibus noſtrum egregiè fulcitur intentum. Primò namque, *lib.* 1. *cap.* 2. de Elia, & Eliſæo inquit: *Profeſſionis huius fundauere primordia.* Quibus etiam pro nouo teſtamento Ioannem Baptiſtam adiungit. Deinde, *Collat.* 18. *cap.* 6. *Anachoretas*, inquit, *vaſtos eremi ſeceſſus penetrare ad imitationem eorum.* Deinde *in ea præfatione ad Caſtorem*, Monaſteria illa, de quibus agit, & quorum refert Inſtituta, ea eſſe ſcribit, *In quibus ab exordio prædicationis Apoſtolicæ a Sanctis, ac ſpiritualibus Patribus fundata Monaſteria ad nos vſque perdurant.* Iunge, quod etſi in eadem præfatione, Inſtitutionum Baſilij mentionem fecerit, & *lib.* 5. *c.* 19. & *lib.* 7. *c.* 19. aliqua eiuſdem Baſilij ſcripta documenta, ſicut etiam Hieronymi, notauerit, nunquam tamen, nec leuiter ex eo haurire poſſumus Monachos, quos ipſe Caſsianus commemorat (notet autem Lector ad Theodoſij, & Valentiniani tempora circa ann. 435. pluribus annis poſt Baſilij dogmata Regularia ſuperuixiſſe) Baſilianos fuiſſe, ſed dumtaxat eius Inſtituti, quod Eliam, & Baptiſtam æmulabatur, & *ab exordio prædicationis Apoſtolicæ*, vt ipſe dicebat, in Eccleſia viguit. Vnde Clemens Reinerus præclariſsimæ Benedictinæ ſcholæ alumnus *in lib. de Apoſtolatu Benedictinor. in Angliam, Tract.* 1. *ſect.* 1. §. 18. expreſsè fatetur Maſsilienſes Monachos a Caſsiano inſtitutos *monachatum ſuum ab Ægyptijs, & Paleſtinis accepiſſe.* Subiungens etiam: *Quod nemo dubitabit, qui vel Seueri dialogos de Monachis Orientalibus, vel Caſsiani inſtituta, vel Sancti vitam Honorati Lyrinenſium fundatoris perlegerit.* Quo ergo iure noui authores velle poſſunt omnes Monachos poſt Baſilium Baſilianum Inſtitutum imbibiſſe? Idem colligitur ex Regula ipſius, de qua paulo poſt dicetur.

9 Notari poteſt ad intentum Author ſermonum ad fratres in Eremo, ſiue ſit Auguſtinus magnum Eccleſiæ luminare, ſiue alius eius nomine laruatus. *Auguſtinus.* Is enim *ſerm.* 39. loquens de Eremitis Monaſticæ profeſſionis cultoribus, inquit: *Sitis cum Elia, Paulo, Hilarione, Antonio, & Ioanne ſancti, & immaculati in conſpectu Dei.* Vbi Baſilius? Nihil de ipſo, niſi altum ſilentium. Quorſum igitur pro indubitata veritate mundo venditur, quod omnes, qui poſt ipſum Monachiſmi cultores fuerunt, Baſiliani extiterint? Dicere potius deberent quod Eliani, Pauliniani, Hilarioniſtæ, Antoniani, & Ioanninionæ, niſi noua diſpliceret nomenclatura.

10 Nec prætermittendi alij temporis proximi poſt Baſilium, eiuſque tradita regularia documenta, hiſtoriæ Monaſticæ compilatores, ex quibus nullam arripere potuere aduerſarij anſam, vt eum vnicum aſceticæ vitæ, alijs repudiatis, Patriarcham facerent; cum potius propoſitum *Ruffinus.* nobis thema elicere poſſent. Etenim Ruffinus, qui librum Vitarum Patrum ſecundum, & tertium ſcripſit, vbi ſui æui Monachorum œconomiam depinxit, nullum de Baſilio verbulum ad intentum dixit. In libro autem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, qui eſt vndecimus additus Euſebio,

cap. 9.

cap. 9. etſi pro meritis eum, & Gregorium Nazianzenum commemoret, ipſorumque monachatum deſcribat, ac inſtituta monaſtica ipſius non celet, quod tamen omnium monachorum anteſignanus fuerit alto ſilentio occultat. Palladius etiam Galata author *libri* 8. *Vit. Patr.* ſeu *Hiſtoriæ Lauſiacæ*, aut Heraclidis Paradiſus, nihil ſonant de huiuſmodi a Neotericis Baſiliano Patriarchatu in omnes & ſingulos monachos poſt ipſum. Palladius. Idem in Theodoreto Cyri Epiſcopo authore *lib.* 9. *Vit. Patr.* ſeu *Philothei* animaduertat Lector. Et quod magni ponderis ad intentum eſt, etſi Theodoretus *eo lib. cap.* 3. de Baſilio, eiuſque virtutibus mentionem fecerit, de ipſius tamen in monachos omnes Archipræſulatu ne verbum quidem protulit, contentus dixiſſe: *Apud Seleuciam Monaſticum extruxit habitaculum*. Præterea etſi S. Amphilochius Iconij Epiſcopus vitam Magni Baſilij deſcripſerit, ibique plura ipſius magnalia, egregias virtutes, miracula inſignia, pleraque etiam, quæ ad tanti viri gloriam ſpectare poterant, narraſſet; at nihil prorſus de Principatu ipſius ſuper Monaſticæ ſcholæ vniuerſos alumnos. Vocat ſanè ipſum *Paſtorem*, & *Magiſtrum noſtrum*, vtique quia ipſe Amphilochius (ſi verus author eius vitæ eſt, creditur enim a multis ſuppoſitus) & illi, ad quos ſcribebat ex diſcipulis eius eſſent. Numquid propterea idem dicendum de alijs monachorum myriadibus eo tempore, & poſtea exiſtentibus? Præterea Hiſtoria Tripartita a Sozomeno, Socrate, & Theodoreto nuncupata, dum *lib.* 1. *cap.* 11. de monachiſmi, quem *elegantiſſimæ Philoſophiæ* nomine decorat, Principibus agit, Eliam, & Ioannem Baptiſtam primarios refert; & poſt illos Antonium, Paulum ſimplicem, Ammonium Nitriotem, Theodorum eius diſcipulum, & Euthychianum recenſet, nullam omnino de Baſilio noſtro, aut eius Principatu in monachos memoriam agens. Cur equidem? Sanè, quia inter Ægyptios, & Palæſtinos nihil tale vel in ſuſpicione erat. Eſto, vt diximus, in Ponto & Cappadocia vt communis Paſtor monachorum haberetur.

Theodoretus. Amphilochius. Tripartita hiſtoria.

11 Ex poſterioribus etiam Doctoribus idem clarè ſumi poteſt: Etenim S. Iſidorus Hiſpalenſis *lib.* 2. *de Offic. cap.* 15. dum de monachorum primarijs Patriarchis ſermonem inſtituit, ex veteri teſtamento *huius propoſiti* (inquit) *Principes Elias, & diſcipulus eius Eliſæus fuerunt, ſiue alij Prophetæ*. Poſtea: *Huius deinde propoſiti in Euangelio Ioannes auctor extitit*. Poſt quæ ſubdit: *Iam deinde progeniti ſunt conuerſationis huius nobiliſſimi Principes Paulus, Antonius, Hilarion, Macarius, cæterique fratres*. Cum autem inter huiuſmodi Monaſticæ conuerſationis Principes Doctor ſapientiſſimus non recenſeat Baſilium, proculdubio denotat ipſum Generaliſſimum (vt ſic loquamur) non fuiſſe Monachorum Patrem, qui poſt eum vixere; alioquin non niſi negligentiſſimè ipſum præterijſſet. Idem eſto iudicium de authore libri, ſeu Epiſtolæ *de vita ſolitaria ad fratres de Monte Dei*, ſub D. Bernardi nomine claro; qui dum ex intento de Monaſtica diſciplina loqueretur, dixit: *Hæc nouitas non eſt nouella*

S. Iſidorus. Author epiſtolæ ad fratres de Mōte Dei.

uella vanitas, res enim eſt antiqua, hæreditas Eccleſiæ Dei a tempore Prophetarum præmonſtrata, iamque nouæ gratiæ ſole exorto in Ioanne Baptiſta inſtaurata, & innouata. Poſt quæ principaliores Duces huius Inſtituti referens, inquit: *Ex quibus legimus Paulum, Macarium, Antonium, Arſenium, & alios quamplures.* Etenim dum ſub generica clauſula *& alios quamplures* Baſilium comprehendit, indigitat ſanè ipſum (etſi clariſſimum Patriarcham) neutiquam tamen omnium Monachorum poſt ipſum viuentium Patrem, ſeu legislatorem extitiſſe. Et de Hugone Victorino D. Bernardo Synchronogo, qui dum *ſerm.* 72. illud Pſ. 64. *Pingueſcent ſpecioſa deſerti*, exponeret, per ſpecioſa deſerti Eliam primùm, deinde Ioannem Præcurſorem, poſtea *innumerabiles Ægyptiorum multitudines Monachorum* recenſet, nullatenus commemorans Baſilium, aut eius clariſſimam Baſilianam familiam; etſi Carthuſienſem, Ciſtercienſem, & Præmonſtratenſem non prætermittat. Quod proculdubio minimè faciendum crederet, ſi omnes per vniuerſum Orbem a tempore Baſilij monachos ſub eius vexillo militare exiſtimaret; quin ipſum inter *Specioſiſſima deſerti*, qui omnium *deſerti* cultorum Pater meruit eſſe, connumeraret.

Hugo Victorinus.

12 Ex his porrò, qui non tam communes, & generales Eccleſiæ hiſtorias, quam peculiares inſignium quorundam Sanctorum ediderunt, idem firmatur intentum. Inter quos vnus eſt Cyrillus Monachus, qui circa ann. Chriſti 500. florens, tanta fidelitate, ac diligentia Sanctiſſimorum monachorum ſui æui geſta deſcripſit, vt Baronius Cardinalis vir in hiſtoria tantus, eum poſt Diuos Hieronymum, & Athanaſium in hoc genere veluti anteſignanum prædicet, & veritatis *ſacroſanctum depoſitum* appellet. Is ergo egregius hiſtoriographus vitas, & geſta Sanctorum Ioannis Silentiarij, Euthymij, Sabæ, Theodoſij, & Quiriaci ſinceriter ſcribens, (quæ poſtea Metaphraſtes, & nouiſſimè Surius, quos alij æmulantur, collegerunt) nihil omnino habet, quo vel leuiter ſuſpicari poſſit hos clariſſimos monachos, & plures alios illis coæuos, conſortes, & ſodales, quos etiam recenſet, Baſilij, aut Auguſtini aſſeclas fuiſſe: quin potius ſuo alto ſilentio prudenter demonſtrat illius dumtaxat Inſtituti profeſſores extitiſſe, quod in partibus illis Syriæ, Palæſtinæ, Iordanis, & viciniorum ſanctæ ciuitatis locorum, a multis ſæculis claruerat, ab Elia, Ioanne Baptiſta, & Eſſenis promulgatum, prout & notabimus in ſequentibus, dum de ipſis ſpecialiter ſermo erit. Eò quoque quod incolas eorum plures appellet Cœnobiorum, quæ *Lauræ* dicebantur, & quæ a S. Carithone Abbate ante Baſilium, & Auguſtinum, quin ante Antonium, Pachomium, & Hilarionem initium primordialiter habuerunt, prout in tomo præcedenti notatum manet.

Cyrillus monachus.

13 Adeſt & alius circa annum 550. vita, & doctrina florens, Euſtachius Presbyter, qui mirabilia geſta S. Eutychij Conſtantinopolitani Antiſtitis (vbi etiam de Monachis, Cœnobijs, & monaſtica diſciplina) conſcribens,

Euſtachius presbyter.

ſcribens, nec minimum verbulum de Patriarchatu Baſilij, aut Auguſtini in hos, vel alios monachos protulit; quin potius, dum de Eutychij monachatu verba faceret; *Imitatus eſt* (inquit) *Eliam Thesbitem, & Ioannem Baptiſtam, qui exercitationis viam imitari volentibus oſtendentes, ſolitudinem primo coluerunt*. Et poſt alia *Quaſi ſecundus quidam Elias*. Sanè hæc erat mens horum veterum Scriptorum, a qua Neoterici declinantes neſcio an media ſub luce hallucinantes dici queant. Hiſtoriam porrò iſtam in Metaphraſte, & Surio pro ſexta die Aprilis regiſtratam habemus.

14 Nec omittendus alius circa idem tempus ſanctitate, & doctrina celebris author S. Gregorius Turonenſis, qui cum plurium SS. Monachorum, & Anachoretarum ritus, geſta, & hiſtorias ſcripſerit (vbi etiam de Inſtitutis, ſub quibus degebant) maximè in libro *de Vitis Patrum*, & in alio *de gloria Confeſſorum*, nihilominus nec verbum (quod viderim) habet de Patriarchatu S. Baſilij, aut Auguſtini in ſimile hominum genus; contentus ſanè dicere Monachos fuiſſe; Anachoreticam, vel Eremiticam vitam duxiſſe; ſub Abbate, vel Monaſterij ferula vixiſſe; aut his ſimilia: ſane indigitans eos tale vitæ Inſtitutum ſectatos fuiſſe, quod a Prophetis inchoatum, a Chriſto conſummatum, & ab antiquis ſæculis in Orbe celebratum erat: quod & nos in præcedentibus iure appellamus *Propheticum*, *Elianum*, ſeu *Eſſenum*. Id quidem verum quod is Gregorius *lib.* 10. *hiſtoriar. cap.* 28. commemorat Cœnobium quoddam a B. Aredio Abbate erectum, in quo (inquit) *Caſſiani, Baſilij, & reliquorum Abbatum, qui Monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur Regulæ*. Sed in hoc nihil ſpeciale dicitur de D. Baſilio, quod non etiam de Caſſiano, & alijs Abbatibus aſſeratur; & idcirco nihil releuat partem, quam improbamus. Gregorius Turonenſis.

15 Et vt alia omittamus, de quibus, cum de aliquibus ipſorum ſigillatim agetur, dicemus; illud valde notatu dignum ad intentum cenſeri debet, quod poſt tempora Diuorum PP. Baſilij, & Auguſtini, fuerunt plures alij, etſi non æque celebres, monachorum Patres, qui Regulas, Inſtituta, ſeu leges pro ipſis ſcripſerunt: quod certe ſuperuacaneum omnino eſſet, ſi tantorum Patriarcharum Regulæ, & Inſtituta generaliter ab omnibus Monaſticæ vitæ cultoribus recepta eſſent. Quorſum enim talis Regularum multiplicatio? Aut quæ in ipſis dici poſſent, quæ a Baſilio, & Auguſtino tacta non eſſent? Cum ipſi pro Regularis vitæ Inſtitutione plenè, planèque diſſeruiſſent. Hi porrò qui Regulas, Regulariaue Inſtituta poſt hos Patres ſcripſerunt, ſunt (omittendo pro nunc eos, qui ante illos id egerunt, ſcilicet Charitonem, Antonium, Pachomium, Arſiſium, Serapionem, Macarium, Paphnutium, & Martinum, de quibus tomo præcedenti diximus) S. Honoratus Monaſterij Lerinenſis fundator, qui pro eo Monaſterio eam condidit, diſtinctam a Baſiliana, & Auguſtiniana, vt colligitur ex vita S. Eugendi, apud Surium Regularum Inſtitutores. S.Honoratus

rium 1. *die Ianuar.* & Sidonio *lib.*7. *ep.*17. Et ex Yepes *in Hiſtor. Benedictinorum ann. Chriſt.*558. Chriſtophoro Brouuero *in notis ad Venantium Fortunatum*, & Sirmondo elicit Benedictus Haeftenus *in diſquiſit. Monaſt. lib.*1 *Tract.*5. *diſquiſit.*3. Item Ioannes Caſſianus, qui etiam propriam Regulam monachis condidit; prout ex authore vitæ S.Eugendi, Gregorio Turonenſi loco ſuperius relato; Benedicto Anianæ *in Concordia Regular.* Photio *in Bibliotheca*, Vincentio *in Speculo lib.*19. *cap.*14. D. Antonino *in Summ. hiſtor. part.*2. *tit.*10. colligit Haeftenus *ſupr. diſquiſit.*4. Quam Regulam non fuiſſe nec Baſilij, nec Auguſtini, ſed ex Patribus Aegyptijs deſumptam diſertè habent Photius, & Vincentius relati, Gennadius *in Catalogo*, Ioannes Meurſius *in Gloſſario Græco-barbaro*, *verbo Hebdomadarius*. Datam porro fuiſſe duplici illi Monaſterio virorum, ac Mulierum apud Maſſiliam ab ipſo condito dicemus *ſub ann.* 421. & tradunt Gennadius, Maurolicus, quorum aſſecla eſt Haeftenus *ſupra*. Deinde inter legislatores Monachorum iure referri poteſt Abbas Pinutius, de quo *tomo præcedenti ſub anno* 411. dictum manet, & de eius Regula idem Haeftenus *diſquiſit.* 5. Refert etiam inter eos *diſquiſit.* 6. Marcianum commemoratum a Theodoreto *in Philotheo cap.* 3. quem etiam Regulares Inſtitutiones deſcripſiſſe ex eodem Theodoreto elicitur. Cæterum, ſi iſte Marcianus S. Baſilij Cæſarienſis magiſter extitit, prout tomo præcedenti *ſub ann.*260. diximus, numerandus non eſt inter legislatores Monaſticos poſt Baſilium, & Auguſtinum, cum ante illos vixerit. Numerat quoque *diſquiſit.*7. Stylitarum Regulam, & Inſtituta, & *diſquiſ.*8. Regulam Baſſi. Sed maxime numerare potuit *diſquiſ.*9. Regulam, ſeu Inſtitutum *Acœmetarum*, ſiue *Inſomnium*, vel *non dormientium*. De illis tamen, *ſub anno* 464. commodius dicetur. Agaunienſium quoque Regulam *diſquiſ.*11. profert ex authore vitæ S. Eugendi, de qua ſuperius: ſed qualis fuerit dubitat. Meritò tamen referenda ad omnium Regularum prototypum poſt Chriſtum, & Apoſtolos, Orientale nempe Monachorum Inſtitutum, Elianum, Eſſenum, & Propheticum. Occurrit etiam inter hos legislatores Monachorum, Vigilius Diaconus, & Monachus, qui pro ipſis Regulam concinnauit, vt tradunt Gennadius, Honorius Auguſtodunenſis, Trithemius, Poſſeuinus, & alij. Imò cum Gennadius, Honorius, & Poſſeuinus dicant eam compoſuiſſe *Ex traditione Patrum*, maniſeſtum apparet nihil habere cum Regulis Baſilij, & Auguſtini commune. Adijcit Haeftenus *diſquiſ.*13. Regulam Pauli, & Stephani ex manuſcriptis Codicibus Treuirenſi, & Colonienſi, & alijs. Sed quia iſti antiquiores ſunt, non videntur connumerandi inter legislatores quinti ſæculi, ſed potius quarti, ac per conſequens ante Auguſtinum, & circa tempora D. Baſilij. Vtcumque res fuerit, Regula ipſorum potius ex Eſſenorum penu, quam ex aliorum ſcriptis extracta erit; cum ipſi Paulus, & Stephanus *Sceten*, *Pherme*, & *Paludem Mareotim*, antiquas Eſſenorum manſiones, habitauerint, prout ex Sozomeno,

Margin notes: Caſſianus. — Pinutius, ſeu Pinuſius. — Marcianus. — Stylitæ. — Acœmetæ. — Agaunienſes. — Vigilius. — Paulus, & Stephanus.

zomeno, Nicephoro, Caſſiodoro, & his, quæ diximus tomo præcedenti elicitur. Iure optimo etiam commemorat *diſquiſ.* 14. Regulam Euthymij, Teoctiſti, & Geraſimi, de qua ſub nomine *Canonis*, ſeu Inſtitutionis agunt Cyrillus Monachus in *Vita S. Euthymij*, Nicephorus *lib.* 14. *cap.* 52. & Metaphraſtes *in Vita S. Sabæ, & S. Quiriaci*. Eam verò propriam eorum fuiſſe, nec mendicatam a Baſilio, multominus ab Auguſtino poſteriori, ea quæ de ipſis dicemus in ſequentibus euincent; præſertim cum ipſi habitarent *Lauras*, ſeu manſiones Iordani, & S. Ciuitati vicinas, quæ propriæ erant filiorum Prophetarum, & Eliſenorum; ac Carithonis fundatoris. De Regulis quoque noſtri Ioannis Ieroſolymitani, ipſius Baſilij in Carmeli incolatu commilitonis; S. Patritij Hiberniæ Apoſtoli; Aluei Cœnobiarchæ, & Palladij diſcipuli; Mochtei, ſiue Maccæi; Cæſarij Arelatenſis; Eugipij Abbatis; Brigidæ Virginis; Sabę Abbatis; Adeodati Abbatis S. Benedicti magiſtri, eiuſdemque S. Benedicti, idem Haeftenus, & nos in huius tomi diſcurſu, cum de illis ſermo erit, agemus. Et de cunctis patefiet Regulas proprias ſcripſiſſe, illis quas SS. Baſilius, & Auguſtinus ſcripſere, poſtpoſitis; ac perinde pro vulgi errore æſtimandum id quod plures (etiam docti) aſſerunt, horum Patriarcharum Inſtitutiones vnicas in orbe pro Monachis floruiſſe, cunctis alijs obliteratis, poſt ipſos. Euthymius, Theoctiſtus, & Geraſimi.

16 Idem pariter ſtruendum de SS. P. Occidentalium Monachorum Patriarchæ Benedicti Regula. Etſi enim ipſa pro viuendi norma fuerit innumeris eius Inſtituti, ipſiſque illuſtriſſimis aſſeclis; non tamen idcirco antiquorum Patrum Orientalium Inſtitutiones abſorpſit, aut poſteriorum manus ad ſimiles viuendi formas deſcribendas ligauit; ac proinde quemadmodum poſt Baſilium, & Auguſtinum plures fuerunt Monachi, qui vetuſtius ipſis viuendi iter arriperent; ſic & poſt Benedicti ęuum: ex quibus nonnullos ſaltem inter Elianos noſtros, ob ſpecialiorem quandam imitationem computamus; & ab eis diſtinguimus, quos Carmelus ipſe proximè paſcebat; etſi ſine inuidia Carmelitas dicere poſſemus; quatenus illorum Monachorum propagines erant, qui ab Elia Carmeli Cœnobiarcha originem duxerant. Nec abs re tales aſceticę vitę inſtitutores in Europa Aſiaticis accenſemus, cum Orientalium PP. Inſtituta in tanta veneratione ſemper apud Occidentales fuerint, vt ex eis, veluti è fonte, ſua traxerint dogmata Monachis obſeruanda. Quod Benedictus Haeftenus *in ſuis diſquiſ. Monaſtic. lib.* 1. *Tract.* 4. *diſquiſ.* 4. ſic fatetur ex Caſſiano, & Petro Rouerio Ieſuita. *Petrus Rouerius è Societate Ieſu in illuſtrationibus hiſtoriæ Monaſterij Reomaenſis num.* 37. *ſcribit, olim fuiſſe moris vulgatiſſimi, maxime in his Occidentis Regionibus, vt nemo ſibi Monachi nomen auderet arrogare, qui non ad alicuius ex Oriente Abbatis mores, & inſtituta, vitam dirigere videretur. Cum nihil cenſeretur rationabilius, aut perfectius, (vt ait Caſſianus in præfatione libri primi) quàm illa eſſent inſtituta, in quibus ab exordio prædicationis Apoſtolicæ a ſanctis, ac* Occidentis Regulæ.

Spiri-

ſpiritualibus Patribus fundata Monaſteria eouſque perdurarunt. Quin ipſe S. Pater Benedictus quantum deferat Orientalium Patrum Regulis, & quomodo per ſuam, quam ipſe condidit, poſteriores alias obruere non nitatur, expreſſit *in cap.73.* Regulę, cuius titulus eſt: *De eo quod non omnis iuſtitiæ obſeruatio in hac Regula ſit conſtituta*, his verbis: *Regulam hanc deſcripſimus, vt eam obſeruantes in monaſterijs, vel honeſtatem morum, aut initium conuerſationis nos demonſtremus habere. Cæterum ad perfectionem conuerſationis qui feſtinant, ſunt doctrinæ ſanctorum Patrum, quarum obſeruatio perducat hominem ad celſitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis ſermo diuinæ auctoritatis veteris, ac noui Teſtamenti non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ? Aut quis liber ſanctorum Catholicorum Patrum hoc non reſonat, vt recto curſu perueniamus ad Creatorem noſtrum? Nec non & Collationes Patrum, & inſtituta, & vita eorum, ſed & Regula S. Patris noſtri Baſilij, quid aliud ſunt, niſi beneuiuentium, & obedientium Monachorum inſtrumenta virtutum? Nobis autem deſidioſis, & malè viuentibus, atque negligentibus rubor confuſionis eſt. Quiſquis autem ad patriam cæleſtem feſtinas, hanc minimam inchoationis Regulam deſcriptam adiuuante Chriſto perfice; & tunc demum ad maiora, quæ ſupra commemorauimus, doctrinæ virtutumque culmina, Deo protegente peruenies.* Non ergo S. Benedictus anteriores Regulas Monaſticas, Ægyptiorum PP. prętertim, qui aſceticam vitam iuxta Eſſenum inſtitutum agebant, & quam *Collationes Patrum* Caſſiani demonſtrant, ſua Regula aboleuit; aut ſimilibus alijs inpoſterum pręſcribendis aditum pręcluſit, prout ex dicendis nunc, & in ſequentibus conſtabit, ac eruditè probat Gallonius *in Apologetic. contra Bellotum a pag.29.* & quoad antiquiores *in Reſponſ. ad Monachum Benedictin. pag.87.* de ipſo S. Benedicto dicens: *Qui recens ſuas condidit Regulas, noluit antiquas abolitas*. Et clarè ſatis habetur in vita S. Philiberti Abbatis apud Surium *tom.4. die 20. Auguſti*, vbi de eo dicitur: *Legebat ſtudioſè Baſilij præclaras Conſtitutiones, Macharij Regulam, Benedicti decreta, Columbani Inſtituta &c.*

Aurelianus Arelatenſis. 17 Pręterea circa eiuſdem S. Patris Benedicti tempora Aurelianus Arelatenſis Epiſcopus duobus Monaſterijs virorum, & virginum, quę Arelate conſtituit, duplicem Regulam tradidit, quam refert Benedictus Haeftenus *in diſquiſit. Monaſt. lib.1. tract.6. diſquiſ.7.* Deinde poſt aliquos annos, S. Columba Pictorum Apoſtolus Monaſterijs quę fundauerat Regulam ſcripſit, de qua Vvilfredus apud Bedam *lib.3. cap.25.* eamque vidiſſe teſtatur idem Haeftenus *diſquiſit.8.* Idem conſtat de Congello Britanno plurimorum quoque Monachorum Duce, & Archimandrita Benchorenſi. Regulam namque ſuis pręſcripſit, de qua in eius vita, & apud Vvionem, Poſſeuinum, & Haeftenum ſupra *diſquiſit. 9.* fit mentio. Ac de Brandano Abbate prędicti Congelli diſcipulo, qui plura etiam per Scotiam, & Hiberniam cœnobia conſtituit, & trium millium Monachorum Pater dicitur. Eis namque Regulam etiam dediſſe, quæ ſicut

ſicut Pachomio quondam contigit, ab Angelo accepta dicitur, ſatis indicant Vvion, Poſſeuinus, Dauid Rothus Oſſorienſis Epiſcopus, & Codex Salmantinus, quibus accinit idem Haeſtenus *diſquiſit.* 10. Quod pariter de S. Querano, ſeu Kierano in illis etiam partibus Archimonacho celeberrimo ſuſpicatur *diſquiſit.* 11. ac de Adomnano Abbate *diſquiſ.* 12. & de Molaſſo, ſeu Laſceano, Cænigeno, Fintano, Canico, & Carthago *diſquiſit.* 13. Maximè verò id notare potuit *diſquiſit.* 14. de Donato famigerato monachorum legiſlatore in Hiſpania, ex S. Ildefonſo Toletano, Ioanne Biclarenſi chronologo, Vaſæo, Morales, & Mariana: Sicut & de Ferreolo Epiſcopo *diſquiſit.* 15. Id quoque clariſſimè conſpicitur in S. Columbano, de quo plura in operis diſcurſu. Hic enim ſanctiſſimus vir, monachorum, & monaſteriorum plurium Patriarcha, Regulas illis viuendi tradidit, nihil ferme commune cum Benedictina habentes, quibus in vita monaſtica exercerentur. Sic enim habetur ex vita ipſius Columbani per Bedam, Ionam monachum, & alios deſcripta; item apud Ordericum Vitalem *lib.* 8. *hiſtor. Eccleſiaſtic.* & de qua late Benedictus Haeſtenus ſupra *lib.* 1. *Tract.* 7. *diſquiſit.* 1. Vnde vel propter has Columbani Regulas triumphat Gallonius ſupra *pag.* 29. *&* 30. contra Bellotum dicentem S. Benedicti Regulam omnes alias obliteraſſe, eum idcirco *Mendacij*, *vanæ iactantiæ*, & *inuidentiæ*, vt ipſe loquitur, arguens; etſi hunc loquendi modũ nullatenus approbare velim. Ne porro prolixiùs rem proſequi videar, Lectorem remitto ad eundem Haeſtenum *Tract.* 7. *&* 8. *eiuſdem primi libri*, vbi de Regulis etiam Luani, Ioannis Epiſcopi Gerundenſis (quem etiam inter monachorum legiſlatores numerat Tamaius de Vargas in not. ad Luitprandum ann. Chriſti 621.) S. Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi, S. Iſidori Hiſpalenſis quoque Epiſcopi Leandri fratris, & ſucceſſoris, Donati Veſontini, Fructuoſi, Valerij, Theodori Studitæ, & aliorum: ex quibus hæc hauriat pro huius diſcurſus coronide, quod quemadmodum poſt DD. Baſilij, & Auguſtini Regulas aliæ quoque ab alijs PP. editæ ſunt ante D. Benedicti tempora, ſic & poſt eiuſdem Benedicti normam editam alij quoque Regularum legiſlatores extiterunt. Ac proinde (quod eſt noſtræ diſputationis ſcopus) quod ſicut non omnes monaſticæ vitæ cultores poſt Baſilium, & Auguſtinum ipſorum inſtituta ſectati fuerunt; ſic quoque nec omnes monaſticen profitentes poſt D. Benedictum, Benedictino Ordini aſcribendi: ſed locum relinqui quibuſdam alijs in aſcetica palæſtra, ſub vetuſtiſſimo Eliano, Eſſeno, & Prophetico Inſtituto militantibus. Quod operoſius a nobis diſquirendum.

Queranus.

S. Colũbanus

18 Nec vulgari opinioni aduerſæ ſuffragatur quod quidam aſſerant Regulas iſtas mendicatas a fontalibus illis, & primæuis Baſilij, Auguſtini, & Benedicti, ſicut e fontibus riuulos, eſſe; ac propterea potius veluti appendices, additamenta, & expoſitiones illarum habendas;

Quales iſtæ Regulæ.

das; vel ſaltem veluti Conſtitutiones, ſeu ſtatuta Religionum, quæ proculdubio ab ipſarum Regulis diuerſa ſunt. Cæterum, ſic loquentibus opponendum, quod iſtæ, de quibus egimus, Regulæ, ſimpliciter, & ſine addito *Regulæ* ab ijs, qui de ipſis ſcribunt, compellentur, non *Appendices, Conſtitutiones*, &c. Deinde, qui ipſas compilarunt, crebrius, & ſæpiſſimè nullam de Baſilio, Auguſtino, aut Benedicto Patriarchis mentionem faciunt, quod vtique non omitterent, ſi ipſorum Scholiaſtæ, aut Expoſitores eſſe vellent. Ad hæc: eſto quandoque ipſorum meminerint, quidni ita faciant? cum, lumine ipſo rationis duce, poſteriores in quocunque rerum genere Scriptores anteriores inſignes ſemper æmulari ſtudeant, eorumque veſtigijs inhærere. At dicunt; ipſorum memoriam quoſdam agere. Futilis tamen exceptio eſt, cùm conſtet S. Benedictum in ſua Regula S. Baſilij recordatum his honorificis verbis fuiſſe: *Regula S. Patris noſtri Baſilij:* atqui non proinde iſti aſſererent, Benedictinam Regulam à Baſilio mendicatam. Plura alia ſuppetunt exempla quæ peruia cunctis. Inſtant vrgendo, quod plurima in illis Regulis conſpiciantur, quæ in Patriarcharum Baſilij, Auguſtini, & Benedicti Regulis etiam cernuntur. Sed hoc etiam minus dignum effugium. Præcluditur namque ex eo quod ſimili argumentandi arte dici liceret iſtorum Patriarcharum inſtituta non veras Regulas, ſed appendices ad Regulam Euangelij, & additamenta ipſius eſſe, cùm quidquid in illis cernitur, Sancta Euangelia prodant. Item quod Regulæ Patriarcharum Baſilij, Auguſtini, & Benedicti ſimiliter additamenta ſint, & expoſitiones antiquarum Regularum, Eſſenorum S. Marci Euangeliſtæ in Alexandria, Charitonis in ſuis Lauris, Antonij in Ægypto, Hilarionis in Palæſtina, & aliorum ſimilium; cùm quidquid Baſilius, Auguſtinus, & Benedictus dixerunt in antiquioribus legislatorum Regulis includantur. Sanè aſceticæ vitæ Regularia inſtituta nihil aliud continere poſſunt, niſi erga Deum, & proximum charitatem; erga ſuperiores obedientiam; circa ſenſibilia caſtitatem, & temperantiam; circa temporalia bona paupertatem; pro omnibus orationem, & mortificationem; ſilentia, ieiunia, vigilias, & alia ſpiritualia: ad hæc enim cunctæ monachorum Inſtitutiones tendunt. Addi poteſt; in iſtorum iuniorum Patrum Regulis plures obſeruantiæ leges reperiri, quæ nullatenus in vetuſtiorum PP. Baſilij, Auguſtini, & Benedicti Inſtitutionibus cernuntur, prout relatus Gallonius *ſupr.* §. 31. probat contra ſuum Bellotum. Iſthæc porro, mi Lector, non ob æmulandi ambitum, ſed ob ſinceræ veritatis indaginem, contra quam nulla temporis longitudo præſcribere valet, vt pluribus diſputat Tertullianus *lib. de præſcriptione*, dicta ſunto. Nec enim oportet pulcherrimas Chriſti ſponſas, Baſilianam videlicet, Auguſtinianam, & Benedictinam familias, ſua grauitate decoras, fucatis figmentis; fictis, ac mentitis coloribus deformare potius, quàm decorare: quod facere nitentur, qui pro earum exalta-

tione

tione commentitia & falſa ſcribere præſument. Aliqua notabimus ad intentum *circa ann.606.* de Regula S. Columbani tradita Monaſterio Bobienſi a ſe erecto; & *circa ann.578.* de Regula S. Iſidori Hiſpalenſis, cuius decreta conformia non eſſe Regulæ S. Benedicti fatetur Haeftanus *in ſuis diſquiſit. Monaſtic. lib. 10. Tract.6. diſquiſit.3.* quem eo loco referimus. Ac *ſub ann.678.* de Regula, quam obſeruabant monachi monaſterij Fontanellenſis in Gallijs, antequam, iubente Ansberto Rothomagenſi Epiſcopo, Benedictinam ſuſcepiſſent, teſte Angrado monacho in vita eiuſdem Ansberti, apud Surium *pro nona die Februarij to.1.*

19 Nec his obſtat quod Arnoldus Vvion Benedictinus Belga inter diligentiſſimos authores iure, meritoque numerandus, *In Ligno vitæ lib.3. in Epilogo* obnixè contendere videatur ex Leone Oſtienſi, & Petro Diacono, Benedictinum Ordinem propagari in Gallijs cœptum, proximè ad tempus mortis S. P. Benedicti; quod etiam de Hiſpanijs dicit, ex eodem Petro Diacono, & Ambroſio de Morales; & de Hibernia, ſeu Anglia circa ann.594. ex Anglicis ſcriptoribus: quod etiam indicat de Sardinia, Dalmatia & Illyrico, ex eodem Oſtienſi, & Petro Diacono; ac de Ieroſolyma, & Conſtantinopoli, ex eodem Petro: alia poſteriora, & de quibus controuerſia non eſt, prætermittimus. Hæc, inquam, nullatenus aduerſantur noſtræ aſſertioni: lubenti enim animo fatemur S. Patriarcham Benedictum, & primos eius Ordinis alumnos, cum primum ipſum in Italia per S. Placidum, & alios cum tanto Chriſtiani populi ſalutis incremento diffuſum viderunt, eum in alias etiam Orbis oras pietatis, & charitatis zelo ductos, euulgari curaſſe. Nec exceptionem ponamus, quod qui ea ſcripſerunt, vel quia multis annis poſt S. Benedictum vixere; vel quia de re propria loquentes (quod humanum eſt) philautiæ affectu laborare facile potuerint; & quod illorum vnum, ſcilicet Petrum Diaconum, Baronius *tom.12. ſub an.1131.§. Hic tu videas* (quod pudet valde dicere) appellet *mendaciſſimum*. At nihilominus cur inde elici poterit tam momentanea, & ſubita mutatione totum Monaſticum Ordinem a Prophetis inchoatum, a Chriſto conſummatè inſtitutum, ab Hilarione, Antonio, Pachomio, Baſilio, Hieronymo, Ioanne Ieroſolymitano noſtro, & innumeris alijs propagatum in Benedictinum tranſijſſe? Miſerint operarios diligentes, ſed vnde tam inſtantanea, & veluti prodigioſa conuerſio omnium per orbem diffuſorum Cœnobiorum, Monachorum, & Sanctimonialium in vnum Benedictinum Inſtitutum? Non tam citò Apoſtoli, Chriſtique diſcipuli, ipſius doctrinam ad hominum ſalutem, vndequaque neceſſariam, quamque *ſequentibus ſignis* Chriſtus ipſe confirmabat, tam breui per orbem ſpargere potuere, ſed multis peractis annis, quandoque ſæculis, Prouinciæ in quibus euulgata fuit, eam ſuſcepere. Mirabile igitur nulli erit monaſticas S. Benedicti Inſtitutiones, etſi ſanctiſſimas, omnia & ſingula vetuſtiorum Patrum aſceteria,

Arnoldus Vvion.

non tam cito informare, aut ſibi adiungere potuiſſe. Id quidem veriſſimum, nec vllo modo ſub dubio verſandum, quod currenti tempore, ob eximiam S. Benedicti ſanctitudinis famam, Romanorum Pontificum erga tam glorioſam in corde Italiæ exortam Religionem, fauorem; & egregias virtutes eorum qui ipſius Regularia inſtituta per Orbem ferebant, nedum plura, ſed & plurima, & paſſim ferme omnia Occidentis Cœnobia, ſub eiuſdem Benedicti vexillo Deo militare voluerint, antiquis poſthabitis Inſtitutis. Sed ante hoc tempus qualenam Religionis Inſtitutum ſectarentur? Benedictinum, Non; ſiquidem illud de nouo tunc acceptabant. Baſilianum? Patres Benedictini dicent vix cognitos in Occidente. Auguſtinianum? Vix credent niſi in Africa. Coniecturis igitur elici valet ea Cœnobia antiquiſſimum Elianum, Eſſenum, & Ægyptiacum monachiſmum prius tenuiſſe. Damnatus author Ioannes Balæus *in Catalog. Scriptor. Brittann. Centur. 2. in Oſuualdo Vvirgonienſi*, inquit. *Circa ann. Dom. 1030. Monachi Fuldenſes habitum & tonſuram, Regulamque Benedictinæ profeſſionis acceperunt*. Sed quid antea, ſi in orbe Chriſtiano ſub Monachiſmo vigebant? Sub quo Monachiſmo? *Occidentis Cœnobia* dixi: ſi enim quæ de Orientalis plagæ monachiſmo ſcripſere Zonaras, Theophanes, Cedrenus, Curopalata, & plures alij Græci hiſtorici, cernantur, nec minimum veſtigium Benedictinæ Monaſtices in illas partes tam cito inuectæ reperiri poteſt: omnes etenim dum de monachis agunt (quod contingit ſæpiſſime) monaſticum illud Apoſtolicum, Elianum, ſeu Eſſenum; etſi quandoque Baſilianum; Benedictinum nunquam, intelligunt; ante tempora recuperatæ Ieroſolymæ & Terræ ſanctæ per Cruceſignatos ſub Vrbano II. ad annum circiter 1099. Pauci ergo in illas partes Benedictini tranſmiſſi (vt hoc fateamur authoribus qui id aſſerunt) quos tamen tempus *Edax rerum* indignè abſumpſit, obliterauit. Hæc porro omnia veluti gratis, & ſine neceſsitate dicta fuerint: ſi enim ea quæ in præcedentibus attulimus expendantur, conſpicietur clarè, quod etſi a tempore ferme S. P. Benedicti eiuſdem Inſtituti ſatores in orbem terræ miſsi fuerint, non idcirco ſtatim totam Monaſticen eiuſdem Benedicti diſciplinæ ſubiecere; cum conſtet multis poſtea annis in Eccleſia floruiſſe Cœnobiarchas plures, qui ſub proprijs legibus Monachis, & Monaſterijs præfuere. Vt de Aureliano, Columba, Congello, Brandano, Querano, ſeu Kierano, & Columbano; ac in partibus Hiſpaniæ, de Donato, Leandro, Iſidoro, & alijs, ex dictis innoteſcit.

Eſſeni aliqui poſt D. Baſilium.

20 Idem corroborat intentum, quod poſt Baſilij tempus, ſacraſque ab illo monaſticas inſtitutiones traditas, plures in orbe Eſſeni Inſtituti fuerunt cultores, qui tamen, iuxta dicta in anterioribus tomis, Eliam dumtaxat; Eliſæum (a quo forſan Eſſeni quaſi Eliſeni) Ioannem Præcurſorem; & Marcum Euangeliſtam in Alexandriæ partibus; Antonium, & Pachomium in Ægypto; Hilarionem in Palæſtina, vt

Prin-

Principes, & Anteſignanos ſuæ conuerſationis agnoſcebant; Baſilium
autem, potius vt eius ſcholæ alumnum, vtpote Porphyrij Archiman-
dritæ in Ægypto, & quondam Carmelicolæ auditorem. Porrò Eſſeno-
rum ſcholam poſt Baſilianam inſtitutam perduraſſe ſuadet primò quòd
Tripartita hiſtoria Sozomeni, Socratis, & Theodoreti *lib.1. cap.11.* Hiſtoria Tripartita.
dum de Eſſenis Philonianis loquitur, è quorum ſchola adſtruit fuiſſe
Antonium, Paulum ſimplicem, Ammonium, & Theodorum, in-
quit: *Conuerſationem talem introducit* (Philo) *qualem & nos nunc apud
Ægyptiorum monachos eſſe conſpicimus*. Si enim illud *nunc* expendamus,
& tempus ad quod refertur, quintum nempe Chriſti ſæculum, inno-
teſcet clarè, multis poſt Baſilium annis Eſſenos perſtitiſſe. Secundò,
quòd Georgius Cedrenus, qui circa annum 1057. viuebat, & Græcè Cedrenus.
ſcripſit compendium hiſtoriarum, de Eſſenis, apud ipſum *Eſſeis*, loqui-
tur tanquam de præſentibus ſuo æuo, vt legenti liquidum erit. Vnde
ſubdit: *Conſequuntur hoc multi ipſorum perpetua exercitatione, atque
puritate*. Eadem animaduertet Lector in Georgio Peccatore dicto *in* Georgius Peccator.
Chronic. M. S. ex Græco latinitati donato per Leonem Allatium Romæ
nunc agentem.

21 Pari iure idem expendendum de ſacerrimo S. Benedicti Inſti-
tuto, Occidentalis Eccleſiæ fulgentiſſimo Sole. Etſi namque veluti nu-
bes rorifica omnes Occidentis regiones fœcundauerit; nihiloſecius plu-
res, & quamplurimi Monachiſmi ſectatores non nuperum iſtud à Di-
uo Benedicto illuſtratum, ſed antiquius aliud Propheticum, & Elianum
iam olim ex Oriente deriuatum arripuere. Ita vt pia quorundam lau-
datio, qua S. Benedictum omnium monachorum Patrem appellant, ve-
ritatis fibula contrahi debeat ad plures, ſeu plurimos, non ad omnes.
Hoc ſanè de multis, de quibus in hoc tomo erit ſermo, clarè innote-
ſcet. Sed vnum pro huius veritatis robore comprobando arbitro Lecto-
ri proponimus. Id nempe, quod cùm venerabilis Beda author clariſſi- Venerabilis
mus, & inter Eccleſiæ Doctores iure connumerandus, quinque libros Beda.
ſcripſerit de hiſtoria Eccleſiaſtica Anglorum, in quibus, totis ferme,
vix aliud niſi de Monachis, Sanctimonialibus, Monaſterijs, Abbati-
bus, & Abbatiſſis ſedulo, diligenter, & vſque ad minima, agat; vi-
taſque Cuthberti Epiſcopi, & monachi; Attalæ, Euſtaſij, & Bertolfi
Abbatum, & Burgundoforæ Abbatiſſæ, apud ipſum *tom.3. ſuorum
operum* deſcriptas habeat Lector; nihilominus, vt Lectori ipſi clarè
innoteſcere poteſt, vix aliquid, aut prorſus nihil, de horum monacho-
rum inſtituto, quod videlicet Benedictinum fuerit, hauriri poteſt.
Cum è contra potius plura, quibus denotatur S. Columbani regularia
inſtituta ſectatos fuiſſe, ex ijs hiſtorijs eliciatur, vt nos in ſequentibus
expendemus. Nec refert quod in vita eiuſdem Cuthberti habeatur titu-
lus *B. Patris* eidem D. Benedicto conceſſus. Paruiſſimi namque mo-
menti id eſſe clarè demonſtrat Gallonius *in Apolog. contra Bellotum pag.*

mihi 65. eo quod in eodem loco S. Antonium Abbatem eodem titulo, & maiori præconio appellet, dicens: *Reuerendiſſimi, & ſanctiſſimi Patris Antonij ſequebatur exemplum.* Deinde idem S. Benedictus *in ſua Regul. cap.73.* S. Baſilium eodem titulo decorat, inquiens; *Sed & Regula S.Patris noſtri Baſilij* &c. & tamen Benedictini Hiſtoriographi conſtantiſſime negant S. Benedictum ſub Baſilij Regula militaſſe. Ex quibus vnus Benedictus Haeftenus *in diſquiſit. Monaſt. lib.2. Tract. 1. diſquiſit, 1.* fusè, & neruosè probat titulum hunc *Patris noſtri* nullatenus arguere inſtitutorem, aut Patrem Religionis, ſed vel ſanctitatem, doctrinam, aut quid ſimile.

Ionas ſcript. 22 Simile prorſus argumentum ſumi poteſt ex Iona monacho, celebri etiam Scriptore, & SS. PP. qui ſeptimo ſæculo in monachiſmo floruerunt, Chronologo inſigni: cum enim hic author eorumdem SS. Monachorum, qui apud Bedam habentur, hiſtorias texuerit; ita vt ex eo illas mutuauerit ipſe Beda, vel alij, qui in ipſius operibus eas excudi curarunt (quæ etiam habentur apud Surium, & partim apud Benedictum Gononum) nihilominus hos ſacros monachos Columbani inſtituti cultores, non Benedictini, aut alterius, agnoſcet; ex quo euidenti illatione elicitur limitatione egere illorum aſſertum, qui cunctos indiſcriminatim monachos poſt D. Benedictum ipſius Religioni adiudicant. Etſi plurimos fuiſſe, ipſiſque veluti fulgentiſſimis ſtellis Eccleſiam reſplenduiſſe, negari haud poſſit, nec velimus tam clariſſima prole fœcundiſſimam, & feliciſſimam parentem orbare.

S. Eulogius. 23 Magni quoque ponderis ad intentum argumentum ex D. Eulogio Cordubenſi Martyre, ac Toletano Antiſtite electo depromi poteſt; pro nono ſæculo, in quo vir iſte ſanctus floruit; & Hiſpaniæ Monachiſmum ſuis ſcriptis illuſtrauit. Etenim ſi ea attente inſpiciantur, prout nos non mediocri diligentia fecimus, in tomo 9. Bibliothecæ veterum Patrum inſerta, clarè cunctis innoteſcet, poſt monaſtica inſtituta a Baſilio, Auguſtino, & Benedicto promota, aliud antiquius nulli ipſorum aſtrictum, viguiſſe, Eccleſiam martyrio decoraſſe, & cœli ſedes repleſſe. Mente adſtet Lector, ac conſideret quod cum plures ſanctos monachos, Martyres quoque hic Pater recenſeat, nec Baſilianos, nec Auguſtinianos, Benedictinos minùs, ipſos compellet: vtique quia bonus, & prudens hiſtoricus alterius vetuſtioris inſtituti aſcetas eos putandos autumauit. Hinc in operis huius diſcurſu eos commemorabimur, vt domeſticos ſanè, & Eliæ primi noſtri parentis ſcholæ alumnos: hoc ſolum, in communi videlicet, de ipſis in præſenti animaduertentes.

Clemens Reynerus. 24 Accedit & pro omnibus antea dictis nouum robur deſumptum ex Clemente Reynero Benedictinæ Anglicæ Congregationis perdocto alumno, qui in libro cui titulus eſt *Apoſtolatus Benedictinorum in Anglia, tract.1. ſect.1. §.12. 14. & 18.* neruoſè & luculenter probat in

par-

partibus Britanniæ & Scotiæ fuiſſe monachos, qui Ægyptiorum & Palæſtinorum viuendi ritum, non Baſilianum, Auguſtinienſem, aut multominus Benedictinum æmulabantur; etſi dicat poſt tempora aliquot Benedictinum Inſtitutum per Auguſtinum a D. Gregorio Papa illuc miſſum in illis partibus introductum recepiſſe. Ex his namque luce clarius oſtenditur horum ſanctiſſimorum Patriarcharum Inſtituta non abſorpſiſſe vetuſtum aliud Elianum, cuius ſectatores Ægyptij & Palæſtini monachi, vt ſæpius inculcauimus, erant. Reyneri verba eo §.12. talia ſunt: *In hac quidem Inſula* (Britanniæ ſcilicet) *Ioſephus* (Arimathæus videlicet) *cum ſocijs mortuus eſt, ibidemque requieſcit: fuitque ibi diu poſtea cœtus Monachorum Ægyptienſium, ſeu Palæſtinorum ritum ſequentium, qui aut Britanni fuerant, aut Scoti.* Et infra ex Gulielmo Bibliothecario Malmesburienſi idem confirmat, dicens; *Ante Auguſtinum* (eum videlicet quem S. Gregorius Papa ad Anglos miſit) *monachos Glaſtonienſis Eccleſiæ* (*atque par eſt ſane credere etiam cæteros*) *more Ægyptienſium monachorum vitam inſtituiſſe.* Et infra: *His temporibus in monaſterio Glaſtonienſi cœpit primo eadem regula exerceri, quod prius fuerat more cœnobiorum Ægypti.* Idem corroborat ex eo quod iſti monachi Britones, *colore veſtium albicante, ſeu natiuo ipſius velleris, qui ad albedinem plerumque accedit, vtebantur in veſtibus*, vt ipſe Reynerus §.18. inquit. Hęc enim veluti propria teſſera monachorum illorum, erat qui, vtpote Eſſeni Ordinis, hoc colore, ſicut Eſſeni ipſi (quod ſæpius diximus) habitus induebantur. Subiungit propterea *eod.* §.18. de eiſdem monachis loquens. *Vera eſt ergo Gulielmi Malmesberienſis ſententia, quam ſupra ex hiſtoria eius nondum edita, beneficio clariſſimi Seldenij citatam protulimus* §. 12. *ante Auguſtini aduentum in Angliam, monachos Britanniæ & Scotiæ ſeu Hiberniæ more Ægyptienſium monachorum vitam inſtituiſſe; hoc eſt rigidiorem illum modum viuendi, quo monachi per Ægyptum & Palæſtinam ſeſe exercebant, vſurpaſſe, quod ex ipſa hiſtoria Sanctorum Hibernienſium, & Britannorum Columbæ, Brendani, Dauidis, Gildæ manifeſte cuiuis patet. Quin & ex verbis venerabilis Bedæ paulo ante citatis vidimus, numeroſam illam Britonum monachorum ſub Dinotho Abbate ſub ſeptem Præpoſitis in Bangoriæ monaſterio militantem, omnino ſpecimen exprimere diſciplinæ, quam eodem modo parique monachorum numeroſitate S. Pachomius inſtituit. Inde Pelagius ex primis monachis Britannicis apud Palæſtinam quaſi inter ſui ſchematis homines fuit in pretio: quem propterea Balæus exiſtimauit primum omnium ex Palæſtina in Britanniam monaſticam deportaſſe; ſed falsò hoc laudis hæreticus oſor monachorum, hæretico hoſti gratiæ diuinæ imputat: neque enim ille primus fuit, ſed a primis enutritus monachis, aut forte inter primos ex Palæſtina in Britanniam reuerſus. Et omnino potius credibile eſt propterea eum in hæreſim incidiſſe, quia non habuit inter illos monachos primatum alijs ipſo melioribus couceſſum. Inſinuat quidem Balæus ipſum vexatum a Clero tandem*

diſceſ-

diſceſſionem feciſſe: quod non leue argumentum eſt ambiuiſſe plus honoris quam quo a ſuis commonachis dignus haberetur; adeoque apud notos ſibi Palæſtinæ monachos iterum quæſiuiſſe. Sanè in hoc credendum eſt Balæo, qui antiquiſſima Angliæ monimenta ſe inſpexiſſe teſtatur, habuiſſeque authores aliquot doctos ineditos qui de origine variorum Ordinum in Angliâ ſcripſiſſent accuratiſſime: quandoquidem igitur hac in re eius teſtimonium cum Gulielmi Malmesburienſis authoris diligentiſſimi aſſertione conſentiat; proculdubio monachi Britones, & Scoti iuxta inſtituta Palæſtinorum, Ægyptiorumque monachorum (eadem enim fuit in vtriſque illis Prouincijs monachorum diſciplina) vitam ſuam gubernabant ſine regula ſcripta per ſolas traditiones Patrum ſuorum.

Idem Reinerus.

25 Pergit idem Author alia §. 20. adiungere, quæ noſtro intento valde deſeruiunt, ac propterea non prætermittenda. Sic porro inquit: *Quos autem ſanctiſſimos monachos animaduertimus, vel ante D. Benedictum vixiſſe, vel poſt ipſum qui illius regulam profeſſi non videntur fuiſſe, quamuis forte colore tantum habitus, & pauciſſimis obſeruantijs ab eius inſtituto differentes, noſtri tamen Ordinis eſſe non putamus. Vnde nec Scotos, Britannoſque maioris Inſulæ Britanniæ incolas, ante tempora Auguſtini, prædicationemque, vt diximus, Vvilfridi, Cuthberti, & Egberti, noſtro numero adijciendos putamus; nec eos etiam qui in Hibernia exercebantur, donec à Sede Apoſtolica, monachiſque Anglis correcti Catholicum Paſcha, tonſuramque monachorum Romanorum receperunt: quia nimirum quantumuis moribus, & aſceſis, ſeu exercitationis genere parum aut nihil a noſtris diſtabant, regulam tamen S. Benedicti nondum ſuſceperant. Simili cauſa nec eos qui ante D. Patrem Benedictum viuebant, ſiue in Lirinenſi, & Agaunenſi, aut Maſſilienſi clariſſimis cœnobijs Galliarum, ſiue per monaſteria Italiæ, aut Ægypti vel Syriæ, arrogamus tanquam Ordinis noſtri communitates: quia regulæ noſtræ, quæ anima eſt & forma Ordinis noſtri non fuere ſubiecta; vtcunque S. Benedictus ipſe regulam ſcribens, non magis ſuos ab illis diſtinctos monachos videatur arbitratus (nec reuera ante hanc a regulæ profeſſione ortam diſtinctionem fuerint) quàm nunc ſint Clerici ſeculares horum temporum ab illis qui antiquis primitiuæ Eccleſiæ temporibus floruerunt. Quare propter eandem hanc in diſciplina monaſtica continuatam ſucceſſionem, quod nos non facimus (qui vltra regulæ noſtræ legislatorem Benedictum natales noſtros non arceſſimus) ſuo tamen iure videntur facere Carmelitæ, qui cum reuera a monachis Syriæ Palæſtinæ per non interruptam ſeriem ſeſe deriuent (a Carmeli enim monaſterijs in Angliam, vt poſtea videbimus, ab Anglia in reliquas prouincias ſeſe dilatauerunt) meritò antiqui monachatus Ægyptii, Palæſtinique profeſſores tanquam Patres ſuos, Ordiniſque ſui ſydera colunt & venerantur.* Nec ſui oblitus idem Author poſtquam plura de noſtris Carmelitis, etiam ex impio Balæo, retulerat, ſubiungit: *Atque hæc ideo libentius de Carmelitis tam fuſe diximus, quia ſicut eos Syria Angliæ, ita Anglia reliquo Occidenti dedit. Vnde conſtat &*

veriſi-

veriſimilitudo ſententiæ, quam ſuperius de primis monachis Britonum & Scotorum diximus, eos ex Ægypto & Palæſtina in Britannicas inſulas monachatum detuliſſe: & illud etiam quod antea diſputauimus, meritò Carmelitas, cum ſucceſſionem minime interruptam ab antiquis Palæſtinæ monachis deducant, earundem prouinciarum Sanctos antiquos ſuo Ordini aſcribere.

26 In hac porro huius Authoris hiſtorica narratione de Monachis Ægyptijs Hibernis & Scotis, ac noſtris Carmelitis plura habet Lector noſtri Ordinis ſtudioſus. Primò quidem, quod prout hic Author ſæpius inculcat, monachi illi Britones & Scoti, qui Angliæ partes incolebant poſt S. Baſilium & Auguſtinum Religionum Patriarchas, imo poſt ipſum Occidentalium Monachorum præclariſſimum reſtauratorem Benedictum, non ex inſtitutis iſtorum Patriarcharum, ſed ex antiquiori alio Ægyptiorum & Palæſtinorum inſtituto erant, & ab ipſo *per ſucceſſionem minime interruptam*, vt ipſe ait, ad Carmelitas deuenerunt. Quod eſt valde pro Ordine noſtro & dicendis in ſequentibus notatione dignum. Ex eo namque ſequitur, vnius, & eiuſdem Religionis illos & noſtros computari debere. Pro comperto namque eſt tum philoſophiæ decreto, tum legum ciuilium ſtatutis, ad vnitatem communitatis cuiuslibet ſufficere non interpolatam & interruptam ſucceſſionem. Sic ignis vnus dicitur, qui ſine intermiſſione ſubſtitutis lignorum fomentis alitur. Sic fluuius quoque, etiamſi per annorum myriades fluat, dummodo interruptus non fuerit, idem fluuius dicitur. Sic quoque Pomponius §. *Si grege ff. de legat.* dicit: *Si grege legato aliqua pecora viuo teſtatore mortua eſſent, inque eorum loca alia eſſent ſubſtituta, eundem gregem videri, etſi diminutum ex eo pecus eſſet, & velut vnus bos ſupereſſet, eum vendicari poſſe, quamuis grex deſiſſet eſſe.* Sic & Alphenus *in l. proponebatur, ff. de iudic.* aſſerit: *Legionem eandem haberi ex qua multi deceſſiſſent, quorum in locum alij ſubiecti eſſent.* Sed longè clarius *l. Sicut municipium*, §. *In decurionibus, ff. Quod cuiuſque vniuerſitatis nomine vel contra eam agatur*, docet Vlpianus: *In decurionibus vel alijs vniuerſitatibus nihil refert vtrum omnes ijdem maneant, an pars maneat, vel omnes immutati ſint. Sed ſi vniuerſitas ad vnum redijt magis admittitur poſſe eum conuenire & conueniri, cum ius omnium in vnum reciderit, & ſtet nomen vniuerſitatis.* Cum igitur noſtri nouiſſimi Carmelitæ a vetuſtiſſimis illis Patribus originem *per ſucceſſionem minime interruptam*, vt Reynerus ait, trahant, vnius, & eiuſdem Inſtituti cum ipſis cenſeri debent. Habeat ſecundò Lector, monachos illos Glaſtonienſis, Banochorenſis, Lirinenſis, Agaunenſis, & Maſſiliēſis cœnobiorum eidem quoque viuendi methodo in ſui initio aggregari debere, vt etiam ingenuè idem Author annuit. Quod iungit de Pelagio hæreſiarcha, ac diuinæ gratiæ hoſte, quem propterea quod cum Ægypti monachis quandoque conuerſatus fuerit, etſi non cum laude commemoratus fuerim, tomo præcedenti *ſub an. 405. nu. 2.* ſatis credibile eſt; & ei potius quam Balæo

Notatu digna.

Balæo depravatiſſimo Monaſtici ſtatus Ariſtarcho credendum. Quod idem author ſubiungit, videlicet, eandem fuiſſe diſciplinam monaſticam in Ægyptijs, & Palæſtinis monachis tomo præcedenti ſæpius inculcatum manet; crebrius etiam non repeti quam ſupponi debet in ſequentibus. Quod porro addidit de Carmelitis, quod ipſi *Antiqui monachatus Ægyptij, Palæſtinique Profeſſores, tanquam Patres ſuos, Ordiniſque ſui ſydera colunt, & venerantur*; idque *ſuo iure*, *cum revera a monachis Syriæ Palæſtinæ per non interruptam ſeriem ſeſe deriuent*, memoriæ Lectori commendanda, propter quamplura, quæ in ſequentibus dicentur. Quibus & addenda illa alia eiuſdem Authoris: *Merito Carmelitas, cum ſucceſſionem minime interruptam ab antiquis Palæſtinæ monachis deducant, eorumdem Prouinciarum Sanctos antiquos ſuo Ordini aſcribere*. Eliciat maximè id quod huius capitis ſcopus & finis eſt, poſt luminaria illa Eccleſiæ magna Baſilium, Auguſtinum, imo & Benedictum, fulſiſſe quoque veteres illas Orientalis Eccleſiæ lucernas, Eliæ propagines, Antonij, Hilarionis, & Pachomij proles, & neotericorum Carmelitarum Patres.

Idē Reynerus 27 Hanc inſuper veritatem de monachis antiquis Ægyptienſibus Brittaniæ colonis, etiam poſt Baſilianorum, Auguſtinienſium, & Benedictinorum inſtitutionem, ex teſtimonijs Roberti Cottonis, Ioannis Seldani, Henrici Spelman, Gulielmi Candelmi celebrium Angliæ Scriptorum habere poteſt Lector ex eodem Reynero loco relato §. 22. vbi etiam paulo ante teſtimonium aliud affert Nicolai Harpsfildi Archidiaconi Cantuarienſis Balæum ſequentis, quantum ad monachos Bannochorenſis Cœnobij in Hibernia, quorum inſtituto aggregat Harpsfildus *non ſolum Alexandrinos apud Philonem, Antonium, & ſimiles, verum & Benedictum* ipſum. Verba hæc Harpsfildi ſunt, non noſtra.

Quorundam hallucinatio. 28 Vnum tandem pro capitis calce Lectori proponendum, in hac re de qua in præſenti diſquirimus adeo quoſdam hallucinatos fuiſſe, cæcorum inſtar, vt cum ſibi mente propoſuiſſent omnes quotquot in hiſtorijs monachos reperiebant, vni vel alteri monachali Sanctorum Baſilij, vel Benedicti Ordini aſcribere, quandoque, turpiter & indigne viris doctis, ſcripſerint aliquos cuiuſdam iſtorum Ordinum monachos fuiſſe quamplurimis antea annis quàm iſtæ Religiones exortæ eſſent. Nonnulla de hac re exempla in diſcurſu operis afferemus; ſed vnum Iuliani Petri *in Tract. de Eremitorijs num* 16. hic placuit apponere. Agit hic Author eo loco de Eremiterio quodam S. Mariæ *Fontis Dominarum* appellato, & dicit: *Ibi Moniales nobiliſſimo genere natæ Ordinis S. Benedicti dicuntur habitaſſe a Conſtantini tempore poſt datam Eccleſijs pacem, ſumptibus Reginæ Helenæ ſanctiſſimæ ædificatum ex templo Berecyntiæ matris Deorum*. Videat Lector quomodo a tempore Conſtantini, & Helenæ potuerunt eſſe moniales S. Benedicti, qui nonniſi poſt 200. circiter annos natus in orbe fuit. O error!

In

In quinto & ſequentibus a Chriſto nato ſæculis plures erant Carmeli Montis incolæ Monachi, ſicut & alijs locis. *Cap. II.*

1 QVOD quatuor prioribus Euangelicæ, & Chriſtianæ veritatis ſæculis quamplures extiterint ſancti Montis Carmeli, & aliorum locorum, deſertorum maximè Terræ ſanctæ, accolæ; tum monachi, tum eremitæ, ſeu anachoretæ nuncupati, in præcedenti horum Annalium tomo, iuxta rei, & temporum exigentiam, abundè ſatis, vt credimus, oſtenſum reliquimus. Quia tamen pro continua & hæreditaria Ordinis a primo ipſius fonte, & Patriarcha Elia vſque ad noſtra tempora inueſtiganda, pernecesſſum eſt de alijs poſterioribus ſæculis, idem, veluti pro claui dicendorum, diſquirere, idcirco capitis huius ſcopus is erit enucleatiùs a nobis enodandus. Ac proculdubio aſſerendum, non defuiſſe illa tempeſtate aliquos, & plures, qui ſicut Eliæ imitatores in monachiſmi ſchola per Orbem diſperſa erant, ſic & in Carmeli ab ipſo ſacrati montis perenni incolatu. Hiſtoriæ ratio.

2 Ad id primò iuuant Summorum Pontificum Sixti IV. in Bulla *Dum attenta*, Iulij II. in Bulla *Ad ſacrum*, Gregorij XIII. in Bulla *Vt laudes* verba illa relata *tom. 1. Annal. in Apparat. cap. 6. num. 9.* 10. *&* 18. pro Carmelitis: *Sanctorumque Prophetarum Eliæ, & Eliſei, & aliorum Patrum, qui Montem ſanctum Carmeli iuxta Eliæ fontem inhabitarunt, ſucceſſionem hæreditariam tenentes.* Vt enim *tom. 2. cap. 5. in Apparat.* diximus, vix ſaluari poteſt hæreditaria hæc ſucceſſio, niſi ea iugis fuerit, & continua; ſi autem continua & iugis fuit, hoc etiam tempore, de quo loquimur, fuiſſe neceſſarium erit. Summi Pontifices.

3 Fauent & illa, quæ ex Chronicis ſacerrimi Ordinis Prædicatorum, & Conſtitutionibus ipſius, ac Iacobo Suzato eiuſdem Inſtituti alumno attulimus *tom. 2. cap. 5. in Apparat.* quatenus ex illis habetur, Eremitas Montis Carmeli, qui tempore naſcentis Eccleſiæ vixerant, & ab Alberto Ieroſolymorum Antiſtite viuendi Regulam poſt acceperant, ab Innocentio IV. poſtmodum eiuſdem Regulæ declarationem habuiſſe: hæc etenim arguunt iugem & continuam ipſorum in Carmelo manſionem ab Orientis Eccleſiæ incunabulis vſque ad Innocentij IV. Pontificatum, quem gerebat anno 1247. Multo ergo magis de tempore intermedio, quale eſt id de quo in præſenti eſt ſermo, verificari hoc debet. Idem etiam habet Lector ex Ferdinando del Caſtillo eo loco a nobis relato, quatenus in hiſtoria eiuſdem Prædicatorij illuſtriſſimi Ordinis *par. 1. lib. 2. cap. 65.* eadem expreſſius refert. Hiſtoriæ Ordinis Præd.

4 Clarius rem exprimit inter hiſtoricos celebris Vvernerus Roueliinck Carthuſienſis, author hiſtoriæ, *Faſciculus temporum*, nuncupatæ; Vvernerus Roueliinck.

patæ;

patæ; loquens enim de tempore circa ann. Dom 1284. inquit: *Nobiliſſima Acconenſium Ciuitate a Saracenis deſtructa, demum Deiferæ Mariæ in Carmelo Monaſterium ad tria milliaria Ciuitati vicinum, ab eiſdem igne crematur, fratribus inuentis in eo, perfidorum gladijs trucidatis, & tunc, proh dolor! Ordo Carmeliticus mellifluum locum ex toto perdidit, in quo a tempore Eliæ, & Eliſei Prophetarum 2221. annis perſtiterat.* Si autem Carmeliticus Ordo in eo Carmeli loco ab Eliæ tempore vſque ad annum 1284. vel circiter extiterat, luce clariùs conſtat, quinto, ſexto, & ſequentibus Chriſti ſæculis, de quibus in præſenti, perſtitiſſe.

Trithemius Abbas. 5 Ex Trithemio Abbate præclaro valde antiquę hiſtorię illuſtratore pręſens intentum dilucidè roboratur; ex illo pręſertim Opuſculo *de laudibus Carmelitarum* nuncupato, ex quo pluribus omiſſis, quę *cap.* 8. ſcripſit in medium proferimus. *Cum propter ſcelera populi Terra ſancta in manus perfidæ gentis Saracenicæ redacta eſſet anno poſt Domini Paſſionem 630. Fratres Carmelitæ, qui dudum in vrbibus etiam multiplicati habitabant, nimium ab infidelibus afflicti ad eremum Carmeli montis redire ſunt compulſi. Non enim in Ciuitatibus manere diutius poterant, quos Saraceni in tantum affligebant, vt nullum eis Deo famulandi tempus quietum relinquerent, ac victui neceſſaria funditus negarent. Manſerunt itaque Fratres in monte Carmelo ſolitariam vitam in paupertate non modica ducentes, donec multis euolutis annis Terra Sancta per Chriſtianos iterum fuit recuperata, & Peregrinis iter ad illam in pace compoſitum. Facta fuit hæc Terræ Sanctæ recuperatio per Ducem Gotfridum anno Domini* 1099. *Deinde poſt annos paucos, confluentibus vndique peregrinis, & maxime de regionibus Europæ, numerus fratrum in Monte Carmelo valde multiplicatus eſt, intantum vt præ multitudine montes implerent, & vrbes. O ſi tunc Ordinis Carmelitici decorem in ſua maieſtate vidiſſes, nunquam fuiſſe ſimilem alium exclamares! Erat videre delectabile Fratres innumerabiles circa Montem Carmelum habitantes in cellulis, in cauernis petrarum idipſum omnino ſapere, Deo Maximo die nocluque quam deuotiſſime ſeruire, mundum cum ſuis voluptatibus pro Chriſti amore contemnere. Summa tunc apud illos erat religio, ſumma regularis vitæ perfectio, cum Fratres in carne manentes, carnem ipſam cum vitijs ſuis fortiter euicerunt. Floruit in pace Religio quæ paulo ante turbata perfidorum incurſibus deficere putabatur. Venerunt ex omni Europa Fratres peregrini, & colla monaſticis diſciplinis in Monte Carmelo humiliter ſubmiſerunt.* Tangit in his Trithemius hiſtoriam temporis partim ad hunc tertium tomum, partim ad quartum ſpectantis, & idcirco in vtroque commemoranda conſentaneè ad intentum.

Aubertus Myræus. 6 Prętermiſsis autem pluribus ex neotericis authoribus, qui omnes vel exprimunt, vel ſupponunt rem quam inueſtigamus; quin & vno verbo dicere poſsimus omnes, & ſingulos qui Carmelitici gregis ortum ab Elia deriuari fatentur, (ex quibus innumeros *to.* 1. & 2. *Annalium in Apparatibus* retulimus) pro ea veritate teſtes afferri poſſe, attamen

vnus ſigillatim clari nominis author Aubertus Miræus Bruxellenſis in medio producendus, qui *in Tractatu de Ordine Carmelitano in præfatione ad Lectorem*, poſtquam de primordijs huius Inſtituti diſſeruerat, ad hęc tempora, de quibus nos hiſtoriam teximus, deueniens, hæc dixit: *Noua igitur Chriſti agmina concepto fidei orthodoxæ calore validius dimicantia Virginis auxilio feliciter egerunt: & Carmelus cœleſtibus iam viris, quam plantis fœcundior, cœpit animos excelſos procreare, ac in hunc modum non tam ſcripto, quàm traditione inſtructus vſque ad annum a Chriſti natali quater centeſimum perdurauit. Creuerat mirum in modum noua Virginis proles, quam ſcriptis iam legibus temperari opus erat, quamobrem Ioannes Hieroſolymitanus Patriarcha quadrageſimuſquartus (quem Molanus inter Sanctos refert) regulam e Scripturæ ſacræ conſilijs, & veterum Patrum, qui ab Eliæ tempore Carmelum incoluere, documentis contextam ei præſcripſit. Series verò longa ſub ea regula per annos plurimos excurrit, multiſque laboribus, & infeſtationibus Carmelus afflictus eſt; ad annum quippe ſexcenteſimum vſque numeroſa proles increuit: at poſthac perſecutionibus grauiſſimis Eccleſiæ hoſtium exagitata in patrio monte, quo ſe velut in aſylum tota recepit, vſque ad octingenteſimum annum perſeuerauit. Poſt eum verò annum Pontifices Summi (a Leone illo, qui Pontificatum ad annum 848. geſſit vſque ad Gregorium VII.) ſtatum rerum aduerſarum commiſerati, gentem afflictam priuilegijs augere perrexerunt. Verum interlapſis annis aliquot, Aymericus Lemouicenſis, Antiochenus Patriarcha, & Apoſtolicæ Sedis in Oriente Legatus, inſtitutionem Eliæ pene collapſam conſpicatus, regula Ioannis e Græco in Latinum traducta, & a multis Latinis, qui eò commigrauerat exactius percepta, deiectos animos in auitam obſeruationem erigere ſtuduit, & Eremitas Carmeli ad communem vitæ rationem Latinorum monachorum moribus conſentaneam induxit.* Nec ſui oblitus idem Myræus *in eodem Tractatu cap. 1.* hæc ſcripſit. *Eſt in Syria Mons Carmelus quarto lapide ab Accone, ſeu Ptolemaide Vrbe ob triennalem olim obſidionem nobili. In eo monte Eliam olim Prophetam, & diſcipulum eius Eliſeum, alioſque Prophetas vitam egiſſe ſolitariam ſacris ex litteris conſtat. Horum exemplo poſt Chriſtum natum plurimi exinde Anachoretæ locum illum tenuere, qui demum Aymerici Malefaidæ Lemouicenſis Patriarchæ Antiocheni, Sediſque Apoſtolicæ trans mare legati opera, in vnum certis legibus, vno ſub capite, ſeu Præfecto coiere.* En iam, Lector, ex Myræo haberi iugem Carmelicolarum continuationem per hæc ſęcula vſque ad 12. in quo Aymericana hæc, de qua loquitur, contigit reformatio, prout ſequenti tomo elucidabitur.

7 Addendus his omnibus nobilis alius inter recentiores Author nempe Ægidius Gelenius S. Theologiæ licentiatus Coloniæ ad S. Andream Canonicus, Conſiliarius Eccleſiaſticus, & hiſtoriographus Archiepiſcopalis, qui in Opere de Coloniæ Agrippinæ magnitudine *lib. 3. ſyntagm. 43. §. 1.* poſtquam de Ordine noſtro plura dixit, hæc ſubiungit Ægidius Gelenius.

git ad interitum: *Mirifice auctus; atque per Orbem tranſplantatus fuit vſque ad tempora Coſroæ Perſarum, ac Humar Arabiæ Regum; quorum poſterior anno Chriſti 636. (aliji 39.) capta Hieroſolyma, totam Syriam atque Ægyptum ſubiugauit. Vnde tametſi ex tunc pauci in Palæſtina, ac præſertim in Monte Carmeli huius Ordinis profeſſores ſub iugo Saracenico rem inſerint, teſte S. Cyrillo Conſtantinopolitano presbytero apud Philippum Ribotum lib. 8. cap. 1. de peculiaribus geſtis Carmelitarum; plurimi tamen eorum ex Ægypto, & Syria tam præteritis ſæculis, quam & nunc quam maximè, hac vrgente perſecutione, in vtramque Armeniam, ac cæteras Aſiæ regiones; per multas Ægæi maris Inſulas, in Græciam vſque tranſmigrarunt, ibidemque nobiliter floruerunt.* Carmelus ergo tempore, de quo in hoc tertio tomo, incolis eremitis deſertus non erat.

Clemẽs Reynerus.

8 Concinunt & ea, quæ capite ſuperiori ex Clemente Reynero Benedictino hauſimus; ſimiliter namque comprobare videntur hanc noſtrorum in Carmelo ſucceſſionem. Expendat ergo primò Lector ex ipſius opere *de Apoſtolatu Benedictinor. in Angliam tractat.* 1. *ſect.* 1. §. 18. illa: *Quare propter eandem hanc in diſciplina monaſtica continuatam ſucceſſionem, quod nos non facimus (qui vltra Regulæ noſtræ legislatorem Benedictum natales noſtros non arceſſimus) ſuo tamen iure videntur facere Carmelitæ, qui cum reuera a monachis Syriæ Palæſtinæ per non interruptam ſeriem ſeſe deriuent (a Carmeli enim monaſterijs in Angliam, vt poſtea videbimus, ab Anglia in reliquas prouincias ſeſe dilatauerunt) meritò antiqui monachatus Ægyptij, Palæſtinique profeſſores tanquam patres ſuos, Ordiniſque ſui ſydera colunt & venerantur.* Item illa. *Atque hæc ideo libentius de Carmelitis tam fusè diximus, quia ſicut eos Syria Angliæ, ita Anglia reliquo Occidenti dedit. Vnde conſtat & veriſimilitudo ſententiæ, quam ſuperius de primis monachis Britonum & Scotorum diximus, eos ex Ægypto & Palæſtina in Britannicas Inſulas monachatum detulſſe: & illud etiam, quod antea diſputauimus, meritò Carmelitas cum ſucceſſionem minime interruptam ab antiquis Palæſtinæ monachis deducant, earundem prouinciarum Sanctos antiquos ſuo Ordini adſcribere.*

Sigillatim recenſentur Carmeli Eremitæ.

9 Id tamen ſigillatim, ac nominatim per huius tertij tomi diſcurſum comprobatum reperiet Lector. Etenim circa annum Chriſti Redemptoris 412. qui fuit vltimus, de quo in præcedenti, & primus, de quo in preſenti, hiſtoria texitur, vnus eſt Capraſius eiuſdem Montis Carmeli congregati cœtus Abbas, Prior, ſeu Archimandrita, ad quem Ioannes Ieroſolymitanus Præſul librũ *de Inſtit. Monach.* nuncupat. Erant & pluresalij in eo monte ſub ipſius diſciplina Anachoretæ (quorum tamen nomina antiquitas obliterauit) ſiquidem in eo libro *c.* 1. dicitur: *Multo tamen efficacius poteris ſuſceptæ huius profeſſionis aſſequi diſciplinam, & ad exercendam eam ardentius incitare,* vt habet Codex Venetijs impreſſus, vel, vt Pariſienſis editio clarius *alios incitare*. Conſonant & dicenda inferius *ſub an.* 412. Erant ergo alij Sodales Carmeli, quos Capraſius inſtruere poterat.

An ex

An ex illis vnus eſſet Paulus habitator eremi *Porphyrio* dictæ, *ann.* 426. dicemus. An etiam Palladius ille Græcus a Papa Cæleſtino Britanniam miſſus, vt Pelagij erroribus ſe opponeret, & Chriſtianam religionem propagaret, de quo ſub anno 429. dicemus ex Harlemio, & Balço Carmeli incolam fuiſſe ſub Ioannis Ieroſolymitani diſciplina? Credibile ſane. Idem affirmandum de Timotheo per Capraſium e Carmelo miſſo tempore Eutychianæ hæreſis, iuxta dicenda *ſub anno* 448. *num.* 7. ex Boſtio, & Palæonydoro authoribus noſtris. Num forſan inter illos cenſendi Generalis Eliotarum, & alij conſocij, qui Synodo Chalcedonenſi dicuntur adfuiſſe, iuxta referenda *ſub ann.* 451. *num.* 3. ſub trutina eſt. Sicut & ſimilis dubietas de Flauiano Antiocheno Patriarcha, de quo *ſub ann.* 504. *num.* 9. & Zoſima Anachoreta, de quo *ad anno* 524. *num.* 5. dicetur. Clarius id innoteſcit ex Theophane illo in partibus *Dora*, in circuitu Carmeli ciuitatis, monachiſmi profeſſore, cuius mentio *ſub anno* 527. *num.* 5. fiet. Clarius adhuc de Iacobo Eremita iuxta *Porphyrion*, ſeu *Porphyreonem*, quæ eſt *Cayphas* in decliuio Carmeli; de quo *ſub anno* 535. *num.* 4. dicetur. Nec incongruè id dicitur de S. Anaſtaſio Perſa, de quo *ſub anno* 618. erit ſermo. Maximè verò ſeptem Carmeli Anachoretæ, Geneſius, Baſilides, Cyrillus, Enoch, Phrontus, Honuphrius, & Elpidius, qui circa annum 745. Humaris Saracenorum Principis perſecutionem in Chriſtianos fugientes, Thuſciam peruenerunt, & Florentiæ Cœnobium, prope ciuitatem acceperunt, iuxta dicenda *ſub anno* 742. An vero etiam ille alius Ioannes Ieroſolymitanus Antiſtes inter eos numerandus, *ſub anno* 796. diſſeremus. Clarius id videtur affirmari poſſe de Gerardo illo Carmeli Eremicola, & Patriarcha Antiocheno dicto, de quo *ſub anno* 1034. dicetur. An idem dicendum de illo celeberrimo *Petro Eremita* vocato, & Belli ſacri promotore, de quo *ſub anno* 1061. dicere incipiemus, ex dicendis in ſequentibus annis innoteſcet. Clariſſimè id conſtat de B. Bertholdo, quem filium, alumnum, & incolam eiuſdem montis fuiſſe, *ſub anno* 1100. dicemus, & ſæpius in ſequentibus, ac maxime quarto tomo ſequenti elucidabimus. Quanta etiam veritatis apparentia idem aſſeratur de alio Gerardo primo S. Ordinis Militaris S. Ioannis Equitum Melitenſium Inſtitutore aſſerto, *ſub anno* 1118. diſcutietur.

10 Pro huius ergo Apparatus colophone, ac dicendorum in hoc tomo maiori luce; quod etiam veluti conſectariè ex dictis exhauriri poteſt, præ oculis ſincero Lectori obijcimus, prout etiam tomo præcedenti *in Apparatu cap.* 7. *a num.* 2. fecimus; inter Monachorum, Aſcetarum, ſeu Anachoretarum myriades, Elianæ monaſtices poſteros, alios eſſe *imitatione* dumtaxat, alios etiam *ſucceſſione*: eos quidem dumtaxat *imitatione* appellamus, qui Eliam & Eliſeum, filioſque Prophetarum proſpicientes, ipſorum inſtitutum varijs in Orbis regionibus, non aliud poſterius Baſilianum, Auguſtinianum, aut Benedictinum emulari ſtu- Notatu digna.

debant, quorum maximam partem fuiſſe ea quę dicto *cap.* 7. attulimus, manifeſte euincunt. *Succeſſione* autem eos dicimus, qui nedum ipſorum vitę ritum, inſtitutumque ęmulari geſtiebant, ſed veluti paternę hęreditatis ſucceſſores in Carmelo ipſo monte, alijſque Terræ ſanctæ circumuicinis manſionibus, in quibus eos olim habitaſſe ſciebant, manſionem quoque iugem, vel interruptam, prout temporis ratio offerebat, ſtudioſe tenebant. Poſteriores iſtos *Carmelitas* ore pleno in Operis diſcurſu appellamus. Cum enim Elianam Monaſticen in Carmelo quoque ipſo Prophetarum manſionem habuerint, proculdubio abſque vlla vocabuli inuidia *Carmelitæ* nuncupari poſſunt. Priores autem illos nunquam *Carmelitas* dicimus, ſed vel generali nomenclatura *Monachos*, vel quandoque Eliani, Eſſeni, aut Prophetici Ordinis ſeu Inſtituti cultores. Quæ ſi pius noſter animaduertat Lector, offenſionem, quam forſan incurret ex huius Operis lectione, quod in ipſo plures referantur qui nullatenus ab Authoribus *Carmelitæ* nuncupentur, effugiet. Eo etiam vel maxime, quod non omnes & ſingulos monaſticæ vitæ profeſſores huic claſſi Elianorum, ſeu Eſſenorum inſtituto accenſemus; ſed eos dumtaxat, quos ſub ſpeciali vexillo alicuius Patriarchæ Religionum, Baſilij nempe, Auguſtini, vel Benedicti non militaſſe comperimus; alioquin proprijs parentibus prolem adiudicamus, ſingulis quæ ſua ſunt ſuo iure remittentes. Ne tamen gratis aut ſine vllo fundamenti fulcro hac diſtinctione poſterorum Eliæ, *imitatione* videlicet, & *ſucceſſione* vſos nos fuiſſe exiſtimetur, legenda quæ dicto *cap.* 7. ſcripſimus, & quæ Ioannes Ieroſolymitanus *in lib. de Inſtit. Monach. cap.* 16. iuxta diuiſionem Petri Vvaſtelij latius proſequitur. Titulus enim illius capitis is eſt: *Elias exemplar perfectionis monaſticæ ſuis diſcipulis. Carmelitæ ſucceſſionem ab eo tenent hæreditariam, alij habent imitationem.* Et poſt medium capitis: *Quidquid ergo virtutis & perfectionis eſt in hac noſtra Religione eremitica ab hoc Propheta Dei Elia tanquam a primordiali & principali monachorum authore exemplariter emanauit. Et primò quidem in præmemoratos viros filios Prophetarum eius diſcipulos, deinde ab illis in cæteros Religionis noſtræ profeſſores, eis tam in monaſtica eorum conuerſatione, quàm in locorum habitatione ſuccedentes; & demum ab his in reliquos alibi degentes. Sed & omnium monachorum conuerſatio perfecta ab Elia, & a dictis eius diſcipulis filijs Prophetarum eſt deriuata. Quamuis enim in diuerſis mundi partibus poſt Eliam ſurrexerint in lege noua diuerſi monachorum principes ſecundum diuerſa inſtituta ſpecialia ſuos diſcipulos in obſeruantia vitæ monaſticæ regulantes, ad nullum tamen alium finem, nec per alios gradus intenderunt ſuos diſcipulos principaliter perducere, quam ad hunc finem, & per hos gradus, per quos Elias ad finem & perfectionem vitæ monaſticæ ſecundum formam per Deum ei traditam ſuos diſcipulos perduxit. Propter quod prædicti monachorum principes in ſana doctrina vitæ monaſticæ fuerunt, velut quidam particulares*

riuuli

riuuli ab Elia, tanquàm a primordiali & vniuerſali omnium riuulorum ſonte deriuati.

De III. Ordinis Carmelitici ſtatu a Ioanne Ieroſolymitano vſque ad B. Bertholdum.

Ann. Chriſt.412. Innocentij Rom. Pontific.II. Honorij Imper.18. Theodoſij Iunioris 5.

1 ANNVS iſte, qui veluti Ianus bifrons vltimus fuit in ſecundo tomo præcedenti, nunc primus in iſto eſt; & initium tertij ſtatus, tertiæue ætatis Ordinis Prophetici, quæ a Ioanne Ieroſolymitano Antiſtite vſque ad B. Bertholdum primum Latinorum Generalem protenditur: ſicut primus tomus, quem ab Elia vſque ad Chriſtum inchoauimus, eius primam ætatem, & ſecundus præcedens ſecundam demonſtrarit. Ordine autem temporis tantummodo ſpectato hæc dicimus: nam rei dignitate perſpecta Chriſti æuum, nouo Sole iuſtitiæ exorto, *plenitudo temporis* fuit, vt inquit Apoſtolus, & omnium conſummatio, ac perfectio. Huic igitur Ordinis ſtatui, ſeu ætati, exordium dedit; quod noſter ille Ieroſolymitanus Ioannes, de quo multa in præcedenti tomo, plura etiam in iſto, librum *de Inſtitutione Monachorum* appellatum ſuis Concarmelitis veluti pro Regula tradidit hoc 412. Chriſti anno, iuxta dicta in fine tomi præcedentis, teſtimonium perhibentibus noſtris & exteris authoribus ibi relatis, ac pluribus alijs, quos *tom.1. in Appar. cap.9.* adduximus: quibus ex neotericis iungitur Benedictus Haeftenus in *diſquiſit. Monaſtic. lib.1. Tract.4. diſquiſit.14.* Ad hunc ergo locum id ſolum ſpectare videtur, vt eius libri ſcribendi motiuum, ſcopum, & pro quibus deſcriptum prænotemus, alijs, quæ ad authorem ſpectant pro nunc prætermiſſis.

Tertius Ordinis ſtatus.

2 Et quidem huic libro ſcribendo anſam præbuit quod Capraſius montis Carmeli eremita monachus ab eodem Ioanne Ieroſolymis ſedente, & quondam eiuſdem montis Coeremita poſtulauerit, vt de principio, ac origine Carmelitani Inſtituti, ipſum inſtrueret. Sic enim habent priora verba capitis primi eiuſdem libri: *Principium Religionis huius, & quemadmodum, ac vnde ipſa primò proceſſit, rectè petis, dilecte Capraſi, ante alia perſcrutandum.* Et conſonant omnes Ordinis hiſtorici, ſpecialiter D. Cyrillus Conſtantinopolitanus *in lib. ſeu epiſtola ad Euſebium in Speculo Ordin. lib.8. cap.1.* Arnoldus Boſtius *in Opere, ſeu Speculo hiſtor. lib.5. cap.67.* Palæonydorus *lib.2. cap.6.* & poſteriores alij, Cyrilli verba, ex quo veluti fonte alij acceperunt, hæc. *Hunc Ioannem cariſſimus eius diſcipulus Capraſius nomine, eiuſdem montis, & Re-*

Motiuum libri Ioannis Ieroſolymit.

ligionis monachus ſuppliciter flagitauit, vt quæ de Inſtitutione huius Religionis, & primis eius fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum adquirenda frequenter diſſeruerat, dignaretur ſibi, & ſuis conſortibus breuiter redigere in vnum volumen, in quo omnia per ordinem intuerentur; ne oporteret eos librorum numeroſitatem euoluere. Ioannes ergo cernens quòd propter occupationem ſuſcepti officij non poſſet vlterius iugem in monte Carmeli reſidentiam trahere, quod Caprafius ab eo flagitauerat opere compleuit. Scripſit enim eidem Caprafio &c. Expendat obiter Lector illud: *Vt quæ de Inſtitutione huius Religionis, & primis eius fundatoribus &c. frequenter diſſeruerat*, & illud *non poſſet vlterius*, quo robur id accipit, quod ſæpius diximus, & nunc ſupponimus, refragantibus quibuſdam parum verſatis in hiſtorijs alienis, quod Ioannes Ieroſolymitanus Carmeli incola quondam fuerit.

Dubium. 3 Hic tamen occurrit dubium nobis diſſoluendum, de cauſa videlicet, ob quam Caprafius ab eo petierit *de Inſtitutione huius Religionis, & primis eius fundatoribus*: hæc enim vel per traditionem conſtantem Caprafio, & Conſodalibus innoteſcere poterant. Sed nucleus apparet. Cum enim huius Religionis inſtitutio, & primi eius fundatores a 1300. annis præterierint, mirum non eſt vt eorum refricata memoria à Ioanne viro ſtudioſiſſimo, & ea in re experientia docto peteretur. Eò præſertim quòd cauſa ſubeſſet id efflagitandi, ibi deſignata; *Ne oporteret eos librorum numeroſitatem euoluere*. Epitomen ergo, & epilogalem notitiam poſtulabat Caprafius, prout obtinuit, a Ioanne, eorum quæ in libris, ſeu Carmeli monumentis continebantur. Notet hic Lector monumentis antiquitatis ſuæ Religionis non caruiſſe Carmelum, ſed deſideraſſe breuem ipſorum epilogum.

Dubium maius. 4 Magis dubitandi anſam præbet, quòd cum, iuxta dicta tomo præcedenti, S. Baſilius Carmeli ſectatoribus regulam præſcripſerit, prout notatum manet *ſub anno* 363. quod neſcire nullatenus poſſet Ioannes, quorſum librum hunc pro Regula eiſdem Concarmelitis tradere ſtuduit? Sed nodus iſte Gordianus non eſt, aut Cretæ labyrinthus. Nam, etſi Baſilij Inſtitutiones, quæ per modum admonitionum ſcriptæ ſunt, Eremicolæ Carmelæi ſuſceperint, vt habet Boſtius *eo libro cap.* 53. & ante eum Generalis Groſſus *in viridario claui* 2. quos ſequitur Petrus Lucius Belga *in Compend. hiſtor. cap.* 10. Verumtamen, quia illæ nec Regulæ modum præferebant, nec ipſis ſpeciatim nuncupatæ fuerant, nec Caprafij deſiderio, quod, vt diximus, fuit, vt *de Inſtitutione huius Religionis, & primis eius fundatoribus, & de perfectione ad exemplum eorum adquirenda*, illis compendium aliquod traderetur, per illas ſatisfiebat; cum de hoc puncto nulla in ipſis mentio expreſſa facta eſſet; idcirco nouam Regulæ inſtitutionem a Ioanne, veluti aliorum nomine, poſtulauit Caprafius. Aptè etiam dicere poſſumus, quòd cum S. Baſilius, qui ipſis præfatam Regulam tradiderat, nullatenus

tenus eorum Prælatus fuiſſet, etſi quondam cum eis coëremita, iuxta dicta tomo præcedenti, nec Epiſcopalis Cæſareæ in Cappadocia dignitas aliquam ipſi ſupra Carmelum, aut Carmeli incolas authoritatem præſtitiſſet, vtique, vel pro maiori ipſius Regulæ firmitate deſiderare poterant, vt Ioannis Ieroſolymitani Antiſtitis, & totius Palæſtinæ, in qua Carmelus erat, veluti Metropolitæ, authoritate firmaretur.

5 Ex quo iam quiſnam fuerit Ioannis ſcopus in hoc libro clarius innoteſcet. Non enim dumtaxat fuit Capraſij inſtructio circa *principium huius Religionis, & quemadmodum, ac vnde ipſa proceſſit*; prout expoſtulatus fuerat, & patet ex principio ipſius libri; ſed, occaſione arrepta ex Capraſij petitione, plurima documenta, ſaluberrimaque inſtituta ex Religionis Patriarchæ Eliæ, eiuſque ſucceſſorum geſtis, habitu, & exemplo deſumpta, tradere, pro ipſius, & Sodalium in vita Religioſa inſtitutione, & perſeuerantia. Quod denotat illis verbis primi capitis: *Vt per hæc diſcas quanta Sanctorum præcipuorum authoritate hæc noſtræ vitæ Religio confirmetur, & cum quanta mentis ſecuritate formam huius conuerſationis ſequentes, non per nouitates præſumptas, neque per inanes fabulas, ſed per approbata totius vitæ monaſticæ primaria exempla, viam ad corda noſtra Domino dirigimus, & ſemitas veniendi ad nos Deo noſtro rectas facimus*. Quare etſi liber hiſtoricus primo aſpectu videatur, quatenus de Eliæ ortu, monachatu, geſtis, locis vbi commoratus fuerit, diſcipulis, translatione in paradiſum, ſucceſſione Eliſei in monaſtica perfectione, baptiſmo tempore primitiuæ Eccleſiæ a poſteris ſuſcepto, patrocinio Deiparæ Virginis, & alijs huiuſmodi, ex S. Scripturæ præſertim teſtimonijs, diſſerit; ſub hiſtoriæ tamen cortice exhortatoria Regula eſt, omnia quæ ad vitæ monaſticæ, ac Religioſæ neceſſaria, vel vtilia eſſe poſſunt mirabiliter amplectens. Vt puta de contemptu rerum terrenarum; propriæ voluntatis abnegatione, ſolitudine, caſtitate, charitatis perfectione, perſeuerantia, oratione, & alijs ſimilibus ex varijs myſticis, arcanis, & allegoricis interpretationibus deſumptis; vt propterea quæ Gennadius de noſtro Ioanne *in lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. cap.* 30. dixit: *Oſtendit Origenis ſe ingenium, non fidem ſecutum*, propter huius libri inſcriptionem dici poſſent. Recte etiam B. Cyrillus relatus *ſupra* hunc librum, tum rerum geſtarum hiſtoriam, tum gerendarum a Carmeli Eremicolis nitidum ſpeculum fuiſſe ſic deſcribit: *In quo libro primariam noſtræ Religionis Inſtitutionem, & fundatorum eiuſdem dignitatem, atque priſcorum profeſſorum geſta ſancta, & glorioſas virtutes, exterioremque habitus ornatum prædictus Ioannes propterea breui, & lucido eloquio ordinatè deſcripſit, vt ſucceſſores dictorum Patrum in illo libro tanquam in nitido ſpeculo inſtitutionem ſuam intuentes, ea obſeruare propenſius conarentur, & ſanctam vitam, ac virtuoſos mores dictorum Patrum ex totis præcordijs imitarentur*. Vnde etiam ſubdit: *Quem librum ipſe Ioannes Sodalibus ſuis Eremitis Religioſis*

Ioannis Scopus.

ligioſis Montis Carmeli legendum, & obſeruandum tradidit, tempore Honorij Imperatoris ann. Dom. 412. Verbo namque illo *legendum* hiſtoricum fuiſſe denotat; ſed tamen non purè hiſtoricum, ſed dogmaticum, aſceticum, & exhortatorium, ac Regularem, illis verbis *Obſeruandum tradidit*. Hinc Regula a B. Alberto etiam Ieroſolymorum Antiſtite eiſdem Carmeli Eremitis poſt annos circiter 800. tradita, veluti epilogus eſt, & compendium iſtius libri Ioannis, prout oſtendit Petrus Vvaſtelius *in Vindic. Ioann. Ieroſolymit. ad iſtum librum tom. 2. ſect. 1. art. 4.* §. 3. & nos dicemus ſuo loco. Hinc quoque Ioannes Caramuel *in Regulam D. Benedicti diſp.* 34. *num.* 345. inter legiſlatores Carmelitici Ordinis poſt Eliam hunc Ioannem refert, ſicut poſt illum Albertum, & Thereſiam.

Opinio cuiuſdam. 6 Hæc porro omnia parum benignis oculis nouus quidam Commentator libri Cantici Canticorum, aliò magis intentus, aſpexiſſe videtur. Dubitans primò de authore huius operis. Credens deinde ſtylum hominis eſſe latini. Errorem præterea in ſucceſſione Ioannis cum alijs Ieroſolymorum Epiſcopis notans. Libri interiora carpens, præſertim quoad Ordinis antiquitatem. Ac tandem ſcripturam apocrypham ſuſpicans. Quæ omnia facilè credi poſſent offenſionem allatura ijs qui, nec per oſtium intrant, ſed aliunde; aut per feneſtram introſpicientes domus penetralia aſpicere nequeunt. Domeſticis autem, rem ad vnguem, & ab incunabulis firmiter noſcentibus, nihil faceſcent negotij. Hinc Vvaſtelius noſter ſupra relatus *ſect.* 3. *per totam* offendicula hæc de medio tollit, nubila ſoli oppoſita diſſipat, & veritatem eruditiſſimè vindicat. Quamuis tamen idcirco ab huiuſmodi liberi eſſemus moleſtijs Lectorem dumtaxat ad Vvaſtelium remittentes, nihilominus, quia iſta omnia a nobis iam pridem impugnata ſunt, quibus in locis id geſtum, operæ pretium eſt oſtendere. Et primò librum iſtum Ioannis Ieroſolymitani legitimam prolem eſſe, *to.* 1. *horum Annalium in Apparatu cap.* 9. copiosè oſtenſum manet. Nec Commentatoris cauſatio curanda, quod aliqui librorum Catalogiſtæ hunc librum Ioanni non adiudicent, qualis fuit Gennadius, & eius breuiator Honorius. Cum enim is non pro publica vtilitate, ſed pro ſpeciali Montis Carmeli incolarum, & quaſi per modum epiſtolæ ad vnum eius montis Eremicolam Capraſium nuncupatus ſit, quid ni quod loco, tempore, & ſtudio diſſiti authores ignorarent ipſum? Millia exemplorum ſuppetunt, ſed omittenda, quia peruia cunctis. Deinde, quod ſtylus latini authoris ſpeciem præſeferat, ſolum probare ab Aymerico Antiocheni interprete eiuſdem hoc vitium (ſi vitium fuit, cum potius prudentis interpretis id munus ſit) prodijſſe, eo *cap.* 9. efficaciter demonſtratum; ac quod liber Græcè a ſuo authore, & græciſmis plenus elucubratus fuerit. Ex dictis etiam eo *capite* 9. & tomo præcedenti, dum de hoc Ioanne ſermo habitus, conſtat eum fuiſſe 44.

numero

numero inter Ieroſolymorum Antiſtites ; quod etiam liqueſcet ex dicendis hoc tertio tomo , dum de alio Ioanne etiam Ieroſolymitano Patriarcha circa ann. Chriſti 760. agetur . Quod libri interior doctrina nullatenus notari poſſit , niſi in media luce cæcutientes ſimus , nullo alio aptiori medio comprobari poteſt , quam Lectorem vt iudicem interpellando . Legatur attentè , non curſim , aut carpendi libidine ; & ibi , cum claritate doctrinæ , ac ſacrarum Scripturarum promptiſſima explanatione , ſpiritualia documenta , moralia inſtituta , regularia præcepta , myſtica , & allegorica plurima reperientur , quæ animum ad pietatem , & Dei amorem efficaciter promoueant . Quod præterea in eo tangitur de Ordinis antiquitate conſonum eſſe Summorum Pontificum diplomatibus , Sanctorum Patrum ſcriptis , grauiſſimorum Doctorum , & Scriptorum hiſtorijs , Annales iſti clamant , ea præſertim , quæ *in Apparatu tom.* 1. *cap.* 5. *&* 6. adduximus . Corruet ergo ſua mole vltimum illud de nota apocryphi huic libro inuſta ; antiquitate etenim celebris , doctrina piiſſimus , grauiſſimorum patrocinio ſuffultus , & ſolùm paucis neotericis , qui eum vix viderunt , infenſus , cur apocryphus ?

7 Eum igitur , vt vel ipſe pro ſe reſpondeat , ex politiori penu , correctiori lima , & diligentiſſima collatione ad accuratam fidem trium M. S. veterum Codicum , Gandenſis ſcilicet , Mechlinienſis , & Namurcenſis Gallici (relictis Veneto typis mandato ann. 1507. & Antuerpienſi de anno 1617. ſicut & alio Salmanticenſi anteriori , quòd multis ſcateant erroribus) quem Vvaſtelius noſter ſtudioſiſsimè elucubrauit , & *in to.* 1. *vindiciar. Ioannis* appoſuit , hic damus . Liber correctior.

IOANNIS

IOANNIS NEPOTIS SYLVANI
HIEROSOLYM. EPISCOPI XLIV.
Liber
De Inſtitutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in noua perſeuerantium.

AD CAPRASIVM MONACHVM.

Interprete Aymerico Patriarcha Antiocheno.

CAPVT I.

Operis qualitas, ac magni Eliæ Prophetæ Domini ortus.

PRINCIPIVM Religionis huius, & quemadmodum, ac vnde ipſa primò proceſſit, rectè petis, dilecte Capraſi, ante alia perſcrutandum. Quamuis namque conuerſationis huius ratio in ſola experientia conſiſtat, vt nequaquam poſſit hæc ratio plenè, verborum doctrina, niſi ab experto tradi, nec etiam a te totaliter percipi, niſi eam pari ſtudio, ac ſudore per experientiam apprehendere laboraueris; multo tamen efficacius poteris ſuſceptæ huius profeſſionis aſſequi diſciplinam, & ad exercendam eam ardentius incitari, cùm Auctorum, atque Fundatorum eius agnoueris dignitatem, & primariam ipſius Religionis ſcieris inſtitutionem. Propter quod, vt ordine debito procedamus, de ſupremo huius Religionis Fundatore, & primaria eius Inſtitutione eloqui pauliſper inchoamus: deinde aliqua ſancta geſta & glorioſas virtutes, & exteriorem habitus ornatum. De ipſo Fundatore & primis eius diſcipulis, cæteriſque huius Religionis priſcis profeſſoribus, ſuccinctè ediſſeremus, ſicut hæc omnia antiqui huius noſtræ conuerſationis ſectatores ante nos intellexerunt; & nobis tam in veteri, quàm in noua lege doctrinis & exemplis philoſophati ſunt: vt per hæc diſcas quanta Sanctorum præcipuorum auctoritate hæc noſtræ vitæ Religio confirmetur; & cum quanta mentis ſecuritate formam huius conuerſationis ſequentes, non per nouitates præſumptas, neque per *inanes fabulas*, ſed per approbata totius vitæ monaſticæ primaria exemplaria viam ad corda noſtra *Domino dirigimus*, & *Semitas* veniendi ad nos Deo noſtro *rectas facimus*, vt *cum venerit &*

Operis ſcopus.

1. Petr. 1.

Ioann. 1.

pulſa-

pulſauerit, confeſtim ei aperiamus, qui ait: *Ecce ſto ad oſtium: & pulſo, ſi quis audierit vocem meam & aperuerit ianuam, intraibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Scito ergo & animaduerte, ab initio Regni Achab regis Iſrael vſque ad Chriſti aduentum in carnem, decades annorum circiter nonaginta quatuor fluxiſſe, per quas, vt chronographi tradunt, cœpit Achab regnare ante Incarnationem Domini Ieſu. In diebus vero huius Achab regis Iſrael, & in regno eius fuit quidam propheta magnus de tribu Aaron, cui nomen erat *Elias*, ex patre vocato *Sabacha*, ortus in Ciuitate Thesba, quæ eſt in regione Galaad: ex qua Thesba *Elias* eſt Thesbites dictus. Qui *Elias* poſt modum fuit habitator Ciuitatis Galaad, quæ condita in Monte Galaad ab illo Monte nomen accepit: ſicuti & regio Monti illi circumuicina trans Iordanem ſita in ſorte dimidiæ tribus Manaſſe.

CAPVT II.

Helias ex Dei inſtinctu primus Monachorum Dux.

HIC propheta Dei Elias Monachorum princeps primus extitit, a quo ſancta primæua inſtitutio exordium ſumpſit. Ipſe enim obtentu contemplationis diuinæ, & deſiderio ſublimioris profectus, longè ab vrbibus recedens, & ſeipſum cunctis terrenis, ac mundanis exuens, religioſam & prophetalem vitam eremiticam primus hominum a propoſito ducere cœpit, quam ſancto dictante ſpiritu & mandante inchoauit & inſtituit. Quippe Deus ei apparens mandauit vt communem hominum habitationem fugeret, & ſe a turbis in deſerto abſconderet, atque deinceps in eremo monaſticè ſecundum formam ei indictam viueret. Quod euidenti ſacræ Scripturæ teſtimonio comprobatur. Legimus enim ita de hoc ſcriptum in libro Regnorum factum eſt verbum Domini ad Eliam dicens: *Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith., qui eſt contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, coruiſque præcepi vt paſcant te ibi.* Hæc autem præmiſſa ſalubria mandata, ad quæ implenda Spiritus Sanctus Eliam inſtigauit, & deſiderabilia promiſſa, ad quæ adipiſcenda eum erexit, tanto debent maiori intentione non ſolum hiſtoricè, ſed potius myſticè a nobis Monachis eremitis, per ſingula verba penſari, quanto in eis plenior comprehenditur inſtitutio, id eſt, forma ad perfectionem propheticam, & finem religioſę vitæ eremiticæ perueniendi. Cuius vitæ duplex dignoſcitur eſſe finis: vnus quidem, quem per laborem noſtrum, & virtuoſum exercitium, diuina adiuuante gratia acquirimus. Hic autem eſt offerre Deo cor ſanctum, & purum ab omni actuali ſorde peccatorum: quem finem attingimus cum ſumus perfecti; & in *Carith*, id eſt, in charitate illa abſconditi, de qua

Elias monachorum Dux.

3. Reg. 17.

Proberb. 10. de qua Sapiens ait, *Vniuerſa delicta operit charitas*: ad quem finem volens Deus Eliam peruenire, ei dixit, *Abſcondere in torrente Carith*. Alius autem huius vitæ finis eſt ex mero Dei dono nobis collatus, videlicet non ſolùm poſt mortem, ſed etiam in hac mortali vita aliqualiter guſtare in corde, & experiri in mente, virtutem diuinæ præſentię, & dulcedinem ſupernæ gloriæ. Hoc autem eſt de torrente voluptatis Dei bibere. Quem finem promiſit Deus Eliæ dicens: *Et ibi de torrente bibes*. Propter vtrumque finem horum duorum eſt prophetalis vita eremitica a Monachorum aſſumenda, teſtante Propheta: *In terra*, Pſal. 62. (inquit) *deſerta, inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi*, o Deus, *vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam*. Per hoc enim quod in *terra deſerta, inuia, & inaquoſa*, manere eligit, vt ſic *in Sancto*; id eſt corde puro a peccato, appareat Deo, monſtrat primum electæ per eum vitæ ſolitariæ finem: qui eſt offerre Deo cor ſanctum; id eſt, ab omni actuali peccato purum. Per hóc autem quod addit: *Vt virtutem tuam viderem & gloriam tuam*, monſtrat manifeſtè ſecundum dictæ vitæ finem, qui eſt iam in hac vita aliqualiter experiri, ſeu myſticè videre in corde virtutem diuinæ præſentiæ, & guſtare dulcedinem ſupernæ gloriæ. Ad primum autem horum, ſcilicet puritatem cordis, peruenitur per laborem & exercitium virtuoſum, diuina gratia adiuuante. Et per puritatem cordis, & per perfectionem dilectionis, deuenitur ad ſecundum; ſcilicet ad experimentalem notitiam diuinæ virtutis & gloriæ cæleſtis; dicente Domino: *Qui diligit me diligetur a Pa-* Ioann. 14. *tre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*. Idcirco Deus per ea quæ in ſuperioribus omnibus præmiſſis verbis Sancto Eliæ prophetæ propoſuit, illi primo & præcipuo Monachorum Principi, & Matth. 5. nobis eum imitantibus ſuadere maximè voluit, *vt ſimus perfecti, ſicut & pater noſter cæleſtis perfectus eſt*, & ſuper omnia charitatem haben- Coloſſ. 3. tes, quod eſt *vinculum perfectionis*. Quapropter vt ad perfectionis ſuæ & viſionis gloriæ promiſſę valeamus dona pertingere; formam ad hæc perueniendi per Deum in dictis verbis beato Eliæ propoſitam curemus aure intenta diſtinctè per ordinem percipere, & opere adimplere. Loquens enim Dominus Sancto Eliæ, ait tam in veteri, quam in noua lege cuilibet Monacho eremitæ: *Recede hinc*, ſcilicet a rebus caducis mundi & tranſitorijs: *& vade contra Orientem*: id eſt contra originalem tuæ carnis cupidinem: *& abſcondere in torrente Carith*, ne in vrbibus moreris ſimul cum turbis: *Qui eſt contra Iordanem*: vt ſcilicet per charitatem ſis diuerſus a delictis. His namque quatuor gradibus ad culmen propheticæ perfectionis conſcendens *ibi de torrente bibes*. Sed vt hoc queas perſeuerare, coruis præcepi vt paſcant te ibi. Hæc autem omnia intelliges melius, ſi per ſingula diſcurrendo, ea diſtinctè per ordinem exponamus.

CA-

CAPVT III.

Contemptus rerum terrenarum.

EA quæ tibi ſuadeo ſigillatim intellige per ordinem, & diſcretè. Nam primò dixi tibi in mea iuſſione: *Recede hinc*, ſcilicet *de terra & de cognatione tua*, *& de domo patris tui*, non Geneſ. 12. ſolum animo, vt terrenis poſſeſſionibus tui generis, & caducis mundi diuitijs cor tuum non apponas, ſed etiam opere, vt ipſas non poſſideas. Niſi enim *quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non* Luc. 14. *poteſt eſſe meus diſcipulus*. Quoniam licet poſſeſſæ diuitiæ non claudant diuiti introitum cæleſtis regni, ſi cor ſuum ad eas non apponat; Sapiente dicente: *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt* Eccleſiaſt. 13. *aurum non abijt, nec ſperauit in theſauris pecuniæ*: attamen per hoc quod Sapiens protinus ſubdit, dicens: *Quis eſt hic & laudabimus eum?* innuit manifeſtè difficultatem reperiendi talem virum, qui diuitias poſſidens ad eas cor non apponat. Cor enim humanum facilè hæret his quæ frequentat. Propterea dum poſſidentur diuitiæ, natæ ſunt maiorem flammam accendere in corde, & vehementiorem cupidinem gignere: quemadmodum Sapiens ait: *Saturitas diuitis non ſinit eum dormire*. Eccleſiaſt. 5. Occupatus quippe in ſuperuacuo poſſeſſarum diuitiarum amore, cum habeat ipſe rebus domeſticis intendere, affligitur aſſiduè ab ærumna continuarum curarum, quæ non ſinunt ad ipſum ingredi deſiderium adimplendi verbum, quod audiuit diuinorum præceptorum. *Ærumnæ enim ſæculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur*. Marc. 4. Propter quod diues *difficilè intrabit in regnum cælorum*. Tu ergo fili mi, ſi vis perfectus eſſe, Matth. 19. & ad finem monaſticæ vitæ eremiticæ peruenire, ibique de torrente bibere; *Recede hinc*, ſcilicet a rebus mundi caducis, relinquendo corde & opere omnes poſſeſſiones terrenas & facultates, propter me: quoniam facilior & tutior via ad perfectionem propheticam tendendi, & tandem ad regnum Cælorum perueniendi eſt iſta. *Omnis* Matth. 19. *enim qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet*, iam in hac vita, prægustans meæ ſuauitatis dulcedinem cunctis terrenis centupliciter præualentem, tandem *vitam æternam poſſidebit*. Ecce breuiter audiſti primum gradum, quo conſcendere poſſis ad propheticæ perfectionis ſummum.

CAPVT IV.

Abnegatio propriæ voluntatis.

NVNC attende ſecundum. Sequitur enim in exhortatione mea. *Et vade contra Orientem*, ſcilicet contra originalem
Ezec. 19. tuæ carnis cupidinem. Scire namque debes quod *in die ortus tui non eſt* a peccato *præciſus vmbilicus tuus*: quoniam *in pec-*
Ioann. 9. *catis natus es totus*. Quemadmodum in perſona cuiuslibet hominis ge-
Pſal. 50. niti a viro ex fœmina, ait Propheta: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*. Ab hoc autem originali peccato,
Galat. 5. in quo concipitur homo, illud prouenit quod *caro* hominis *aduerſus*
Rom. 7. *ſpiritum concupiſcit*. *Video*, inquit Apoſtolus, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt*
Matth. 7. *in membris meis*. Hæc eſt *lex peccati*, illa *lata porta*, per quam quis intrat cum ei conſentit, & ſpatioſa via, per quam homo ambulat dum ſecundum eam viuit, quæ *ducit ad perditionem*: & *multi ſunt qui intrant*
1. Petr. 2. *per eam*. *Accedentem verò ad ſeruitutem Dei, oportet abſtinere a carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam, & ſtare in iuſtitia, & in timore Dei; & præparare animam ſuam*, non ad requiem, nec ad delicias,
Act. 14. ſed ad tentationem & anguſtias: quoniam *oportet per multas tribulatio-*
Matth. 7. *nes introire in regnum Dei*. *Anguſta* namque *eſt porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam*. Quoniam *pauci ſunt*
Luc. 12. *electi, & puſillus eſt grex cui complacuit Patri dare regnum*. Tu ergo fili mi, *ſi vis perfectus eſſe*, & vſque ad finem monaſticæ vitæ eremiticæ
Rom. 6. peruenire, ibique de torrente bibere; *Vade contra Orientem*, hoc eſt, contra originalem tuæ carnis cupidinem: Et *non regnet peccatum in tuo mortali corpore, vt obedias concupiſcentijs eius*. *Ego* enim *noui iniquos in*
2. Petr. 2. *diem iudicij reſeruare cruciandos, magis autem eos, qui poſt carnem in con-*
Eccleſiaſt. 18. *cupiſcentias immundiciæ ambulant, dominationemque contemnunt*. *Poſt concupiſcentias* ergo *tuas non eas*, & a voluntate tua auertere: eam prorſus relinquens, & recto Superioris arbitrio vſque ad mortem propter me humiliter ſubmittens. *Non eſt enim diſcipulus ſuper magiſtrum:*
Luc. 6. *perfectus autem omnis erit ſi ſit ſicut magiſter eius*. Ego vero, Domi-
Ioann. 6. nus prophetarum, & magiſter, *deſcendi de cælo, non vt faciam volun-*
Philipp. 2. *tatem meam, ſed vt faciam voluntatem eius, qui miſit me Patris, factus ei obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*. Quamobrem, *ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam*
Matth. 16. quotidie, & *ſequatur me*. Qui enim *non baiulat crucem ſuam, &*
Luc. 9. *venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus*. Si ergo vis *contra Orientem*, id eſt, contra originalem tuæ carnis cupidinem *poſt*
Luc. 14. *me venire*; attende qualiter oportet te crucem baiulare. Sicut nam-

que

que crucifixus, qui iam non pro ſui animi voluntate membra ſua quoquam mouendi, vel conuertendi habet poteſtatem, ſed illic tantum hæret immobiliter vbi crucifigens ea fixerit: ita oportet te cruci ſic affixum eſſe, & temetipſum abnegare, vt non ad id quod tibi placet, teque delectat ad præſens, tuam voluntatem conuertas, ſed quò te voluntas mea conſtrinxit, tuam vniuerſam voluntatem applicare debeas; vt iam *non hominum deſiderijs, ſed voluntati Dei quod reliquum eſt in carne viuas temporis*. Et quemadmodum ille qui crucis patibulo eſt affixus, præſentia non contemplatur, præteritorum obliuiſcitur, de craſtino non ſollicitatur, nulla carnali concupiſcentia permouetur, nulla ſuperbia, nulla contentione, nulla vltione, nulla æmulatione ſuccenditur, ſed cum adhuc ſuſpiret in corpore, ſe mundo credit eſſe defunctum, illuc tantùm præmittens ſui cordis intuitum, quo ſe non dubitat ilico tranſiturum: ita quoque te timore Dei confixum, oportet his præmiſſis omnibus eſſe defunctum, illic tantùm oculos animæ tuæ habendo defixos, quò te ſperare debes ſingulis momentis migraturum. Hoc ergo modo *vade contra Orientem*, id eſt, contra originalem tuæ carnis cupidinem. Sic enim *qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs, ſemper mortificationem Chriſti in carne ſua circumferentes, vt & vita Chriſti in corporibus eorum manifeſtetur*. In quam cùm fuerint transformati, peruenient per illam ad ſupernam gloriam; quemadmodum eis Apoſtolus ait: *Mortui eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo: cum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria*. Ecce oſtendi ſuccinctè ſecundum gradum quo peruenire queas ad prophetalis perfectionis ſtatum.

1. Petr. 4. Galat. 5. 2. Corinth. 4. Coloſſ. 3

CAPVT V.

Solitudo, & Caſtitas.

MODO' amplectere tertium. Sequitur in perſuaſione mea: *Et abſcondere in torrente Carith*. Nolo enim te vlterius morari inter turbas in Vrbe: *Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate: die ac nocte circundat eam ſuper muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniuſtitia; & non defecit de plateis eius vſura & dolus*. Propter quæ omnia vitanda ipſe Propheta in exemplum tibi datus, maluit in ſolitudine habitare, quam in Vrbe. *Ecce*, inquit, *elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine*. Ait nimirum Sapiens: *Non pecces in multitudine ciuitatis, nec te immittas in populum, nec alliges duplicia peccata: nec enim eris in vno immunis*. Sed quia, vt ait Sapiens, in *mono* (id eſt, *in vno*, ſeu in ſingulari) degens, non eris a peccato immunis. Propterea debes ſolitarius pauere & flere,

Pſal. 54. Ibid. Eccleſ. 7.

id eſt officium Monachi exercere (Μόν@ enim Græcè, dicitur Latinè *vnus*, ſiue ſingularis, aut ſolus; Α᾿χ@ autem Græcè dicitur Latinè *triſtis*: Inde dictus eſt *Monachus*, quaſi ſingularis & triſtis) tua ſcilicet & alterius peccata ſolitarius lugens. Et hoc eſt tibi eligibile, quam *inter turbas* conuerſari *in vrbe*. Si enim, teſte Sapiente, in *vno*, id eſt, in *monade*, ſeu ſingularitate, aut ſolitudine degens, non eris a peccato vſquequaque immunis; quanto magis, ipſo teſtante, ſi te immittas in populum, *duplicia tibi peccata* alligabis? Ac per hoc pauere amplius, & flere te oportebit. Declina ergo frequentias turbarum, ne in ciuitate poſitus facere compellaris, quæ te, non tam natura cogit facere, quam voluntas: videlicet ne alterius furore mouearis, ne aliena bella patiaris, ne te capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus, ne auaritiæ cæterorumque vitiorum alligeris vinculis, quæ omnia vitantur ſolitudine. *Quiſnam dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit*, niſi qui ei dedit *in ſolitudine domum, & tabernacula eius in terra ſalſuginis? Idcirco contemnit multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit*. Onager quidem animal ſolitudinem diligens, illum ſignificat, qui remotus a turbis popularibus ſolitarius conſeruatur: Cuius peccatorum *vincula* Deus *ſoluit*, & *liberum* a peccati ſeruitute eum *dimittit*: dum *ſibi domum in ſolitudine conſtituit, & tabernacula eius in terra ſalſuginis*, quæ ſitim accendit, vt iuſtitiam cæleſtis patriæ ſitiat, quæ tandem ſatiat. Beati enim *qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur*. Tu ergo fili mi, ſi vis perfectus eſſe, & ad finem monaſticæ vitæ eremiticæ peruenire, ibique *de torrente* bibere; *abſcondere in torrente Carith*; colens ſcilicet in abſconſa ſolitudine ſilentium. Quippe ſciens imbecillitatem tuam, & vas fragile quod portas, timere debes in vrbe offendere, ne inter turbas impingas, & corruas atque frangaris. *Sedebis* ergo *ſolitarius & tacebis, quia bonum eſt homini præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei*. Quamobrem *abſcondere in torrente Carith*, quæ *diuiſio* interpretatur: quia expedit ad tui propheticam perfectionem, vt ita abſconſus ab humano & diuiſus ſis conſortio, quod etiam mulieri non iungaris coniugio. *Bonum enim eſt homini mulierem non tangere*. Porro hoc *ad vtilitatem tuam dico, & ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Domino obſequendi*. Oportet enim te diuidi ab his quæ te impediunt ne perfecte tendas in Deum. Solicitudo verò ſæculi iſtius & fallacia diuitiarum ſuffocant Dei Verbum, ac per hoc impedit animum ne perfecte diligat Deum. Teſte enim Sapiente, *qui diligunt eum conſeruabunt verbum illius*: qui vero *cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi*; & propterea retrahitur ne perfectè inhæreat dilectioni Dei: *Cogitat enim quomodo placeat vxori: qui autem ſine vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt Domini, & cogitat quomodo placeat Domino*. Quamobrem *ſi non es alligatus vxori, noli quærere vxorem. Beatior enim eris ſi ſic ſecundum*

Iob 39.

Matth. 5.

Thren. 3.

Eccleſ. 2.

1. Corinth. 7.

meum

meum conſilium permanſeris : vt ſis ex illis Eunuchis, qui *ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Cælorum*. *Quoniam dabo eis in domo mea locum, & nomen melius a filijs, & filiabus, & nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit*. Ecce expreſſi tibi tertium gradum, quo peruenire valeas ad propheticæ perfectionis altum. Math. 19. Iſai. 56.

CAPVT VI.

Neceſſitas charitatis.

AMODO percipe quartum. Sequitur enim in admonitione mea: qui, ſcilicet Carith, *eſt contra Iordanem*. Certè Iordanis, *deſcenſio eorum* interpretatur: per quam hoc in loco non abſurdè peccatum ſignificatur. Quid enim facit tam deſcendere homines a dignitate imaginis, & ſimilitudinis Dei in miſeriam & turpitudinem quàm peccatum, quod eſt *tranſgreſſio diuinorum præceptorum*? Teſte enim Sapiente, *Miſeros facit homines peccatum*. Prouerb. 14
Hinc Moyſes populo præcepta Dei tranſgreſſuro dixit: *Deſcendes, & eris inferior*. Omnis enim natura licet in ſuo genere ſit munda, ſuperiori tamen comparata redditur turpis, & immunda, & a ſua dignitate cadit; atque ſordeſcit res nobilis, cùm inferiori naturæ miſcetur, licet in ſuo genere natura inferior non ſordidetur. Nam & aurum cum argento ſordidatur ſi ei miſceatur. Ego autem, teſtante ſacra Scriptura, feci tam excellentis naturæ hominem, quod eum conſtitui vniuerſæ naturæ præſidem. Quamobrem licet creaturæ ſint mundæ in ſuo genere, humana tamen corda cadunt a ſua dignitate, & ſordeſcunt in creaturarum fruitione. Hinc de his qui corda in rebus creatis figunt per prophetam dicitur: *facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt*. Oſee 9.
Hinc rurſum per prophetam alibi ſcribitur, *Vaſtata eſt ſuperbia Iordanis*, ideſt peccati. Quia videlicet vnde peccatores contemnendo Dei præceptum in peccato contra Deum ſuperbiunt; inde in vaſtitatem corruptionis, & abominationis deſcendunt, dicente Propheta, *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus*. *Carith* vero diuiſio interpretatur, per quam charitas meritò intelligitur, quia ipſa ſola hominem diuidit a Iordane, id eſt a peccatorum deſcenſione. Hæc namque *Carith*, charitas perhibetur eſſe *contra Iordanem*, id eſt contra peccatorum deſcenſionem; quia ſicut ait Apoſtolus, quantumlibet homo cæteris omnibus bonis polleat, *etiamſi loquatur omnibus linguis, & habeat omnem prophetiam, & omnem fidem, & omnem ſcientiam, & diſtribuat omnem ſubſtantiam ſuam in cibos pauperum, & tradat corpus ſuum itaut ardeat, charitatem autem non habeat, nihil ei prodeſt*; nec transfertur a morte peccati in vitam. *Qui* enim *non diligit, manet in morte*. Ab hac tamen morte diuiditur homo per charitatem, & ad vitam, dicente Ioan- Deuter. 28. Zachar. 11. Pſal. 52. 1. Corint. 13. 1. Ioann. 3.

Ibid. ne Apoſtolo, *transfertur: Nos*, inquit, *ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres*: Bene ergo *Carith*, id eſt, charitas eſt *contra Iordanem*, ſcilicet contra peccatorum deſcenſionem: Prouerb. 10. quoniam ſicut ait Sapiens, *Vniuerſa delicta operit charitas*. Tu ergo, fili mi, ſi vis perfectus eſſe, & ad finem monaſticæ vitæ eremiticæ peruenire; & *contra Iordanem*, id eſt peccatorum deſcenſionem, abſcondi debitè in *Carith*, id eſt in charitate, ibique *de torrente* bibere; *diliges Do-* Matth. 22. *minum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*. Nam cum hoc adimpleueris, tunc perfectus eris, & *contra Iordanem in Carith*, id eſt in charitate abſconderis. Si autem hoc adimplere renueris, miſer, & reprobus efficieris, & non in *Carith*, ſed in Iordane, id eſt in peccatorum deſcenſione eris. Si enim quidquam aliud amas pluſquam me, iam non me diligis ex toto corde tuo, nec es in *Carith*, id eſt in charitate: quare non es dignus videre me. *Qui* Matth. 10. *enim amat patrem, aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus: aut qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus*: Sed & ſi quidquam aliud tantùm amas, quàm me, nondum me diligis *ex toto tuo corde*, nec es *in Carith*, id eſt in charitate. Si enim me ex toto tuo corde diligeres quantumcunque anima tua, & cætera omnia eſſent tibi cara, eis omnibus dilectionem meam præferres, & cuncta quæ cor tuum ab ea auer- Luc. 14. terent protinus reſpueres, & odio haberes: *Si quis enim venit ad me, & non odit patrem ſuum & matrem, & vxorem, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus*. Si verò cor tuum mihi tanto amore offeras, & teipſum mihi tanta dilectione committas, vt quod nolo, & tibi prohibeo, quamlibet ſit difficile caueri, totum tamen amore mei vites, & odias; quod autem volo, & tibi præcipio, quantumcunque ſit durum fieri, nihilominus totum amore mei ſerues, & adimpleas; tunc incipis me vtcumque diligere *ex toto tuo corde, & ex tota anima, & ex tota mente*, & in *Carith*, ſcilicet in charita- Ioan. 14. te eſſe. *Qui enim habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me*: Primum autem omnium eſt mandatum; *Audi Iſrael: Dominus Deus* Deuteron. 6. *tuus Deus vnus eſt*: &: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*. *Hoc eſt primum & maximum mandatum*. Quod quia non poteſt ſeruari ſine dilectione proximi, eò 1. Ioann. 4. quòd *qui non diligit fratrem ſuum quem videt, non poteſt Deum diligere, quem non videt*; ideò ſecundum mandatum ſimile huic eſt: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: ſcilicet in quo, & propter quod debes diligere teipſum. In bono verò, & non in malo debes te diligere: ſi enim in malo te diligeres, iam non teipſum amares, ſed odio haberes. Pſal. 10. *Qui* enim *diligit iniquitatem, odit animam ſuam*. Ideoque proximum debes diligere ſicut teipſum in bono, & non in malo; vt *omnia quæcun-* Matth. 7. *que vis vt faciant tibi homines, facias & tu illis; & quod ab alio oderis tibi fieri, id ne tu aliquando alteri facias*. *Dilectio* enim *proximi malum*

non

non operatur. Quapropter hoc in proximo amare, & operari debes per quod iuſtus fiat, ſi malus eſt; aut per quod iuſtus permaneat, ſi bonus eſt. Rurſus te debes diligere, non propter teipſum, ſed propter Deum. Quod enim propter ſe diligitur in eo finis lætitiæ, & vita beata conſtituitur, cuius adipiſcendæ etiam ſpes iam hoc tempore conſolatur. In te verò, vel in alio homine non debes ſpem beatæ vitæ ponere. *Maledictus enim homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino recedit cor eius*. Debes ergo in Domino finem tuæ lætitiæ, & vitam beatam conſtituere, Apoſtolo dicente: *Nunc autem liberati a peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum veſtrum in ſanctificatione, finem verò vitam æternam in Chriſto Ieſu Domino noſtro*. Ergo ſi liquidè aduertas, Deum debes diligere propter ſeipſum, te vero non propter teipſum, ſed propter Deum. Cumque debeas diligere proximum tuum ſicut teipſum, debes vtique eum diligere non propter ſe, nec propter te, ſed propter Deum: hoc autem quid aliud eſt, quam in proximo diligere Deum? *In hoc* (inquit Ioannes Apoſtolus) *cognouimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligimus, & mandata eius facimus*. Quę omnia in præparatione animi facis, ſi Deum diligas propter ſeipſum, & ſi propter Deum diligas proximum, ſicut teipſum. *In his quippe duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ*. *Plenitudo* enim *legis eſt dilectio*. Propter quod ad eam præcipue habendam hortatur Petrus Apoſtolus dicens: *Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia Charitas operit multitudinem peccatorum*. Sed tanto minus *Carith*, id eſt, charitas tua *operit peccata*, & eſt *contra Iordanem*, id eſt contra peccatorum deſcenſionem, quanto minus Deum & proximum diligis. Minor quippe dilectio minorem meretur peccatorum dimiſſionem, ſicut ſcriptum eſt: *Cui minus dimittitur, minus diligit*: tanto verò magis *Carith*, id eſt *charitas tua operit peccata*, & eſt *contra Iordanem*, id eſt contra peccatorum deſcenſionem, quanto magis Deum & proximum diligis: quoniam maior dilectio maiorem meretur remiſſionem peccatorum, quemadmodum ſcriptum eſt: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum?* Ecce expoſui tibi quartum gradum, quo attingere queas ad propheticalis perfectionis bonum.

Tob. 4. Rom. 13. Ierem. 17. Rom. 6. 1. Ioann. 5. Matth. 22. Rom. 13. 1. Petr. 4. Luc. 7.

CAPVT VII.

Perfectæ charitatis vis.

RESTAT nunc attendas qualiter ad culmen perfectionis propheticæ, & finem monaſticæ vitæ eremiticæ per hos præmiſſos quatuor gradus peruenias. Sequitur enim in propoſitione mea: *Et ibi de torrente bibes*. Nempe expedit tibi Sapientis

Eccleſ. 4. pientis exemplo *extrahere a vino carnem tuam, vt animam tuam transferas ad Sapientiam, deuiteſque ſtultitiam. Luxurioſa* enim *res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas*. Quicumque his delectatur, non erit Sapiens.

Prouerb. 14. Propter quod vt facilius ad veram peruenias Sapientiam, a vino in Carith abſtinebis, & in remedium tuæ ſitis, ac tutamentum vitæ tui corporis, *bibes* ibi *de torrente* materiali, ſcilicet de aqua torrentis. Remiſcere tamen qualiter antequàm dixerim tibi: Et *ibi de torrente bibes*, præmiſi: *Abſcondere in torrente Carith*. Quod ideo prędixi, quia ad hoc vt de torrente ſpecialiter bibas, oportet te prius *in Carith*, ſcilicet in charitate abſcondi: in qua non illico abſconderis cum in ea eſſe incipis; quoniam ſicut dictum eſt, non quantalibet charitas, ſed ſola perfecta *operit vniuerſa delicta*. Licet ergo mox vt me incipis ex toto corde tuo diligere, ſis verè *in Carith*; id eſt, in charitate; non tamen es protinus abſconditus *in Carith*; id eſt, in charitate: quia non confeſtim es totaliter diuiſus ab actuali cupiditate peccati. Non enim mox quieſcunt, immo inſurgunt in te carnales concupiſcentiæ, & cogitationes immundæ, conantes cor tuum in vetita trahere, & a dilectione mea totaliter euellere: propter quód nondum potes perfectè diligere me ex toto tuo corde. Nam etſi cor tuum retineat tunc aſſiduè dilectionem meam habitualiter in ſe; adhuc tamen non potes tranquillè per actualem amorem perfecte ferri in me. Quoniam, ne totaliter decidas a mea dilectione, oportet te tunc intendere ad expugnandum inſurgentes cogitationes immundas, & carnales concupiſcientias, contrarias dilectioni meæ. Quas cùm velut illicitas edomueris, non tamen continuo *in Carith*, id eſt in charitate abſconditus eris: quia nondum me ex toto corde tuo perfecte amabis. Adhuc enim reſtabunt multa tibi licita, quæ per me nec præcepta ſunt tibi, nec vetita: vt nuptiæ, diuitiæ, negotia ſecularia, & ſimilia quæ ſupra memoraui. Quibus cum te implicas, etſi cor tuum non diuellant totaliter a mea dilectione; tamen non facile ſinunt te de me cogitare, ſed frequenter te impediunt a mei conſideratione, & cor tuum ſubducunt a meæ dilectionis feruore, quo quanto minus inflammaris, tanto minus ex toto corde tuo me diligis: quanto autem me minus diligis, tanto minus *in Carith*, id eſt, in charitate abſconderis: & quanto minus in charitate abſconderis, tantò minus ad perfectionem propheticam, & ad finem monaſticæ vitæ eremiticæ tendis. Tu ergo fili mi, vt promptus queas abſcondi in *Carith*, id eſt, in charitate, & finem deſtinatum pertingere, ibique *de torrente* bibere, euita non ſolum ea per me tibi prohibita, quę totaliter a mea dilectione ſeparant, vt ſunt carnales concupiſcentię ei contrarię, & cogitationes immundę; ſed etiam diffuge ea quæ te ab ardore dilectionis meæ retardant, vt ſunt ea quæ tibi propter eam ſuperius diſſuaſi, ſcilicet diuitiæ, & nuptiæ, ac cætera quæ in ſe negotia ſecularia

2. Timoth. 2. implicant: *Nemo* enim *militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus, vt ei pla-*

ei placeat cui ſe probauit. Illa verò ſummo ſtudio exquire, quæ te ad meæ dilectionis ardorem vocant: vt ſunt præcepta legis meæ, & ea quæ propter eamtibi ſupra perſuaſi, ſcilicet paupertas, & carnalis concupiſcientiæ crucifixio, obedientia & voluntatis propriæ abrenunciatio, continentia, & eremi ſolitudo. Nam ſi in mandatis & conſilijs meis taliter exercitatus fueris, vt non ſolum cogitationes immundas & carnales concupiſcentias dilectioni meæ contrarias, ſed etiam cætera feruorem dilectionis meæ impedientia & retardantia a te fugaueris; etſi ea quæ amori meo opitulantur ita elegeris, vt inde tam feruente amore me totaliter diligas, tamque vehemente dilectione mihi tranquille adhæreas, quod nullum deſiderium contrarium meæ dilectioni, vel eius impeditiuum in mente tua ſentias; tunc incipis diligere perfectè *ex toto tuo corde*, & *in Carith*, id eſt, in charitate abſconditus eſſe, atque finem deſtinatum pertingere. *Finis enim præcepti eſt charitas de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta*. Quidquid enim tibi in lege mea præcipio, aut conſulo, ſiue de fugandis a te cogitationibus immundis, & carnis ac mundi concupiſcentijs, vt cor tuum ab his purum teneas; ſiue de exhibendis proximo officijs, & vitandis eius offenſis, vt ſine repræhenſione conſcientiam bonam ad eum habeas: ſiue de impendendis cultui meo obſequijs, vt ex fide non ficta, ſed vera, mihi deſeruias; totum hoc ad hunc finem tibi ſuadeo, vt *de corde tuo puro, & conſcientia bona, & fide non ficta* procedat libere charitas tam feruens & vehemens, tamque pacifice cor tuum totaliter ſine reniſu coiungens, vt nihil penitus contrarium dilectioni meæ, vel eius retardatiuum cor tuum in ſe ſentiat, ſed tranquillum in amore meo totaliter conquieſcat. Quod nihil aliud eſt, quam habere cor purum ab omni peccati actualis ſorde, & eſſe abſconditum *in Carith*, id eſt in illa charitate de qua Sapiens ait: *Vniuerſa delicta operit charitas*. Cum ergo ad finem hunc prophetalis, ac monaſticæ vitæ eremiticæ perueneris, & ita *in Carith*, id eſt, in charitate abſconditus fueris, tunc ibi *de torrente bibes:* quia in hac tam perfecta tui coniunctione ad me, potabo te, & tuos ſodales, illo torrente, de quo Propheta mihi loquens ait: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Scriptum eſt enim: *Si reuerſus fueris ad omnipotentem, ædificaberis, & longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo; dabit pro terra ſilicem, & pro ſilice torrentes aureos, eritque omnipotens contra hoſtes tuos, & aceruabitur tibi argentum. Tunc ſuper omnipotentem delicijs afflues, & eleuabis ad Deum faciem tuam.* Vbi vide, ſi ad Deum ex toto corde tuo ſicut præmittitur, reuertaris, qualiter in bonum gradum ædificaberis. Primò quidem *longe facies iniquitatem a tabernaculo*, id eſt, a corde tuo: quia aliter cum omnipotente coniungi non poſſes, ſicut ſcriptum eſt: *Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum Deo, & in tenebris ambulamus, mentimur*. Quoniam *iniquitates* noſtræ *diuiſerunt inter nos & Deum noſtrum, & peccata noſtra abſcon-*

1.Timoth.4. Prouerb. 10. Pſal. 35. Iob 22. 1.Ioann. 1.

abſconderunt faciem eius a nobis. Secundo *pro terra*, id eſt, terrenis affectionibus, & diuitijs a te dimiſſis dabit tibi Deus *ſilicem*, id eſt, fortem & ardentem charitatem. Eſt enim *ſilex* lapis durus & focarius, a quo ſalit ignis, & ſignificat illam perfectam charitatem, de qua Sapiens
Cantic. 8. ait, *Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius lampades ignis, atque flammarum*. Hanc dat Deus, ſicut ait Apo-
Rom. 5. ſtolus: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*. Tertio *pro ſilice*, id eſt, forti & perfecta charitate ſeruata a te, dabit tibi Deus *torrentes aureos*; illas, videlicet ineffabiles & ſuaues delicias ſpirituales, de quibus ſcriptum eſt: *Oculus non vidit*,
1. Corint. 2. *nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus his qui*
Iſai. 64. *diligunt eum*. Hæ quidem deliciæ dicuntur *torrentes*, quia inſtar torrentis cum impetu, & magna voluptatis abundantia, ad mentem pro-
Prouerb. 18. phetæ confluunt: ſicut ſcriptum eſt, *Torrens redundans fons Sapientiæ*. Sed ſicut torrens orto ſolis ardore cito areſcit; ita dapes illę ſpirituales orta carnis cupiditate, mox a mente Prophetæ deſcendunt, & torreſcunt. Sunt verò hi *torrentes aurei*, id eſt, fulgentes tam ex ardore dilectionis Dei, ex qua ad mentem prophetæ profluunt; quam ex manifeſta notitia Dei, ad quam hominem propheticum ſecretè perducunt.
Ioann.. Sicut Dominus ait; *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, et manifeſtabo ei meipſum*. Quartò, cum ad talem Dei notitiam perueneris, *erit omnipotens contra hoſtes tuos viſibiles & inuiſibiles*, protegens te ab eis; ſicut ipſe ait: *Protegam eum, quoniam cognouit nomen*
Pſal. 90. *meum*. Quinto, *aceruabitur* inde *tibi argentum*, de quo Propheta ait.
Pſal. 11. *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne*, id eſt, charitate, *examinatum*. Quia enim propter charitatem Dei mundum, & conſortia hominum relinques, vt puro corde Deo inhæreas; mereberis diuino abunde perfrui colloquio, ita vt occulta etiam futura interdum reuelentur tibi a Deo. Tunc ergo *ſuper omnipotentem delicijs* inæſtimabilibus *afflues, & eleuabis ad Deum* liberè contemplandum *faciem* mentis *tuam*. Ecce docui qualiter ad perfectionem propheticam peruenias, & finem monaſticæ vitæ eremiticæ attingas.

CAPVT VIII.

Perſeuerantia in vita, ac perfectione Monaſtica; & contra impaſſibilitatem.

DEINCEPS oportet vltimo videas, quomodo in perfectione propheticæ vitæ eremiticæ perſeuerare debeas. Sequitur enim in promiſſione mea, *Coruiſque præcepi vt paſcant te ibi*. Quod vtique ad tui conſolationem neceſſarium iudicaui. Nempè licet inerrabilibus afflues delicijs; quamdiu bibes de torrente

rente meæ voluptatis; duplici tamen ratione tuum gaudium nondum erit plenum. Primò quidem, quoniam vehementiſſimè ex totis tuis præcordijs deſiderabis tunc faciem meam clare conſpicere, quam tamen non poteris perſpicue videre: *Non enim videbit me homo & viuet*: quia ego *lucem inhabito inacceſſibilem, quam nullus homo in hac vita vidit, ſed nec videre poterit*. Secundò, quoniam dum in illis ineffabilibus delicijs, quas bibes de torrente meæ voluptatis requieſcere diutius conaberis, repentè tamen propter fragilitatem tui corporis ab eis ſemotus ad teipſum reuerteris. *Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*. Hac itaque duplici ratione, quia ſcilicet faciem meam non poteris clarè cernere, & quia oppreſſus corruptibili corpore non valebis diutius permanere in illa glorioſa guſtatæ dulcedinis contemplatione; orabis, tunc, ſi vis in perfectione perſeuerare, & dices incipiens gemere, *Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. In terra deſerta, inuia & inaquoſa, ſic in Sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam*. Verùm ne tunc irremediabilibus gemitibus, & cordis mœſtitudine inconſolabiliter diſſoluaris ex deſiderio videndi me, & fame guſtandi ſuauitatem dulcedinis gloriæ meæ; ad conſolationem tui, *Coruis præcepi vt paſcant te ibi*. Quippe coruorum nomine rectè intelliguntur Sancti prophetæ tibi in exemplum dati a me, quia nequaquam de iuſtitiæ ſuæ luce ſuperbiunt, ſed per humilitatis gratiam, & infirmitatis propriæ notitiam, peccatorum in ſe nigredinem continentes aiunt: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. Proinde de eorum quolibet ſcriptum eſt: *Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando eius pupilli clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos?* Coruus huius eſt naturę, quod pullorum ſuorum in ortu candidorum ora hiantia, huc illuc in nido vagantia, & cibos expetentia reſpicit: quibus cibum prius non miniſtrat, donec per pennarum nigredinem proprij coloris ſimilitudinem in eis recognoſcat: poſtquam verò nigreſcere eos inſpicit, totis viribus ſuis eos deinceps paſcit. Sic interdum prophetæ ſancti a me miſſi naſcuntur pulli, ſcilicet diſcipuli, ad tantam tandem gratiam peruenientes eius exemp o, vt bibant de torrente voluptatis meæ, quemadmodum & propheta ille. Sed cum ex infirmitate propriæ naturæ nondum fuerint ad guſtandam illam ſuauitatem perducti, debent huc illucque deſiderio vagantes ad me clamare: eo quod deſideratos cibos illius naturæ dulcedinis nequeant adhuc ſumere, & iuxta id quod ſcriptum eſt: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum Cœlorum*, debent tunc ſe per humilitatem adhuc reputare pullos, id eſt, paruulos in bono, & formidare ne boni augmentum offendant ex malo. Scriptum eſt enim, *In multis offendimus omnes*. Et ipſi plerumque a peccatis ſuis memoriam auertunt, & conſiderare

Exod. 33.
1. Timoth. 6.
Sap. 9.
Pſal. 62.
1. Ioann. 1.
Iob 38.
Matth. 18.
Iacob 3.

derare infirmitatem propriam neſciunt, ac per hoc humilitatis nigredinem, quam aſſumi oportet contra mundi nitorem, non oſtendunt. Tanto autem ſpiritualem illam refectionem interius ſumere poſſunt, quanto exterius per cultum vitæ præſentis magis quaſi niteſcunt. Coruus ergo in pullis ora hiantia reſpicit, ſed antequam cibum miniſtret, corpus indui pennarum nigredine in eis quærit. Quia a me miſſus propheta prius quam ad abſconſam eſcam voluptatis meæ diſcipulos perducat; admonet eos, & expectat, vt exemplo ſui a nitore vitæ præſentis per humilis pœnitentiæ lamenta nigreſcant, & peccatorum propriorum in ſe nigredinem recognoſcant. Qui ſi in confeſſione vitæ præteritæ lamentū ſui gemitus velut nigreſcentes plumas ex interioribus præferant, illico propheta eis hiantibus in ore præparatam a me eſcam miniſtrat: quia ad guſtandam dulcedinem de torrente voluptatis meæ emanantem eos inuitat, quos tanto ardentius de torrente reficit, quantò verius a mundi nitore eos nigreſcere per humilis pœnitentiæ lamenta cognoſcit. Sed vt ſciant diſcipuli ſe eſcam ad quam propheta eos vocat, a me ac-
Iob 38. cipere, rectè præponitur ſub petitione, *Quis præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos?* Subaudis, nullus præparat niſi Deus, qui, ſicut ſcriptum eſt, *dat eſcam*
Pſal.146. *pullis coruorum inuocantibus eum.* Tu ergo, fili mi, cum ad perfectionem propheticam, & finem monaſticæ vitæ eremiticæ perueneris, & de torrente voluptatis meæ biberis, ne inde de tanta ſuauitate guſtata extollaris; repentè ab ea ad tempus remoueberis propter fragilitatem,
Matth.24. & corruptionem tuæ carnis. Caue ergo tunc ne de perfectionis *tecto de-*
Luc.9. *ſcendas tollere aliquid* ex his quæ renuntians abdicaſti: *Nemo enim mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei.* Quamobrem *quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora ex-*
Philipp. 3. *tendens temetipſum perſequere, donec venias ad deſtinatum brauium ſupernæ vocationis.* Non enim qui hæc præſcripta inceperit, ſed qui in eis
Matth.24. *perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* & propterea vagans inſtar pullorum corui debes ad me inceſſanter clamando dicere: *Sicut cer-*
Pſal.41. *uus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Nam ſi ad illam dulcedinis meæ prægustatam ſuauitatem non confeſtim reducaris; hoc ideo fiet primò, vt ſcias te non ex tuis meritis, ſed ex mea gratia ad illam ſuauitatem prius perueniſſe: ſecundò; vt ardentius eam deſideres, & multipicius deſiderando capacior reddaris ad eam adipiſcendam. Ne autem interim a perfectione penitus corruas; *Coruis præcepi vt paſcant te ibi*: quia ſanctis prædeceſſoribus tuis prophetis mandaui, vt te doctrina exemplorum humilis pœnitentiæ paſcant, qua peccatorum nigredinem in ſe humiliter cognoſcebant, & nitorem vitæ carnalis vitabant. Quapropter vt interim Sapiens eſſe queas, eorum
Eccleſiaſt.39 doctrina auide paſcaris, vt ſcribitur; *Sapientiam antiquorum omnium exquiret Sapiens, & in prophetis vacabit.* Quoniam ſi eorum exemplo a

nitore vitæ præſentis per proprię fragilitatis notitiam, & verę humilitatis notitiam, inſtar pullorum corui, totus nigreſcas; & per deuotam orationem, & humilem, ac debitam peccatorum confeſſionem, copioſos lamenti gemitus, velut nigreſcentes plumas, ad Deum proferas; & ſi, inſtar pullorum corui, a turbis vrbium elongans, & in ſolitudine degens a gloria carnalis vitę, & a poſſeſſionum, cæterarumque mundi diuitiarum nitore totus nigreſcas, reducet te Deus iterum ad guſtandam dulcedinem eſcæ effluentem de torrente voluptatis ſuæ. Hinc enim ſcriptum eſt: *Conſiderate coruos, qui non ſeminant nec metunt, quibus non eſt cellarium, nec horreum, & Deus paſcit illos.* Luc. 13. Ecce docui te, quomodo debeas humiliter perſeuerare in perfectione propheticæ vitæ eremiticæ.

CAPVT IX.

Perfectio vitæ S. Eliæ, ad normam, quam a Domino ſibi, ac ſuis accepit.

ELIAS itaque, audita a Deo præfata lege perueniendi ad perfectionem propheticam, & finem monaſticæ vitæ eremiticæ, & perſeuerandi in eadem; conſiderauit quomodo *non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur:* Rom. 2. propter quod ex totis ſuis præcordijs ſtuduit ad dictam perfectionem propheticam, & finem monaſticæ vitæ eremiticæ peruenire, & legem ad eam perueniendi, quam a Deo audierat, opere adimplere: ſicuti de eo ita legimus ſcriptum in ſuperiore lectione libri Regnorum: *Abijt ergo Elias, & fecit iuxta verbum Domini. Cumque abijſſet, ſedit in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem; corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane, ſimiliter panem, & carnes veſperi: & bibebat de torrente.* 3. Reg. 17. Hæc autem præmiſſa verba exponemus, tam hiſtorice, quam myſtice: quia vtroque modo de Elia verifica fuere. *Abijt ergo Elias:* Quo abijt? *Contra Orientem:* hoc eſt contra originalem ſuæ carnis cupidinem. Rom. 8. Quia enim in carne eius non habitabat bonum, arbitratus fuit ſe eſſe *debitorem non carni, vt ſecundum carnem viueret. Si,* inquit Apoſtolus, *ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Galat. 5. Ideo Elias, vt ſpiritu perfecte viueret, crucifixit *carnem ſuam cum vitijs, & concupiſcentijs, mortificans membra* peccati, *quæ ſunt ſuper terram,* Coloſſ. 3. fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiſcentiam malam, altiori quodam modo præ anteceſſoribus. Quoniam, vt per puritatem caſtitatis, & incorruptionem ſuæ carnis æquaretur Angelis imitatione conuerſationis, ſeipſum propter Deum virginitate perpetua primus hominum ſponte decorauit. Qui ſeipſum prorſus abnegans, & voluntati propriæ abrenuncians,

cians, ſemper Superioris, id eſt, Dei voluntatem prompte ſequutus fuit: quemadmodum de eo ſcriptum eſt. *Abijt quocumque eum ferebat volun-*
3. Reg. 19. *tas:* ſcilicet Dei. Sequitur: *Et fecit iuxta verbum Domini*. Quia ſcilicet de terra, & cognatione ſua, & de domo patris ſui in ſolitudinem receſſit, Deo pro ipſo aliud melius tunc prouidente: vt ſcilicet a morte eriperetur, & ad perfectionem vitæ monaſticæ traheretur. Quippe populus Iſrael, per Achab regem recenter ſeductus, adorabat tunc Baal, tanquam Deum largitorem pluuiarum & fertilitatum, cæterorumque temporalium bonorum. Non aduertebat autem populus ille omnia hæc prouenire a vero Deo Iſrael, & non a Baal; ſicut Dominus per
Oſee 12. prophetam conqueritur dicens: *Et hæc neſciuit, quia ego dedi ei frumentum, vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei & aurum, quæ fecerunt Baal*. Ob hoc volens Elias tunc Regi Achab, & populo Iſrael oſtendere illum eſſe verum Deum, quem ipſe colebat, & Baal falſum Deum, quem Rex, inſtigante Regina, nouiter a populo adorandum introducebat, prædixit eis verbum Domini, quod quantumlibet inuocarent Baal, pluuiam eis largiri non poſſet, nec annis illis *ros aut pluuia ſuper terram deſcenderet;* donec pro hoc ipſe Elias Deum Iſrael peroraret. Et quia propter carentiam pluuiæ ſequuta fuit tunc fames vehemens in Regno Samariæ, ideo quærebat eum Rex interficere. Sed Elias priuſquam a Rege quæreretur, *fecit iuxta verbum Domini*. Quoniam ne a Rege inueniretur, receſſit nutu Dei *de terra, et de cognatione ſua, et de domo patris ſui* in ſolitudinem, relinquens de cætero mundanas diuitias, non ſolum mente, ſed etiam opere: ne per domeſticam curam, aut per facultates, aut terrenas poſſeſſiones, impediretur a conſequutione perfectionis vitæ monaſticæ, ad quam per Deum tunc vocabatur ipſe. Sequitur: *Cum abijſſet ſedit in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem:* quia ſcilicet ſquallorem eremi ex tunc Elias cum ſilentio æquanimiter ſuſtinens, monachalem vitam eremiticam primus hominum a propoſito ſeruare ſtuduit: quam bene ſecundum etymologiam nominis in ſolitudine torrentis *Carith* inchoauit: interpretatur enim *Carith* diuiſio, vt etiam nomen loci in quo ſedit indicaret eum eſſe diuiſum a conſortio, & vita ſecularium hominum. Sedit itaque ſolitarius in torrente *Carith*, deducens quaſi torrente lacrymas per diem, & per noctem; vt ſic eſſet *contra Iordanem*, id eſt, contra peccatorum deſcenſionem: quatenus ex ſuæ vitæ conuerſatione innoteſceret, quam recte a propoſito primus hominum officium monachi ipſe tunc inchoaret. Monachus enim deinceps ipſe fuit, *ſingularis*, ſiue *ſolus*, & triſtis ſedit, peccataque ſui, & aliorum ſolitarius vberrime luxit. Myſticè autem: *Cumque abijſſet Elias contra Orientem*, id eſt, contra originalem ſuæ carnis cupidinem, *ſedit in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem:* quia in *Carith*, id eſt, in Dei charitate, eum diuidente a Iordane, id eſt, a peccatorum deſcenſione, ex tunc ſemper extitit, ſicut ipſe ait:

Viuit

Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum ſto. Iure autem merebatur ipſe ante celſitudinem diuinæ Maieſtatis ſtare, quia in tanto culmine perfectionis greſſum animi fixerat, vt nullus ex mulierum natis fuerit vnquam eo potior in plenitudine perfectionis. Licet namque Saluator dixerit, *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta:* Eliam tamen Ioanni eſſe æqualem, Angelus Gabriel euidenter teſtabatur, dum Zachariam affans, Ioannem *in ſpiritu, & virtute Eliæ* præire Chriſtum aſſeruit. Cuius Eliæ cor, dum in deſerto ex feruenti charitate intra ſe concaleret, & in meditatione ſua ignis diuini amoris exardeſceret, guſtabat frequenter ineffabilem Dei gloriam, & ſedebat, id eſt, quieſcebat, in torrente voluptatis diuinæ, quo Deus potat diligentes ſe: dicente Propheta, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Sed quamuis ſatageret tunc Elias in contemplatione tam ineffabilium deliciarum aſſiduè requieſcere; oppreſſus tamen corruptibili corpore, nequibat in eis diutiſſimè permanere. Qui ad ſemetipſum reuerſus, modò lætabatur in corde tacitè ex recordatione ſuauitatis guſtatæ; modo verò gemebat validè ex deſiderio, & fame guſtandi ſuauitatem dulcedinis tam iucundæ. Sequitur: *Corui quoque deferebant ei panem, & carnes mane: ſimiliter panem, & carnes veſperi.* Quibus cibis Elias exinanitum corpus in deſerto reficiebat, tantum ne deficeret. Nec dubium quin Deus panem, & carnes illas miniſtraret per coruos ei deferenda. Sic enim antequam ad torrentem Carith iret, prædixit ei Deus: *Coruis præcepi vt paſcant te ibi.* Propter quod Elias dum in Carith exiſteret, confidens in Domino, eſcam ſuam in manu Dei committebat; *cui cura erat de eo.* Illa autem omnia ad hanc vitam neceſſaria adijciebat ei Deus, quia ipſe *primum quærebat regnum Dei, & iuſtitiam eius.* Myſticè vero; Prophetæ prædeceſſores ſui, dicti corui, ratione ſuperiori, deferebant ei panem doloris, & pœnitentiæ, & carnes humilitatis veræ. *Manè*, id eſt, quando ipſe ex recordatione ſuauitatis guſtatæ lætabatur: ſimiliter & *veſperi*, dum ſcilicet de abſentia illius ſuauitatis guſtatæ triſtabatur. Quippe ne de ineffabili iucunditate ſibi ſubtracta ipſe ex triſtitia diſſolueretur, *Corui deferebant ei panem*; de quo ſcriptum eſt, *cibabis nos pane lachrymarum.* Nam ſicuti Prophetę, eorum exemplis ſibi in diuinis ſcripturis relictis, reducebant ei ad memoriam nigredinem ſuorum peccatorum; ex quorum conſideratione ſatiabatur ipſe lachrymarum dolore: propter quod humiliter reputabat ſe indignum bibere illam ineffabilem ſuauitatem, quam non ex ſuis meritis, ſed ex Dei gratia conſiderabat ſe prius guſtaſſe; ſimiliter ne in lætitia ex recordatione ſuauitatis guſtatæ ipſe per inanem gloriam extolleretur, *corui deferebant ei carnes:* quia ſancti Prophetæ eorum exemplis ad memoriam ei reducebant ſuæ carnis fragilitatem, & corruptiones, quæ auferebant ab eo illas delicias tam ſuaues. Cuius fragilitatis paſtus agnitione humilis manebat, in ſe cernens, quod *omnis*

3. Reg. 17.
Matth. 11.
Pſal. 35.
3. Reg. 17.
1. Petr. 5.
Matth. 6.
Pſal. 79.

Iſai. 40. *caro fœnum, & omnis gloria eius, tanquam flos fœni.* Tam igitur ex fragilis carnis conſideratione, quam ex peccatorum ſuorum recordatione, fuerunt ei *lachrymæ ſuæ panes die, ac nocte:* dum corui, id eſt, Prophe-
Pſal. 41. tæ, dicebant ei quotidie, *Vbi eſt Deus tuus?* Hæc verò dicentibus prophetis; recordatus ſcilicet, quod ex peccatorum nigredine, & ex propriæ carnis fragilitate mouebatur ipſe ab illa arcana Dei participatione;
Pſal. 41. *effundebat in ſe animam ſuam:* quia per deuotam orationem, & humilem peccatorum confeſſionem, copioſos lamenti gemitus ad Deum proferebat. Sequitur: *& bibebat de torrente*, id eſt, de aqua torrentis,
Eccleſiaſt. 2. abſtrahens a vino carnem ſuam: vt *animum ſuum transferret* ad illam ſalutarem ſapientiam, de qua ſcriptum eſt: *torrens redundans fons ſapientiæ.* Sic rurſum in ſpiritu raptus tranſibat Elias in *locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei:* A cuius vbertate inebriabatur ipſe, & torrente voluptatis eius potabatur. Hoc itaque prædicto modo prophetalem vitam monaſticam ducebat Elias in eremo.

CAPVT X.

Primi imitatores Eliæ, ac ratio appellationis filiorum Prophetarum.

DENIQVE Elias in monaſtica vita eremitica, quam primus hominum a propoſito inchoauerat, ſucceſſores poſt ſe in perpetuum relinquere diſpoſuit. Qui, vt Pater primus monachorum fieret, in ſuos diſcipulos elegit quoſdam viros, qui idcirco ad eum, in ſolitudine torrentis Carith, tunc latentem, confugiebant; ne per regem Achab, & reginam Iezabel cogerentur, ſicut & cæteri populares, adorare Baal. Viri quippe iſti timore Dei repleti, cernentes Eliam, ita verbo Domini tunc continere cœlum, quod pluuiam non dabat ſuper terram, ad eum tanquam ad magnum veri Dei cultorem accedebant occulte in ſolitudine Carith, vt ſub eius doctrina in cultu veri Dei perſiſtere poſſent, & idololatriam vitarent. Hos itaque Domini deuotos viros Elias, ſecundum formam a Deo ei traditam, habuit ſuæ monaſticæ vitæ primos diſcipulos, & imitatores veros. Quos etiam docuit prophetare, id eſt, ad laudem Dei pſalmos, & hymnos cum inſtrumentis muſicis canere. Conſiderauit enim quod
Pſal. 91. *bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini eius altiſſimo, ad annunciandum manè miſericordiam ſuam, & per noctem veritatem ſuam, in decachordo pſalterio cum cantico in cithara.* Sapiens igitur de his omnibus
Eccleſiaſt. 48. Eliam commendans, ſibi in laudem eius ait; *Prophetas facis ſucceſſores poſt te.* Hæc autem Sapientis verba quidam in cortice conſiderantes, ad hunc ſenſum interpretari conati ſunt: vt quia Eliæ prædixit Deus, *Eliſeum vnges prophetam pro te:* ideò æſtimauerunt Sapientem

conſe-

conſequenter ſancto Eliæ dixiſſe, *Prophetas facis ſucceſſores poſt te*. 3. Reg. 19.
Quaſi ex hoc licuerit ſuos ſucceſſores facere prophetas, id eſt, futura prænunciantes: quia Deus ei dixit: *Eliſæum unges Prophetam pro te*. Sed an hic ſenſus intentioni Sapientis conueniat, non ſatis patet. Ait enim Apoſtolus Petrus: *Non voluntate humana eſt aliquando allata prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*. 2. Petr. 1.
Quomodo ergo Elias faceret prophetas, id eſt, futura prædicentes; qui non a voluntate humana, ſed a ſolo Spiritu ſancto efficiuntur? Quemadmodum & Apoſtolus Paulus teſtatur, dicens: *Alij datur operatio virtutum, alij Prophetia, alij diſcretio ſpirituum: Hæc autem omnia operatur* 1. Corint. 12.
vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Non eſt ergo putandum quod Elias prophetas tales fecerit, quos ſolus Spiritus ſanctus conſtituit. Quapropter præmiſſum ſenſum ab intentione Sapientis deuium relinquentes, ad mentem Sapientis enucleandam properamus. Scimus quidem in diuinis ſcripturis non ſolum iſtos appellari *prophetas*, qui futura præuident, & prænunciant; ſed etiam illos qui ad hoc officium ſunt inſtituti vt cum inſtrumentis muſicis deuote Deum laudent, & ei pſallant. Quid enim aliud eſt quod in libro Paralipomenon ſic legitur? *Porrò cantores filij Aſaph ſtabant in ordine ſuo, iuxta præceptum Dauid, & Aſaph, & Æman, & Idithum prophetarum* 2. Paral. 35.
Dauid: Hoc quippe in loco *Aſaph*, *Æman*, & *Idithum*, ideo dicti ſunt *Prophetæ Dauid*, quia per eum erant inſtituti cantores ad pſallendum Deo cum inſtrumentis muſicis. Quemadmodum alibi in eodem libro ſic ſcribitur: *Dauid & Magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſtros* 1. Paral. 25.
filios Aſaph, & Æman, & Idithum, qui prophetarent cum citharis, & pſalterijs, & cymbalis, ſecundum numerum ſuum, dedicato ſibi officio ſeruientes. Et poſt pauca: *Idithum in cithara prophetabat ſuper omnes confitentes, & laudantes Dominum*. Filij ergo Aſaph, & Æman, & Idithum hoc in loco dicti ſunt prophetare, non ideo, quia futura præuiderent, vel prænunciarent, ſed quia Deum laudabant, & cum inſtrumentis muſicis ei pſallebant: ſicut paulò poſt ibidem ſcribitur: *Vniuerſi ſub manu Patris ſui ad cantandum in templo Deo, diſtributi erant, in cymbalis, & pſalterijs, & citharis in miniſteria domus Dei, iuxta regem: Aſaph videlicet, & Idithum, & Æman*. Quamobrem Sapiens ſancto Eliæ dixit: *Prophetas facis ſucceſſores poſt te*; non ideò hoc dixit, quòd Elias ſuis Eccleſiaſt. 48
ſucceſſoribus ſpiritum præuidendi, vel prænunciandi futura conferret; ſed ideo potius, quia Elias monachos ſucceſſores poſt ſe inſtituit, non tantum ad vitam monaſticam obſeruandam ſecundum formam a Deo ſibi traditam; ſed etiam ad hoc officium, vt ſcilicet prophetarent, hoc eſt, vt in pſalmis & canticis & hymnis deuote Deo pſallerent: & vt Deum non ſolum corde & ore, ſed etiam cum inſtrumentis muſicis laudarent. Et propterea appellati ſunt *Prophetæ*, id eſt, *pſallentes*: & eorum vita dicta eſt *prophetica*, id eſt, ad pſalmos cum inſtrumentis

muſicis Deo canendos dedicata. Et quia in pſalmis taliter Deo canendis, & in obſeruanda vita monaſtica ſecundum formam per Deum traditam Eliæ, obtemperauerunt ipſi prompto corde ſancto illi prophetæ; Eccleſiaſt.48. meruerunt ob hoc benedici a Sapiente dicente eorum Patri Eliæ: *Beati ſunt qui te audierunt, & in amicitia tua decorati ſunt*. Hi quidem ſunt illi Prophetæ Domini, quorum liber Regnorum meminit centum ſuiſſe per Abdiam a nece præſeruatos, & in ſpeluncis abſconditos: cum Regina Iezabel cæteros eorum interficeret: quos diuina Scriptura illic appellat *Prophetas Domini*; non quia tunc futura præuiderent, ſeu prænunciarent; ſed quia, vt prædiximus, cum inſtrumentis muſicis, pſalmos, cantica, & hymnos Deo deuotè pſallebant. Quod ex his tibi perſpicuum fiet. Legimus enim in libro Regnorum, quod cum Eliæ indicaſſet Abdias ſe in ſpeluncis abſcondiſſe, & obſeruaſſe centum ex dictis Domini prophetis; Elias mox in monte Carmeli populo Iſraë-3. Reg.18. litico dixit: *Ego remanſi Propheta Domini ſolus*. Sed cum Elias tunc non ignoraret centum ex his prophetis Domini per Abdiam fuiſſe a nece præſeruatos; quomodo, ſalua a mendacio conſcientia, poterat vir Dei populo dicere, *Ego remanſi propheta Domini ſolus?* Abſit autem vel ſuſpicari quod mentiretur tantus Propheta, cuius verbum, teſte Sapien-Eccleſiaſt.48 te, *ardebat quaſi facula*; vel arbitrari quod ignoraret tunc alios Prophetas Domini præter ſe viuere. Quomodo namque hos viuere ignoraret Elias; qui neque numerum prophetarum Baal ignorabat, quos tunc reuelabat quadringentos quinquaginta, & prophetas lucorum quadringentos eſſe? Nonne etiam per Abdiam recenter certificatus erat, quod centum Prophetas Domini Abdias ipſe in ſpeluncis abſconderat, & a morte præſeruarat? Cùm ergo hos prophetas Domini viuere Elias non ignoraret; quomodo verum loquebatur populo dicens; *Ego remanſi Propheta Domini ſolus?* Niſi ideo verum diceret, quia ſciebat quod nullus præter eum erat, tunc in regno Iſrael Propheta Domini talis, qui futura prænoſceret per ſpiritum Domini, vel prænuntiaret; quamuis, eo ſciente, eſſent tunc in Iſrael hi prophetæ Domini, quos Abdias in ſpeluncis abſcondens a morte præſeruarat? Sed quia iſti viri ſunt in ſcriptura diuina *Prophetæ* appellati, eo quod deuote cum inſtrumentis muſicis Deo canebant, non autem eo quod futura tunc præuiderent, vel prænuntiarent, ſicut ſolus Elias in regno Iſrael tunc per ſpiritum Domini futura præuidebat, & prænuntiabat; propterea ad hunc ſenſum vere, & a ſua mente procul mendacio, Elias dixit tunc populo: *Ego remanſi Propheta Domini ſolus*. Nullus quippe præter eum Propheta, prænoſcens per ſpiritum Domini futura, in regno Iſrael tunc remanſerat: quoniam filij Iſrael eos omnes occiderant. Quemadmodum Elias, fugiens poſtmodum in ſpeluncam montis Oreb propter metum Reginæ Iezabel, volentis etiam eum occidere, conquerens de nece dictorum prophetarum, Domino dixit: *Dereliquerunt pactum*

Domini

Domini filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus ſum ego ſolus.

CAPVT XI.

Quidam diſcipulorum Eliæ ſpiritu Prophetiæ præditi.

CVM autem de ſpelunca montis Oreb, in qua aliquandiu manſit, fuiſſet Elias iuſſu Dei reuerſus in terram Iſrael, recollectis ipſe in vnum ſuis diſcipulis in monte Carmeli, protinus ſtuduit, ſecundum formam a Deo ſibi traditam, denuò inducere eos ad obſeruandam vitam monaſticam: quos etiam ſollicitè docuit diſciplinam Propheticam, ordinans vt deuote in pſalterio, & cithara, & cymbalis iubilationis, Deum laudarent. Cui officio priùs non potuerant perfecte intendere propter graues perſecutiones, quas paſſi fuerant a rege Achab, & præcipue a Iezabel vxore ſua. Sedatis autem per Deum perſecutionibus illis, ex tunc quoſdam horum monachorum excellentes viros, cæteris perfectiùs cum inſtrumentis muſicis Deo in pſalmis deuotè pubilantes, conſtituit Deus Prophetas: qui videlicet ſicut Elias ventura propheta rent. Per hunc quippe pſalmorum iubilum aperiebant ita deuote Domino penetralia mentium, vt frequenter in eorum corda immitteret Deus prophetiæ ſpiritum. Propter quod, dum de occultis certificari a Domino volebant, ad huno pſalmorum iubilum deuotiſſime recurrebant. Hinc in libro Regnorum legimus, quod Eliſeus in hac diſciplina eruditus, dum per regem Ioſaphat eſſet quadam vice de futuris conſultus, & deeſſet ſibi tunc Prophetiæ ſpiritus; pſaltem ad ſe adduci fecit, in cuius cantu cor deuote Domino aperiens, Prophetiæ ſpiritum de quæſitis a Deo accepit. Diuina ita diſponente ſapientia, ex tunc factum fuit, quod Elias multiplicatis iſtis monachis per eum inſtitutis, quoſdam ex eis excellentes prophetas, qui futura præuidebant, aſſumpſit ad hoc officium; vt ſcilicet cum eo, & poſt eum, dictos monachos ſollicitè in vita monaſtica ſecundum formam a Deo ſibi traditam erudirent, & in diſciplina prophetica, id eſt, in pſalmis in pſalterio canendis eos inſtruerent; & ita diligenter eorum curam gererent, ac ſi filij eorum eſſent: & propterea hi monachi, qui prius, vt prædiximus, vocabantur *Prophetæ*, poſtmodum vocati ſunt *filij prophetarum*: quia dictorum excellentium prophetarum huius Religionis erant diſcipuli, & in prophetica, ac monaſtica diſciplina, ſub regimine ipſorum, quaſi patrum ſuorum, conſtituti; & inde imitatores ſanctorum morum, & virtutum illorum prophetarum. Et ſub hoc titulo, quo dicebantur *filij prophetarum*, fit ſæpe in libro Regnorum de his monachis mentio.

4. Reg. 3.

CAPVT XII.

Geſta ſancti Ionæ Prophetæ, diſcipuli magni Heliæ.

IGITVR cum eorum Religio eſſet iam tempore Eliæ, tam multiplicata, quod, tam in eremis, quam in ciuitatum ſuburbijs, erant plures eorum cunei; neceſſe ſuit vt præter Eliam, quidam ex eis excellentes prophetæ, diſcipuli Eliæ, cuneos eorum regerent, & gubernarent. Quos prophetas Monachi prædicti vocabant *patres* ſuos, & ipſi dicebantur *filÿ* dictorum Prophetarum. Et inde inoleuit, quod rectores huius religionis ſemper appellati ſunt a ſuis ſubditis *Patres*. Horum autem Prophetarum Eliæ diſcipulorum, non quidem omnium, ſed paucorum, id eſt, quatuor ex præcipuis, decet hic aliqua ſuccincte memorari. Inter hos prophetas Eliæ diſcipulos primus ordine temporis ad vitam monaſticam per Eliam vocatus fuit ſanctus Ionas de regione Geth, quæ eſt in Offir, filius illius mulieris viduæ, cui ligna colligenti in Sarepta Sidoniorum Elias obuiauit, & in cuius domo latuit, dum Rex Achab per omnes gentes, & regna eum ad mortem perquiri fecit. Hunc Ionam puerum Elias tunc reſuſcitauit a mortuis, cum ſuſtentaretur in domo ſuæ matris: quem ob hoc mater, ex deuotione, tradidit Eliæ erudiendum in diſciplina prophetica vitæ Monaſticæ. Et factus Eliæ diſcipulus, miniſtrabat ei. Cum autem oraret Deum Elias pro pluuia in monte Carmeli, miſit ſemel hunc Ionam puerum, vt de monte proſpiceret, ſi aliquid in mari appareret: qui cum contemplatus eſſet, ait: *Non eſt quidquam*. Et rurſus dixit ei Elias, *Reuertere ſeptem vicibus*. Et in ſeptima vice vidit Ionas *nubeculam paruam, quaſi veſtigium hominis, aſcendentem de mari*. Quod cum Eliæ renunciaſſet, agnouit Elias pluuiam grandem tunc deſcenſuram ſuper terram. Quam pluuiam fore venturam Ionas per Eliam miſſus regi Achab eam deſideranti indicauit. Poſt raptum vero Eliæ in cælum, Ionas ab Eliſeo in Ramoth Galaad miſſus vnxit Iehu in Regem Iſrael ad vlciſcendum necem Prophetarum, Elię diſcipulorum. Demum monitus a Deo Ionas, vt Niniuen pergens, prędicaret, eam intra quadraginta dies ſubuertendam, vidit, ſancto reuelante Spiritu, Niniuitas per ſuam prędicationem conuertendos ad pœnitentiam, & conſecuturos Dei miſericordiam. Ideo ne falſa videretur nunciare, renuebat illuc ire, donec in mare proiectus, & a bellua marina deuoratus, poſt triduum a piſce in terram euomitur. Qui, ſancto reuelante Spiritu, ſciens conuerſionem gentium fore ruinam Hebręorum, prędicans Niniuitis, ideo de eorum conuerſione dolebat; quia hac occaſione ſuum populum Iſrael ruiturum timebat. Sed Dominus oſtendens ei tempus nouiſſimę ruinę populi Iſrael nondum veniſſe,

3. Reg. 18.

4. Reg. 9.

niſſe, iuſſit eum ad terram Iſrael redire, & prophetare *terminos Iſrael ab introitu Emath, vſque ad mare ſolitudinis reſtituendos* per Ieroboam Regem Iſrael. 4. Reg. 14.

CAPVT XIII.

Vita S. Eliſei diſcipuli B. Eliæ.

ALIVS Propheta, & ſupremus Eliæ diſcipulus, fuit ſanctus Eliſeus ex patre vocato *Saphat*, de vrbe *Abelmaula*, ſita in regione Zelmaan: & ſicut in libro Regnorum legitur, dum de ſpelunca Montis Oreb reuerteretur Elias in terram Iſrael, 3. Reg. 19. inueniens hunc Eliſeum in agro arantem, miſit ſuper eum pallium ſuum, & ita elegit eum in diſcipulum: qui poſt impoſitionem pallij, par boum mactans conuiuium populo fecit; & inde, relictis patre, & matre, ac terrenis omnibus, Eliam ſequens, & ei miniſtrans, eius monaſticam, & propheticam vitam imitatus eſt. Hoc ſancto Eliſeo naſcente, magnum contigit prodigium: vna quippe imago ex vitulis aureis, quos filij Iſrael adorabant, in ortu Eliſei acutè mugiuit. Quod cum ſacerdos Domini in Ieruſalem audiſſet, diuino nutu ait: Propheta natus eſt in Iſrael, qui ſculptilia deorum deſtruet, & fuſilia. Beatus quippe Eliſeus poſtquam diſcipulus Eliæ fuit factus, ſpiritum Prophetiæ accepit, per quem ſpiritum indicabat regi Iſrael omnes inſidias, quas contra eum Rex Syriæ parabat. Qui vice quadam exercitum Regis Syriæ percuſſit cæcitate, & adduxit ad regem Iſrael in ciuitate Samariæ. 4. Reg. 6. Hanc quoque ciuitatem obſeſſam a rege Syriæ, & oppreſſam fame, releuauit Eliſeus a fame & obſidione. Denique per ſigna, & prodigia, quæ inceſſanter operabatur, reuocabat populum Iſrael ad veri Dei cultum, deſtruens miraculis, & prædicatione, cultum falſorum Deorum. Quod perſpicue, tunc monſtrauit, cum vnum ex Religioſis filijs prophetarum, ſcilicet Ionam, in Ramoth Galaad miſit, vt 4. Reg. 9. & 10. vngeret Iehu in Regem Iſrael: qui mox vt fuit in Regem vnctus, iuſſu Eliſei omnes prophetas Baal occidi fecit, & ſtatuam de fano Baal proferens, combuſſit; ædemque deſtruens de Iſrael Baal deleuit. Mortuus autem Eliſeus ſepultus fuit, iuxta ſepulchrum Abdiæ Prophetæ, 4. Reg. 13. in ciuitate Samariæ. In cuius ſepulchro cum quidam poſuiſſent cadauer vnius hominis mortui, reuixit homo ille, mox vt tetigit oſſa Eliſei.

CAPVT XIV.

Res geſtæ Sancti Michææ, diſcipuli Eliæ.

MICHÆAS quoque Propheta, ex patre vocato Hyremla, fuit Eliæ diſcipulus. Sed iſte non eſt ille Micheas Moraſtites, qui temporibus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ Regum Iuda prophetauit, & in duodecim prophetarum numero includitur. Quoniam iſte Michæas, Eliæ diſcipulus, longe ante prophetauit, ſcilicet in diebus Achab, Ochoziæ, & Ioram Regum Iſrael. Qui adhæſit Eliæ, cum Elias de ſpelunca Montis Oreb fuiſſet iuſſu Dei reuerſus ad terram Iſrael: & eruditus Michæas iſte per Eliam in diſciplina prophetica vitæ monaſticæ, cum eſſet ipſe ex filijs prophetarum, tandem accepit a Deo ſpiritum prophetiæ. In quo ſpiritu prædixit Regi Achab duplicem belli victoriam, quam Achab obtinuit de Benadad Rege Syriæ. Sed quia Achab in ſecunda victoria Regem Syriæ Benadad morte dignum, quem ceperat, permiſit abire illæſum; ideò Michæas Regi Achab in ſpiritu Domini dixit: *Hæc dicit Dominus: quia*
3. Reg. 20. *dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.* Quod ei euenit. Nam dum aſcendiſſet Achab cum Ioſaphat Rege Iuda in Ramoth Galaad, & præliaretur ibi contra Benadad Regem Syrię vnus de parte Benadad tetendit arcum, in incertum ſagittam dirigens, caſu percuſſit Regem Achab inter pulmonem, & ſtomachum: ex quo vulnere eadem die Achab veſpere obijt, iuxta verbum quod locutus ei fuerat Michæas, dicens. *Audi ſermonem Domini: Vidi Dominum ſu-*
3. Reg. 22. *per ſolium ſuum ſedentem, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei a dextris & a ſiniſtris; & ait Dominus: quis decipiet Achab Regem Iſraël, vt aſcendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus a ſiniſtris verba huiuſcemodi, & alius aliter. Egreſſus eſt autem ſpiritus, & ſtetit coram Domino, & ait, ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus, in quo? & ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus: decipies & prænalebis.* Poſtea autem cum regnaret Ioram filius huius Achab, redarguebat eum Michæas de cultura idolorum: quem Rex Ioram præcipitio interfecit. Et ita Martyrio coronatus ſepultus eſt in Moraſti ſolus, iuxta ſepulturam Senachim.

CA-

CAPVT XV.

Abdias Propheta, ac ſeruus Dei, diſcipulus Eliæ.

ALTER vero Propheta diſcipulus Eliæ fuit beatus Abdias, de terra Sichem, ortus in agro Bethacaran, qui, vt in libro Regnorum legitur, *timuit ab infantia ſua, valde Dominum*. Et prius quidem Abdias diſpenſator regis Achab exiſtens, cum Regina Iezabel interficeret prophetas Domini, tulit ipſe, ſicut prædiximus, centum ex illis prophetis Eliæ diſcipulis, quos, durante illa perſecutione, quinquagenos in ſpeluncis abſcondens, pane & aqua pauit. Deinde mortuo Achab Rege, cum filius eius Ochozias Rex duos principes quinquagenarios ad Eliam miſiſſet, qui orante Elia fuerunt cum ſuis ab igne de cælo deſcendente combuſti; rurſus miſit Rex hunc Abdiam cum quinquaginta viris, qui in Monte Carmeli coram Elia, genua flectens, pro anima ſua, & pro animabus ſuorum quinquaginta, Eliam humiliter exorauit. Porro Elias cernens Abdiæ humilitatem, & recolens quod centum ſuis diſcipulis vitam reſtaurauerat; viciſſitudinem ei rependit: quoniam ſibi; & ſuis quinquaginta, vitam clementer ſeruauit. Hanc ergo gratiam ab Elia obtentam Abdias recognoſcens, relicto obſequio Regis Ochoziæ, factus fuit diſcipulus Eliæ, dimiſſis proprijs filijs in domo cum ſua vxore. Igitur, quia centum prophetas Eliæ diſcipulos pauerat, accepit & ipſe a Deo ſpiritum prophetiæ, in quo ſpiritu præuidit Idumæos adiuturos exercitum Aſſyriorum contra Hebræos: propter quod prophetauit dictos Idumæos, tandem per exercitum Nabuchodonoſor diſſipandos.

3. Reg. 18.

4. Reg. 1.

CAPVT XVI.

Elias exemplar perfectionis monaſticæ ſuis diſcipulis, Carmelitæ ſucceſſionem ab eo tenent hæreditariam, alij habent imitationem.

QVONIAM autem qui alijs ſeipſum præbet exemplar viuendi monaſticè, neceſſe habet, vt vitam ſuam ita rectè intra ſe componat, ne cæteros per malum exemplum offendat, dicente Domino; *Væ homini illi per quem ſcandalum venit:* propterea vir Dei Elias ſic vitam ſuam in ſe diſpoſuit, quòd ab omni offendiculo eam terſit. Sed quia non ſufficit magiſtro monaſticæ vitæ propheticæ, vt ſtudeat ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum, & ad homines, ni ſuo exemplo ad bonum prouocet conſortes, dicente Apoſtolo: *in omnibus temetipſum præbe exemplum bonorum operum:*

Matth. 18.

Tit. 2. *rum:* ideo Elias, vt ſuo exemplo animos omnium prædictorum monachorum eius diſcipulorum prouocaret ad ſuæ religionis exercitium, ſtuduit ſecundum formam per Deum ſibi traditam, pollere coram eis frugalitate paupertatis, vti abſtinentia parſimoniæ, domare concupiſcentias carnis, nitere candore caſtitatis, abnegare libertatem voluntatis. Et quia in eius imitatione decreuit Deus conſiſtere huius religionis monaſticam perfectionem; propterea Elias ipſe magna propheticæ diſciplinæ, & monaſticæ vitæ exemplaria, ſcilicet geſta ſui & merita, demonſtrauit in cordibus profeſſorum huius religionis, per quæ ipſi ornarent penetralia mentis: vt videlicet ad imitationem eius, ſeculo, ac terrenis omnibus ex totis præcordijs renunciantes, & carnales concupiſcentias per continentiam, & abſtinentiam crucifigentes, voluntatemque propriam abnegantes, & eam ſuperiori humiliter ſubmittentes, a conſpectu etiam hominum abſcondi, monachalem vitam eremiticam, quam Elias ipſe in ſolitudinibus, & maxime in monte Carmeli, duxit, monachi prædicti in eodem monte, & in alijs eremis, ac locis, ad hunc finem continuarent: quatenus eam accolentes liberius etiam mentes ſuas cum Deo per amorem perfecte vnirent. Qui dum per legem diſciplinæ propheticæ, & vitæ monaſticæ ab Elia eis traditam pergunt, & ardenti amore dogmata Eliæ, tam aure cordis, quam exequutione operis audiunt; proculdubio de animarum ſuarum ſalute ſecuri ſunt. Quemadmodum teſtatur Sapiens, ſanctum Eliam ita alloquens: *Beati ſunt qui te audierunt, & in amicitia tua decorati ſunt.* Quidquid ergo virtutis, & perfectionis eſt in hac noſtra religione eremitica, ab hoc propheta Dei Elia, tanquam a primordiali & principali monachorum authore, exemplariter emanauit. Et primò quidem in præmemoratos viros filios prophetarum, eius diſcipulos; deinde ab illis in cæteros religionis noſtræ profeſſores, eis tam in monaſtica eorum conuerſatione, quam in locorum habitatione ſuccedentes; & demum ab his in reliquos alibi degentes. Sed & omnium monachorum conuerſatio perfecta ab Elia, & a dictis eius diſcipulis filijs prophetarum, eſt deriuata. Quamuis enim in diuerſis mundi partibus poſt Eliam ſurrexerint in lege noua diuerſi monachorum principes, ſecundum diuerſa inſtituta ſpecialia ſuos diſcipulos in obſeruantia vitæ monaſticæ regulantes, ad nullum tamen alium finem, nec per alios gradus intenderunt ſuos diſcipulos principaliter perducere, quam ad hunc finem, & per hos gradus, per quos Elias ad finem, & perfectionem vitæ monaſticæ, ſecundum formam per Deum ei traditam, ſuos diſcipulos perduxit. Propter quod prædicti monachorum principes, in ſana doctrina vitæ monaſticæ, fuerunt velut quidam particulares riuuli ab Elia, tamquam a primordiali & vniuerſali omnium riuulorum fonte, deriuati.

Eccleſiaſt. 48 (margin)

C A-

CAPVT XVII.

Cur Sancti Eliæ ſpirituales poſteri a Carmelo potius, quam a Carith dicti ſint.

INTEREA ſciſcitaris, dilecte Capraſi, qua ratione monachi in hac religioſa diſciplina conuerſantes appellantur *Carmelitæ*. Cum namque Elias conuerſationem hanc non in *Carmelo*, ſed in *Carith*, iuſſu diuino inchoauerit; videtur nonnullis, vt aſſeris, quod deberent potius *Carithæ* appellari, quam *Carmelitæ*. Verum diligenter ſi aduertas, perpendes voluiſſe Deum, quod Elias conuerſationem, quam ab eo acceperat obſeruandam, ideo in ſolitudine *Carith* inciperet, & ibi ad tempus, a facie regis Achab, & Reginæ Iezabel, lateret, vt ad eum haberent facilem, licet occultum, acceſſum, quidam viri timorati, quorum ipſe in vita monaſtica Pater fieret. Tunc enim, vt iam prædiximus, viri quidam Deum timentes confugerunt illuc ad Eliam, ne per Achab vel Iezabel compellerentur, ſicut cæteri populares, adorare Baal. Hi pauco tempore in Carith cum Elia monaſticè conuerſantes, didicerunt ab eo illius loci ſignificationem myſticam, conuerſationi monachali neceſſariam, quam ſupra expoſuimus. Deus autem non iuſſit, quod Elias ideo inchoaret hanc conuerſationem monaſticam in Carith, vt illic eam plantaret, hoc eſt, vt diuturnam manſionem ipſe & eius diſcipuli loco illo facerent; quoniam locus ille erat ineptus habitationi monaſticæ, propter carentiam aquæ. Vnde poſt dies aliquantos, quibus Elias in eo ſedit, iuſſu diuino ab eo diſceſſit: quia torrens ſiccatus fuit. In diebus autem illis, 3. Reg. 17.
Elias, propter Regis Achab, & Reginæ Iezabel idololatriam, & alia eorum ac populi peccata, ita continebat virtute diuina cælum, quod nec rorem, nec pluuiam dabat ſuper terram: ſed erat fames vehemens in Samaria. De qua fame indignata valde contra Eliam Regina Iezabel, procurauit vt Rex Achab faceret ad mortem perquiri eum per omnes gentes & regna. Propter quod Elias in nulla eremo poterat tunc ſecure religioſam vitam monaſticam aſſidue colere; ſed vagus & profugus eam excolebat, modò in eremo torrentis Carith, modò in domo mulieris Sareptanæ, modò autem in deſerto Berſabeæ, modò vero in ſpelunca montis Oreb. Quem cum non reperirent, effudit Regina Iezabel vltionem famis in eius diſcipulos, interficiens aliquantos quos deprehendit ex prophetis Domini. Quos & alia ratione vſque ad mortem perſequebatur: quia cum ipſa eſſet idololatra, moliebatur cultum Baal per totum Regnum Iſrael extendere, & cultum veri Dei de Iſrael delere: ad quem iugiter reſtaurandum Elias nouiter inſtituerat, vt dictum eſt, Religionem horum prophetarum, Deo deuote pſallentium: qui in

eremis latitantes in nulla ſolitudine regni Iſrael audebant tunc iugem moram trahere, propter metum Regis Achab, & prædictæ Iezabel vxoris ſuæ: ſed, ſicut ait Apoſtolus; *Circuierunt in me lotis & in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis, & in cauernis terræ*. Quamobrem cum tunc in *Carith*, vel alibi iugiter non manſerint, non potuerunt a *Carith* dici *Carithæ*, neque ab alio loco potuerunt denominari congrue: quoniam propter perſecutiones, quas patiebantur nullius loci fuerunt tunc incolæ, qui, teſte Apoſtolo, compellebantur hinc, & inde & vagari, ac fugere.

Hebr. 11.

CAPVT XVIII.

Expoſitio viſionis S. Eliæ in ſpelunca montis Oreb.

DEMVM compatiens Deus tribulationi eorum, & finem debitum ei imponere volens, apparuit Eliæ manenti in ſpelunca montis Oreb, & dixit ei: *Quid hic agis Elia?* Quaſi redarguens ipſum, eo quod non manebat in Regno Iſrael. Elias autem de hoc ſe excuſans, reſpondit Domino: *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael. Altaria tua deſtruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam*. Sicut autem ait Sapiens, audiuit tunc Elias *in Oreb iudicia defenſionis*. Quoniam Deus oſtendit rem ſibi in viſione mirabilem; iudicia quibus ſe, & ſuos cultores defendere decreuerat de omnibus illis, qui de Regno Iſrael cultum Dei veri abiecerant, & ſuos Prophetas occiderant, & ibi cultum Baal introduxerant, & obſeruabant; quorum quoſdam per Azahelem, alios per Iehu, nonnullos vero per Eliſeum occideret, & de Regno Iſrael extirparet. Ad Eliæ quoque conſolationem reuelauit tunc ſibi Deus, adhuc in Regno Iſrael plures eius diſcipulos, & veri Dei cultores remanſiſſe, qui pactum Dei non dereliquerant; quos ſecum ab inimicis eorum defenderet, & deinceps cum eo in Regno Iſrael, in tranquillitate pacis ſeruaret. Vnde dixit ei: *Egredere, & ſta in monte coram Domino, qui egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ. Et ecce ſpiritus grandis, & fortis ſubuertens montes & conterens petras, tranſijt ante Dominum. Non in ſpiritu Dominus. Et poſt ſpiritum commotio. Non in commotione Dominus. Et poſt commotionem ignis. Non in igne Dominus, & poſt ignem ſibilus auræ tenuis. Ibi Dominus*. Spiritus quippe grandis, & fortis tranſiens protendit Azahelem, quem Deus in prædicta viſione oſtendit Eliæ tranſiturum per Regnum Iſrael, ſubuertendo *montes*, id eſt, maiores, & conterendo *petras*, id eſt fortes populi Iſrael. Hinc Azahel interpretatur *fortitudo Dei*, quia per eum præualuit Deus ſubuertere maiores, & conterere fortiores populi Iſrael, qui ab eius cultu receſſerant. Quemadmodum Eliſeus Propheta Azaheli prædixit:

3. Reg. 19. · Eccleſiaſt. 48. · 3. Reg. 19.

Oſtendit

Oſtendit mihi Dominus te Regem Syriæ fore, & ſcio quæ facturus ſis filijs Iſrael mala. Ciuitates eorum munitas igne ſuccendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides. Hæc autem omnia teſtatur liber Regnorum, manifeſte per Azahelem poſtea in populo Iſrael completa fuiſſe. Et quidem iuſte. Nam ſequitur, *Non in ſpiritu Dominus.* Merito enim in Azahele populum conterente non erat Dominus ad parcendum populo, quia Deum per idololatriam a ſe abiecerat. *Commotio* vero tranſiens præmonſtrauit Iehu, quem Deus in prædicta viſione oſtendit Eliæ, tranſiturum per Regnum Iſrael, commouendo inde domum Achab. Hinc Iehu interpretatur *Commotio*, quia per eum commouit Deus de Regno Iſrael domum Achab, quæ cultum Baal in Regno Iſrael introduxerat, & cultum veri Dei abiecerat, & Dei Prophetas occiderat, quemadmodum Ionas Propheta ipſi Iehu prædixit: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael; Vnxi te in Regem ſuper populum Domini Iſrael, & percuties domum Achab domini tui, & vlciſcar ſanguinem ſeruorum meorum Prophetarum, & ſanguinem omnium ſeruorum Domini de manu Iezabel, perdamque domum Achab, & interficiam de domo Achab mingentem ad parietem, & clauſum, & nouiſſimum in Iſrael: Iezabel quoque comedent canes in agro Iſrael, nec erit qui ſepeliat eam.* Hæc autem omnia teſtatur liber Regnorum perſpicue per Iehu in domo Achab poſtea completa fuiſſe. Et quidem iuſte. Nam ſequitur: *Non in commotione Dominus:* quia in domo illa per Iehu, vt præmittitur, commota, non erat Dominus, a quo per idololatriam totaliter receſſerat. Merito enim in Iehu commouente domum Achab, non erat Dominus ad indulgendum illi domui; quia a Deo per idolatriam totaliter receſſerant. *Ignis* autem tranſiens deſignauit Eliſeum, quem Deus in prædicta viſione oſtendit Eliæ tranſiturum per Regnum Iſrael inſtar ignis, conſumendo pueros idololatrarum. Hinc Eliſeus interpretatur *Dei mei ſalus:* quia conſumptis per eum filijs idololatrarum, quibus in nomine Domini maledixit, aduenit Dei ſalus ſuis cultoribus. Nec mirum ſi hoc pueris illis accidit. Nam ſequitur. *Non in igne Dominus.* Merito enim in Eliſeo conſumente inſtar ignis pueros, non erat Dominus ad propitiandum illis pueris: quoniam a parentibus nutriebantur ad cultum idolorum. *Sibilus* vero *auræ tenuis* tranſiens, ſignificat Eliam, cui Dominus in prædicta viſione oſtendit, quod eſſet per Regnum Iſrael tranſiturus, inſtar ſibili auræ tenuis, vocans ſcilicet ſuos diſcipulos, & cæteros Dei ſeruos ad refrigerium pacis, perſequutionibus eorum ſedatis. Hinc Elias interpretatur *Deus Dominus*; quia Deus decreuit pro eis oſtenſurum ſe Dominum inimicis eorum, quibus per eum, vt præmittitur conſumendis, hos in Regno Iſrael pacifice ſeruaret: eo quod *ibi*, ſcilicet in his, per quos tranſijt *Sibilus auræ tenuis* erat Dominus, a cuius cultu per idololatriam, ipſo teſte, non receſſerant: *Dereliqui mihi*, inquit Dominus, *in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt*

4. Reg. 8.

4. Reg. 9.

incuruata ante Baal, & omne os quod non adorauerit eum oſculans manum. His itaque omnibus Eliæ in viſione præoſtenſis, exponens eam ſibi Deus, dixit: *Vade, & reuertere in viam tuam per deſertum in Damaſcum: Cumque perueneris illuc*; ſcilicet in perſona non quidem tui, ſed Eliſei, *vnges Azahel Regem ſuper Syriam*, id eſt, vngendum, ſeu promouendum a me prænunciabis Azahelem in Regem Syriæ: & *Iehu vnges*, id eſt, prænunciabis vngendum, & promouendum a me *in Regem Iſrael*. *Eliſeum autem vnges*; id eſt, vngendum, ſiue promouendum prænunciabis, *prophetam pro te*, vt ſcilicet poſt tui raptum, prophetet Azaheli, & Iehu, & prænunciet eis ipſos a me promouendos in reges. Hos quippe tres viros Azahelem, Iehu, & Eliſeum ad prædictas dignitates promouit Deus, vt exequerentur iudicia, quæ in prædicta viſione oſtenderat ipſe Eliæ. Et propterea dixit Deus rurſum Eliæ. *Et erit quicunque fugerit gladium Azahelis, occidet eum Iehu, & quicunque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliſeus.*

CAPVT XIX.

Religionem eremiticam plantat magnus Elias in monte Carmelo, tanquam loco commodiſſimo ad eius perpetuationem.

REVERSVS itaque iuſſu Dei Elias de ſpelunca montis Oreb in terram Iſrael, confeſtim inſtar *auræ tenuis* ſibilauit, id eſt conuocauit ſuos diſcipulos, & cæteros Dei ſeruos, ad Deum deinceps in Regno Iſrael ſecure colendum; nuncians ſicut a Deo acceperat, quod eos in pace dimitteret Dominus, ſedatis eorum perſequutionibus. *Dereliqui mihi*, inquit Dominus, *in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal: & omne os quod non adorauerit eum oſculans manum.* Quia ergo ex tunc, & non ante, fuit Eliæ, & ſuis diſcipulis, liberum in Regno Iſrael ſecurè conuerſari; ſtuduit ipſe deinceps Religionem quam inchoauerat, in loco idoneo plantare. Anno quidem decimo regni Achab Regis Iſrael, ad ſui, & ſuorum diſcipulorum iugem manſionem, elegit præ alijs eremis, Carmeli montem, tamquam commodiorem ad propheticam diſciplinam, & vitam monaſticam in eo colendam melius, & exercendam. Mons quippe Carmeli præbet eremitæ hōmini ex ſua ſolitudine ſilentium, & quietem; ex ſuis antris, congruam manſionem; ex ſuo ſaltu iucunditatem; ex ſuo eminenti ſitu, aerem ſalubrem; ex ſuis herbis, & fructibus, paſtum vberem; ex ſuo fonte aquæ viuæ, hauſtum dulcem: propter quæ omnia Elias in monte iſto nedum habitare elegit, verumetiam domum orationi conſecratam appellatam *Semnion*, in eo ædificauit, quæ ideo *Semnion* dicta fuit, quoniam Elias, & eius diſcipuli, de eorum

taber-

tabernaculis, & ſpeluncis egredientes ad domum illam, honeſte tribus vicibus quotidie conueniebant: non quidem ad refectionem corporalem, vel ad aliqua corporis miniſteria peragenda; ſed ad Creatorem omnium litanijs, & orationibus ſuppliciter placandum, &, vt vnuſquiſque eorum cum Propheta diceret: *Veſpere, mane, & meridie narrabo, & anunciabo: et exaudiet vocem meam.* Psal. 54. Conueniebant namque ibi in vnum ad pſalmos, cantica, & hymnos corde, & ore, ac cum inſtrumentis muſicis, in laudem Dei canendos: ad volumina quoque legis, & prophetarum a Patre eorum audienda, pariterque legenda. In quorum diſciplinis, atque exercitijs inſtituti ad perfectam, beatamque vitam, ſtudijs iugibus, in eremo Carmeli coaleſcebant ſecundum formam vitæ monaſticæ per Deum creditam Eliæ.

CAPVT XX.

Montis Carmeli celebritas, odore habitationis, ac miraculorum Sancti Eliæ perennans vitæ eremiticæ ſucceſſionem.

AD continuam autem reſidentiam in Carmelo ſemper faciendam, Elias montem hunc deuotiorem ſuis diſcipulis reddidit, non ſolum exemplo ſui, qui ex tunc quamdiu in hoc mundo manſit, ſcilicet per ſexdecim annos, montem iſtum incoluit, ſed quia præ cæteris eremis, in quibus habitauit, montem hunc quibuſdam magnis miraculis ſpecialiter inſigniuit, per quæ Deum Iſrael eſſe verum Deum manifeſte idololatris monſtrauit. Cum enim ante Eliæ ortum fuiſſet de eo in Ieruſalem patri ſuo dictum: *Puer hic iudicabit Iſrael in gladio, & igne*; non eſt dubium vaticinium illud fuiſſe per Eliam in monte Carmeli adimpletum. Teſtante namque ſacra libri Regnorum hiſtoria, dum populus Iſrael ſimul cum Achab Rege eorum, fuiſſet per prophetas Baal ſeductus, &, Deo vero derelicto, ad colendum Baal deditus; tunc Elias zelum Dei in præcordijs gerens, & de populi tranſgreſſione dolens, congregato vniuerſo populo cum Rege, in hoc monte Carmeli, mirum iudicium eis propoſuit: videlicet, quod Baal a populo Deus reputaretur, ſi ſuos prophetas ei in hoc monte ſacrificaturos ita exaudiret, vt, ad vorandum eorum ſacrificium, de cælo ignem mitteret: alioquin quod Baal a populo prorſus reſpueretur, & Deus Iſrael verus Deus a populo firmiſſimè crederetur, ſi Baal non valente per ignem ſuos Prophetas exaudire, Deus Iſrael, ignem de cælo mitteret ad vorandum ſacrificium, quod Elias in hoc monte ſibi offerret. Cumque propoſitio Eliæ populo placuiſſet, ſed Baal ſuper ſacrificio per ſuos Prophetas ſibi oblato, ignem de cælo mittere non poſſet; tunc Elias in hoc monte Carmeli altare Deo ædificauit, vbi ſacrificium

cium offerens, cunctis videntibus, ignem de cælo deſcendentem, ad vorandum ſuum holocauſtum, a Deo Iſrael impetrauit: ſicque populum Iſrael per Prophetas Baal prius in errore detentum, ad vnius veri Dei cultum in monte Carmeli Elias tunc reduxit: prophetas vero Baal, qui populum ſeduxerant, ne iterum ipſum deciperent, omnes in torrente Ciſon gladio interſecit. Amplius vero cum Rex Achab, & populus Iſrael per Prophetas Baal decepti tribus annis, & ſex menſibus inceſſanter inuocaſſent Baal pro pluuia, tamen Baal in diebus illis pluuiam eis dare non poterat, nec ſoluere verbum Eliæ, quod prædixerat: *Non*
3. Reg. 17. *erit annis his ros, neque pluuia, niſi iuxta oris mei verba:* ideo oſtenſa tanto tempore ipſius Baal impotentia, tandem claruit eis. Dei Iſrael magna potentia. Quoniam Elias tunc fuſa in hoc monte Carmeli ad Deum Iſrael oratione, mox ab ipſo abundantem pluuiam illi populo obtinuit. Præterea cum Elias Ochoziæ Regi Iſrael ægrotanti ſuos legatos remiſiſſet, nuncians ei quod ideo merito moreretur, quia, ſpreto Deo Iſrael, moliebatur ſuper ſua infirmitate conſulere Beelzebub Deum Accaron; Rex de hac deſtinatione nimium commotus in Eliæ necem ſpirans, ad eum in monte Carmeli Principem quendam quinquagenarium miſit cum quinquaginta viris; vt ſi ſponte venire ad Regem renueret, eum inuitum ducerent. Princeps ergo ille, criminis Regis particeps cum ſuis quinquaginta, in Eliam bacchans, eum ſedentem in vertice Carmeli, *hominem Dei*, irriſorie appellauit: cui & ſuperbe præcepit, vt de monte deſcendens ad Regem veniret. Elias autem intelligens in ſua perſona Deum verum per illos ſatellites inhonorari, ignem de cælo ſuper montem Carmeli deſcendere fecit, qui Principem illum cum ſuis quinquaginta deuorauit. Cumque Rex magis ira accenſus alium Principem cum quinquaginta viris rurſum miſiſſet; Elias, vt prius ignem de cælo deſcendere fecit, qui eum cum ſuis quinquaginta in monte Carmeli combuſſit. His itaque euidentiſſimis ignis & gladij iudicijs monſtrauit Elias hominibus incredulis, quod ille eſſet verus Deus, quem ipſe in monte Carmeli colebat, & non Baal, quem perfidus rex Achab, cum filijs Iſrael, adorabat; neque Beelzebub, ad quem, Deo vero ſpreto, ſacrilegus Rex Ochozias mittebat.

CAPVT XXI.

Eremitarum montis Carmeli in veteri, ac nouo teſtamento pietas.

QVONIAM ergo Elias præ cæteris eremis, in quibus habitauit, montem Carmeli, tanquam commodiorem ad plantandam in eo propheticam Religionem vitæ monaſticæ, & docendam melius & exercendam, vt dictum eſt, elegit; quem etiam montem præfatis miraculis clariſſimè decorauit, quibus Deum

Iſrael

Iſrael eſſe verum Deum palam populo oſtendit; & Baal tanquam falſum Deum reprobauit; ideo Eliſeus, & cæteri Eliæ diſcipuli Religioſi viri filij prophetarum, necnon eorum tam veteris, quam nouæ legis ſucceſſores; montem Carmeli in veneratione ſpeciali ſemper habentes, ipſum alijs eremis, eorum Religioni commodis, prætulerunt. Et propterea in eremo dicti montis præcipue, ad exemplum & imitationem illius ſancti viri, & ſolitarij Elię Prophetę, prædicti religioſi ſecundum formam per Deum Eliæ traditam, in iuſtitia propheticæ vitæ monaſticæ, Domino Deo Iſrael deuota mente iugiter ſeruierunt: vbi religioſam vitam ſolitariam ſigillatim in modicis tabernaculis, & ſpeluncis, ac cauernis, atque cellis, continue & inceſſanter duxerunt iuxta fontem Elię, ob eius ſanctitatem, & loci deuotionem, ac maiorem ſeruandæ vitæ eremiticæ opportunitatem: ibique paſſionibus animæ viriliter reſiſtentes, peremerunt nequitiam; & bonorum actuum exercitatione ſecuti ſunt cordis munditiam. Qui ad miniſteria ſe diuina diſponentes, omnibus contentionibus, & certaminibus priuati, cum ſilentio, in vnanimitate, & communione animorum, quotidie ad *ſemnion* horis ſtatutis conuenerunt, celebrantes in pace, cum timore & reuerentia Creatoris, quæ ad cultum pertinent diuinitatis, & ad iuſtitiam regni cæleſtis. Quemadmodum prædicta de eis, & de eorum loco, Iſaias propheta in perſona Domini vaticinatus fuit, dicens: *Habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Carmelo ſedebit: Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, et ſecuritas vſque in ſempiternum: et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta*. Vbi vide quam pulchre deſcribit Propheta per ordinem bonam eorum vitam a poſteris monachis Carmelitis imitabilem: primo quidem, ipſi ſigillatim habitantes ſoli in cellis montis Carmeli citabant quotidie ſemetipſos ad iudicium diſcernendi in propria mente, ſi cogitationes accuſarent, vel defenderent eos de aliquo iniquo, id eſt, deuiante a rectitudine diuinę iuſtitię. Ideo prędixit Propheta, *Habitabit in ſolitudine iudicium*. Secundo, dum teſtimonium illis reddebat conſcientia de quocumque iniquo, exercebant ipſi officium *Monachi*: quoniam *ſedebat* inter eos *iuſtitia in Carmelo*, qua illud iniquum triſtes, & ſoli puniebant per veram pœnitentiam, & emendabant illico. Ob hoc prędixit Propheta, *Et iuſtitia in Charmel ſededit*. Tertio, cum nil iniquum reperiebant in viribus animæ expiandum, tunc opus, quo ipſi cæteras vires animæ perfecte conſeruabant in concordia cum recta ratione, erat interna *pax iuſtitiæ*. Idcirco prædixit Propheta: *Et erit opus iuſtitiæ pax*. Quarto quia, teſte Sapiente, *In multiloquio non deerit peccatum; qui* autem *cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam*: ideo ipſi, vt eſſent ſecuri a peccato, colebant aſſidue iuſtitiam ſilentio: propterea dixit Propheta: *Et cultus iuſtitiæ ſilentium, et ſecuritas vſque in ſempiternum*. De his autem omnibus, commendans eorum vitam Dominus præ-

Ad Hebr. 11.

Iſai. 32.

Prouerb. 10. & 13.

prædixit: *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis*, internæ ſcilicet, *et in tabernaculis fiduciæ*: de obtinenda ſcilicet iucunditate ſupernæ gloriæ, *et in requie* mentis *opulenta*; videlicet ex guſtu, & contemplatione deliciarum procedentium de torrente voluptatis meæ. Quia ergo dicti Monachi, ad exemplum Eliæ, coluerunt iugiter in Carmelo iuſtitiam vitæ monaſticæ, propterea appellati ſunt Carmelitæ, a monte ſcilicet Carmeli, cuius fuerunt incolæ ſecundum modum prædictum, reſidentes ibi in iuſtitia aſſidue, ſicut Propheta prædixit: *Iuſtitia in Carmelo ſedebit*. Sed & cæteri huius Religionis Monachi habitantes alibi, cupiunt etiam idcirco Carmelitæ appellari, quia eorum Religio, & ſancta conuerſatio, eſt ab illis viris deriuata, & ſumpta, qui modo prædicto ſategerunt in monte Carmeli aſſidue religioſam vitam Prophetæ Eliæ, & vſque nunc ſatagunt humiliter imitari. Omnes quippe huius religionis veri ſectatores, tam in monte Carmeli, quam alibi habitantes, profitentur ſe humiliter ſequi illam ſanctam, & propheticam iuſtitiam vitæ monaſticæ, quam propheta Dei Elias ſeruauit, & inſtituit, & quam eſſe ſequendam ipſe, ſecundum formam a Deo ſibi creditam, verbo pariter & exemplo diſcipulis ſuis tradidit, & in eremo montis Carmeli reſidendo docuit maxime, ac demonſtrauit.

CAPVT XXII.

Nonnulla filiorum Prophetarum collegia ſita in locis ſuburbanis.

LICET autem Elias, & Eliſeus, cum cæteris eiuſdem propoſiti religioſis viris, filijs prophetarum, manerent præcipue in eremis; iubente tamen Deo, propter vtilitatem ſui populi, ciuitates & villas interdum frequentabant, miracula in populis operantes, & futura eis prædicentes, vitiaque hominum caſtigantes, & eos ad Deum reuocantes, atque ad ſuam propheticam religionem multos attrahentes. Vnde in ſuburbanis quarumdam ciuitatum, & villarum terræ promiſſionis, maxime autem in Galgala, & in Bethel, & in Hiericho, & in Samaria, habuerunt cuneos filiorum prophetarum virorum religioſorum; ſicut legitur in libro Regnorum; apud quos manebant dum ad ciuitates & villas veniebant. Et illos de populo, quos ad ſuam propheticam religionem trahere poterant, primo quidem in his Conuentibus faciebant erudiri, & in diſciplina prophetica, & in rudimentis religioſæ vitæ monaſticæ; vt eos paulatim a conuerſatione vrbium diſtraherent; quos poſtmodum ad eremos tranſferebant. His enim Monachis filijs prophetarum habitantibus in vrbibus, poſtquam erant in rudimentis diſciplinæ propheticæ, & vitæ monaſticæ eruditi; videbantur vrbes quaſi carceres, & ſolitudo eis paradiſus apparebat. Saluti ergo ſuæ perfectius prouidere curantes, monaſticam

Act. cap. 2.

cam ac prophetalem vitam longè ab vrbibus ducere malebant in ſolitudine ; quam appetentes ad eam ſecedebant nutu Prophetarum , qui eos regebant. Hinc in libro Regnorum legimus, hos filios prophetarum dixiſſe ad Eliſeum : *Ecce locus, in quo habitamus coram te, anguſtus eſt nobis : eamus vſque ad Iordanem, & ſinguli tollant de ſilua materias ſingulas, vt ædificemus ibi locum nobis ad habitandum.* Erant autem ipſi tunc ita multiplicati, quod iam non valebant omnes in ſolitudine montis Carmeli commode recipi : propter quod ad nutum Prophetarum per quos regebantur, eligebant ſibi non ſolum montem Carmeli, ſed & alia, præter montem hunc, loca eremitica, propoſito ſuo,& deuotioni opportuna, & præcipue illa quæ per Eliam, vel Eliſeum, fuerant portentis decorata. Quoniam igitur Elias, & Eliſeus in Iordanis flumine magnis claruerant miraculis, nam aquæ Iordanis pallio Eliæ percuſſæ in duas partes fuerant bis diuiſæ, præbentes iter ſiccum prophetis præfatis ; & Naaman leproſus Iordane lotus a lepra fuerat per Eliſeum mundatus, & ſanitati reſtitutus ; ideo aliqui horum monachorum filiorum prophetarum, deuotione prædictorum miraculorum permoti, & aquarum opportunitate tracti, faciebant ſibi tabernacula in ſolitudine prope fluenta Iordanis, prout eis dictabat propheta Dei Eliſeus: Quemadmodum in libro Regnorum legimus Eliſeum dixiſſe eis, *Ite*, ſcilicet ad Iordanem. *Et ait vnus ex illis : Veni ergo & tu cum ſeruis tuis : Reſpondit, ego veniam. Et abijt cum eis. Cumque veniſſent ad Iordanem, cædebant ligna*, pro tabernaculis ſibi ibidem ædificandis. Quidam autem dictorum monachorum filiorum prophetarum in monte Effraim ſuam manſionem elegerunt. Horum meminerat Giezi famulus Eliſei, dum dicebat Naaman Syro : *Dominus Deus miſit me ad te dicens : Modo veniunt ad me duo adoleſcentes de monte Effraim, ex filijs prophetarum.* Iſti quidem ſegregantes ſe a turbis,quas videbant colere vitulum aureum; quem Ieroboam poſuerat ad adorandum in Bethel, ſeceſſerunt nutu Eliſei in ſolitudinem montis Effraim:ne poſſent exemplo populi idololatria infici, ſed vacarent in ſolitudine liberius diuino cultui. Ab his itaque memoratis viris filijs prophetarum inoleuit, quod plerique noſtri generis monachi, non ſolum in montem Carmeli; ſed in diuerſis ſolitudinibus terræ promiſſionis, ſunt in diſciplina prophetica vitæ monaſticæ ad imitationem eorum, laudabiliter conuerſati.

4. Reg. 6.
3. Reg. 2.
4. Reg. 5.
4. Reg. 6.
4. Reg. 5.

CAPVT XXIII.

Cur Eremitæ Carmelitani interdum Anachoretæ nominati.

PRÆDICTI autem Monachi a pleriſque fuerunt Anachoretæ idcircò appellati ; quia corda ſua angentes ieiuniorum inedijs, & cæteris corporis anguſtijs, non timuerunt, vt dictum eſt, ab imitatione Eliæ, inceſſanter & continue penetrare

netrare vaſtos receſſus ſolitudinis montis Carmeli, & aliarum eremorum terræ promiſſionis: vbi cogitationibus ſanctis, & intentione orationum, ac cæteris armis iuſtitiæ muniti, non ſolum occultas diaboli inſidias vincebant; ſed & apertos conflictus dæmonum calcantes, tanto conatu mentes ſuas, ad exemplum Eliæ Principis eorum, ſurſum in Dei contemplatione eleuabant, vt in cæleſtibus choris putarentur transla-
2. Corint. 3. ti, *& reuelata facie gloriam Dei ſpeculari*, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhærebant.

CAPVT XXIV.

Propheta Dei Elias in paradiſum translatus, olim rediturus.

LEGITIME itaque Elias adminiſtrata religione per eum inſtituta, agnouit per diuinam reuelationem, quod Deus volebat eum ab hoc mundo eleuare per turbinem ignis in paradiſum voluptatis. Pergens ergo ad locum vnde aſſumendus erat in cælum: profectus eſt cum Eliſeo eius diſcipulo ad Iordanem.
4. Reg. 2. Quem Elias pallio ſuo inuoluto percuſſit: &, ſicut ſacra libri Regnorum tradit hiſtoria, diuiſę tunc fuerunt aquę Iordanis in duas partes, cedentes illis Dei viris; qui tranſierunt per ſiccum alueum fluminis. Cumque pariter incedentes ſermocinarentur; ecce currus igneus, & equi ignei eis apparuerunt, qui vtrumque ab inuicem diuiſerunt. Quoniam re-
Eccleſiaſt. 48. manente Eliſeo in terra, Elias *receptus in curru equorum igneorum*, aſcen-
4. Reg. 2. dit *per turbinem* ignis *in cælum*, id eſt, in paradiſum voluptatis: qui longo maris & terrę tractu a noſtra habitabili ſecretus, adeo eſt editus, vt pene vſque ad cælum attingat. In quo loco vna cum Enoch, qui longe ante illic Eliam præceſſerat, viuet ipſe Elias in magna quiete carnis & ſpiritus, vſque ad tempus Antichriſti: ſed tunc in hunc mundum
Matth. 17. reuertetur: quemadmodum teſtatur Dominus, dicens: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.*

CAPVT XXV.

Succeſſio prophetæ Domini Eliſei in ſpiritu & prælatura Sancti Eliæ.

PRIVSQVAM Elias autem de hoc mundo transferretur in paradiſum voluptatis, fuit ei curæ, ſua imminente tranſlatione, monachos diſcipulos ſuos filios prophetarum ſigillatim viſitare, & de Patre idoneo eis prouidere; qui eos omnes generaliter loco eius regeret, & gubernaret. Propter quod deſcendentes ipſe & Eliſeus de monte Carmeli, venerunt ambo in Galgala, deinde

deinde in Bethel, & deinde in Iericho. Nam, ſicut prædiximus, in his locis habitabant viri religioſi filij prophetarum, Eliæ diſcipuli, quos ipſe viſitans commonuit, vt in propoſito diſciplinæ propheticæ, & vitæ monaſticæ perſeuerarent, & vt de imminenti eius corporali abſentia triſtes non fierent. Quibus viſitatis, valefaciens perrexit cum Eliſeo ad Iordanem. Sequebantur autem eos quinquaginta viri de filijs prophetarum, qui ſteterunt e contra longe, quando Elias, & Eliſeus Iordanem tranſibant pede ſicco. Quo pertranſito, dixit Elias ad Eliſeum: *Poſtula quod vis vt faciam tibi, antequam tollar a te.* Habebat autem Elias duplicem Domini ſpiritum, videlicet ſpiritum occulta, præſertim futura, prophetandi, & ſpiritum miracula faciendi. Quorum ſpirituum non vnum ſolum, ſed duplicem prædictum poſtulans Eliſeus, dixit: *Obſecro vt fiat ſpiritus tuus duplex in me.* Prædixerat autem Deus Eliæ dum manebat in monte Oreb in oſtio ſpeluncæ: *Eliſeum filium Saphat, qui eſt de Abelmaula vnges prophetam pro te.* 3. Reg. 19. Per quæ Domini verba intellexerat Elias, non quidem quod Eliſeus eſſet ei ſucceſſurus in ſpiritu ſignorum; ſed ſolum quod, poſt translationem eius ab hoc mundo, eſſet ei Eliſeus ſucceſſurus in altero ſpiritu, ſcilicet prophetico. Propter quod Eliſeo petenti ſuum duplicem ſpiritum, reſpondit: *Rem difficilem poſtulaſti:* Perpendens tamen a Deo, quod ſi Eliſeus eſſet dignus videre modum illum arcanum, & mirabilem quo Deus ſubleuaret eum in cælum, impetraret quod ab eo poſtulauerat; confeſtim adiecit: *Veruntamen ſi videris me quando tollar a te, erit tibi quod petiſti:* Et quia Eliſeus vidit eum tolli a ſe, ideo quod ab eo poſtulauerat obtinuit, ſuccedens Eliæ tam in ſpiritu ſignorum, quam in ſpiritu prophetiæ, quemadmodum Sapiens teſtatur, dicens: *Elias in turbine tectus eſt, in Eliſeo completus eſt ſpiritus eius.* Eccleſiaſt. 48 Videns itaque Elias diſcipulum ſuum Eliſeum ſuo ſpiritu plenum, nouit a Deo eum factum perfecte idoneum ad regendum ſuos diſcipulos filios prophetarum: propter quod totius Religionis per eum inſtitutæ commiſit tunc ſibi regimen, & magiſterium. Et in huius ſignum tradidit tunc Eliſeo ſuum inſignem Religionis habitum, relinquens ei pallium ſuum, dum ferebatur in cælum. Quo Eliſeus ſe operiens abiecit a ſe veſtimenta ſua in duas partes ſcindens ea, vt filij prophetarum videntes eum habitu Eliæ indutum, agnoſcerent eum ſpiritu Eliæ repletum, & ſic reciperent eum promptius pro Elia in Patrem eorum & magiſtrum. Et rediens inde percuſſit bis pallio Eliæ Iordanem, videntibus viris religioſis filijs prophetarum, qui e contra erant eius regreſſum expectantes: Et cum vice prima non fuiſſent diuiſæ aquæ, in ſecunda tamen vice, diuiſis hinc inde aquis Iordanis, tranſijt Eliſeus per ſiccum alueum fluminis. Cernentes ergo filij prophetarum Iordanem miraculoſe ceſſiſſe Eliſeo, agnouerunt eum ſuccedere Eliæ in duplici ſpiritu prædicto. Propter quod ad inuicem dixerunt. *Requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum.* 4. Reg. 2.

ſeum. Et venientes in occurſum eius adorauerunt eum proni in terra, recipientes eum pro Elia in præcipuum eorum Patrem & magiſtrum, quem videbant habitu Eliæ, & ſpiritu dotatum. Præbuerunt autem ex hoc actu formam ſuis ſucceſſoribus, vt quando ab eis erit ablatus Pater eorum præcipuus; illum loco eius in Patrem humiliter ſuper ſe ſuſcipiant, qui exemplo Eliſei, erit ad eos per ſigna, & prodigia a Deo miſſus: ſignis vero non apparentibus, omni ſollicitudine vnanimiter ſtudeant illum ex eis in Patrem ſuper ſe ponere, qui præcedat cæteros in ſpiritu & virtute Eliæ, ſicut Eliſeus hos viros præcedebat, qui eum receperunt in Patrem ſuper ſe.

CAPVT XXVI.

Miracula quædam S. Eliſei, ipſiuſque paterna ſollicitudo pro commiſſis ſibi filijs.

SVSCEPTO itaque Eliſeus regimine propheticæ religionis per Eliam inſtitutæ, ſollicitus fuit cunctos monachorum filiorum prophetarum ſigillatim viſitare: quos cupiens conſolari de abſentia Eliæ, operabatur coram eis ſigna, & virtutes: tum ne in vacuum videretur gratiam Dei recepiſſe, tum vt per hoc eis oſtenderet ſe gerere vices Eliæ; tum etiam vt ſic eos ſolidaret in perſeuerantia vitæ monaſticæ. Nam cum eſſet apud monachos filios prophetarum habitantes in Iericho, eis cernentibus dulcorauit Eliſeus ad petitionem virorum Iericho amaras aquas Ciuitatis, mittendo ſal in aquam fontis. Cum autem inde aſcenderet ad viſitandos filios
4. Reg. 2. prophetarum habitantes in Bethel; viri Ciuitatis illius, qui erant idololatræ, habebant ipſum propterea exoſum, quia erat cultor veri Dei: in cuius contemptum prouocauerunt tunc pueros eorum paruos, vt deriderent Eliſeum. *Et egreſſi pueri de ciuitate, illudebant ei dicentes: aſcen-*
Ibid. *de calue, aſcende calue.* Eliſeus autem per hoc intelligens Deum verum, cuius cultor erat, floccipendi a viris Ciuitatis, *cum reſpexiſſet pueros, maledixit eis in nomine Domini:* vt ſic magnificaret in Ciuitate nomen veri Dei, quem contemnebant illi. *Et mox egreſſi de ſaltu duo vrſi, lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros:* quod ſcientes viri Ciuitatis, timuerunt valde nomen Dei Eliſei. Filij vero prophetarum illic commorantes, viſo hoc ſigno, cum gaudio & honore receperunt Eliſeum
4. Reg. 2. in Patrem eorum, & magiſtrum. *Abijt* autem *inde* Eliſeus *in montem Carmeli*, viſitans & conſolans filios prophetarum habitantes ibi: apud quos tunc non diu manſit: quia deſiderabat prius cæteros filios prophetarum viſitare, & tandem in montem Carmeli redire. Pergens ergo inde Samariam, viſitauit filios prophetarum illic habitantes: vbi reli-
4. Reg. 4. ctam prophetæ Abdiæ oppreſſam alieno ære, propter alimoniam, quam

fecerat

fecerat Abdias centum Eliæ diſcipulis, quos abſconſos ſeruauerat in ſpeluncis, Eliſeus a debito releuauit, & victum ſibi, & ſuis filijs miniſtrauit, multiplicans miraculoſe in magnam quantitatem parum olei, in domo mulieris inuenti: quod ipſa vendens, & creditori ſatisfecit, & de reliquo pretij victum ſibi, & filijs ſuis procurauit. Rediens ergo inde Eliſeus in montem Carmeli, tranſijt per Ciuitatem Sunam; vbi erat mulier quædam magna, ad quam Eliſeus diuertebat quoties per Sunam tranſibat, quem mulier prædicta in ſuo hoſpitio honeſtè recipiebat, in quo cœnaculum ſibi fecerat, & ei decenter de ſuis facultatibus miniſtrabat. Quæ cum filio careret, eo quod haberet virum ineptum ad generandum, propter ſenium; promiſit ſibi Eliſeus in remunerationem dictæ hoſpitalitatis, quod filium de viro ſuo conciperet, & haberet. Et cum ita ei eueniſſet, contigit proceſſu temporis, quod poſtquam puer creuerat, mortuus fuit. Indicauit ergo mulier viro ſuo, ſe velle ad Eliſeum aſcendere in Carmelo. Cui vir neſciens filium eſſe mortuum, dixit: *Quam ob cauſam vadis ad eum? Hodie non ſunt Kalendæ, nec ſabbathum.* Quaſi dicere vellet: Si hodie eſſet feſtum, cauſam haberes aſcendendi ad eum. Conſueuerant ſiquidem deuotæ perſonæ benedictionem ſecum victualium afferentes, viſitare diebus feſtis Eliſeum, & cæteros monachos montis Carmeli, præcipuè autem deuotione audiendi ab Eliſeo, & ab alijs Prophetis verbum Dei. Cum ergo veniſſet mulier illa ad Eliſeum in monte Carmeli, corruens apprehendit pedes eius, & dixit ei: *Nunquid petiui filium a te? Nunquid non dixi, ne illudas me?* Illuſam ſe reputabat eo quod filium, quem ſine eius petitione ſibi Eliſeus a Deo impetrauerat, ita citò perdidiſſet. Cernens autem Eliſeus eam in amaritudine magna poſitam, ſurgens ſecutus eſt eam in domum ſuam, & ingreſſus in cubiculum, vbi puer mortuus iacebat, fuſa ad Deum oratione, ſuſcitauit Eliſeus a mortuis puerum. Quem cum matri aſſignaſſet viuum, illa corruens ad pedes Eliſei adorauit ſuper terram, gratias reddens Deo, & Eliſeo: Per hæc itaque prædicta ſigna, & plura alia manifeſtauit Eliſeus religioſis viris filijs prophetarum Eliæ diſcipulis duplicem Eliæ ſpiritum eſſe in eo completum. Et propterea prædicti omnes monachi receperunt eum pro Elia in Patrem eorum præcipuum, & magiſtrum.

3. Reg. 18. 4. Reg. 4. Ibid. Ibid. Ibid.

CAPVT XXVII.

Admirabile inſtitutum Rechabitarum ex imitatione inſtituti filiorum Prophetarum.

ELISEVS etiam per ſigna, & virtutes, quæ operabatur inter plebes, trahebat ad ſuam propheticam religionem multos deuotos homines. Inde eſt quod vir Dei Ionadab filius Rechab, ſciens Eliſeum a mortuis reſuſcitaſſe Sunamitis filium, tra-

Iud. 4. ctus fuit per hoc ad ſequendum in prophetica diſciplina vitæ monaſticæ Prophetam illum. Cinæi verò, progenitores Rechab hominis Dei, qui ab inclyto Iabes legis doctore fuerant profunde in lege Dei eruditi, ſuos poſteros legem Dei canere, & laudes eius reſonare docuerunt. Ionadab autem in his omnibus plenè inſtructus, ad maiorem perfectionis cumulum fuit, vt præmittitur, Eliſeum Prophetam in monaſtica vita eremitica imitatus. Et quamuis in virginali caſtitate Eliſeum ſequutus non fuerit, volens propter fragilitatem carnis, tam ſe, quam ſuos vti coniugio, & prolem ad cultum Dei licitè procreare; tamen exemplo Eliſei, relictis omnibus, extra vrbes, cum Cinæis ab eo deſcendentibus, in tabernaculis habitauit: de quibus in libro Paralipomenon legimus: *Hi ſunt Cinæi qui venerunt de calore*, hoc eſt, de feruore vitæ religioſæ,
1. Paral. 2. *domus Rechab, canentes, atque reſonantes, & in tabernaculis commorantes*. Cinæi itaque ab hoc Rechab deſcendentes, & cum Ionadab filio eius religionem Eliſei eremiticam ſequentes, dicti fuerunt *Rechabitæ*, quorum pater, ſcilicet Ionadab, per Eliſeum Prophetam in diſciplina prophetica monaſticæ vitæ eremiticæ benè edoctus, iniunxit ipſis Rechabitis, & cunctis eiuſdem propoſiti per affinitatem eis coniunctis, cætera, præter continentiam, in inſtitutione Eliſei conſulta, vt videlicet
Hier. 35. *Patri eorum ſemper obedirent, & vinum in ſempiternum non biberent, & domos non ædificarent, & ſementem non ſererent, & agros non poſſiderent, & vineas non plantarent*, nec haberent, *ſed* in ſolitudine extra vrbes *cunctis diebus in tabernaculis habitarent*; prout hæc, & alia de ipſis plenius teſtatur Ieremias Propheta.

CAPVT XXVIII.

Eliſeus dulces reddit colocynthides, ac panem multiplicat coram filijs Prophetarum, iuxta vitam vere communem.

DENIQVE Eliſeus ſumma cum diligentia creditos ſibi monachos filios prophetarum regebat, quos ſuo exemplo & magiſterio inducebat, propter regnum Dei melius conſequendum, ad perfectionem inquirendam, ſecundum formam diſciplinæ vitę monaſticę per Deum traditam Eliæ. Quibus etiam de craſtino non ſollicitis prouidebat in vitæ neceſſarijs, non ſolum per humanam induſtriam, imo interdum miraculoſe ſupra naturalem potentiam. Legimus namq; in libro Regnorum, quod cum eſſet fames in terra, & di-
4. Reg. 4. cti filij prophetarum habitarent coram Eliſeo, compatiens ipſe fami eorum, dixit quadam vice vni de famulis ſuis. *Pone ollam grandem, & coque pulmentum filijs prophetarum. Egreſſus ille vt colligeret herbas agreſtes, inueniens quaſi vitem ſilueſtrem, collegit ex ea colocynthidas implens pallium ſuum*,

ſuum, *& neſciens quid eſſet*, *conſcidit in ollam pulmenti*. *Infuderunt ergo ſocijs*, *vt comederent*. *Cumque guſtarent* filij prophetarum *de coctione hac*, *clamauerunt* ad Eliſeum, *dicentes*; *Mors in olla*, *vir Dei*. Mortiferum enim erat præ amaritudine colocynthidarum illud pulmentum. Non fuit autem Eliſeus iratus coquo. Lautioris enim menſæ conſuetudinem non habebat: ſed dixit eis: *Afferte farinam*. *Et cùm attuliſſent ſibi*, *miſit in ollam*: & ſtatim dulcorata fuit eſca, fugata omni amaritudine ab ea. Iuſſit ergo Eliſeus iterum infundi filijs prophetarum, qui tunc de ea dulci facta laute comederunt. Altera quoque vice, cum *vir quidam* ex deuotione attuliſſet *de Baal-ſaliſa* Eliſeo *panes primitiuos*, videlicet *viginti panes hordeaceos*, *& frumentum nouum in pera ſua*; dixit Eliſeus miniſtro ſuo, vt daret filijs prophetarum ad comedendum. Qui reſpondit; *Quantum eſt hoc*, *vt apponam coram centum viris?* Quaſi diceret, parum aut nihil erit inter tantos. Cui dixit Eliſeus, da eis; quoniam comedent, & ſupererit. *Poſuit* itaque *coram eis*: *qui comederunt*, & eis ſatiatis, *ſuperfuit iuxta verbum* Eliſei multiplicantis miraculoſe prædictos panes, ſine aliqua extrinſeca additione. Decebat quippe vt *hæc omnia adijcerentur* eis, *non ſollicitis* indebite *quid manducarent*, *aut quid biberent*, *aut quo operirentur*: quoniam *primum* & ante omnia, *quærebant regnum Dei & iuſtitiam eius*; *projcientes omnem ſollicitudinem* ſuam in Deum, *cui cura eſt de* hominibus.

Ibid.

Matth. 5.

1. Petr. 5.

CAPVT XXIX.

Carmelitæ liberi manent a communi captiuitate Iſraelitarum.

QVONIAM ergo prædicti monachi, dum regebantur per Eliſeum, & etiam poſt eius deceſſum, quærebant ex totis eorum præcordijs Dei regnum; pro quo facilius conſequendò terrenas diuitias & carnales delicias reſpuebant, humanaque conſortia, & turbarum tumultus vitabant; ideo præſeruauit eos Deus a captiuitatibus, ad quas ante Incarnationem Chriſti Ieſu induxit populum Iudæorum, propter peccata eorum. Quod tamen ad maiorem Iudaici populi ceſſit confuſionem, vt ipſe in fortiſſimis ciuitatibus, & munitis ſaluari non poſſet; cum monachi Carmelitæ in aperta montis Carmeli eremo, & non munita, ab inſultibus Aſſyriorum, & exercitus Chaldaici, per Deum tunc protegerentur. Sed cauſa huius diuerſitatis fuit, ex parte quidem illius populi; legis diuinæ præuaricatio: e contra vero ex parte dictorum monachorum; eiuſdem legis obſeruatio. Quod totum bene ſignificauit propheta Dei Iſaias, dum in perſona Domini captiuitatem, & terræ diſſipationem populo Iudæorum venturam vaticinaretur, ita inter cætera dicens: *Plangite ſuper regione deſiderabili*, *ſuper vinea fertili*. *Super humum populi mei ſpinæ*, *& vepres* Iſai. 32.

 aſcen-

aſcendit: quanto magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis? Domus enim dimiſſa eſt, multitudo vrbis relicta eſt. Et paulo poſt, de monachis Carmelitis illius temporis contrariam ſententiam ſubdens propheta, in perſo-
Ibid. na Domini, ait: *Et erit deſertum in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur. Et habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Charmel ſedebit. Et opus iuſtitiæ erit pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Licet namque temporibus Iudaicarum captiuitatum eſſet deſertum in Carmelo, ita quod Carmelus non in munitionem, vel ædificium, ſed in ſaltum vere reputabatur; populus tamen Monachorum illic habitantium faciebat in ſolitudine illa iudicium Dei, & ſeruabat in Carmelo iuſtitiam cæleſtis regni: ſicut Propheta prædixerat, *Habitauit*, inquit, *in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Carmelo ſedebit.* Cuius *iuſtitiæ opus* erat *pax*, qua ab inuicem perimebant bellum. Et *cultus* prædictæ *iuſtitiæ* erat *ſilentium*, quo in ore vitabant multiloquium. *Cultus* quoque dictæ *iuſtitiæ* erat *ſecuritas*, qua a corde fugabant inimicorum metum. Quippe monachi illi ita erant ad inuicem per pacem diſpoſiti, quod inter eos nullum erat bellum. Et ſic erant in ore per ſilentium muniti, quod inter eos nullum erat multiloquium. Et ita erant in corde quieti & ſecuri, quod cor eorum non reprehendebat eos ante Deum. Ideo confidentes in Deo eos protegente, cuius beneplacita faciebant ſemper, nullum ha-
Prouerb. 16. bebant de inimicis metum. Teſte enim Sapiente, *Cum placuerunt Domino viæ hominis, inimicos quoque eius conuertit ad pacem.* Quia ergo ipſi ſtudebant Deo per iuſtitiam placere; ideo protexit eos Deus a timore, & inſultibus inimicorum, & a captiuitatibus Iudæorum, ſicut promiſerat, dicens: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Scilicet virtutibus & paſcuis do-
Mich. 7. ctrinæ, veræ religionis vberibus: quemadmodum Michæas Propheta, concludendo terram Iudæorum fore propter peccata eorum deſolandam dicens: *Terra erit in deſolationem propter habitatores ſuos, & fructum cogitationum eorum:* ſubdit aliter de his Monachis, inquiens: *Paſce Domine populum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes ſolos in ſaltu: In medio Carmeli paſcentur Baſan & Galaad iuxta dies antiquos.* Vbi propheta primo orat Deum, ne populus monachorum montis Carmeli concludatur ſimili ſententia deſolationis cum Iudæis, ſed paſcatur vt prius doctrina religionis per Deum, ſub virga, id eſt, regula ſuæ di-
Pſal. 44. rectionis: ideo ait, *Paſce Domine populum tuum in virga tua*, de qua Pſalmiſta, *virga directionis, virga regni tui.* Ne autem Propheta videretur pro toto populo Iudaico orare, ſpecificat hunc ſolum, dicens, *Gregem hæreditatis tuæ, habitantes ſolos in ſaltu:* ſcilicet Carmeli. Secundo præuidens Michæas ſe eſſe exauditum, prophetat venturum quod orauerat, dicens: *In medio Carmeli paſcentur Baſan & Galaad.* Intel-

lexit

lexit autem per *Baſan* & *Galaad* hos Monachos montis Carmeli: tum primo, quia quamplures eorum erant tunc de regionibus *Galaad & Baſan* oriundi: tum ſecundo, quia *Baſan* interpretatur *pinguis*; & cœtus horum religioſorum fiebat *in medio Carmeli* pinguis paſcuis diuinis, ſcilicet doctrinis veræ religionis. *Galaad* quoque interpretatur *aceruus teſtimonij*, & Deus cœtum horum monachorum aceruauit in medio Carmeli, in teſtimonium contra populum Iudæorum; vt intelligeret populus quod propter præuaricationem legis diuinæ fuerit captiuatus, & terra eorum deſolata; cum hi religioſi, quia ſeruauerunt legem Dei, remanſerint liberi in terra illa, *in medio Carmeli*. Deinde exponit Propheta qualiter *in medio Carmeli* paſcerentur, dicens: *Iuxta dies antiquos*. In quibus, ſcilicet *ſub virga directionis regni Dei*, paſcebantur ab Elia in monte Carmeli, doctrina propheticæ vitæ monaſticæ, ſecundum formam inſtitutionis huius religionis per Deum creditam Eliæ.

CAPVT XXX.

Rechabitæ item ab hoſtibus Chaldaicis liberi dimiſſi.

MONACHI etiam Rechabitæ, quamuis eſſent in Hieruſalem recluſi, dum exercitus Chaldaicus Hieruſalem, & cæteram terram Iuda deuaſtauit; ipſi tamen non fuerunt cum reliquo populo Iudæorum in Babylonem tranſlati; ſed in terra promiſſionis derelicti; ſicut & monachi Carmelitæ prædicti. Ierem. 35. Quoniam Nabuzardam princeps exercitus regis Nabuchodonoſor, dum prædictam captiuitatem Iudæorum in Babylonem transferret, hos monachos Rechabitas cum Ieremia Propheta liberos abire conceſſit: quemadmodum Ieremias, & populi captiuitatem, & Rechabitarum liberationem prophetauerat in perſona Domini, dicens: *Firmauerunt filij Ionadab filij Rechab præceptum patris ſui, quod præceperat eis: populus autem iſte non obediuit mihi. Idcircò hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Ecce ego adducam ſuper Iudam, & Ieruſalem vniuerſam afflictionem, quam locutus ſum aduerſum illos: eo quod locutus ſum ad illos, & non audierunt. Vocaui illos, & non reſponderunt mihi. Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: Pro eo quod obediſtis præcepto Ionadab patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata eius, & feciſtis vniuerſa quæ præcepit vobis, propterea dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.* Ibid. Intellexit autem Deus per virum *de ſtirpe Ionadab*, non quidem principaliter carnalem ipſius Ionadab generationem, ſed potius religionis noſtræ eremiticæ genus. Neque enim filij carnales ipſius Ionadab, aut ab eis geniti, ſed ſolum monachi in hac religione eremitica eis ſuccedentes, ſteterunt in conſpectu Dei cunctis diebus: quamuis carnalis ſtirps Re-

chabitarum perdurauerit vſque in ruinam ciuitatis Hieruſalem, a Tito & Veſpaſiano patratam. Nam dum beatum Iacobum Alphæi, qui paulo ante ruinam prædictæ ciuitatis deceſſit, Iudæi in dicta vrbe lapidibus obruerunt; ſacerdos quidam ex his Rechabitis nitebatur eum a morte eruere; quoniam Apoſtolus Iacobus nunquam bibit vinum, & alias abſtinentias grandes, ſimiles Rechabitarum obſeruantijs, ſequutus fuit.

CAPVT XXXI.

In veteri teſtamento Monachi recta fide veri Chriſtiani.

INTVENTES quidam viri, monachos montem Carmeli nunc habitantes eſſe Chriſtianos; putauerunt, vt aſſeris, dilecte Capraſi, eos non eſſe eiuſdem religionis cum illis Monachis, qui olim per ſanctum prophetam Dei Eliam fuerunt in eodem monte inſtituti: pro eo, quia illi non fuerunt Chriſtiani, ſed Iudæi. Quam autem erronee iſtorum virorum opinio a veritate deuiet, ex ſequentibus manifeſtum tibi fiet. Antiqui namque huius montis monachi, etſi non nomine, tamen recta fide fuerunt Chriſtiani veri, ſicut ſunt Monachi moderni: quoniam illi fidem firmam in Chriſtum habuerunt, a quo & animarum ſalutem ſperauerunt, pro qua conſequenda mundum reliquerunt, & corpora, ac animas ſuas Deo obtulerunt: de quibus Apoſtolus ſic ait: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati & afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis, & in cauernis terræ: & hi omnes teſtimonio fidei probati fuerunt.* Si ergo, teſte Apoſtolo, illi *fuerunt probati teſtimonio fidei*; quis non videat, quod ipſi non perfidi, quales ſunt moderni Iudæi, ſed veri fuerunt orthodoxi? Quorum tempore, ſi Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quem cupiebant videre, & audire; veniſſet in hunc mundum, ſicut in noſtris venit temporibus; non minus facti fuiſſent, non ſolum fide, ſed & nomine Chriſtiani, eius doctrinam & Sacramenta ſuſcipiendo, quam ſunt eorum ſucceſſores. De illis enim Saluator noſter loquens diſcipulis ſuis, ait: *Amen dico vobis, quia multi prophetæ, & iuſti cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt.* Sed quamuis Sacramenta gratiæ, quæ nos his diebus videmus in remiſſionem peccatorum a Chriſto Ieſu inſtituta, illi non viderunt; & licet dogmata & miracula, quæ ad ſalutem animarum & confirmationem fidei diebus noſtris audimus a Domino Ieſu dicta & facta, illi non audierunt; hæc tamen omnia ipſi ſuis ſucceſſoribus vaticinati fuerunt. Quemadmodum enim, ait Beatus Petrus Apoſtolus: *Omnes prophetæ a Samuel, et deinceps, qui locuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos.* Quamobrem non eſt

Hebr. 11.

Matth. 13.

Act. 3.

eſt exiſtimandum ſucceſſores illorum ad religionem eorum ideo non pertinere, quia ſunt Chriſtiani; ſed multo magis eſſet arbitrandum ipſos ſucceſſores nihil religioni eorum attinere, ſi Chriſtianitatis ritum ad animarum ſalutem conſequendam non ſuſcepiſſent; ſicut eis illi prophetæ vaticinati fuerant. Teſte enim Beato Petro Apoſtolo, *De animarum ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes quod vel quale tempus ſignificaret eis ſpiritus Chriſti, prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias; quibus reuelatum eſt, quia non ſibiipſis, nobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt.* 1. Petr. 1.

CAPVT XXXII.

S. Ioannes Baptiſta monachus inſtituti S. Eliæ.

SVCCESSORES ergo illorum ſanctorum prophetarum, monachi filij prophetarum; qui, ſicut dictum eſt, in eremo montis Carmeli, & in ſolitudinibus prope fluenta Iordanis, ac in alijs deſertis, & in vrbibus terræ promiſſionis habitabant; ab ipſis prophetis incunctanter traditum, vt præmittitur, tenebant Chriſtum pro humani generis redemptione incarnandum, moriturum, & glorioſe reſurrecturum: quem ex totis eorum præcordijs deſiderabant, & ſperabant venturum. Quos ſicut Deus per Eliam, & cæteros eiuſdem propoſiti prophetas, inſtruere de aduentu Chriſti futuro dignatus fuit; ita etiam, vt de præſentia Chriſti in mundo per eius præcurſorem eos doceret, diſpoſuit, quod prædictus præcurſor ſic ante Ieſum Chriſtum in ſpiritu & virtute Eliæ præcederet, vt iam in ſua pueritia monaſticam eorum vitam eremiticam ab Elia Propheta inſtitutam aſſumeret: quod nec Euangeliſta Lucas ſiluit, de ipſo præcurſore dicens: *Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis.* Notanter autem ait Lucas, *in deſertis*: quia Ioannes tam in deſertis ſolitudinis Iordanis, ſicut filij prophetarum, quam in deſertis montium latuit; ſicut Elias & Eliſeus. Cum ergo venit ſacri plenitudo temporis, fuit ad dictos Monachos in deſertis miſſus *homo ille à Deo cui nomen erat Ioannes*: ſcilicet Baptiſta, monaſticæ vitæ eremiticæ, ab Elia inſtitutæ, cultor eximius. Ambo etiam tam Elias, quam Ioannes, fuerunt indumentis hiſpidis veſtiti, luxu caſti, victufrugi, conuerſatione ſolitarij, & deſerta iugiter ſecuti. Fuerunt etiam electi per Deum præcurſores Chriſti: Ioannes quidem aduentus primi; Elias vero vltimi: dicente Domino: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis.* Et propterea ſacerdotes, & leuitæ ab Ieroſolymis

Luc. 1. Ioan. 1. Matth. 17. Ioan. 1.

ſolymis per Iudæos ad Ioannem miſſi, intuentes eum in omnibus conuerſationem monaſticæ vitæ eremiticæ, Eliæ præcipue, ſequi; quærebant ab eo, ſi ipſe erat Elias. Quoniam, ſicut Angelus Gabriel de eo
Luc. 1. prædixerat, *venit* ipſe *in ſpiritu, & virtute Eliæ*: ad exemplum cuius, domo ſui patris, & terrenis opibus derelictis, conuerſatus fuit iugiter in deſertis; & ad inſtar illius, vinum, & ſiceram non bibens, habuit ad imitationem eius veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos; vt teſtatur Matthæus Euangeliſta. Ideo Chri-
Matth. 3. ſtus, ſciens Ioannem expreſſam monaſticæ vitæ prophetæ Eliæ imagi-
Matth. 11. nem gerere, dixit de eo turbis: *Si vultis accipere, ipſe eſt Elias.*

CAPVT XXXIII.

Monachi Eliani a Ioanne Baptizati, ab eodem docentur de Baptiſmo Chriſti in ſpiritu.

Ioan. 1. HIC Ioannes *venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Præiuit enim ante faciem Domini parare vias eius. Anno* ſiquidem *quintodecimo*
Luc. 1. & 3. *imperij Tiberij Cæſaris, factum fuit verbum Domini ſuper Ioannem* habitantem *in deſerto*, iuxta fluenta Iordanis, vbi prædicti religioſi filij prophetarum manebant. *Et venit in omnem regionem Iordanis præ-*
Matth. 3. *dicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Tunc, ſicuti te-
Marc. 1. ſtantur Euangeliſtæ, *exibat ad eum Ieroſolyma, et omnis Iudæa, et omnis regio circa Iordanem, et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata*
Luc. 3. *ſua*. Propterea religioſi filij prophetarum montis Carmeli, & alij in tabernaculis prope fluenta Iordanis, & in cæteris eremis Terræ-promiſſionis habitantes, fuerunt tunc a Sancto Ioanne duce eorum, ſicut & cæteri de populo, baptizati. Præparabantur autem ipſi per hoc ad vnigenitum Dei filium digne cognoſcendum, qui tunc inter homines ignotus conuerſabatur. Sicut ipſe Baptiſta palam reuelauit tunc Iudæis, di-
Ioan. 1. cens: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis: ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, et ante me factus eſt; cuius non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam calceamenti eius*. Cum ergo prædicti religioſi voce præconis intellexiſſent vnigenitum Dei filium eſſe præſentem in mundo, quem ex totis eorum præcordijs cupiebant videre, & a cæteris hominibus diſcernere; propoſuerunt Baptiſtæ inſeparabiliter aſſiſtere; ſcientes in eius Baptiſmo Dei filium eſſe manifeſtandum: ſicut ipſe Baptiſta teſtabatur, dicens, *vt manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua bapti-*
Ibid. *zans*. Quemadmodum autem Ieſum abſentem Ioannes eis euangelizauerat, ita poſtmodum ipſum præſentem eis manifeſtauit. Venit enim Ieſus a Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Videns autem Ioannes Ieſum venientem ad ſe, indice eum omnibus prodens,

dens, ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt de quo dixi, poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat.* Vt autem hoc præcurſoris teſtimonium credibilius redderetur, baptizato Ieſu a Ioanne, *confeſtim aperti ſunt cæli, & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie in ipſum:* tamquam digito quodam fidei omnibus demonſtraret hunc eſſe illum, qui eis a Ioanne in baptiſmo maniſeſtandus, prędicabatur. Denique hunc, ſuper quem columba manſit, verum eſſe Dei filium, vox patris de cælo tunc facta eos etiam docuit, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Quamobrem Baptiſta, teſtimonium iterum perhibens Chriſto, extollebat eius baptiſmum, dicens: *Vidi ſpiritum deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manentem ſuper eum. Et ego neſciebam eum. Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu Sancto.* Ne itaque prædicti religioſi ſpem ſalutis ponerent in præcurſoris baptiſmo, ipſe perfectiori baptiſmo, ſcilicet Chriſti, eos fore baptizandos prophetauerat, dicens eis: *Ego baptizaui vos in aqua; ille* vero, ſcilicet Chriſtus, *baptizabit vos in Spiritu Sancto, & igne.* Quamquam, vt Ioannes Euangeliſta teſtatur, Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius. Verum, quia ille dicitur præcipue rem aliquam facere, cuius authoritate, & nomine eam alius facit; & quia Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum baptizabant homines in nomine Domini Ieſu: ſicut beatus Lucas teſtatur, & ſub inuocatione huius nominis deſcendebat ſuper baptizatos Spiritus Sanctus in ſpecie ignis viſibilis, ideo dixit Ioannes religioſis prædictis: *Ille*, ſcilicet Chriſtus, *baptizabit vos in Spiritu ſancto, & igne.* Innuebat autem per hoc eis, quo tempore eſſent ipſi baptiſmo Chriſti baptizandi: quia ſcilicet tunc, quando Apoſtoli baptiſmum conferrent in nomine Domini Ieſu Chriſti, & Spiritum Sanctum, in ſpecie ignis viſibilis, acciperent illi, qui ab eis baptizarentur ſub inuocatione nominis Chriſti. Quod ante Chriſti reſurrectionem, & glorioſam eius in cælos aſcenſionem, factum non fuiſſe Ioannes Euangeliſta euidenter teſtatur, dicens: *Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.*

Ibid. Luc. 3. Matth. 3. Ioan. 1. Matth. 3. Ioan. 2. Act. 19. Matth. 3. Ioan. 7.

CAPVT XXXIV.

Religioſi in Ieroſolymis ex diſperſis Iudæorum.

TEMPORIBVS autem baptiſmum Ioannis præcedentibus, gens Iudæorum a diuerſis gentibus, & Regibus multas perpeſſa eſt captiuitates, & diſperſa in diuerſas gentium regiones: maxime autem ab Antiocho Epiphane Rege Syriæ duriſſimas ſuſtinuerat in lege perſecutiones. Sicut namque refert ſacra libri Machabæo-

chabæorum hiſtoria, Antiochus ad tantum Iudæos deduxit opprobium, vt legem Dei obſeruare volentibus mortis infligeret tormentum. Quiſque enim cogebatur idolis offerre ſacrificium, vel necis pati ſupplicium. Propter quod multos promiſcui ſexus de populo Iudæorum oppreſſiones has, & abominationes ferre non valentes, oportuit propriam patriam relinquere, & in alijs diuerſis mundi regionibus diſperſos habitare, qui in diſperſione genuerunt filios, loquentes idiomata, & linguas gentium illarum regionum, in quibus naſcebantur, & educabantur. Ex his autem Iudæis, natis in regionibus illis, multi, deuotione tracti terræ promiſſionis, tempore Imperij Tiberij Cæſaris, ad terram illam, cum in pacis teneretur tranquillitate, remeantes, ſtudebant religioſe illic viuere, copulantes ſe prædictis religioſis habitantibus in terræ promiſſionis vrbibus, & præſertim illis, qui manebant in Ieruſalem. Quorum memoratus fuit beatus Lucas in Actibus Apoſtolorum, dicens: *Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudæi viri religioſi* Act. 2. *ex omni natione, quæ ſub cælo eſt.* Habebant ſiquidem prædicti religioſi tunc manſionem maxime in Ieruſalem: quia cum eſſet Ciuitas inſignis, & Metropolis Iudæorum, in qua cultus diuinus præcipue vigebat, reperiebant in ea plures deuotos Iudæos, qui ſe ad eorum religionem conuertebant. Quos poſtquam prædicti religioſi in rudimentis diſciplinæ propheticæ, & monaſticæ vitæ erudierant, ad eremos transferebant.

CAPVT XXXV.

Situs monaſterij in Ieroſolymis, eremitarumque Carmelitanorum ad id confluxus celebrandæ Pentecoſtes cauſa.

PRÆCEPERAT autem in lege veteri Deus, tres feſtiuitates peculiares, ſcilicet Paſchæ, Pentecoſtes, & Scenopegiæ, debere per Iudæos ſolemniter celebrari. Quas Iudæis alibi celebrare non licebat, quam in loco quem elegerat Deus
Deuter. 16. nomini ſuo, ſicut mandauerat Moyſes in Deuteronomio. Et ſicut ex li-
2. Paral. 7. bro Paralipomenon edocemur, Templum quod erat in Ieruſalem conſtructum, fuit locus ille, quem Deus elegit nomini ſuo: in quo loco annuatim tribus vicibus, ſcilicet, in prędictis feſtiuitatibus, omnes maſculi plebis Iudaicę debebant ex pręcepto legis in conſpectu Domini apparere. Quamobrem religioſi viri filij prophetarum, eremitę montis Carmeli, & alij iuxta fluenta Iordanis, & in cæteris eremis, & ſuburbanis Ciuitatum Terrę-promiſſionis habitantes, ne pręcepta legis tranſgrederentur, annis ſingulis in Ieruſalem ter venire conſueuerant, vt, iuxta legis pręceptum, tres feſtiuitates peculiares, Paſchę, Pentecoſtes, &

Scenopegiæ, illic celebrarent. Et ob hoc quam maxime manſionem religioſi filij prophetarum habebant in Ieruſalem, vt in dictis feſtis conuenirent ad eam. Anno ergo in quo Chriſtus aſcendit in cælum, omnes prædicti religioſi mox poſt eius aſcenſionem in Ieruſalem conuenerunt, vt ibi inſtans feſtum Pentecoſtes celebrarent. Habitabant autem tunc in Ieruſalem Apoſtoli Domini noſtri Ieſu Chriſti prope manſionem dictorum religioſorum, ſcilicet in illo *cœnaculo grandi & ſtrato*, in quo Chriſtus in die cœnæ *fecit ſibi parari Paſcha*, vbi Sacramentum Euchariſtiæ inſtituit, & corpus ſuum ſub ſpeciebus panis ſumendum diſcipulis tradidit, eoſque Sacerdotes ordinauit. Quod cœnaculum erat in monte Sion, in parte illa montis quæ dicitur *mello*; vbi erat olim palatium, quod Rex Dauid ſibi conſtruxerat. Et ita prædicti religioſi fuerunt in habitatione tunc Apoſtolorum vicini.

CAPVT XXXVI.

Multorum ex filijs Prophetarum ad planum Chriſtianiſmum conuerſio in die Pentecoſtes.

IN die itaque Pentecoſtes, ſicut beatus Lucas refert, *Factus fuit repente de cælo ſonus, tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum* illius cœnaculi, *vbi erant* omnes Apoſtoli Chriſti, & diſcipuli *ſedentes: Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: repletique ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* Act. 2. Religioſi autem præfati, in monte Sion, non multum remote a prædicto cœnaculo, vt præmittitur, habitantes, obſtupuerunt audientes prædictum ſonum inſolitum reſonare in cœnaculo Apoſtolorum. Et ſcire cupientes quidnam hoc eſſet, ad illud Apoſtolorũ cœnaculum acceſſerunt. Qui cum illuc perueniſſent ſtupebant omnes, & mirabantur; quoniam non ſolum illi ex religioſis qui in Terra-promiſſionis, ſed etiam omnes illi, ex eis, qui extra dictam terram in diuerſis regionibus fuerant nati, audiebant Apoſtolos linguis ſuarum regionum loquentes, & Deum magnificantes. Et propterea religioſi magis ſtupebant, ſcientes Apoſtolos eſſe Galilæos, qui numquam extiterant in eorum regionibus, neque a quodam homine docti fuerant, loqui eorum linguis, ſeu idiomatibus: Alij autem ex Iudæis qui ſuperuenerunt, audientes Apoſtolos loqui diuerſis linguis, & eos minime intelligentes, irridebant, dicentes eos eſſe ebrios. Beatus vero Petrus Apoſtolus, cernens religioſos, & quoſdam alios ex ſuperuenientibus, eſſe ſcientes; incœpit detrahentibus obuiare, oſtendens Apoſtolos non eſſe ebrios, & probans per Scripturas Prophetarum eos Spiritu Sancto repletos, euangelizauit quoque religioſis, Ieſum a mortuis reſurre-

ſurrexiſſe, & ipſum eſſe Deum, qui de cælo Apoſtolis Sanctum effudit Spiritum, exhortans vt a praua generatione Iudæorum ſegregarentur. Auditis ergo ſermonibus Petri, religioſi compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad cœtum Apoſtolorum. *Quid faciemus viri fratres?* Ad quos Petrus: *Pœnitentiam agite, & baptizentur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum & accipietis donum Spiritus Sancti:* alijſque pluribus verbis exhortatus eſt eos Petrus. Multi ergo ex prædictis religioſis, videntes quod illi, quos Apoſtoli baptizabant in nomine Ieſu Chriſti, recipiebant in ſpecie ignis viſibilis Spiritum Sanctum, recordati fuerunt aduenïſſe tempus, de quo Dux eorum beatus Ioannes Baptiſta, Chriſtum prophetans, eis prædixerat, *ille* ſcilicet Chriſtus, *baptizabit vos in Spiritu Sancto, & igne.* Quamobrem acceperunt ſermones Apoſtoli Petri, & baptizati ſunt ipſa die in Chriſto, recipientes in ſigno ignis viſibilis Spiritum Sanctum.

Act. 2. — Matth. 3.

CAPVT XXXVII.

Ad miraculum claudi, ac ſermonem Sancti Petri, reliqui e filijs prophetarum conuertuntur.

ALTERA autem die, cum illi ex prædictis religioſis, qui nondum ab Apoſtolis erant baptizati, eſſent cauſa orandi in templo cum reliquis de populo ad horam orationis nonam, ſuppliciter a Domino Deo poſtulabant, vt per ſignum eis oſtenderet, ſi aduenerat tempus illud, de quo Dux eorum Ioannes Baptiſta eis prædixerat, quod Chriſtus Ieſus eos Spiritu Sancto, & igne baptizaret. Titubabant enim de hoc nonnulli eorum, quia non viderant, neque audierant Chriſtum Ieſum manibus ſuis quemquam baptizaſſe. Ipſi tamen Ioannis vaticinium non perfectè intelligentes, ſperabant quod ſicut Ioannes ſuis manibus eos baptizauerat, ita Chriſtus proprijs manibus eos baptizaret. Exaudiuit autem tunc Deus orationem eorum, & ad rectum intellectum vaticinij Ioannis eos perduxit. Contigit enim eadem hora Sancto inſtigante Spiritu, Apoſtolos Chriſti Petrum, & Ioannem aſcendere in templum, & ad portam templi, quæ dicebatur *Specioſa*, obuium habere hominem quemdam, *annorum amplius quadraginta, ex vtero matris claudum*, rogantem eos pro eleemoſyna: Quem intuens Petrus cum Ioanne, dixit: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula: Et apprehenſa manu eius dextera, leuauit eum.* Qui *protinus exiliens ambulauit, & intrauit cum illis in templum, laudans Deum.* Videntes autem prædicti religioſi, *& omnis populus, eum in templo ambulantem, & laudantem Deum; & cognoſcentes quod ipſe erat qui ad eleemoſynam ſedebat ad ſpecioſam templi portam, repleti ſunt*

Act. 3. — Ibid.

ſtupore

ſtupore & extaſi in eo quod contigerat illi. Et cum viderent Petrum, & Ioannem in porticu, quæ appellabatur Salomonis, cucurrerunt omnes ad eos. Quibus Petrus prædicauit Ieſum, quem populus per ignorantiam interfecerat, a mortuis reſurrexiſſe; in fide cuius & nomine, & non in propria Petri, vel Ioannis virtute, claudus curatus fuerat. Propter quod Petrus eis dicebat: *Nomen Christi, & fides, quæ per eum eſt, dedit iſti integram ſanitatem in conſpectu omnium veſtrum.* Exhortabatur quoque eos Petrus quod pœniterent, & conuerterentur ad fidem Chriſti, vt delerentur eorum peccata; probans per Scripturas Prophetarum, fidem Chriſti & doctrinam eſſe ab eis ſuſcipiendam, & omnes eam renuentes fore exterminandos. Vt autem vehementius religioſos attraheret, cognominans eos proprio titulo, quem a Prophetis traxerant, dixit eis: *Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abraham: In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ: vobis primum Deus ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis, vt conuertat ſe vnuſquiſque a nequitia ſua.* Igitur religioſi præfati viſo miraculo claudi, & audito ſermone Petri, intellexerunt quod ſicut Chriſtus, ſuo nomine per Petrum inuocato, dederat integram ſanitatem claudo, ita illos baptizabat in igne, & Spiritu Sancto, ſuper quos effundebant Apoſtoli aquam, nomen eius ſanctum inuocando. Hinc ergo perpenderunt, quod ideo Ioannes Baptiſta dixerat eis prophetice: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne:* quia ſuper quos Apoſtoli aquam effundendo inuocabant nomen Chriſti, Ieſus illos baptizabat, tribuens eis Spiritum Sanctum in ſpecie ignis de cælo miſſi. Quamobrem crediderunt perfecte in Ieſum, & cum eis multi eorum, qui audierant Petri verbum: quorum numerus fuit quinque millia hominum. Qui poſtmodum ab Apoſtolis baptizati, receperunt in ſigno ignis viſibilis Spiritum Sanctum.

Ibid. Ibid. Matth 3.

CAPVT XXXVIII.

Eremitæ Carmelitani facti Apoſtolorum coadiutores, amantes allegoriam veterum ſcripturarum.

ERANT autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communione fractionis panis: quotidie quoque perdurantes in orationibus vnanimiter in templo cum exultatione, & ſimplicitate cordis, collaudantes Deum. Quibus omne ſpatium diei in ſtudiorum exercitijs, & eruditione ſacri Euangelij ducebatur. Habebant quoque tractatus ſacrorum voluminum, leges Patrum in allegoricam intelligentiam deducentes. Quoniam omnis lex vetus eis vi- Act. 2.

debatur animali eſſe ſimilis, eo quod extrinſece velut corpus habeat ipſam litteram, & ea quæ ſecundum litteram deſignantur; intrinſecus vero in littera, tanquam anima lateat cuiuſdam profundi, diuinique myſterij ſenſus inuiſibilis, & ſpiritualis, quem illi ab Apoſtolis edocti, ſublimius & nobilius velut per ſpeculum inſpicientes, & ex ipſis litteræ nominibus admirandas quaſdam ſpecies intelligentiæ concipientes, diuina & profundiori ſapientia Sacrorum voluminum tanquam copioſis dapibus imbuebantur. Denique eorum multi ea quæ ab Apoſtolis hauſerant cæteris effundentes, fidem Chriſti per Phœnicen, & Palæſtinam prædicarunt, dilatantes dogma fidei: & moribus vitæ, ac monaſtica conuerſatione Eccleſiam Dei inſigniſſimam demonſtrantes.

CAPVT XXXIX.

Carmelitæ accepta Euangelij lampade myſteria quondam ab Elia reuelata clarius intuentur.

POSTQVAM autem profeſſores huius religionis fuerunt per Apoſtolos baptizati, & in Sacri Euangelij eloquijs eruditi, intellexerunt plenè illud myſterium eſſe impletum, quod per Deum fuerat prophetæ Eliæ in monte Carmeli reuelatum. Legimus quidem in libro Regnorum, quod *Elias aſcendit in montem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem inter genua ſua, & dixit ad puerum ſuum: Aſcende, & proſpice contra mare. Qui cum aſcendiſſet, et contemplatus eſſet, ait: Non eſt quidquam. Et rurſum ait illi, Reuertere ſeptem vicibus. In ſeptima autem vice, Ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis, aſcendebat de mari* in Carmelum. Ab eo autem loco montis Carmeli, vbi puer aſcendebat, vſque ad ſummitatem montis, vnde poterat mare proſpici, erant decem gradus. Quos cum ſemel puer aſcendens proſpexiſſet contra mare, mandauit ſibi Elias, ſicut dictum eſt, vt iterum alijs ſeptem vicibus per eoſdem gradus reuertens contra mare proſpiceret. Et *in ſeptima vice* reuerſionis, quæ tamen ſit vicis octaua proſpectionis, *vidit* puer *nubeculam* illam *quaſi veſtigium hominis de mari aſcendentem* in Carmelum. Et dixit ei Elias: *Aſcende, et dic Achab: Iunge currum tuum, et deſcende, ne occupet te pluuia. Cumque ſe verteret huc, atque illuc, ecce cæli contenebrati ſunt, et nubes, et ventus, et facta eſt pluuia grandis.* Quid ergo Sacramenti rerum futurarum præter hiſtoriam viſio intrinſecus contineret, & quid magni myſterij Deus Eliæ, tunc *ſtanti prono*, per eam portenderet, dignatus

4. Reg. 18.

Ibid.

gnatus fuit Elias aperire, non palam omnibus, ſed ſecretè ſuis conſortibus. A quibus traditum tenemus, Deum, ſub figurata viſione, reuelaſſe tunc Eliæ quatuor magna myſteria, quæ per ordinem explicabo. Primo, quod quædam infantula naſceretur, quæ ex vtero matris ſuæ ab omni peccato munda egrederetur. Secundo, tempus, in quo hoc adimpleretur. Tertio, quod hæc infantula virginitatem perpetuam ad exemplum Eliæ amplexaretur. Quarto, quod Deus iungens naturam ſuam humanæ, de virgine illa homo naſceretur. Per hoc namque quod ille puer Eliæ vidit de mari nubeculam paruam oriri, reuelauit Deus Eliæ, quod quædam infantula, ſcilicet Beata Maria, per illam nubeculam ſignificata, & inſtar illius nubeculæ per humilitatem parua, naſceretur de humana natura peccatrice, deſignata per mare; quæ infantula iam in ſuo ortu eſſet munda ab omni peccatorum ſorde, quemadmodum nubecula illa de mari amaro orta; ſine tamen aliqua amaritudine. Licet namque nubecula illa eſſet originaliter eiuſdem naturæ cum mari, alterius tamen fuit qualitatis, alteriuſque proprietatis. Mare quippe ponderoſum eſt, & amarum: ſed nubecula illa leuis fuit, & dulcis. Sic quamuis in quolibet alio homine natura humana inſtar maris ſit in ſua origine, ita amaritudine peccatorum, & pondere vitiorum preſſa, vt fateri cogatur, *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*; Pſal. 37.
Beata tamen Maria de hoc mari, id eſt, natura humana, aliter fuit orta. Quoniam in ſuo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, ſed inſtar illius nubeculæ fuit leuis per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem chariſmatum. Ipſa enim in ſuo ortu fuit nubes illa de qua per Moyſen figurate eſt ſcriptum: *Ecce gloria Domini apparuit in nube*. Exod. 16.

CAPVT XL.

Allegoria temporis ortus Beatiſſimæ Mariæ Virginis, ex traditione per Sanctum Eliam.

SIGNIFICAVIT autem Deus Eliæ in prædicta viſione, quo tempore *nubecula illa*, ſcilicet Beata Maria, videretur a diſcipulis Eliæ *de mari*, id eſt, de amara, & vitioſa natura humana, oriri & *aſcendere*: Nam oſtenſum fuit in eadem viſione, quòd nullus eorum videret eam aſcendere, antequam ipſe, ſemel per decem gradus aſcendens, contra mare proſpiceret; & iterum alijs ſeptem vicibus per eoſdem gradus ad contemplandum contra mare rediret. Dixit enim Elias ad puerum ſuum: *Aſcende, & proſpice contra mare: Qui cum aſcendiſſet, & contemplatus eſſet, ait: Non eſt quidquam*. Quæro ergo, quid fuit puerum Eliæ ſemel per de- 3. Reg. 18. Ibid.

cem gradus aſcendere ad proſpiciendum contra mare; & tunc nihil ei apparere? Certè hoc nihil aliud fuit, niſi quod puer, id eſt, cœtus diſcipulorum Eliæ, contemplando aſcendit, primo per illas decem generationes humanas à Beato Luca in genealogia Chriſti poſitas, quæ fuerunt ante diluuium ab Adam vſque ad Noe in prima mundi ætate, & per eas diſcurrendo totum tempus quod fuit a Noe vſque ad Adam, puer proſpexit ſi forte eo tempore nubecula, id eſt, infantula aliqua eſſet nata contra mare, id eſt, contra ſolitam amaram, & vitioſam propaginem naturæ humanæ. Et quia nubecula illa non fuit a puero viſa naſci in illa prima ætate mundi; ideo puer dixit, *Non eſt quidquam*. Præcepto tamen Eliæ redijt iterum puer ſepties per decem gradus ad proſpiciendum contra mare. Et rurſum ait illi; *Reuertere ſeptem vicibus*: & in primis ſex nihil ſibi apparuit. Hoc autem, ſcilicet, quod iterum puer, id eſt, cœtus diſcipulorum Eliæ, ſepties per decem gradus rediens nihil vidit, denotat eum vlterius per alias ſex decades humanarum generationum contemplando aſcendiſſe, quas beatus Lucas in genealogia Chriſti texit, a Sem filio Noe vſque ad Iamne, filium Ioſeph. Quarum generationum decas prima, incipiens a Sem filio Noe, terminata fuit in Thare filio Nachor. Secunda vero decas, incipiens ab Abraham filio Thare, terminata fuit in Salmon filio Naaſon. Tertia autem decas, incipiens a Booz filio Salmon, terminata fuit in Iona filio Eliachim. Quarta vero decas, incipiens à Ioſeph filio Iona, terminata fuit in Elmadan, filio Her. Quinta autem decas, incipiens à Choſan filio Elmadam, terminata fuit in Ioſeph, filio Iuda. Sexta vero decas, incipiens a Semei filio Ioſeph, terminata fuit in Iamne filio alterius Ioſeph. Per has quidem ſex decades generationum, a beato Luca in genealogia Chriſti poſitarum, aſcendit puer, id eſt, cœtus diſcipulorum Eliæ, diſcurrendo ſcilicet totum tempus quod fuit a Iamne vſque ad Sem, contemplando ſi forte eo tempore, nubecula, id eſt, infantula illa eſſet nata. Et quia in toto illo tempore nata non fuit, ideo tunc diſcipulis Eliæ minime apparuit. *In ſeptima* autem reuerſionis *vice* nubecula eis apparuit: quia in tempore comprehenſo intra ſeptimam illarum generationum decadem, Beata Maria nata, & viſa a diſcipulis Eliæ fuit. *In ſeptima*, inquit, *vice, ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari*. Prædictus namque Iamne, in quo ſexta illarum generationum decas terminatur, genuit filium nomine Melchi, a quo incœpit harum generationum decas ſeptima. Hic ergo Melchi genuit Leui; & iſte Leui duos habuit filios, vnum qui a Beato Luca vocatur Mathat, ſed ab alijs dicitur Melchi, nomen aui ſui retinens; & alium qui vocatus fuit Panthera. Iſte vero Panthera genuit filium nomine Barpanthera: & hic Barpantera genuit filium nomine Ioachim, qui ex Anna vxore ſua genuit Beatam Mariam. Et ita in ſeptima reuer-

ſionis

ſionis vice, hoc eſt, in illa generationum decade, quæ fuit ſeptima, ab illa in qua homines per Dei præceptum reuerſi fuerunt poſt diluuium ad multiplicandum genus humanum, nata fuit Beata Maria, in medio ſcilicet illius decadis ſeptimæ; quæ etiam fuit defuncta antequam prædicta generationum decas ſeptima eſſet terminata. Sed priuſquam Beata Dei Genitrix ab hoc ſeculo migraret, fuit in Nazareth, & in Ieruſalem, & alibi, multoties a profeſſoribus huius religionis viſa.

CAPVT XLI.

Significata eadem viſione Beatæ Deiparæ Virginitas.

QVEMADMODVM autem hæc nubecula, ſcilicet Beata Maria, in ſeptima generationum prædictarum decade fuit nata; ita etiam in eadem ſeptima decade fuit a diſcipulis Eliæ viſa in Carmelum ſpiritualiter aſcendere. Nam antequam decem generationes deſcendiſſent a Melchi, a quo, ſicut dictum eſt, decas ſeptima incœpit, fuerunt docti profeſſores huius religionis, in Ieruſalem, a ſummo templi Pontifice, quod Beata Maria Virginitatem Deo ſeruare propoſuerat ad exemplum Eliæ, ſicut præoſtenſum fuit in prædicta viſione: *In ſeptima*, inquit, *vice, ecce nubecula parua*, ſcilicet Beata Maria, *quaſi veſtigium hominis*, *aſcendebat* in Carmelum: quæ ideo viſa fuit quaſi veſtigium hominis aſcendere in Carmelum, quia in hoc ſuo ſpirituali aſcenſu, non *fœminam*, quam imitaretur, ſed hominem habuit in exemplum. Ante quidem quam illa nubecula aſcenderet in Carmelum, aſcenderant vtique Elias, & puer ſuus ad montem illum. *Aſcendit*, inquit, *Elias in montem Carmeli*. Interpretatur autem *Carmelus*, *ſcientia circumciſionis*, ad quam ſcientiam ille præcipue aſcendit, qui ita ſcit præputium impudicitiæ a ſua carne, & mente circumcidere, vt non ſolum ſe ab illicito carnalis contagionis cœno alienum per caſtitatem reddat; verumetiam ab omni impudicæ voluptatis experimento ſe immunem per virginitatem Deo cuſtodiat. Propterea quippe data fuit circumciſio in veteri lege, vt facta in virili membro, in quo libido ſolet dominari, caſtitatem mentis, & corporis Deo ſeruandam, & impudicitiam reſcindendam indicaret. Nemo autem vnquam ad hanc aſcendit circumciſionis ſcientiam prius, quam Elias, & puer ſuus, id eſt cœtus filiorum prophetarum diſcipulorum eius. Ipſi namque primi virorum ſeipſos per virginitatem perpetuam ſponte dedicantes caſtrauerunt prorſus ab omnibus venereis voluptatibus mentes ſuas: & propterea appellati ſunt *Carmelitæ*, quod eſt interpretatum, *ſcientes circumciſionem*: quia hoc quod circumciſio indicat ſciuerunt perfecte in ſe adimplere. Cupientes enim

carnis, & mentis impudicitiam a ſe omnino reſcindere, elegerunt primi virorum in virginitate perpetua Deo ſponte viuere. Primo ergo aſcenderunt vere ipſi *in montem Carmeli*, id eſt, in altitudinem ſcientiæ circumciſionis: quia altius cæteris præcedentibus hominibus inchoantes ſciuerunt præputium impudicitiæ ita penitus a ſe circumcidere, quod elegerint primi hominum propter Deum virgines permanere. Ad hunc quoque *Carmelum*, id eſt, ad hanc altam circumciſionis ſcientiam, *nubecula illa*, ſcilicet Beata Maria, ideo *quaſi veſtigium hominis aſcendebat*, quia non fœmina, ſed homo, id eſt Elias, exemplum aſcendendi ei præbebat, quem ipſa imitari ſatagebat. Nam ſicut Elias prius præputium impudicitiæ ſciuit a ſua carne, & mente prorſus circumcidere; dum primus inter homines ſtuduit Deo virginitatem perpetuam ſponte inchoare; ita poſtea Beata Dei genitrix præputium impudicitiæ ſciuit exemplo Eliæ a ſe penitus circumcidere, dum quaſi *veſtigium hominis* illius elegit prima fœminarum propter Deum in virginitate perpetua viuere. Hinc eius ſponſus in Epithalamio ſibi ait gra-
Cantic. 7. tulabundus; *Caput tuum, vt Carmelus*. Vbi per *caput* rectè intelligitur *mens animæ*: quia ſicut in corporis membris caput præeminet; ita in viribus animæ mens eſt dignior. Et ſicut a capite membra, ita a mente cæteræ vires animæ reguntur: *Carmelus* vero, *cognoſcens circumciſionem*, interpretatur. Rectè igitur ſponſus huic virgini congratulans ait, *caput tuum*, id eſt, mens tua, o Dei genitrix, eſt *vt Carmelus*, id eſt, vere cognoſcens circumciſionem: quia prima fœminarum per ſpontaneam virginitatem ſciuiſti a te prorſus circumcidere omnem veneream voluptatem.

CAPVT XLII.

Veteris teſtamenti Carmelitæ orant Deum, vt mittat Saluatorem ſignificatum in pluuia.

3.Reg. 18. TANDEM demonſtratum fuit diſcipulis Eliæ, in eadem viſione, quo ordine naſceretur Dei filius de hac Virgine. Nam mox vt puer Eliæ, ſcilicet cœtus diſcipulorum eius, vidit nubeculam illam de mari quaſi *veſtigium hominis* in Carmelum aſcendere, dixit Elias puero ſuo: *Aſcende, & dic Achab, iunge currum tuum, & deſcende, ne occupet te pluuia.* Signum quippe expreſſum imminentis Incarnationis filij Dei fuit, quod puer, ſcilicet cœtus diſcipulorum Eliæ, vidit *nubeculam*, id eſt, infantulam illam quaſi veſtigium hominis *aſcendere* per modum prædictum in Carmelum, hoc eſt, ad tantam circumciſionis ſcientiam, vt ſeruare vellet virginalem continentiam. Vnde cum cœtus profeſſorum huius religionis audiſſet in Ieruſalem iuuenculam illam vouiſſe Deo virginalem continentiam, con-

ſeſtim perpendit quod aduentus filij Dei prope, & in ianuis erat. Et quemadmodum Elias præceperat, ita aſcendit tunc cœtus diſcipulorum eius per orationem ad *Achab*, qui *fraternitas paternitatis* interpretatur: ſignificat enim Dei filium; inter quem & genus humanum, antequam ipſe incarnaretur erat fraternitas tantum paternitatis: quia a quo patre fuit Dei filius æternaliter genitus, ab eodem patre fuit creatum genus humanum: hinc Dei filius non confunditur patrem ſuum appellare etiam patrem eorum, dicens: *Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum.* Sed quia inter genus humanum, & Dei filium antequam ipſe incarnaretur non erat fraternitas maternitatis: quoniam Dei filius nondum erat ex matre natus; ideo optans cœtus diſcipulorum Eliæ, vt hæc fraternitas inter eos fieret, aſcendit per orationem ad *Achab*, id eſt, ad Dei filium. Et ſicut Elias præceperat, ita ſuppliciter Dei filio dicebat, *Iunge currum tuum.* Currus quidem a currendo eſt dictus: eſt enim vehiculum circularis figuræ, & habilis ad portandum onus: ſignificat autem diuinam filij Dei naturam, quæ eſt circularis, id eſt æterna, carens, inſtar carri, principio & fine, per quam diuinam naturam ipſe *exultauit vt gigas ad currendam viam: portans*, vt Apoſtolus ait, *omnia verbo virtutis ſuæ*. Dicebat ergo ſuppliciter tunc ſibi puer, id eſt cœtus diſcipulorum Eliæ, iunge, noſtræ ſcilicet naturæ, currum tuum, id eſt, æternam naturam, & deſcende ad nos. Ne te occupet, id eſt, retardet, ſed magis prouocet, pluuia: ſcilicet quod *deſcendes ſicut pluuia*. Decet enim te ſicut pluuia in vellus deſcendere. Quoniam vellus pluuiam in ipſum ſine ſtrepitu deſcendentem accipiendo, vel reddendo, non rumpitur, ſed integrum ſeruatur. Ita quoque te decet taliter abſque ſtrepitu operationis humanæ in *nubeculam*, id eſt, Virginem Mariam placido illapſu deſcendere, & *currum tuum*, id eſt, æternam naturam tuam humanæ naturæ in vtero virginis *iungere*: vt virgo te Deum ſimul & hominem concipiendo, deinde pariendo, non rumpatur, ſed integra in ſua virginitate conſeruetur. Fuerunt autem exauditi Eliæ diſcipuli in hac ſupplici eorum deprecatione, ſicut ſequitur in prædicta viſione. *Cumque*, inquit, *ſe verteret huc*, ſcilicet ad contemplandam in adoleſcentula ſpontaneam virginitatem, *atque illuc*, ſcilicet ad deprecandam pro deſcenſu filij Dei ſummam Deitatem; *Ecce cæli contenebrati ſunt, & ventus, & nubes: & facta eſt pluuia grandis*. Per *cælos* honor, virtus, & celſitudo filij Dei intelligitur, cuius aduentum præſtolans Propheta dicebat: *Domine inclina cælos tuos, et deſcende*. Per *nubem* Virgo Maria, ſicut dictum eſt, deſignatur. Per *ventum* vero Spiritus Sanctus ſignificatur: quemadmodum per Prophetam dicitur: *Flabit ſpiritus eius, et fluent aquæ*. Igitur cæli, & nubes, & ventus fuerunt contenebrati: quoniam *virtus Altiſſimi ita obumbrauit* illi virgini, quod Dei filius, per operationem Sancti Spiritus, iunxit ſibi ex carne virginis illius animatum corpus humanitatis, quaſi vmbraculum ſuæ diuinæ lucis. Quem-

Ioan. 12.
Pſal. 18.
Hebr. 1.
Pſal. 71.
Pſal. 143.
Pſal. 147.
Luc. 1.

admodum Gabriel Angelus illi Virgini ita prædixerat: *Spiritus Sanctus*
Luc. 1. *ſuperueniet in te, et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod na-*
Ioan. 1. *ſcetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei.* Et tunc *facta eſt pluuia* gratiæ *grandis*: quoniam *Verbum caro factum eſt, et habitauit in nobis: et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti a patre, plenum gratiæ et veritatis, de cuius plenitudine omnes nos accepimus, et gratiam pro gratia*, vt ait Ioannes Euangeliſta.

CAPVT XLIII.

Cauſæ ob quas Carmelitæ dicti ſint fratres Beatæ Virginis Mariæ; & de Oratorio ab eis in monte Carmelo in memoriam, & laudem B. Virginis erecto.

RECENSVERVNT igitur huius religionis profeſſores, Deum prædeceſſoribus eorum per viſionem prædictam ſpecialiter reuelaſſe infantulam quamdam fore naſcituram, quæ ex vtero matris ſuæ munda ab omni peccatorum ſorde egrederetur, & inſtar eorum virginitatem ſpontaneam amplexaretur; de qua virgine Deus homo naſceretur. Contemplantes autem ipſi hæc omnia poſt modum fuiſſe adimpleta, & genus humanum per hanc virginem accepiſſe a filio Dei deſideratum ab eis pluuiæ, id eſt, gratiæ, beneficium, curauerunt deuotione aſſidua deſeruire huic virgini, dudum eorum prædeceſſoribus reuelatæ, ac deſideratæ, & poſtea eis exhibitæ. Et ſtuduerunt hanc ſpecialiter virginem ideo ſibiipſis in patronam eligere: quia nouerunt ipſam ſolam eſſe ſingulariter eis conformem in primitijs virginitatis ſpontaneæ. Quemadmodum enim virginitas ſpontanea fuit primo per priſcos profeſſores huius religionis propter Deum inchoata, & in viris introducta; ita eadem virginitas fuit poſtmodum per Dei Genitricem primo in fœminis introducta & incœpta, ſicut commemorauimus ſupra: propter quod ſicut religioſi Carmelitæ ſunt primicerij virorum ſponte virginum; ita Beata Maria eſt fœminarum voto virginum primiceria. Quæ conformitas primitiarum ſpontaneæ virginitatis, ſingulariter inter Dei Genitricem, & religioſos Carmelitas dudum prophetata, & poſtea adimpleta, fuit cauſa quod religioſi Carmelitæ Virginem Mariam iam tempore Apoſtolorum dicebant ſororem ſuam: & propter dictam conformitatem ſeipſos fratres beatæ Mariæ Virginis appellabant. Non arbitror autem quod negare velis, quin, eadem religione ſalua, profeſſores eius, ex cauſis diuerſis, poſſint in temporibus diſcretis deſignari varijs titulis. Alioquin in illum incideres errorem, quod religio Chriſtiana non eſſet eadem in nobis, quæ fuit in Apoſtolis, & Chriſti diſcipulis: quoniam Chriſtianæ religionis profeſſores in exordio prædicationis Chriſti, & Apoſtolorum

non

non eodem deſignabantur cognomine, quo nunc deſignantur. Teſtante namque beato Luca, cum Chriſtianitatis profeſſores prius dicerentur *diſcipuli*, poſtmodum tamen Antiochiæ primo cognominati fuerunt Christiani. Nunquid autem quia prius alio quam nunc cognominabantur titulo, dicemus aliam fuiſſe in eis religionem Chriſtianitatis, quam ſit in nobis? abſit. Nec ergo debes abſurdum reputare; Monachos nunc montem Carmeli inhabitantes, eiuſdem eſſe religionis cum illis, qui in dicto monte conuerſabantur ante Incarnationem Saluatoris; licet illi Prophetæ, & filij prophetarum dicerentur; & iſti fratres beatæ Mariæ Virginis cognominentur. Tunc enim, vt diximus, ipſi vocabantur Prophetæ, quando cum inſtrumentis muſicis in pſalmis & canticis, Deo pſallebant: adueniente autem noua lege, ritus pſallendi Deo cum omnibus illis inſtrumentis muſicis ceſſauit, & fuit in alium mutatus; ſicut ait Apoſtolus: *Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino*. Et quia ritus ille antiquus pſallendi Deo cum inſtrumentis muſicis nunc in noſtra religione non obſeruatur, ideo eius profeſſores modo Prophetæ non appellantur. Tunc etiam ipſi recte filij prophetarum dicebantur, quando per Prophetas, vt prædiximus, regebantur: nunc autem per Prophetas non reguntur, ideo nec filij prophetarum vocantur. Sicut eos tunc appellari fratres Beatæ Mariæ nullus ſanæ mentis diceret, cum Virgo Maria nondum nata eſſet: ſed ſicut dictum eſt, poſtquam tam expreſſam, & propriam primitiarum ſpontaneæ virginitatis conformitatem inter ſe, & Dei Genitricem cognouerunt adimpletam; ipſi ex tunc fratres Beatæ Mariæ Virginis appellati fuerunt. Et in memoriam viſionis de ortu huius Virginis præoſtenſæ Sancto Prophetæ Eliæ ſub ſpecie nubeculæ aſcendentis de mari in Carmelum monachi prædicti anno Incarnationis filij Dei octogeſimo tertio, diruentes eorum Semnion antiquum, ædificauerunt ad honorem huius primæ Virginis Deo dedicatæ capellam quandam, in monte Carmeli iuxta fontem Eliæ in ſitu illo, in quo Elias orans viderat *nubeculam* illam, *quaſi veſtigium* hominis de mari aſcendere in Carmelum. Vbi profeſſores prædicti ſeipſos huic Virgini commendantes ſingulis diebus in ſeptem horis Canonicis, ad effundendum dictæ Virgini, & eius filio ſedulas preces, & ſupplicationes, atque laudes, ex tunc ſemper conuenerunt, ibique de verbo diuino, culpiſque vitandis, & animarum ſalute procuranda humili colloquio ad inuicem contulerunt; & propterea cæteri etiam ab eorum religione externi, eos deinceps fratres Beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli ſemper appellauerunt.

Act. 11.

Coloſſ. 3.

CAPVT XLIV.

De habitu monachorum montis Carmeli, ac primum de Zona, ipſiuſque myſtica ſignificatione.

INVESTIGATO in præcedentibus, & aliquantulum deſcripto Fundatorum, & priſcorum profeſſorum noſtræ religionis cultu interiori a nobis imitando: ſupereſt tibi breuiter exponere, dilecte Capraſi, exteriorem habitus ornatum eorum, propoſitum nobis ad exemplum: per quem interioris diſpoſitionis illorum Patrum a nobis imitandæ, non modicam reſenties notitiam. Teſte namque Sapiente, *amictus hominis annunciat de eo*. Quemadmodum Fundator primus religionis huius fuit a Rege Ochozia cognitus, expoſita Regi per nuncios qualitate ſui veſtitus. Sciſcitabatur namque Rex a ſuis nuncijs cuius figuræ, & habitus eſſet vir, qui eis occurrerat, & locutus fuerat: cui reſpondentes nuncij dixerunt; *Vir piloſus eſt, & zona pellicea cinctus renibus*. Ex quo habitu confeſtim perueniens Rex in Prophetæ notitiam, ait: *Elias Theſbites eſt*. Zonæ quippe indicio, & hirſuti, incultique corporis ſpecie, virum Dei indubitanter cognouit. Quoniam zona pellicea, velut quoddam ſpeciale ſignum, impreſſum ſuis renibus perpetuo cohærebat; quia accinctis lumbis Elias dudum *cucurrerat* a monte Carmeli vſque *in Iezrahel ante* regem *Achab*, patrem Ochoziæ. Hoc ergo ſuo exemplo docuit Elias monachum huius profeſſionis debere cinctum renibus incedere. Nam & *Ioannes Baptiſta*, qui *in ſpiritu, & virtute Eliæ* venit, eum in accinctione lumborum imitatus fuit. De quo Euangeliſta ſic ait: *Erat Ioannes veſtitus capillis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius*. Huius autem zonæ habitu non paruum eſt quod a monacho exigitur ſacramentum. Lumborum enim accinctio, & ambitus zonæ pelliceæ, ſignificat monachum debere mortificationem illorum membrorum circumferre, in quibus luxuriæ ſeminaria continentur; vt ita, videlicet ſint lumbi eius zona pellis emortuæ exterius præcincti, quatenus interius inueniantur ſeminaria coitus in eo prorſus extincta: decantans dignè cum Propheta: *Factus ſum ſicut vter in pruina*: quaſi ſcilicet, gelu continentiæ ita conſtringendo in lumbis concupiſcentiæ carnalis ardorem, ſicut pruina congelando perſtringit vtrem. Hinc in Sacra Scriptura legimus Eliam ideo primo omnium zona pellicea fuiſſe in lumbis cinctum, quia primus hominum hoc ſigno dedit monachis exemplum reſtringendi in lumbis, & mortificandi omnis luxurioſi motus incentiuum; per modum de quo Apoſtolus ait; *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſupra terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiſcentiam malam*.

Eccleſ. 19. 4. Reg. 1. 3. Reg. 18. Luc. 1. Marc. 1. Pſal. 118. 4. Reg. 1. Col. 3.

CAPVT XLV.

De Melota, antiquo Carmelitarum habitu, ac eius myſterio.

MELOTAS quoque geſtaſſe fundatores huius Religionis, Eliam ſcilicet, & eius diſcipulos Prophetarum filios, Apoſtolus de eis loquens aſſeuerat, dicens: *Circuiuerunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis, & in cauernis terræ.* Dicitur autem *melota* proprie a mele animali (quod etiam taxus appellatur) de cuius pilis, vel pelle veſtis facta, quæ eſt valde hiſpida, eſt *melota* proprie vocata. Quanquam quælibet veſtis de pilis animalium aſperis, aut de pellibus hiſpidis facta ſit *melota* vulgariter dicta. Nam & indumentum de camelorum pilis, vel de pellibus caprinis, conſueuit *melota* communiter dici a multis. Quo etiam habitu in noua lege Ioannem Baptiſtam fuiſſe indutum Euangeliſta teſtatur, dicens: *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum.* Huius autem *melotæ* geſtatio, ſuccreſcentibus temporibus, deriſum potius, quam ædificationem, eam videntibus comparabat. Idcirco veſtem illam cilicinam, circumſpectam cunctis; quæ ex hoc ipſo nulla poterat ſpiritui emolumenta conferre, ſed elationis concipere vanitatem; profeſſores huius religionis concordi ſententia refutarunt. Loco autem eius tunicam lanæ non pretioſæ, ſed mediocriter aſperæ, eiuſdem coloris cuius exiſtebat melota, quam ſubtus ſcapulare geſtant, aſſumpſerunt. Quoniam dictorum Sanctorum patrum noſtrorum tam veteris, quam nouæ legis, exemplis oſtenditur, monacho huius profeſſionis conuenire veſtem habere aſperam, & magis conterentem corpus, quam fouentem; ſibique repugnare veſtem habere pretioſam, & delicatam, ſeu mollem ad delectandum carnem. Si enim habitatori ſolitudinis conueniret indumentis mollibus veſtiri, conceſſiſſet vtique Dominus hominem *veſtimentis mollibus indutum*, ita in deſertis eſſe videndum ſicut *in domibus Regum*. Hoc autem vigilanter abnuit ipſe dicens: *Quid exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtimentis indutum? Ecce qui in veſte pretioſa ſunt, & in delicijs in domibus Regum ſunt.* Huius autem tam melotæ, quam veſtis aſperæ geſtatio ſignificat monachum (cuius officium eſt lugere ſe, & mundum) debere Deo exhibere ſedulum pœnitentiæ fructum. In aſperitate quidem veſtis, punctio peccatorum, in colore autem eius cinereo, vel nigro, puluis oſtenditur mortuorum, & idcirco vtrumque horum debet monachus adhibere ad pœnitentiam, vt & in punctione aſperæ veſtis recognoſcat quid per culpam commiſit, de quo pungatur, & doleat; & in colore veſtis cinereo, ſeu nigro, perpendat quid per iudicium meruit: quia mortem, nedum tem-

Hebr. 11.

Matth. 3.

Matth. 11.

Luc. 7.

temporalem, ſed æternam, quam paueat. Quemadmodum Propheta ait: *Accingere cilicio, & conſpergere cinere, luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum.* Ierem. 6.

CAPVT XLVI.

De ſuperhumerali, ſiue ſcapulari.

SVPERHVMERALIBVS etiam priſci noſtræ religionis profeſſores, tempore legis veteris vtebantur. Pręceperat enim Iudæis lex, in quatuor angulis ſuarum veſtium fimbrias, & in fimbrijs funiculos, facere. Quas fimbrias cum funiculis dicti profeſſores, iuxta legis præceptum, in quatuor inferioribus angulis ſuperhumeralium geſtabant. Erat autem ſuperhumerale veſtis ſine manicis vſque ad renes deſcendens, in vtroque latere aperta: brachijs etiam ea nudatis: cuius poſterior pars in humeris copulabatur parti anteriori. Nouæ autem legis tempore huic veſti in apertura colli iunctum fuit caputium tegens caput, & ſcapulas. Idcirco hæc veſtis ex tunc dicta fuit ſcapulare: quia ſuo caputio operit non ſolum caput, ſed ſcapulas. Quam noſtræ religionis profeſſores, fimbrijs & funiculis ab ea reſecatis, vſque nunc ſumma cum diligentia diebus, ac noctibus indeſinenter geſtant. Per hoc autem quod hæc veſtis capite, & ſcapulis ea onuſtis, & opertis, iugiter a monacho geſtatur, denotat monachum debere ſemper iugum obedientiæ ſuper ſe humiliter ferre, & ſuperiori ſuo irrefragabiliter ſubiacere: Apoſtolo Paulo ita prædicante: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis. Ipſi peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, et non gementes: Hoc enim non expedit vobis.* Quoniam ſi eis non obediretis; Chriſtum, qui eos poſuit ſuper capita veſtra, ſperneretis. Ipſe enim Præpoſitis ait: *Qui vos audit, me audit; et qui vos ſpernit, me ſpernit.* In eo autem quod hac veſte brachia, & latera corporis nudantur, vt expeditiora reddantur ad opus; ſignificatur quod monachus eam geſtans debet eſſe promptus ad exercendum opus Domini: Quemadmodum Apoſtolus præcepit, dicens: *Itaque, fratres mei dilectiſſimi, ſtabiles eſtote, et immobiles, abundantes in omni opere Domini: ſemper ſcientes quod labor noſter non eſt inanis in Domino.* Et propterea omnem deſidiam debet monachus ab omni opere Domini repellere. Quoniam, ſicut Propheta ait; *Maledictus homo, qui opus Domini facit negligenter.*

Deuter. 22. Hebr. 13. Luc. 10. 1. Corinth. 5. Ierem. 48.

CAPVT XLVII.

De Pallio albo.

PALLIO quoque indutum fuiſſe primum Fundatorem huius religionis Eliam Thesbitem, Sacræ Scripturæ auctoritate monſtratur. Nempe hoc habitu operuit Elias vultum ſuum, cum in monte Oreb tranſiret Deus ante eum. Hoc quoque pallium miſit ipſe ſuper Eliſeum, quando accepit eum in diſcipulum. Pallium autem iſtud fuit veſtis rotunda, deſuper corpus operiens, a collo vſque ad medias tibias deſcendens, ante aperta, alibi clauſa, ſuperius anguſta, inferius amplitudine expanſa. Elias hoc pallium Eliſeo dimiſit, dum ab eo in Paradiſum voluptatis aſcendit. Docuit autem per hoc Elias Monachos, hanc religionem profitentes, debere pallio ſuperueſtiri albo: quemadmodum eos indutos albis Dominus præoſtendit Sabachæ patri Eliæ. Ante quippe filij ſui Eliæ natiuitatem vidit Sabacha in ſomnis viros candidos, qui ipſum ſalutabant. Quæ viſio ſibi præſignauit, quales eius filius Elias imitatores ſuæ vitæ monaſticæ habiturus eſſet. Cernens namque Sabacha viros candidos, vidit in ſpiritu Religioſos per Eliam inſtituendos. Quos ideo candidatos vidit, quia Eliam, velut monaſticè viuendi exemplar, erant imitaturi, in candore nedum mentali ſinceræ puritatis, ſed etiam corporali habitus albi eos deſuper tegentis. Huius autem pallij albi geſtatio, ſignificat Monachos iſtius profeſſionis debere & puritatem mentis ſeruare, & etiam ſanctimoniam carnis cuſtodire: quemadmodum Apoſtolus præcepit, dicens. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes* 2. Corinth 7. *ſanctificationem in timore Domini. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.* 1. Theſſ. 4. Hinc Elias, qui primus vſum huius pallij albi in Monachos introduxit, per hoc ſignificauit Monachum, pallio albo opertum, debere exemplo eius ſeruare ſanctimoniam, ne dum in mente, ſed etiam in carne. Quatenus veſtimenta illa, de quibus Beatus Iob Iob 10. Domino loquens, ait: *Pelle & carnibus veſtiſti me;* ſeruet Monachus per ſanctimoniam ſemper munda: ſicut ſcriptum eſt: *omni tempore ſint veſtimenta tua candida.* Eccl. 9.

CAPVT XLVIII.

De Baculo, ac ſpirituali eius ſignificatione.

BACVLVM denique geſtaſſe primos huius Religionis profeſſores, Eliſeus, qui vnus fuit ex ipſis, docet: mittens enim Giezi puerum ſuum ad ſuſcitandum mulieris Sunamitidis filium, dixit ei: *Tolle baculum meum in manu tua, & vade,* 4. Reg. 4.

& pone baculum meum ſuper faciem pueri. Quem vtique non dediſſet ei geſtandum Propheta, niſi eum manu ſua ſolitus eſſet portare. Hoc autem ſuo exemplo docuit Eliſeus Monachum huius profeſſionis debere baculum in manu circumſerre. Huius vero baculi geſtatio ſpiritualiter monet, Monachum nunquam debere inermem incedere, inter tot oblatrantium concupiſcentiarum, & vitiorum canes: inter tot inuiſibiles ſpiritualium nequitiarum beſtias, de quibus Propheta poſtulans per Deum liberari, ait: *Ne tradas Domine beſtijs animas confitentes tibi*. Debet enim Monachus fide munitus reſiſtendo eas longius propulſare, Apoſtolo Iacobo dicente: *Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis*. Aduerſus ſe etiam ſæuientes concupiſcentiarum, & vitiorum canes debet Monachus retundere imitatione Dominicæ paſſionis, & eiuſdem mortificationis exemplo, ita dicente Apoſtolo: *Qui Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs*. Vides ergo, quia ſicut accinctio zonæ pelliceæ ſpecialiter denotat Monachum debere omnem luxurioſum motum extinguere in membris, in quibus ſeminaria coitus continentur, & caſtitate in illis membris pollere; ita geſtatio pallij albi generaliter monſtrat Monachum debere omnem culpabilem immunditiam a carne, & ſpiritu ſuo repellere, & in vtroque per virtuoſam puritatem fulgere. Et ſicut geſtatio ſcapularis ſignificat Monachum debere ſuo Superiori propter Deum humiliter obedire, & opera Dei promptè exercere, ita baculi geſtatio deſignat Monachum nullis diaboli, aut mundi, vel carnis tentationibus debere parere, ſed longè a ſe eas propulſare. Melotæ autem, ſeu veſtis aſperæ geſtatio ſignificat Monachum debere per dignam pœnitentiam emendare omne quod ex ignorantia, vel ex infirmitate contigerit eum circa præmiſſa peccare. Hæc de noſtræ Religionis habitu, & eius ſignificatione a nobis breuiter perſcripta, admonent, huius profeſſionis Monachum, vt reuerentiam ſui habitus in opere, locutione, & cogitatione ſua ſemper circumſpiciat, atque ea quæ ſunt mundi perfectè deſerat, & quod oſtendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat, *amictus* ſemper *lumine vitæ, ſicut veſtimento*. Scriptum eſt enim: *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius*. Quod nobis præſtare dignetur Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit, & regnat Deus benedictus, &glorioſus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. 73. — Iob 4. — Gal. 5. — Pſal. 10. — Apocal. 16.

Finis libri Ioannis Ieroſolymitani de Inſtitutione Monachorum.

Huius

8 Huius porro Ioannis noſtri libri varias lectiones, ob plurium exemplarium, præſertim Gandenſis, Mechlinienſis, & Namurcenſis M.S. & alterius quod Salmanticæ primum, deinde Antuerpiæ, mutuati ex Veneto, diuerſitatem, habeat Lector ex Petro Vvaſtelio viro eruditiſſimo *in tom.*1. *Vindiciar. & operum eiuſdem Ioannis* fere ad calcem eiuſdem; de illis enim iudicium ferre vix noſtrum tangit inſtitutum. Libri variæ lectiones.

9 Illud tamen proprius; inueſtigare videlicet, quis hic Capraſius monachus Carmeli, ad quem Ioannes librum ſcribit, fuerit. Temporis namque diſtantia, Carmeli eremi incolatus, & monumentorum iactura hallucinari cogit, nedum exteros, ſed & domeſticos quoque. In re tamen obſcura Petrus idem Vvaſtelius *In Vindic. oper. Ioann. to.*2. *lib.*1. *ſect.*1. *art.*8. & Caſanate *in Paradiſ. Carmelit. decor. ſtat.* 3. *ætate* 6. *cap.*15. *& in notis ad illud*, probabile, ac credibile cenſent hunc Capraſium fuiſſe celebrem illum eiuſdem nominis aliquanto poſt hoc tempus Monaſterij Lirinenſis in Gallijs Archimandritam, Abbatem, & Superiorem, de quo author vitæ ipſius, Beda, Vſuardus, Ado, & Martyrologia pro prima die Iunij: Vbi etiam Baronius, ac inter alios Sidonius Apollinaris *in carmine Euchariſtic. ad Fauſtum* canens: Capraſius Carmelita.

——— *Quantos illa Inſula plana*
Miſerit in cælum montes; quæ ſancta Capraſij
Vita ſenis &c.

Eo præſertim ducti, quod non ſolum nomine, ſed etiam tempore, ac monachatu vterque Capraſius cohæreat. De monachatu id apud omnes patet. De tempore autem etiam id pro comperto eſt ex Vincentio Baralio authore vitæ huius Capraſij Lirinenſis, quam ex varijs Codicibus collegit; & quam Benedictus Gononus *in vit. Patr. occidental. lib.* 1. tranſcripſit. Ibi enim tranſijſſe *ad optata gaudia ſupernorum circa annos humanæ redemptionis triginta ſuper quadringentos*, ſcribit, quod tempus non diſcordat a noſtri Carmelicolæ Capraſij ætate. Nec in vitæ gerendæ modo diſſimiles apparent. Nam de illo Lirinenſi in vita ipſius dicitur: *Omnia huius ſæculi concupiſcibilia arbitratus eſt vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret, & ſoli Deo liberius vacaret, non ſolum corde, ſed etiam corpore, ab hominum aſpectibus, & ſæculi conuerſatione receſſit, & in quadam arcla, aridaque ſolitudine Monaſticam vitam ducere; ſolitariamque inſtitutionem aggredi deliberauit. In qua nimirum eremi ſolitudine, &c.* Quæ apte cohærent cum noſtro Eremita Carmeli, qui in ea eremi ſolitudine ſoli Deo vacaret, & ab hominum aſpectibus, & ſæculi conuerſatione, alter velut Elias, aut prædeceſſores Prophetæ, ſecretus, Monaſticam, & Propheticam duceret vitam. Vnde in Catalogo inſignium Monachorum Lirinenſium, quem infra ſub ann.440. ex Arnoldo Vvione referimus, Capraſius iſte *Eremita* cognominatur.

10 Nec mirum viris doctis apparere poterit quod in Palæſtinæ partibus eruditus Monachus, Ciſalpinæ Galliæ incolatum quæreret, & Lirinenſem Capraſius Carmelita & idem cum Lyrinenſi.

nenſem inſulam cogitaret. A Deo namque illis temporibus excitati plures Orientalium partium Aſcetæ, in Occiduas proficiſcebantur, vt monaſticæ diſciplinæ ſemen, quod in Oriente per primos ipſius Patriarchas ſeminatum copioſiſſime fructificauerat, in Occidente etiam fructum vberiorem faceret. Sic Ioannes Caſſianus, natione Scytha, monachatu Bethlehemitanus, a Monaſterio ſuo, quod, vt ipſe *lib. 4. de Inſtitut. cap. 31.* teſtatur, non longe aberat *a ſpelæo, in quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus ex Virgine naſci dignatus eſt*, in Galliam Narbonenſem, & Maſſiliam venit, ibique duo Monaſteria condidit, teſte Gennadio *in lib. de Scriptorib. Eccleſiaſtic.* Sic erant illi, quos S. Eucherius *lib. de laudibus Eremi*, commemorat dicens: *Hæc nunc habet ſanctos ſenes illos qui diuiſis cellulis Ægyptios patres Gallijs noſtris intulerunt.* Sic prætetea alij, quos præcedenti tomo retulimus, ex illis Orientis plagis ad Occiduas noſtras excurrerunt. Habent itaque relati authores pro veriſimili aſſerto, quod is noſter Capraſius, ad quem librum ſuum de *Inſtitutione Monachorum* Ioannes Ieroſolymitanus nuncupat, ſit ille eiuſdem nominis, & Synchronos, qui poſtea Gallias venit, & Abbatis munus in Lirinenſi Cœnobio geſſit.

Diuerſus a Capraſio Lyrinenſi.

11 Verumtamen, ſi rem intimius perſpiciamus, & ea quæ de vtroque Capraſio Hiſtoriæ tradunt perſcrutemur, ac ad inuicem conferantur, fere pro comperto erit, duos, & diuerſos fuiſſe hos duos viros Capraſij nomine celebres; alterum videlicet Carmeli montis Archimandritam, ad quem Ieroſolymitanus Antiſtes Ioannes librum *de Inſtitutione Monachorum* nuncupat; alterum vero, Capraſium monachum (etſi Eliani Inſtituti æmulatorem, cum nec leue veſtigium ſit ad ſuſpicandum alterius ſcholæ alumnum) Patrem Monaſterij Lirinenſis, & plurium in ipſo vitam aſceticam agentium. Id primo ſuaderi videtur ex eo quod Lirinenſis Capraſius circa annum Chriſti 430. ex hac vita ad cæleſtem tranſijt, Carmelicola vero Capraſius, vt dicemus ſuo loco Concilio adfuit Epheſino, quod anno 431. celebratum fuit, & teſte Boſtio *lib. 5. relato cap. 73.* anno 450. diem clauſit extremum, & Eutychianæ hæreſis tempore plures e Carmeli incolis pro fidei veritate prædicanda in varias partes deſtinauit. Accedit quod de Lirinenſi Capraſio Baralius loco relato ſcripſit, videlicet in Nicomedia aliquando fuiſſe, & inde cum Honorato, & Venantio fratribus Ciſalpinam ingreſſum Prouinciam, Lirinenſem Inſulam illuſtraſſe; hæc namque Nicomediæ habitatio, & cum Honorato, & Venantio in illis partibus amicitia, vix poſſunt Capraſio Carmeli Anachoretæ, de quo nihil tale hiſtoriæ noſtræ proferunt, adaptari.

Capraſius qui Carmelum colebat.

12 De illo autem qui noſtri Carmeli accola fuit, Capraſij nomine illuſtris, rectius Vvaſtelius, & Caſſanate relati aſtruunt, ſubnixi B. Cyrilli, & antiquorum teſtimonijs, quod hoc tempore, quo Ioannes ad illum Opus ſuum nuncupabat, in Carmelo ageret cum alijs coeremitis.

Deinde,

Deinde, veriſimile quoque eſſe Præfectum Carmelicolarum fuiſſe; prout Palæonydorus *lib.2. cap.6.* aſtruit, & ante eum Boſtius *lib. 5. hiſtor. cap.67.* Hoc etiam titulo magis congruè a Ioanne poſtulare poterat monaſticæ vitæ inſtitutionem, & Ioannes ipſi illam reſcribere. Nec obuiat quod cum ipſo veluti cum filio, & diſcipulo agat; quid enim ſic ageret ſupremus in tota Palæſtina, in qua & Carmeli Religio vigebat, Patriarcha, fama celebris, (etſi apud quoſdam non ſatis bene viſus) monachatu vetuſtior, & qui prius totius Carmeli clauum tenuerat, ac in præſenti, Diœceſani titulo decorabatur.

13 Ex his porro error deprehenditur magni illius Ioannis Trithemij Abbatis, hiſtoriarum peritiſſimi, dum *lib.3. de viris illuſtrib. Ordin. S. Benedicti cap.279.* Capraſium hunc Lerinenſem Cœnobiarcham Benedictino gregi adiudicat. Notant hoc Baralius, Gononus, & Caſanate relati; & merito ſane, quia quamplurimis annis hic Capraſius S. Benedicti ortum præceſſit. Forſan de alio ſimilis nominis hæc dicere voluit. Si autem noſter ille fuit iuxta dicta, & ſolum in Chronologia, & Inſtituto profeſſionis errauit Trithemius, pro noſtra inſtructione, & exemplo accipiamus, quæ de eo ſic ſcribit: *Vir maximæ humilitatis, & manſuetudinis, regularis diſciplinæ zeloſus obſeruator.* Propter eandem etiam temporum diſtantiam, non potuit eſſe is Capraſius alius eiuſdem nominis longe antiquior Martyr in Gallia ſub Diocletiano, de quo Martyrologium Romanum, Bedæ, Vſuardi, & Adonis, pridie nonas Octobris, & alij, qui vitam S. Fidei Virginis, & Martyris, quæ eum ad Martyrium animauit, ſcripſerunt; ac nouiſſime Gononus *ſupra in notis ad vitam S. Capraſij.*

Capraſius nō Benedictinus

14 Etſi autem Capraſio Eremitæ ſoli liber nuncupatus deſcribatur, nihilominus, quia rem communem cunctis Carmeli cultoribus tractabat; primordia ipſorum Religionis oſtendebat, primorum eremi cultorum geſta ſedulo demonſtrabat, ac media omnia pro perfectione obtinenda ſingulis exhibebat, ab omnibus pro vita monaſticæ ſectandæ norma (Regulam vocant) iure receptus fuit. Sic enim vel per traditionem acceptum Prædeceſſores noſtri ſuis ſcriptis prodiderunt. Specialiter inter ipſos merito primo referendus B. Cyrillus Conſtantinopolitanus *in Epiſtola ad Euſebium Montis Neroi Eremitam* ſæpius inculcanda, apud Speculum Ordinis *lib.8. cap.1.* illis verbis. *Et ex tunc profeſſores Religionis noſtræ ſategerunt ad perfectionem, & finem vitæ ſolitariæ, tendere ſecundum formam Inſtitutionis Prophetæ Eliæ per dictum Ioannem in præfato libro deſcriptæ.* Ioannes de Malinis *in Speculo hiſtoriali cap.6.* ſic: *Quidam frater Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli vocatus Ioannes in Patriarcham Ieroſolymitanum ſublimatus, ſicut ſcribitur in Chronicis Romanis, circa annum ab Incarnatione Domini* 800. (lege 400. parcens ſcriptorum errori) *quaſdam religioſe viuendi normulas a B. Baſilij regula excerptas dicti Ordinis fratribus in poſterum obſeruandas dereliquit.* Ioannes

Libri ſcopus.

nes de Cimineto in Opuſculo paruo *Speculum Ordinis* etiam appellato *in cap.5.* hæc: *Verum de Religione prædicta quidam frater Ioannes nomine, Ieroſolymitanus Patriarcha, ſicut ſcribitur in Chronicis Romanis, prædictis fratribus ſuis certam Regulam non habentibus, Regulam a Beatis Patribus Paulino ſucceſſiue, & a Baſilio viris Religioſis editam, ac in ſacro canone, videlicet 18. qu.2. ſolemniter approbatam, dedit in poſterum obſeruandam.* Ioannes de Vineta in Tractatu qui incipit *Cum quidam fratres* eadem, quæ ex Cyrillo retulimus, ad verbum ſcripſit. Arnoldus Boſtius in ſuo Opere hiſtoriali *lib.5. cap.67.* Sorethius Generalis *in præfat. ad Regulam Alberti*, & alij etiam Cyrilli phraſim imitantur. Ioannes autem Palæonydorus *lib.2. cap.6.* poſt alia ex Cyrillo relata ſubiungit: *Huius libri diſciplina, & Inſtitutione Carmelitæ ſine paganorum inſultu vixerunt amplioribus dilatati Monaſterijs vſque ad tempora Eraclij Imperatoris.* Amplectitur etiam eandem traditionem Petrus Lucius Belga *in Compend. hiſtoriar. cap.10.* Hos autem anteriores Ordinis Chronologos poſteriores, præſertim Coria, Thomas de Ieſu, Caſanate, & alij ſequuntur. Quin & de exteris illi, quos præcedenti tomo ſub hoc etiam anno attulimus, etſi hallucinentur dum ipſum primordialem Inſtituti Ordinis authorem putare videntur. Et Aubertus Myræus *ſupra in Apparat. cap.2.* relatus.

Quomodo ex Baſilij Regula.

15 Emergit porro dubium circa ea quæ Ioannes de Malinis, & Ciminetus relati dicunt, de huiuſmodi Ioannis libro pro Carmeli noſtri monachis regulariter inſtruendis tradito, quod ſcilicet ille ex B. Baſilij Regula excerptus, vel ipſa a Baſilio edita Regula, fuerit. Quod clarius habet Ioannes Groſſus Ordinis Generalis *in Viridario claui 2. & 3.* dicens Ioannem ſuis Carmelitis Baſilij Regulam dediſſe, & Boſtius *lib.5. cap.67.* inquiens: *Certamque normam viuendi ex Regula admonitionum S. Baſilij componens.* Cum enim hoc a B. Cyrillo, qui primus huius traditæ Regulæ hiſtoriæ author conſpicitur, minime aſſeratur, non videtur ſolido fundamento dictum. Nodus tamen euaneſcit facile, ſi animaduertamus iuxta dicta in ſuperioribus, Capraſij petitionem, & Ioannis intentionem eo ſolum reſpexiſſe, vt coeremitæ Carmeli Anachoretæ methodicam quandam viuendi normam haberent, qua, alijs libris contenta, magis per ordinem, & cum expreſſa notitia Inſtitutionis, & Inſtitutorum Religionis, ipſorumque recte geſtorum, intueri poſſent. Baſilij ergo Regula, alijſque ipſorum monumentis perſpectis, Ioannes opus compilauit, Antiſtitis veluti Metropolitani authoritate communiuit, ac ipſis obſeruandum tradidit, prout non ſolum Cyrillus, ſed etiam alij poſteriores ſcribunt; etſi iſti expreſſius ex Baſilij Regulæ Inſtitutionibus excerptum dicant. Quo ſenſu venerabilis Sorethius relatus dixit: *Regulam B. Baſilij commendans obſeruandam*; & Palæonydorus *ſupra cap.5.* clarius: *Quam Ioannes 44. Ieroſolymorum Epiſcopus ſuo libro inſeruit, & Carmelitis tradidit.* Ac expreſſius Lucius *ſupra* inquiens

inquiens Ioannis Regulam ex admonitionibus Baſilij adaptatam fuiſſe. Quod etiam habet Boſtius relatus.

16 Difficilius loquitur Ciminetus commemoratus dum Paulini ex Regula librum hunc a Ioanne ſcriptum indicat, quod alij etiam hauſerunt; cum nec quæ ſit hæc Paulini Regula conſtet, nec minus quod Ioannes ex ipſo minoris in Eccleſia authoritatis viro eam deſumpſerit. Et ſane niſi dicamus hunc authorem deceptum, & ex ſe ſcripſiſſe, quod alij anteceſſores, nec cogitauerant, ac inde errandi aniam poſteris præſtaſſe, vix aliud dicendum occurrit, quam quod cum Paulinus cum vxore Theraſia ne dum ſanctitatis opinione, ſed & monaſticæ diſciplinæ Inſtitutis in Nolæ partibus ſedulo exercitatus floreret, eique Ioannes amicitia coniunctus eſſet, vt aliqua, quæ in præcedenti tomo de ipſo diximus, ſuadent, ideo operis huius compilator Ioannes aliqua Paulini documenta, quibus maxime commendabatur, eidem inſereret, & cum alijs, ſuis coeremitis Carmeli obſeruanda traderet. Quomodo ex Paulino.

17 Ex his autem cauſam habet Lector clarius dignoſcendi cur apud plures hiſtoricos ea inualuerit ſententia, vt crederent Carmelitarum Ordinem ſub Regulæ S. Baſilij vexillo in Eccleſia militaſſe. Prout exiſtimare videntur D. Antoninus, Syluester, Armilla, Polydorus, Sabellicus, Platina, author Theatri vitæ humanæ, & alij, quos refert noſter Thomas de Ieſu *de varijs Regul. Carmelitar. par.*1. *dub.*6. Quibus etiam adhærere credi poſſunt duo Ordinis noſtri ſydera, Thomas Vvaldenſis *de Sacramentalib. tit.*9. *cap.*89. & Baptiſta Mantuanus *in ſua pro Carmelitis Apologia*. Horum namque aſſertio eatenus veritati concors eſt, quatenus videlicet ab anno Chriſti Redemptoris 363. vel circiter admonitiones Baſilij, eius quondam coeremitæ, Carmelicolæ obſeruare ſtuduerint; ab anno autem 412. præſenti, & ſequentibus, Ioannis Ieroſolymitani librum, ſeu Regulam, vbi Baſilij admonitiones cum alijs documentis ſpectantibus ad Ordinis primam Inſtitutionem, & Inſtitutores primos, ipſorumque geſta egregia, inſertæ erant. Rem ſic diſerte Ioannes Palæonydorus *lib.*2. *cap* 1. quem alij æmulantur: *Iſte eſt Baſilius, qui Monachorum Inſtituta duplici ſub forma compoſuit; vna eſt per modum dialogi, & hanc eius confratres Carmelitæ in monte Dydimi aſſumpſerunt, & eundem in Patronum eligentes de Ordine S. Baſilij vocati ſunt; alia per modum communis admonitionis, quam Ioannes* 44. *Ieroſolymorum Epiſcopus ſuo libro inſeruit, & Carmelitis tradidit.* Quomodo Carmelitæ ſoo Regula S. Baſilij.

18 Quomodo autem e contra ipſe Baſilius primitus ſub Regula Carmelitarum vixerit, *to. præced. ſub an.*363. diximus ex Alphonſo de S. Victore Benedictino, conformiter etiam ad doctrinam Gregorij Nazianzeni, & Baptiſtæ Mantuani, quos eo loco retulimus. Quomodo S. Baſilius quondam ſub Carmel. Regula.

Ann.

Ann. Chriſt. 413. & 414. Innocentij Rom. Pontific. 12. & 13. Honorij Imper. 19. & 20. Theodoſij 6. & 7.

1 MVLTIS de humana hiſtoria pro ipſius ſcriptoribus relictis, de noſtra Eliana, & Monaſtica occurrunt; primò Cyrilli Alexandrini Antiſtitis, quem monachum, & Carmeli fruticem fuiſſe præcedens tomus oſtendit, peregregia facta, tanto Doctore digna, & his prioribus ſui præſulatus annis geſta. *Epiſcopus factus* (inquit Officium Carmelitanum) *totum ſe Epiſcopalis ſolicitudinis curæ dedit. In primis, vt ab infidelium erroribus aream ſuam purgaret, Iudæos tunc temporis Alexandriam prauis moribus labefactantes inde expulit.* De hoc tamen *ſub anno* 415. dicemus. Nouatianos etiam ab ipſorum Eccleſijs eiecit, prout Socrates de eorum ſecta ſuſpectus *lib.* 7. *cap.* 7. refert, alia etiam adiungendo homo non ſatis pius in Cyrillum, ſic: *Poſt mortem Theophili Cyrillus in Sede Epiſcopali collocatus Epiſcopatu potitus eſt, maioremque principatum, quam vnquam Theophilus habuiſſet, pariter ſibi aſſumpſit. Etenim ex illo tempore Epiſcopus Alexandrinus, præter ſacri Cleri dominatum, rerum præterea ſæcularium principatum adquiſiuit. Quapropter Cyrillus ſtatim cum Nouatianorum Eccleſias, quæ erant Alexandriæ occluſiſſet, non modo omnem ſacrum theſaurum, qui in illis fuit, penitus abſtulit, verumetiam Theopemptum illorum Epiſcopum omnibus ſuis fortunis priuauit.* Vitio vertit Socrates quæ Cyrillus iuſte peregit.

Cyrilli Alexandrini geſta.

2 Memoranda etiam hoc tempore pia hiſtoria de Monachatu Demetriadis Virginis tunc ſuſcepto, cuius egregij operis circumſtantiæ, quia pietatem magnam præſeferunt, ad ſacrarum Monialium exemplum, hic non omittendæ, ex D. Hieronymo, Auguſtino, Proſpero, & alijs. Hæc Chriſti virgo, vt Hieronymus *epiſt.* 8. inquit, *nobilitate, & diuitijs prima in Orbe Romano*, commendata eidem Hieronymo a Iuliana matre, & Proba auia, quæ in ipſa (eodem teſte) eximium Demetriadis opus *plantauerunt*, & *Dominus incrementum* dedit, ex Proborum, Olibriorum, Anitijque ſanguine orta talibus ornabatur virtutibus, ſicut idem Stridonenſis atteſtatur: *Inter gemmas, & ſericum; inter eunuchorum, & puellarum cateruas; & adulationem, ac miniſteria familiæ perſtrepentis, & exquiſitas epulas, quas ampla domus præbebat abundantia, appetiſſe eam ieiuniorum laborem, aſperitatem veſtium, victus continentiam.* En veluti primordia Virginis. Quod vero ad nos ſpectet ipſius gloria audiat Lector ex eodem Hieronymo: *Stupebat ad conuerſationem Eliæ, & Ioannis Baptiſtæ, quorum vterque zona pellicea aſtrinxit, & mortificauit lumbos ſuos.* Quidni ergo ipſam Eliadum æmulatricibus aſcribamus? Nec deuiat ab intentis id quod ſequitur: *Quatuor Virginum filiarum Philippi deſiderabat Chorum, & vnam ſe illarum eſſe cupiebat.* Etenim

Demetrias virgo ſancti-monialis.

nim has virgines Elianæ ſcholæ imitatrices fuiſſe præcedenti tomo *ſub ann.*57. oſtendimus. Pergit Hieronymus ex fida quarumdam, quæ ipſam nouerant, relatione: *Nunquam eam linteaminum, nunquam plumarum vſam eſſe mollitie, ſed ciliciolum in nuda humo habuiſſe pro ſtratu.* Et piiſſimum illud facinus; quo, *cum iam nuptiarum appropinquaret dies, & futuro matrimonio thalamus pararetur,* ipſa ſibi ſanius conſulens, ſæculari habitu, pretioſis monilibus, vnionibus, & gemmis proiectis, *Vili tunica induitur, viliori tegitur pallio,* habitu nempe Monialium proprio. Proſequitur quomodo ad ipſius imitationem auctus fuerit numerus virginum, exultantibus non ſolum Africa, vbi ipſa manebat, ſed & Italia, alijſque Orientis regionibus. Dixerat autem qualiter ſolemni ritu poſtea in Eccleſia Virginum conſecratum velum acceperit, dicens: *Scio quod ad imprecationem Pontificis flammeum virginale ſanctum operuerit caput, & illud Apoſtolicæ vocis inſigne celebratum ſit, volo autem vos omnes virginem caſtam exhibere Chriſto.* Fuit autem tam egregij operis author S. Auguſtinus, vt ex *epiſtola* 143. ad eius matrem Iulianam, elicitur. Eamque propterea Demetriadem S. Proſper *in quadam epiſtola*, & idem Auguſtinus *in epiſt.*179. ad Probam, & Iulianam celebrarunt.

3 Quantum autem ſpiritualis ſubſidij ob tantorum Patrum, ac Monachorum Hieronymi, & Auguſtini conſilia, Demetrias capere poſſet, tantum amittere valeret ob Pelagij Monachi peſſimi verſutiam, hoc tempore, quo ſui dogmatis venena ſpargere nondum cœperat, inter conſpicuos aſcetas ſub ouina pelle, connumerati. Fuit autem truculentus hic homo ex Monachis Bangoriæ, qui S. Pachomij Inſtitutum in Brittannia æmulabantur; & *credibile omnino propterea in hæreſim incidiſſe, quia non habuit inter illos Monachos primatum*, vt habet Clemens Reynerus *in lib. de Apoſtolat. Benedictin. in Angliam, Tract.*1. *ſect.*1. §. 18. Cum enim Iuliana pia Demetriadis Parens Pelagij malignitatis neſcia, eum quoque circa virginis filiæ propoſitum conſuluiſſet, ad eam librum, ſeu epiſtolam ſcripſit, vbi facilè matrem, & filiam lethifere ſauciare poſſet, niſi Auguſtinus contra Pelagium a Deo mundo donatus rem præueniſſet ea epiſtola 143. relata, & antidotum præſtitiſſet, optimi inſtar medici, morbum præcauentis. Rem proſequitur Baronius *ſub ann.*413. a nobis, vel indicandam, vt vel hoc vnum documentum capi poſſit, quod ſicut pijs, & ſanctis Monachis valde credendum, ſic a ſuperbis hypocritis, quorum vnus Pelagius, omnino recedendum. Pelagij verſutia.

4 Ex D. Hieronymo autem eius epiſtolæ ad Demetriadem ſcriptore, qui hoc tempore ſuperſtes erat, Elianam monaſticen in ſuo Bethlehemitico Cœnobio gerens, prout ex ipſiuſmet teſtimonio comprobauimus *to.*2. *ſub ann.*341. *num.*9. aliam ſibi monitionem Monachi accipere queunt, vt ab aſſentatorum, ſeu adulatorum vitio penitus abſint, cum Principibus, & ſublimibus perſonis conuerſantes. Etſi enim ipſe cum huiuſmodi fœminis clariſſimis communionem haberet, quando- D. Hieronymi exemplũ.

que

que etiam, & ſæpius verba faceret, nihilominus adulationem quaſi peſtem penitus fugiebat; eo quod, vt ipſe dixit: *Cellula Monaſterij, vilis cibus, veſtiſque contempta, & ætas vicina iam morti, breuiſque temporis viaticum carent omni aſſentationis infamia.* Infame ergo adulationis crimen Monachis eſſe Hieronymus putat.

Tranſlatio reliquiarum S. Marci, & aliorum.

5 Prope id tempus, curante Cyrillo noſtro Alexandrino Antiſtite, facta eſt tranſlatio reliquiarum S. Marci Euangeliſtæ, & Cyri, ac Ioannis in Canopum, prout ex Actis eorumdem Martyrum in poſteriori Concilio cognitis, & a S. Ioanne Damaſceno, & alijs comprobatis, elicit Baronius *ſub anno* 414. *in fine*. Cuius rei memoria noſtris Annalibus digna eſt, cum & Marcus eximius fuerit Eſſenorum propagator, ac in Monaſtica diſciplina, in qua ipſi poſtea palmam tulerunt, inſtructor, iuxta dicta *to.2. ſub ann.45.* vt propterea Cyrillus ipſorum progenies hoc obſequium Marco præſtare debuerit. Et quia locus iſte, quem *Canopum* vocant, ad quem harum reliquiarum tranſlatio eſt facta, ſedes fuit Sanctorum Monachorum Alexandriæ, qui ex Eſſenis originem habuerunt, vt patet in Arſenio illo toti orbi celeberrimo, de quo *lib.5.vit. Patr. libell.15. num.*10. dicitur habitaſſe *tres annos in Canopo Alexandriæ*.

Cyrillus, Monaſteriū Monialium erigit.

6 Inter egregia etiam facta Cyrilli noſtri illud in primis hiſtorici noſtri, ſpecialiter Boſtius *lib.5.cap.69.* Palæonydorus *lib.2. cap.7.* alijque poſteriores recenſent, quod Monaſterium virginum ſuæ Religionis prope Alexandriam, & Nilum fluuium, Deipara Virgine monente, conſtruxerit. In quo, inter alias, Euphraſiam illam celeberrimam, inter Elianas virgines connumeratam, de qua tomo præcedenti *ſub anno* 387. dicere cœpimus, ſanctitate eximia, mirabilibuſque ſignis, & virtutibus enituiſſe conſcribunt. Sed, vt vt res de huius Monaſterij erectione a Cyrillo facta, fuerit; cui refragari vix poſſumus, vel propter Boſtij, & Palæonydori, quos poſteriores alij ſequuti ſunt, authoritatem, pro certo eſſe debet valde erraſſe hos noſtros authores dicentes in eo Euphraſiam floruiſſe. Etenim, vt conſtat ex vita huius virginis, quæ *in lib.vit.Patr.* extat, & apud Surium *to.2. pro die* 13. *Martij*, ipſa Monaſticem egit non Alexandriæ, ſed in Thebaide procul ab ea Vrbe Prouincia. Deinde, vt ibi etiam dicitur *cap.*14. duodecimum annum agebat poſt mortem Theodoſij Senioris Imperatoris, qui anno 395. viuere deſijt, vnde cum ſeptennis Monaſterio tradita ſit, prout conſtat ex eadem hiſtoria, vtique iam Monaſticam vitam exercuerat ab anno 389. vel circiter. Similiter cum trigeſimo ætatis ſuæ ad cæleſtem patriam aſcenderit, infertur manifeſte, hoc tempus, de quo in præſenti, vltimum ſuæ ſanctiſſimæ vitæ fuiſſe, non primum ſui Monachatus in Alexandrina ciuitate. Eam ergo, etſi ſub compendio, vt breuitati cedamus, hic tradimus, mirabiliora ipſius geſta recenſentes.

S. Euphraſiæ geſta.

7 Ab anno 12. ſuæ ætatis ſolum ſemel in die ad veſperam comedebat,

poſtea

poſtea vero non niſi poſt biduum, ac poſtea non niſi poſt triduum. In confuſionem etiam earum Regularium perſonarum, quia quod ex nobili proſapia oriundæ ſint, humilia Religionum obſequia contemnere ſolent, clariſſima hæc adoleſcentula ex Imperatoria progenie ortum habens, (iuxta dicta *to. præcedenti ſub ann.*387.) *triclinia mundabat, cubicula ſororum ſternebat, aquam ad coquinam ipſa portabat*. Diaboli etiam tentationes abſtinentia quandoque quatriduana ſuperabat. Cum iam 20. ætatis pertigiſſet annum, eſſetque nimis ſpecioſa, iterum diabolo ſuggerente, carnis illecebris tentata, ab Abbatiſſa iubetur lapides cuiuſdem acerui Monaſterij ex vno ad alium locum aſportare, & poſtea reportare, piſtrini opus facere, ligna frangere, & ſimilibus exercitationibus occupari, ne ex otioſitate ipſius (prout ſemel contigit) tentatori aditus pateficret. Etiam occupatiſſima nullis deerat diuinis officijs. Tota ſeptimana quandoque ieiunauit, & per totum annum nunquam ſedere eſt viſa. Æmula ei inſurrexit, Germana nomine (nunquam enim ſimiles deerunt Dei ſeruis, & ancillis) quam tamen humilitate, & charitate ſuperare curauit. A diabolo in puteum præcipitata, Chriſti adiutorio, quem inuocauit dicens: *Chriſte adiuua me*, incolumis euaſit. Eodem etiam procurante, ſe grauiter ſecuri vulnerauit inuita, vix oculum ligno fixo non perdidit, & ex ſolario præcipitata deorſum cecidit. Deus autem diaboli hæc molimina contra Euphraſiam in caſſum ire voluit. Infirmi infantes, puer paralyticus, ſurdus, & mutus, ac energumena quædam incurabilis, eius precibus ſanitati reſtitui potuerunt, ipſa magis, ac magis coram Deo, & Monialibus ſe humiliante. Reuelata poſtea eſt Abbatiſſæ mors Eufraſiæ, ſedes, quæ ipſi in cælis præparata erat, & quod a Virgine Dei Matre adducenda foret ad thalamum nuptialem, ac iſta vox ad Euphraſiam dicta: *Ecce merces tua*. Moritur ergo ſanctiſſime, & ſepulta in tumulo, vbi genitrix eius quieſcebat, multis poſt mortem ſplenduit miraculis. Eius vitam non ſolum *Author vit. Patr. lib.*1. & Surius *ſupra*, ſed etiam Martyrologia Romanum, & Vſuardi 13. Martij, Græcum 25. Iulij, Lippomanus, Petrus de Natalibus, Villegas, Ribadeneira, & ex noſtris Coria, & Petrus Sarracenus, alijque ſcripſerunt.

8 Memorandæ etiam, etſi ſimiliter ſuccinctè, duæ aliæ eiuſdem Monaſterij celebres virgines. Altera eſt ea, quæ in eo cœnobio virginum Abbatiſſa erat. De qua plura hæc commendatione digna in dicta hiſtoria referuntur. Pecuniam ipſi oblatam ab Euphraſiæ matre liberaliter reſpuit. Infantulam virginem ſua ſub protectione ſuſcepit. Habitu Monialium induit. Tentatam prudenter adiuuit. Eius mortem præuidit, Monialibus prædixit, & ſolium gloriæ Euphraſiæ præparatum per viſionem agnouit. Meruit propterea, ipſius interceſſione, vt poſt triginta dies ad Dominum vocata in ſepulchro Euphraſiæ conderetur. Antequam autem ex hac vita migraret, eligi fecit Abbatiſſam *Theogeniam*

Abbatiſſa, & Iulia.

niam quandam, quam ſic adhortata eſt electam, & in ipſa omnes ſacrarum virginum Præfectas: *Coniuro te per intemeratam Trinitatem, & conſubſtantialem, ne iſtius mundi quæras diuitias, aut poſſeſſionem, neque occupes ſorores ad terrenas ſollicitudines; ſed magis, vt contemnentes temporalia bona, perpetua mereantur accipere.* Altera erat *Iulia* nomine, eiuſdem Euphraſiæ magiſtra, quæ ipſam valde diligebat, in tentationibus adiuuabat, litteras, & pſalterium docuerat, & poſt mortem ipſius ab eius ſepulchro per tres dies non diſcedens, meruit, quarta die, diſcipula a Domino impetrante, ad cæleſtia gaudia vocari, & in ſepulchro ipſius recondi. O aureum ſæculum ſacrarum Deo virginum ſanctitate decoratum.

Ann. Chriſt 415. & 416. Innocentij Rom. Pontif. 14. & 15. Honorij Imper. 21. & 22. Theodoſij 8. & 9.

1 NON pauca ſuggerit hoc tempus noſtræ hiſtoriæ propria, vtpote quæ Ioannem Ieroſolymitanum noſtrum proxime tangunt. Primò, celebre illud de inuentione reliquiarum S. Stephani Protomartyris, adeo in Eccleſia Catholica ſolemne, vt die tertia Auguſti quotannis celebretur. Quoad tempus huius inuentionis error irrepſiſſe creditur in Bedam, Nicetam, & alios. Quoad ſubſtantiam vero, & reliquas ipſius circumſtantias, neceſſario ſtandum epiſtolæ Luciani Presbyteri, quem Gennadius *in lib. de vir. illuſtrib. cap.* 46. eius temporis ſcriptor, virum Sanctum appellat, ac dicit ſcripſiſſe reuelationem ſibi diuinitus de ea re factam. Habetur autem apud Surium *to.* 4. *pro* 3. *Auguſti*, & Baronium *ſub ann.* 415. Ex qua breuitati conſulentes huius hiſtoriæ compendium excepimus. Erat hic ſanctus vir Lucianus Presbyter Eccleſiæ Villæ Caphargamala in territorio Ieroſolymorum, ac proinde Ioannis noſtri eius Vrbis Antiſtitis ſubditus. Cum autem in die Paraſceue, in loco, Baptiſterio dicto, dormiret, Eccleſiam cuſtodiens, hora tertia noctis, *Vidi* (inquit) *virum ſenem, longum, dignum ſacerdotem, canum, barbam prolixam habentem, palliatum alba ſtola, cui inerant gemmulæ aureæ habentes intrinſecus ſancta Crucis ſignum, & virgam auream in manu tenentem. Venit, & ſtetit ad dexteram meam, & aurea virga pulſauit me, ter vocans nomine meo, dicens, Luciane, Luciane, Luciane, & dixit mihi Græco ſermone; vade in Ciuitatem, quæ dicitur Ælia (quæ eſt Ieruſalem) & dic Ioanni, qui eſt in ea Epiſcopus: Quamdiu clauſi ſumus, & non aperis nobis.* Hic notet Lector, quod cum in hac reuelatione facta cælitus Ioannes noſter interpelletur, ſatis inde pie elici valet contra quoſdam nouos rigidos cenſores, ipſum a criminis hæreſis labe abſuiſſe ſemper, vel hoc ſaltem tempore reuelationis factæ. Non enim aliter piè capi poteſt, quod ipſius memoria in re tam graui, & totam Chriſtianitatem concernente, haberi mere-

retur.

retur. Nec cur etiam adderetur: *Maxime quod in temporibus tui Sacerdotij oportet nos reuelari?* Cum per hoc denotari videatur Sanctos illos, quorum corpora inueniebantur, veluti deſideraſſe tempore Ioannis mundo manifeſtari. Subiungit Lucianus, qualiter ille, qui cum eo loquebatur, eſſet Gamaliel Pauli Apoſtoli magiſter, & quod illi, quorum corpora ibi iacebant, eſſent Stephanus Protomartyr; & Nicodemus ille, qui *Ioann.3. Venit ad Ieſum nocte*, ac Abibas filius eiuſdem Gamalielis; & quod cum ipſe dubitaret de viſionis veritate, ac propterea ieiunijs, & orationibus Deum exoraret, ſecundò apparuerit illi idem Gamaliel dicens: *Quare neglexiſti ire, & dicere ſancto Epiſcopo Ioanni?* Hic ſiſtat lector, ac videat nomen *ſancti* Ioanni noſtro conceſſum, non ab ijs, qui inter mortales vitam degerent, ſed a cæleſtis patriæ ciue Gamaliele; qui, vtpote in Dei eſſentia conſpiciens ea quæ ad Ieroſolymorum Vrbem, (vnde ipſe erat) eiuſque Antiſtitem ſpectabant, haud ignoraret Ioannis fidem orthodoxam, probitatem, ac ſanctitatem, verbis illis *ſancto Epiſcopo Ioanne* indicatam. Vnde, etſi poſt tertiam reuelationem, ac ſibi factam comminationem, aliumque mentis exceſſum, pergit Lucianus dicens: *Benedixi Dominum, & perrexi ad ciuitatem ad ſanctum Ioannem Epiſcopum.* Vbi titulo *Sancti* adiuncto nomini proprio *Ioannis*, non appellatiuo *Epiſcopi*, quod maioris emphaſis, & energiæ ſignum eſt, Gamalielis exemplo ipſum decorat, prout etiam facit in ſequentibus. Et imitantur ferme vniuerſaliter Eccleſiæ Monachorum, Regularium Canonicorum, Mendicantium, & canunt Eccleſiæ Treuirenſis, Leodienſis, Cameracenſis, Beluacenſis, Aurelianenſis, Pictauienſis, Cenomanenſis, & aliæ in Germania, & Gallia, quæ in ſuis Breuiarijs ſiue impreſſis, ſiue manu ſcriptis in hoc Officio Inuentionis S.Stephani Ioannem noſtrum *Sanctum* appellant, vt aſſert Vvaſtelius *In vindic. oper. Ioann. tom.2. lib.3. art.4. in libri Coronide.* Item in Hiſpania, ſancta, & Metropolitana Eccleſia Toletana, Cordubenſis, Giennenſis, & Segouienſis, cum pluribus alijs Religionibus, vt in Memoriali ad S. Officium Hiſpanicæ Inquiſitionis teſtati ſunt egregij defenſores hiſtoriæ Propheticæ R. P. Franciſci a S.Maria. Audijt Ioannes Lucianum ſibi ea referentem, lachrymatus eſt præ gaudio, ſibi hoc onus impoſitum agnouit, ſodi locum reliquiarum eidem Luciano præcepit. Et ille obtemperans Antiſtiti villæ habitatores pro pio opere conuocare ſtuduit.

2 Interea duo alia pro noſtra quoque hiſtoria vtilia hæc Luciani epiſtola continet. Primum, eundem Gamalielem apparuiſſe eadem nocte Monacho cuidam nomine Nugetio, *innocenti, & ſimplici viro*, ipſique intimaſſe, vt moneret Lucianum ne quæreret corpora dictorum Sanctorum in loco illo, quem fodere cœperat, ſed in alijs; vbi tandem inuenta ſunt. Secundum, quod Sanctorum corporum inuentionem renunciaſſet Lucianus Epiſcopo Ioanni, qui tunc temporis erat in Lidda, alias Dioſpoli Synodum quandam celebrans cum alijs Epiſcopis. Nugetius Monachus.

Ex quibus primum illud de Monacho Nugetio alia notatione nón eget, cum de ipſo nihil aliud reperiatur; ſolumque a Deo id factum creditur, vt Sanctus hic Monachus, prout Baronius *ſupra* notat, teſtis etiam eſſet tanti miraculi, vt in ore duorum, vel trium, ſtaret hoc verbum; & infidelium documentum ne faciles ſint in huiuſmodi rerum credulitate, quæ fide dignorum teſtimonijs comprobatæ non apparent.

Synodus Lyddenſis.

3 Quod vero ſpectat ad Lyddenſem illam, ſeu Dioſpolenſem Synodum, cui Ioannes hac occaſione aſſiſtens ſcribitur, ea fuit, in qua, vt teſtantur D. Hieronymus *epiſt.79. ad Alipium, & Auguſtin.* D. Auguſtinus *lib.2. retractat. cap.47. & contra Iulian. lib.1. cap.5.* ac Proſper *lib. de ingratis*. Pelagius infamis Monachus coactus eſt ſuas hæreſes condemnare. Erant autem huius hominis errores ſequentes. Primus, *Adam ſiue peccaſſet, ſiue non peccaſſet, mortuus eſſet*. Secundus, *peccatum Adæ ſolum læſit ipſum, non alios*. Tertius, *infantes nuper nati in illo ſtatu ſunt, in quo Adam fuit ante præuaricationem*. Quartus, *per mortem, & præuaricationem Adæ non omne genus humanum moritur, & per reſurrectionem Chriſti non omne genus humanum reſurgit*. Quintus, *infantes etiam ſi non baptizentur vitam æternam habere poſſunt*. Sextus, *Diuites baptizati niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere non reputatur illis, nec poſſunt habere regnum Dei*. Septimus, *gratia Dei, atque adiutorium non ad ſingulos actus donatur, ſed de libero arbitrio eſt, vel in lege, atque doctrina*. Octauus, *gratia Dei ſecundum merita noſtra datur*. Nonus, *filij Dei non poſſunt vocari niſi omni modo abſque omni peccato fuerint effecti*. Decimus, *non eſſet liberum arbitrium, ſi Dei indigeret auxilio, quoniam in propria voluntate habet vnuſquiſque facere aliquid, vel non facere*. Vndecimus, *victoria non eſt ex Dei adiutorio, ſed ex libero arbitrio*. Duodecimus, *petentibus veniam non datur ſecundum gratiam, & miſericordiam Dei, ſed ſecundum merita, & laborem eorum*. Quamuis autem hæc omnia Pelagius ipſe anathematizauerit, cæterum verſutus in dolo id egit, quamprimum enim ex eo Concilio euaſit, ea, & ſimilia dogmata iterum docere præſumpſit. Vnde etſi iudicium Palæſtinum fallere potuerit, non tamen fefellit Romanam Eccleſiam aut Papam. Sic ex D. Auguſt. *lib.2. de pecc. orig. cap.8. & 9.* colligunt moderni.

Pelagij errores.

Quid actum de reliquijs inuentis.

4 Ad hiſtoriæ tamen, a qua digreſſionem fecimus, filum regredientes. Poſtquam Lucianus deſideratas thecas Reliquiarum ſacrarum reperit, Ioannemque Antiſtitem ea de re monuiſſet; ipſe, aſſumptis duobus alijs Epiſcopis, Eleutherio Sebaſtenſi, & Eleutherio de Hierico, ad locum ipſarum peruenit, ipſiſque recognitis, ac pie veneratis (eo etiam quod miraculis earum inuentio a Deo confirmabatur) B. Stephani reliquias in Sanctam Eccleſiam Sion hymnis, & canticis deportari fecit. Alia ad huiuſmodi caſum concernentia, ſeu ſpectantia, præſertim de diuerſis translationibus reliquiarum eiuſdem Stephani, & primò omnium ad partes Occidentales per Oroſium Hiſpanum clariſſimum vi-

rum eo tempore Ieroſolymis agentem, habet Lector ex authoribus relatis, Baronio præſertim, tum *ſupra*, tum *in notis ad Martyrologium Romanum die 3. Auguſti*, & Franciſco Biuario *in notis ad Flauium Dexterum circa hoc tempus*; nos enim propriora inueſtigamus.

5 Ex quibus illud vnum eſt, quod cum Pelagius in ea Palæſtina Synodo, eas, quibus infamabatur, hæreſes condemnaſſet, atque propter ea ab Epiſcopis, qui ibi aſtiterant, ad communionem acceptus, & abſolutus eſſet, Ioannes noſter Ieroſolymitanus (inquit Baronius *ſupra* §. *accidit*) *quod diceretur amicus Pelagij factus eſſe, apud Occidentales male audire cœperit*. Sed quomodo id probat? Ex eo ſane, quia D. Auguſtinus *in epiſt.* 252. ab eo expoſtulet eiuſdem Synodi Palæſtinæ acta, & ibi dicat ipſum Pelagium dilectum fuiſſe multum ab eodem Ioanne. Quis tamen non videt leui fundamento id aſſertum? Quod enim a Ioanne acta contra Pelagium poſtulaſſet Auguſtinus, potius arguit cum Pelagio aduerſarium exiſtimaſſe; ſi enim ipſius amicum crederet, contra ipſum geſta non vtique ab eo ſed ab alio obtinere quæſiuiſſet. Deinde quod dicat Pelagium a Ioanne valde dilectum eſſe, cur non arguet Patriarchæ charitatem, erga hæreticos etiam, vt ipſos ad meliorem traheret frugem, eo præſertim hac occaſione debitam, quod Pelagius, vt Ioannis ſubditus Ieroſolymis tunc ageret? Quam etiam oſtenderant tredecim alij Epiſcopi, qui ei Synodo affuerant, & Pelagium abſoluerant, exiſtimantes ſicut Ioannes, quod corde, & animo, & non ficte ſolum, hæreſes retractauerat. Imo idem Auguſtinus, *qui in epiſt.* 106. *ad Paulinum*, ſeu *Bonifacium* etiam fatetur ſe, & eum, ad quem ſcribebat eam epiſtolam dilexiſſe Pelagium, quia *nobis* (inquit) *rectæ fidei videbatur*, quid ni ergo id faceret Ioannes cum verſipelli homine? Ex hac porro Auguſtini epiſtola clare innoteſcit eiuſdem Ioannis innocentiam immerito a Baronio labefactatam fuiſſe; quia ibidem Auguſtinus commendat, vt efficacia ea S. Paginæ teſtimonia, quibus Ioannes Pelagium impugnauerat. Vnde ergo locus, vt credatur eius errori conſenſiſſe, quem efficaciter expugnaſſe commendatur? Accedit quod in ea Epiſtola, cui inhæret Baronius, & quam ab Auguſtino credit ſcriptam Ioanni, ipſemet Auguſtinus profitetur eiuſdem Ioannis ſinceram fidem, dum de ſubdolo Pelagio loquens dixit, ipſum non ſentire, *quod vos* (inquit) *qui catholica regula ſapitis*, Ioannes ergo apud Auguſtinum *catholica regula*, & non ſicut Pelagius, ſapiebat. Item ibidem hortatur ipſum, vt contra Pelagium agat *docendo, & pro eius ſalute, quæ in Chriſto eſſe debet orando*. Quorſum hæc peteret ab eiuſdem Pelagianiſmi conſorte? Interpellandus etiam Dom. Baronius, ſi Ieroſolymorum Antiſtes Ioannes *male audire cœpit apud Occidentales*, apud quos Occidentales? Quando? Quo pacto? Aut ex quo authore id hauſerit? Mera ergo D. Baronij iſta ſuſpicio veritati contraria videtur.

Alia de Ioanne Ieroſolym.

6 Occurrit etiam quoad Cyrillum Alexandriæ Antiſtitem, quod

De Cyrillo.

cum Iudæi in Chriſtianos contumelioſi valde eſſent, adeo vt nocturno tempore ea in ciuitate contra ipſos pugnam inſtituerent, Cyrillus tunc ſanctus paſtor, vt ouium ſibi traditarum vindictam ſumeret, eos partim neci dedit, alios expulit, eorum bonis a multitudine exſpoliatis; & ipſorum fautoribus Chriſtiana fortitudine ab Eccleſiarum Prælatis merito ſuſpicienda, viriliter ſe oppoſuit. Huius porro hiſtoriæ Socrates author eſt *lib.7. cap.13.* ex quo noui Chronologi eam etiam recitant, & ante ipſos Boſtius noſter *lib.5. relato cap.68.*

De Monachis Nitriæ. 7. Ex eodem etiam Socrate notabilis alia, & noſtro calamo digna, veluti appendix ad præcedentem, hiſtoria emergit, de Monachis quibuſdam Nitriæ montis celeberrimi, Eſſenorum Monachorum habitaculi, prout ea, quæ tomo præcedenti adduximus, clare demonſtrant. Hi ergo, non minus quingentis, cum Cyrilli ſui Antiſtitis, & in Monachiſmo Eliano, & Eſſeno conſortis, periculum, a Iudæis, & Alexandriæ ciuibus eorum fautoribus, quod ipſi imminebat, audientes, pro ipſo dimicare conſtituentes, Alexandriam contenderunt, Oreſtem Vrbis Præfectum Cyrillo infenſum rheda circumuectum acribus verbis obiurgarunt, ipſiuſque capite ab vno (Ammonius vocabatur) lapide percuſſo, apparitores illius fugere huc, illucque compulerunt. Capitur Ammonius, & tormentis afflictus extremum ſpiritum reddit. Cyrillus vero ſui, & Eccleſiæ defenſorem, quaſi pro Martyre habitum in Eccleſia quadam recondidit. Hæc & alia ex eodem Socrate hauriat Lector, animaduertens tamen eum Nouatianum fuiſſe, ac Cyrillo infenſum, ac propterea parum æquum iudicem in Cyrilli cauſa. Eadem quoque Boſtius *eo cap.68.*

Inuentio Zachariæ Prophetæ. 8 Nec etiam omnino alienum a noſtrorum Annalium curſu eſt, quod hoc tempore, opitulante Zacharia quodam monacho, qui Conuentui Monaſtico in Geraris apud Palæſtinam Præſul erat, repertum eſt corpus Zachariæ Prophetæ, diuinitus ab ipſo reuelatum Calimero cuidam, ſicut Stephani, & aliorum Luciano. Caſum refert Sozomenus. *lib.9. cap. vlt.* Eſt iſte Zacharias ille occiſus a Ioas Rege Iuda, ſeu potius a Principibus, Ioa annuente, iuxta dicta *to.1. ſub ann. Mundi* 3192. vbi etiam an Ordinis Prophetici alumnus dici poſſit.

9 Ad magis propria ſub hoc tempore Carmelitæ vocamur. Ad funus nempe noſtri relati Ioannis Ieroſolymitani Antiſtitis, qui, iuxta plurium computum ſub anno 416. ſpiritum Deo reddidit. Eius porro mortem inter Sanctorum pretioſas connumerari debere, quæ dicemus,

Ioannis Ieroſoymit. funus. ſatis, ſuperque oſtendere videntur; præmiſſa tamen, & reſeruata S. Sedis Apoſtolicæ Romanæ reuerentia, cuius e Vaticano reſponſa in ſimili cauſa ſpectanda fore ex *cap. 1. de Reliq. & vener. Sanctor.* Catholici cuncti expectare debemus. Eo etiam, quod S. Tribunal Cenſorum fidei Hiſpaniæ titulum Sancti (etſi *ſine præiudicio perſonæ*) illi non concedendum decreuit Matriti ſub anno 1639. Prætermiſſis ergo teſtimonijs

nijs Papæ Anaſtaſij, D. Auguſtini, Paulini, & aliorum, qui ipſum honorifico ſanctitatis, vel ſimili adhuc vita ſuperſtitem, decorarunt titulo, quæ in præcedenti tomo ſuis locis habet lector; ac Luciani etiam relati, qui in ea ſua Epiſtola de inuentione Reliquiarum S. Stephani Ioannem vicibus repetitis *Sanctum* compellat; dumtaxat modo ij teſtes proferendi, qui poſt ipſius obitum eodem, vel æquiualenti cognomine ipſum cohoneſtarunt. Primus eſt Romanus Pontifex Zoſimus, qui anno 417. ſequenti in Epiſtola ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum, alioſque Africanos, quæ extat apud Baronium *ann.*417. §. *poſtquam*, ſic ad intentum: *Ecce epiſtolam Ieroſolymitani Epiſcopi Praylij, qui in locum quondam Sancti Ioannis Epiſcopus eſt ordinatus.* Ecce etiam *Sanctitatis* cognomen Ioanni a Papa conceſſum, ipſius poſt obitum. Secundus eſt hæreticorum malleus Auguſtinus, qui ſui non oblitus, nec ſimilium, quæ dixerat de eodem Ioanne *lib.*2. *contra litteras Petiliani Donatiſtæ*, eadem repetit eundem *ſanctitatis* præconio celebrans, non ſemel, aut iterum, ſed ſæpius *in libro de geſtis Pelagij, cap.*14. *&* 30. præſertim. Vt videat lector quam abs re nonnemo putauerit Ioannem de Pelagianiſmo fuiſſe ſuſpectum Auguſtino, quomodo enim de Pelagianiſmo ſuſpectum *Sanctum* vocaret, & contra Pelagianos pro patrono ſuſciperet? Succedit proximus Lemicæ Gallæciarum in Hiſpania Epiſcopus Idacius, ſeu Hydatius, qui *in ſuo Chronico* ipſum *inſignem*, & *ſanctum* pluries vocat. Afferri etiam in teſtem poteſt Caſſianus, qui eadem ætate ſcribens *in Præfat. ad* 12. *libros de Inſtitutis Cœnobiorum*, etſi tacito nomine Ioannis, eum cum Baſilio, & Hieronymo inter viros *vita notabiles*, *& ſermone, ſcientiaque præclaros* coniungit, prout ſingulari eruditione probat Vvaſtelius *lib.*1. *Vindiciar. Ioann. ſect.*1. *art.*4. §.4. Clarius loquitur inter Græcos eius ſæculi notiſſimus author Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, dum *lib.*5. *hiſtor. Eccleſiaſt. cap.*35. *&* 38. eum *admiratione dignum*, & *admirabilem* cognominans. Quod & imitatur Caſſiodorus *in hiſtor. Eccleſiaſtic. Tripartit. lib.*10. *cap.*25. Et expreſſius Ioannes ille Cyprius Presbyter author vitæ S. Epiphanij, noſtrum Ioannem vocans *Sanctum in omnibus*, Ado Archiepiſcopus Viennenſis *in Martyrologio ad tertium nonas Auguſti* eum bis *Beatum* compellans, Nicephorus Calixtus *in hiſtor. Eccleſiaſt. lib.*14. *cap.*30. a quo (quod maius eſt) *diuinus* prædicatur; Petrus Equilinus *in Catalogo Sanctor. lib.*11. *cap.*8. eum inter Diuos recenſens. Ioannes Gillemanus *in Tabula Epiſcopat. & Epiſcopor. ſanct. Eccleſ.* de Patriarchis agens, & eum inter ipſos, & confeſſores accenſens; Guillelmitanus Eremita Vallis S. Antonij Brugenſis *in lib. Epiſcopat. & Epiſcopor. Eccleſ. Dei*, pariter eum inter Diuos connumerans. Et, vt ab authorum colluuie abſtineamus (quorum plurimos in libello ſupplici Religionis noſtræ nomine a RR. PP. noſtris Diſcalceatis ſub anno 1631. pro hac cauſa diligentiſſime elaborato, ac Catholicæ Maieſtati Philippi Quarti Hiſpaniarum Monarchæ oblato ſtudioſus reperiet) ſpecialiter

connumerandi Agiologi, ſeu Tabularum communium, Martyrologiorum, ſeu Menologiorum Scriptores, qui ipſum inter Sanctos, vel Beatos annumerant. Hi ſunt Ado Viennenſis, quem iam retulimus, Petrus Galeſinus *in Martyrologio Romano pro die* 12. *Ianuarij*, & Ioannes Molanus *in Additionibus ad Vſuardi Martyrologium eadem die*. Adijce & antiqua Ordinis Kalendaria, in quibus pro fratrum ſuorum vſu, ex Capitulorum Generalium decretis, præſertim Romani in Conuentu S. Martini in Montibus anno 1564. Præſide S. Carolo Borromæo eiuſdem Ordinis Protectore, idem Ioannes inter Diuos alios cenſetur.

De eodem Ioanne. 10 Ex his porro præfati PP. quos proximè adduximus, in libello illo ſupplici, ſeu Memoriali Catholico Regi Matriti oblato conati ſunt oſtendere Ioannem noſtrum ne dum *Sancti*, vel *Beati* titulo dignè cohoneſtari; ſed & inter Diuos quoque ab Eccleſia canonizatos vnum cenſeri debere. Cum enim a Zoſimo Papa; D. Auguſtino ſæpius; Luciano Presbytero (quem etiam alij inter Sanctos annumerant) Idacio Epiſcopo; Ioanne authore vitæ S. Epiphanij; Adonis, Galeſini, & Molani Martyrologijs, quæ modo retulimus; Breuiarijs quoque plurimarum Religionum, & Eccleſiarum Hiſpaniæ, Germaniæ, & Galliæ, quæ ſupra *num.* 1. attulimus, innumeriſque alijs authoribus, quos ne prolixi ſimus, ſolum confuſim adduximus, *Sanctus*, vel *Beatus* nuncupetur (adeo, vt vno verbo dici poſſit, quod a quinto ſæculo, in quo diem clauſit extremum, vſque ad nouiſſimum, in quo Deſiderius Eraſmus, Marianus Victorius, gloſſas, ſeu notas edentes ad opera D. Hieron. neque tamen ſupra modum periti Eccleſiaſticarum rerum, primi nomen ipſius commacularunt, ſemper vt Sanctus habitus fuerit, non obſtantibus controuerſijs ipſius cum Hieronymo, & Epiphanio (videtur illi negari non poſſe genus illud canonizationis antiquum ſatis in Eccleſia, quod vel Epiſcoporum conſenſu, vel Chriſtiani populi recepta traditione fiebat, prout optimæ notæ Theologi, Vvaldenſis noſter, Cardinalis Bellarminus, & alij doctiſſimi ſuis ſcriptis conſignarunt. Verumtamen, modeſtiæ, humilitatis, & obedientiæ verſus S. Sedem Apoſt. limitibus tenti, id non aſſerimus, & rei tantæ iudicium ipſius examini, & ſententiæ omnino relinquendum cenſemus, ſicut in cauſis Luciferi Calaritani, Ioannis Caſſiani, Fauſti Regienſis, & quorundam aliorum prudentiores efficiunt; contenti dumtaxat ſecundum hiſtoriæ leges ea retuliſſe, quæ eandem Sanctam Sedem excitare poſſunt, vt veluti communis mater læſæ famæ perantiqui Patris, & Doctoris, ac Eccleſiæ Ieroſolymorum Præſulis (prout ſperamus) conſulere dignetur. Interim nos neque *Sanctum*, neque *Beatum*, canonizatum, aut beatificatum appellamus, aut appellandum cenſemus.

De miraculis 11 Vnum verumtamen non prætermittendum, quod in relato libello ſupplici ad Catholicam Maieſtatem nuncupato tactum quoque fuit; miraculis etiam patratis celebrem Ioannem fuiſſe, proindeque nihil

hil deſiderari, vt, ſanctæ Eccleſiæ iudicio accedente, veluti *Sanctus*, ſeu *Beatus* coli poſsit. De ipſo enim (licet in Chronologiæ tempore decipiatur) ſic habet *lib.2. de laudibus Carmelitar.* Ioannes Trithemius inſignis Benedictinus Abbas: *Viuus, & mortuus infinitis fertur claruiſſe miraculis.* Arnoldus Boſtius *lib.5. Speculi hiſtorial. cap.67.* hæc: *Sanctus Patriarcha Ioannes poſt curationem duorum paralyticorum, & illuminationem vnius cæci, plenus dierum, & ſanctitate naturæ debitum ſoluens viam vniuerſæ carnis, orans, & pſallens ingreſſus eſt.* Et infra: *Corpus autem eius in Eccleſia Ieroſolymitana honore congruo ſepelitur, multis clarens miraculis, nam in morte ſua claudis multis greſſum reſtituit.* Ante ipſum Ioannes Groſſus Generalis Ordinis *in Viridario claui* 3. hæc dixerat de eodem: *Iſte Sanctus fuit* 44. *Epiſcopus poſt B. Iacobum Apoſtolum in Eccleſia Ieroſolymitana, vbi eius corpus multis clarens miraculis requieſcit.* Palæonydorus autem *lib.2. cap.6.* ſic: *Plenus ſanctitate, poſt paralyticorum curationem, cæcorum illuminationem, ſoluens debitum viam tranſijt vniuerſæ carnis.* Petrus autem Lucius *in Compendio hiſtor. cap.* 10. Eadem quæ Trithemius refert. Et Ioannes de Leiden, qui in eo Memoriali adducitur, ea quæ Boſtius. Cuncta hæc tamen Sacroſanctæ Eccleſiæ trutinæ ſubiecta ſunto; ad ipſam namque ipſorum iudicium infallibile ſpectat. Et interim nos miraculis claruiſſe non aſſerimus, Vaticana Oracula expectantes. Idem eſto de ſpiritu Prophetiæ, quo etiam claruiſſe habet Vvaſtelius *tom.2. Vindiciarum lib.2. ſect.9. art.1. & lib.3. in coronide libri art.4. ſect. vlt.*

12 Quamuis autem ex ipſius elucubrationibus, pro hæreditate veluti ſuis Concarmelitis derelicta, vſque ad nouiſsima hæc tempora ſolum numeretur liber ille *de Inſtitutione Monachorum*, de quo plura in præcedentibus; & ille alius contra *obtrectatores ſui ſtudij*, de quo meminit Gennadius *de viris illuſtribus*; nihilominus ſunt qui putare videntur librum ſecundum de *Vitis Patrum*, qui in volumine illo *Vitæ Patrum* cognominato inſeritur, noſtro Ioanni adiudicandum fore. Rem tamen incertam Heribertus Roſuuedius *in Vitas PP. Prologomen.*4. §. 6. autumat. Vt vt res hæc ſit, Petrus Vvaſtelius noſter *in lib.2. Vindiciar.* grauiter, & operoſe oſtendit plura eiuſdem Ioannis legitima monumenta in aliena caſtra migraſſe, præſertim inter opera D. Io:Chryſoſt. nomen enim Ioannis, titulus Epiſcopi, & ipſorũ vetuſtas & Synchronologia in cauſa fuit erroris Compilatorum, vt vnum pro alio librorum authorem fuiſſe exiſtimarent. Hæc porro opera ſunt *Opus imperfectum in Matthæum* apud S. Ioannem Chryſoſtomum; *Homiliæ plures in Marcum, Lucam, Ioannem, ac Matthæum*; Item *Commentaria in Marcum, & Lucam*, quæ apud S. Thomam, & Anonymum Græcum in ſuis catenis exſcribuntur; Pręterea *Homiliæ aliquot in Pſalmos, & in patientiam Iob.* Inſuper *Homiliæ aliæ in diuerſa noui teſtamenti.* Maxime *libri in ſtratagemata Iob.* Ac *ſermo de Pſeudoprophetis, falſiſque doctoribus.* Pro ijs ergo vindicandis, elabo-

Opera Ioannis.

elaborantem Vvaſtelium lector adeat; nec pigebit virum doctum audire.. Nos autem hac in re iudicium ſuſpendimus.

De Pauli Oroſij libro. 13 Laborat inſuper egregiè idem Vvaſtelius *eodem to.2. lib.3 ſect.5. per totam*, falſitatis, ac fuci comprobando librum quendam Paulo Oroſio laudatiſsimo viro Hiſpano affictum *de arbitrij libertate contra Pelagium*, in quo plura author contra noſtrum Ieroſolymitanum Ioannem oblatrat. Oſtendit namque huius libri laruatum authorem non Catholicum illum Oroſium fuiſſe,ſed impium aliquem ignotum Nouatianiſmi, Neſtorianiſmi, & ſimilium hæreſum ſectatorem, ac proinde mirum non eſſe quod contra Ioannem ſtomachatus inſurgeret.. Pie inſuper laborat *ſect. vlt. eius lib.*3. oſtendendo litteras quaſdam Innocentij Papæ, nihil aduerſari Ioanni, quod ille ante ipſas defunctus fuerit, ſuccedente ipſi Praylio: ac proinde nihil contra Ioannis fidem ex relatis epiſtolis hauriri poſſe. Quod clarius innoteſcet, ſi occaſionem, quæ fuit has litteras ſcribendi in medium afferamus. Eo diligentius, quod ea proximè tangit noſtræ Monaſticæ hiſtoriæ curſum.

Occaſio litterarum. 14 Meminerit Lector ex dictis ſuperiori tomo, S. Paulam viduam Illuſtriſsimam Vrbis, & Orbis fœminam, Sanctimonialium Monaſterium iuxta Præſepe Domini in Bethlehem, ſub cura, & regimine magni Doctoris Hieronymi, erexiſſe. Agebant hoc tempore in eo virgines plures, & inter eas Euſtochium Paulæ filia, & Paula alia iunior, Monaſticam vitam. Agebat etiam in eadem patria verſipellis ille, & verſutus Pelagius, ſub ouina Monachi pelle lupus rapax, & qui ſua aſtutia Ioannem, & 13. alios Epiſcopos Diſpolitanæ Synodi ſefellerat, ore damnans peſtifera dogmata, quæ pectore condiebat. Vt enim recte Clemens Reynerus Benedictinus in lib. cui titulus *Apoſtolatus Benedictinor. in Anglia Tract.*1. *ſect.*1. §.18. inquit: *Pelagius ex primis Monachis Britannicis, apud Palæſtinam, quaſi inter ſui ſchematis Monachos fuit in pretio*. Aliqui ergo refractarij ipſius fautores, vel in D. Hieronymi odium, qui ſcriptis acerrimis fraudulentum ſcorpium exagitabat, diabolice animati, contra, vel circa præfatum Monaſterium, direptiones, cædes, incendia, & ſimilia extremæ dementiæ facinora perpetrare auſi ſunt. Tunc Hieronymus, & Virgines illæ generoſæ ad Innocentium Summum Pontificem per litteras recurrerunt, de perpetrato facinore iuſtam quærimoniam proponentes. Audijt, & litteras ad Ioannem Epiſcopum, & D. Hieronymum de ea re ſcripſit, ex quibus Dom. Baronius *ſub ann.*416. §. *dilectiſſimo*, & §. *ſuſpicio* contendit elici vehementem ſuſpicionem eſſe quod ipſius Ioannis nutu, qui etiam Pelagium abſoluerat, Pelagiani ſimilia crimina perpetrauerint. Cæterum nec leuem ſuſpicionem inde oriri poſſe, multis demonſtrari poteſt. Primò, ſi Ioannes in cauſa fuiſſet, vtique vel Moniales ipſæ, vel ſaltem Hieronymus aſſuetus multo minora, eorumque authores propalare, tanti criminis eum cauſatorem fuiſſe ad Innocentium ſcripſiſſent, quod non

fece-

fecerunt, vt ex ipſis litteris liquido conſtat. Secundò, nihil in illis de *conniuentia, nutu, & opera* Ioannis; quorſum ergo hæc illi appingenda? Tertiò, ea in Bethlehem patrata fuerunt, non Ieroſolymis, vbi Ioannes agebat. Quartò, quid ſi forſan ipſe in ampliſſimæ Diœceſis viſitatione eo tempore verſaretur? Quid quintò, ſi talia non crederet perpetranda a Monacho, qui ſpecie tenus, & ſimulate Sanctus videbatur, nec ab ipſius familiaribus eiuſdem ementitæ probitatis larua coopertis? Ad hæc ſextò, ſi tantum facinus Epiſcopus, vel conniuentia ſolum perpetrauerat, cur Papa Innocentius in faciem ipſi delictum non exprobrat? cur eum *fratrem dilectiſſimum* in epiſtola, quam ad eum ſcribit, quæ 24. numero eſt, vocat? & in ea quam ad Hieronymum *fratrem meum?* Et, quod rem totam claudit, cur Zoſimus Papa ſequenti anno eundem Ioannem *Sanctum* appellauit? prout appellaſſe diximus *ſupr. num.* 9. Eſt quidem verum quod Innocentius in ea epiſtola iuſtiſſimo odio in ſuperbiſſimam Pelagij hæreſim, doloreque in damna ab innocentiſſimis virginibus Monialibus perpeſſa, excitatus; ac vt illis pro poſſe in præteritis ſolamen, & in futuris opem afferret, monet Epiſcopum officij eius fuiſſe gregi ſuo aduigilare, ne ſimilia contingerent; negligentiam aliqualem ipſius (etſi, vt in ea fatetur non bene informatus) reprehendens, ac dicens: *Oportuit tamen germanitatem tuam & gregi illius ſolicitius prouidere.* Vbi ſi expendatur illud *ſolicitius* indicatur ſatis Ioannem non ſolicitudini, ſed maiori ſolicitudini defuiſſe. Et hoc, vt inquit idem Innocentius inferius *Quæ ad nos opinione magis quam accuſatione manifeſta delata ſunt.* Imo & in hoc audiret Papa Epiſcopum, ſi iam non vltimum diem clauſiſſet, prout reuera contigit. Corruat igitur vehemens illa (apud Dom. Baronium ſolum) ſuſpicio de Pelagianiſmo Ioannis concepta.

15 Liceat tandem, pro recapitulatione videlicet eorum, quæ pro Ioannis Ieroſolymitani Antiſtitis ſincera fide vindicanda, ſub S. Matris Eccleſiæ trutina, lima, ac correctione, tam in hoc quam in præcedenti ſecundo tomo horum Annalium diximus, veluti reconueniendo Eminentiſſ. Baronium, quem in hac Ioannis cauſa antigoniſtam habemus, in medium proferre quæ ipſe *in præcapitulationibus ad Martyrologium Romanum cap.7. poſt med um* habet. Probare namque contendens quod Epiſtola Chromatij, & Heliodori Epiſcoporum ad D. Hieronymum, & alia eiuſdem Hieronymi ad ipſos, non ſint ipſorum, ſed ab aliquo impoſtore confictæ, & ipſis attributæ, inquit: *Quod inſuper tam in dicta Epiſtola Epiſcoporum, quam in ea quæ ad eoſdem Hieronymi nomine reddita habetur, Euſebius Epiſcopus Cæſareæ ſanctitatis elogio commendatur, pro monſtro quidem habetur. Etenim, etſi olim ſanctitatis titulus communior eſſe videretur, vt non ſolum (vt hodie) illis tribueretur Chriſtianis, qui vita functi in cœlo regnant cum Chriſto; ſed & quibuſcunque laudabilioris vitæ fidelibus: datum tamen aliquando homini hæretico nemo dicere iure poterit.* Dom. Baron. arguitur.

poterit. Ex quo tale pro Ioanne noſtro vindicando conficere poſſumus argumentum, ni fallimur (vt logici aiunt) ad hominem, & efficaciſſimum. *Titulus Sancti, vel ſanctitatis nunquam homini hæretico datus fuit:* quæ eſt maior Baronij. *Titulus Sancti, ſeu ſanctitatis datus eſt Ioanni Ieroſolymitano tum viuenti, tum vita functo ab Anaſtaſio Papa, Sozimo Papa, S. Auguſtino, S. Paulino, Luciano Presbytero, Idacio Epiſcopo Lamecenſi*, qui omnes ipſum cognouerunt, imo a S. Gamaliele in cælis cum Chriſto regnante, (omittimus Martyrologia, Catalogos Sanctorum & Officia Eccleſiaſtica, ac innumeros poſteriores) vt conſtat ex adductis hoc tomo, & præcedenti. *Ergo nunquam fuit hæreticus*. Vincat ergo veritas a nobis pro poſſe vindicata, dum aliud, vt diximus, S. Sedes Romana non decreuerit ſentiendum.

Ann. Chriſt. 417. & 418. Sozimi Rom. Pontif. 1. & 2. Honorij Imper. 23. & 24. Theodoſij 10. & 11.

Pelagius ab omnibus damnatur.

1 DAMNATVS Pelagius a duobus Concilijs Africanis, Carthaginenſi vno 77. Epiſcoporum; Mileuitano altero 61. Epiſcoporum in Numidia, nolente Papa Innocentio acceptare ipſius purgationem in Concilio Palæſtino factam; cum Pontifex e vita migraſſet, eique ſubſtitutus eſſet Zoſimus Græcus, illi cum ſuo veluti armigero Cæleſtio ſe præſentauit, etſi doloſè. Ab eo tamen ſicut ab Innocentio prædeceſſore nihil obtinuere niſi damnationem ſuorum errorum. Præſertim, quia aliud Concilium Carthaginenſe 214. Epiſcoporum eos etiam damnauit. Sic recentiores Chronologi ex D. Auguſtino, Proſpero, & alijs.

Geſta Innocentij Papæ.

2 Pro noſtræ autem hiſtoriæ monaſticæ complemento aliqua accipiat Lector ab Innocentio Papa, prout *in lib. de Roman. Pontificib.* habetur, geſta, huic tempori appingenda, cum certius aliud lateat. Ille (vt ibi dicitur) *conſtitutum fecit de Regulis Monaſteriorum*. Quod tamen fuerit hoc *Conſtitutum*, nec in eo libro, neque alibi reperitur. Si autem fuit approbatio Regularum Baſilij, & Ioannis Ieroſolymitani, quæ ipſius tempore, vel paulo ante editæ fuerunt, magni ponderis eſſet pro noſtra hiſtoria, quia tamen nihil de hoc certi comperimus, ſuſpendimus iudicium, donec veritatis lucifer oriatur. Subditur *ibidem: multos Cataphrygas inuenit, quos in exilio Monaſterij relegauit*. Nouerit Lector ex dictis præcedenti tomo Montaniſtas veluti ſimios Prophetici, & Eliani Ordinis, habuiſſe pſeudo propheticiſſas quaſdam in ſua ſecta, Priſcam videlicet, & Maximillam (quos imitantur Lutherus cum ſua Catharina Boræa Sanctimoniali; Caluinus cum ſua Idelleta Buræa; Beza cum Candida; & ſimiles alij Nouatores cum talibus) quia ergo illæ Prophetalem, & Monaſticam vitam effingebant, merito Pontifex in Monaſteria relegari

gari

gari ſtatuit, vt veram & ſinceram addiſcerent. Sunt namque Monaſteria monaſticæ diſciplinæ gymnaſia.

3 Quoad Cyrillum vero Alexandriæ Antiſtitem ſpectat, illud non prætermittimus (ex quo etiam id quod diximus in ſuperioribus de Ioanne noſtro Ieroſolymitano quibuſdam de Pelagianiſmo ſuſpecto, & a nobis vindicato, maiorem lucem accipiet) quod ſcilicet, cum Pelagiani verſipelles eſſent, aientes nunc, poſtea negantes, ſicut ipſorum peſtiferum caput Pelagius, qui propterea a 14. Epiſcopis Palæſtinæ, inter quos Ioannes Ieroſolymitanus vnus erat, in Synodo Diſpolitana abſolutus gloriabatur; huius ſectæ nefandiſſimæ ſectarius, Valerianus nomine (alijs Annianus) Alexandriam migrauit, amicitiæ Antiſtitis Cyrilli ſe inſinuans, & cum ibi minimè perſpectus haberetur, ſecurius in communionem Eccleſiæ receptus, degebat. Monuit de hoc Pelagiano S. Cyrillum Euſebius quidam, cuius epiſtolam refert Baronius *ann.*417. §. *Gratias egi*, excuſans tamen (& recte) Cyrillum. Sed cur non etiam Ioannem excuſare potuit? Cyrilli geſta.

4 Auguſtinus etiam Eccleſiæ lumen ſplendidiſſimum, & Monachorum Africæ Archiphylax, contra Pelagianam peſtem libros *de gratia Chriſti*, & *de peccato originali* ad Albinum, Pinianum, & Melaniam iuniorem Ieroſolymis degentes, vbi etiam Pelagius, vt Orbem eò confluentem deciperet, ſedem fixiſſe videbatur, ſcripſit, antidotum contra ipſius venena propinans. Inſuper contra Monachos quoſdam, qui cum Valentino erant in Monaſterio Adrumetino, & liberum arbitrium negare videbantur; alios quoque qui e contra cum Pelagio ſic defendebant arbitrij libertatem, vt gratiam de medio tollerent, duos Commentarios, alterum *de gratia, & libero arbitrio*, alterum *de correctione, & gratia* in ſeptimo tomo Operum eiuſdem Auguſtini regiſtratos conſcripſit. Quamuis autem hac in re iſti Monachi prius cogitabundi, & dubij manſiſſent, & inter eos propterea *diſſenſiones* eſſent, vt ab aliquibus eorum accepiſſe teſtatur idem Auguſtinus in principio prioris Commentarij; nihilominus in principio etiam poſterioris hæc habet, quibus denotatur ipſos iam in veram fidem conueniſſe: *Egi Deo gratias, quod veſtram in Domino pacem, & in veritate conſenſionem, & in charitate flagrantiam, veſtro nobis reddito ſermone cognoui*. Hæc porro notatu digna cenſuimus propter quoſdam qui Monachos iſtos inter hæreticos cenſent, (cum tamen ex ſimplicitate potuerint in principio titubare) & vt cuncti qui Monaſtico gaudent titulo nouerint tunc ſuo muneri ſatiſfacere, cum otioſam vitam ſpernentes pro Eccleſiæ vtilitate gnauiter laborant; qualis Auguſtinus erat. Auguſtini labores contra Pelagium.

5 Florebant etiam hoc tempore in Eliadum Sanctimonialium Cœtu virgines plures Chriſto ſponſo meritis, & vita aſſociatæ. Inter eas clariſſima fuit vna *Sara* nomine, quam ex Ieroſolymitano Dominici ſepulchri Cœnobio a Ioanne noſtro Antiſtite ad Cyrillum Alexandrinum S. Sara.

Præſulem

Præſulem (ipſo expoſtulante, vt præeſſet virginum Cœnobio ea in Vrbe ab ipſo, iuxta dicta ſuperius, extructo) tranſmiſſam fuiſſe, tradit noſter Boſtius *lib.5. cap.69.* & ſequuntur Palæonydorus *lib.2. cap.4. & 7.* Coria *lib.9. cap.19.* cum alijs poſterioribus. De ea *in lib.5. vit. Patrum libell.5. num.10.* narratur per tredecim annos a fornicationis ſpiritu fortiter impugnatam nunquam oraſſe, vt recederet a ſe turpis illa pugna, ſed ſolum dicere ſolitam: *Domine, da mihi fortitudinem*. Et *nu.11.* quod cum quandoque illam infeſtius tentaſſet, ipſaque viriliter reſtitiſſet, apparens ei idem fornicationis ſpiritus dixerit: *Tu me viciſti Sara*; & illa: *Ego non te vici, ſed Dominus meus Chriſtus*. Mirabiliſſimum quoque illud de ipſa eodem libro *libell.7. num.19.* refertur, quod ſcilicet, cum ſexaginta annis habitaſſet ſupra alueum fluminis (Nili videlicet, quo in loco Cyrillus hoc Cœnobium condiderat) *nunquam inclinata eſt, vt flumen ipſum aſpiceret*. O prodigium ſanctitatis, vanæ curioſitati etiam virginum Deo ſacrarum ſupra modum contrarium! Verè dicere potuit quod eodem libro *libell.10. num.73.* dixiſſe ſcribitur occaſione, in qua duo Pelluſini monachi eam alloqui cupientes dixerant: *Humiliemus vetulam iſtam*, & ad ipſam: *Vide ne extollatur animus tuus, & dicas, quia ecce ſolitarij viri veniunt ad me, quæ mulier ſum*; tunc enim ipſa dixit: *Sexu quidem mulier ſum, ſed non animo*. Alia ibidem de ipſa. Quam etiam noſtro Ordini aſcribunt Catalogorum ſcriptores domeſtici, & de exteris Laurentius Beyenlinck *in Theatr. vit. human. to.6. lib.16. verbo Religioſus, Religio*, dum de Ordine Carmelitarum.

Nonna virgo.

6 Idem cenſent de Nonna virgine, & Cœnobij Ieroſolymitani poſt Saram Præfecta, vt Arnoldus Boſtius ſupra ſcribit, quem etiam ſequitur Palæonydorus *lib.2. cap.4.* & alij iuniores. De qua vix aliqua reperimus. Imo dubitari poteſt an *Nonna* nomen proprium illius fuerit, an potius appellatiuum, cum iuxta dicta late *to.2. ſub anno 227. Nonnus*, & *Nonna* notant Monachos, & Moniales, ſeu illorum, vel illarum Præfectos, aut Præfectas, aut dignitatem in Cœnobijs habentes. Vtut res fuerit, duo hæc verbula de ipſa annotaſſe operæ pretium fuit.

Andronicus, & Athanaſia.

7 Circa hoc tempus contigiſſe credere fas eſt piam, & ſingularem illam hiſtoriam Sanctorum Andronici, & Athanaſiæ coniugum, & poſtea Monachorum, noſtrorum Annalium genuinam ſi attendatur illos Scetenſem Eremum, & Tabennenſiotarum colonias, quæ antiquitus Elianorum manſiones erant iuxta dicta tomo præcedenti, præſertim cum de Pachomij Abbatis Tabennenſis geſtis ageremus, inhabitaſſe, vt propterea noſtris Eliadibus eos accenſeant Didacus Coria *in Chronica Carmelit. lib.9. cap.4.* & Caſſanate *in Parad. Carmel. Decor. ſtat.3. ætat.7. c.29.* Eorum igitur hiſtoriam ex Metaphraſte, & Surio pro 27. Februarij ſic damus, etſi quibuſdam detractis, prolixitatis vitandæ cauſa, vt vel inde incitamentum ad virtutum exercitia qui monaſticam vitam profitemur, haurire poſſimus.

In

8. [In diebus Theodoſij magni Imperatoris erat in magna Vrbe Antiochia iuuenis quidam argentarius nomine Andronicus. Accepit autem vxorem filiam argentarij nomine Ioannis. Erat vero eius nomē Athanaſia: Erat enim reuera Athanaſia, id eſt immortalis, & factis, & cogitatione. Erat autem Andronicus valdè pius & plenus bonis operibus. Similiter verò eius quoque vxor. Erant autem valde diuites. Sic verò vitam ſuam agebant argentariam, & facultates ſuas diuiſerunt in tres partes: vnam quidem in rationem pauperum, & aliam in rationem monachorum, & aliam in rationem facultatum, & officinæ. Vniuerſa autem ciuitas amabat D. Andronicum propter eius modeſtiam. Cognouit autem ſuam vxorem, & cum concepiſſet peperit filium, & nominauerunt eum Ioannem. Cum verò adhuc in vtero concepiſſet, peperit filiam, & nominauit eam Mariam; neque amplius appropinquauit vxori Andronicus. Conferebat autem ſuum ſtudium ad diligenter, & lubenter laborandum cum alijs Chriſti amantibus argentarijs. Dominico & die ſecundo, & quarto, & in paraſceue a veſpera vſque ad matutinum ibat Andronicus ad lauandos viros ſuos fratres. Similiter autem eius quoque vxor ad lauandas diligenter mulieres. Poſt tempus verò 12. annorum ingreſſa eſt quodam die mane domina Athanaſia a voluntario illo labore ad videndos ſuos filios, & inuenit eos ſuſpirantes. Illa autem conturbata aſcendit in lectum ſuum, & poſuit ambos ſupra pectus ſuum. Beatus verò Andronicus ingreſſus cœpit clamare in vxorem ſuam quod multum dormiret. Illa autem dixit: Noli iraſci domine mi, pueri enim ſunt infirma valetudine, & cum tetigiſſet inuenit eos teneri a febre, & dicit ſuſpirans: Fiat voluntas Dei; & iuit extra ciuitatem ad precandum S. Iulianum. Illic enim iacebant eius parentes. Fuit autem illic vſque ad horam ſextam, & reuerſus audit eiulatum, & tumultum, qui fiebat domi ſuæ. Ille verò conturbatus cucurrit, & inuenit omnem fere ciuitatem domi ſuæ, & pueros mortuos. Cumque vidiſſet infantes in lecto ſimul iacentes, ingreſſus in ſuum oratorium ſe proiecit ante Seruatorem, & flens dixit: Nudus egreſſus ſum ex vtero matris meæ, nudus quoq; illuc reuertar. Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino viſum eſt, ita fiat, ſit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, & vſque in ſeculum. Vxor autem eius quærebat ſe ſuffocare dicens: Moriar cum meis filijs. Conuenit verò vniuerſa ciuitas ad efferendos pueros, adeo vt illic eſſet Patriarcha cum toto Clero ſuo. Eos verò depoſuerunt in martyrio S. Iuliani ſupra auos ſuos. Accipiens autem B. Andronicum Epiſcopus, ingreſſus eſt in ædes eius. Illius autem vxor noluit abire in domum ſuam, ſed dormijt in martyrio. Media verò nocte apparet ei Martyr in habitu monachi dicens ei: Cur non ſinis eos qui hic ſunt, requieſcere? Illa autem dixit: Domine mi, ne mihi iraſcaris: nam ſum valde afflicta. Habebam autem duos ſolos filios, & hodie ambos ſimul extuli. Ille verò dicit: Quot annos nati erant tui pueri? Illa vero dicit ei: Vnus erat 12. annos natus, altera verò decem. Ille autem dicit ei: Cur igitur illos defles? Vtinam defleres peccata tua. Dico enim tibi mulier, quod quomodo natura hominis exigit cibum, & fieri

Hiſtoria ipſorum.

non poteſt, vt non detur ad comedendum: ita etiam pueri in illo die poſcunt a Chriſto bona futura, dicentes: Iuſte Iudex priuaſti nos rebus terrenis: ne nos etiam priues cæleſtibus. Illa autem cum audiuiſſet, eſt compuncta, & mutauit luctum in gaudium, dicens: Si ergò viuunt filij mei in cœlo, quid fleo? & conuerſa quæſijt Abbatem qui ei fuerat locutus, & cum totum locum obijſſet, non inuenit, & ſciſcitatur a ianitore, dicens: Vbi eſt Abbas qui eſt modo huc ingreſſus? Dicit ei ianitor: Vides omnes ianuas obſeratas, & dicis vbi eſt Abbas, qui modo eſt huc ingreſſus? Eam autem erudijt Paramonarius, vt qui ſciuiſſet eam vidiſſe viſionem. Illa verò metu correpta rogauit vt abiret in domum ſuam. Eam verò accepit ianitor & introduxit in domum ſuam, & narrauit marito ſuo ea quæ viderat. Tunc dicit ei B. Athanaſia: Reuera Domine, etiam viuentibus filijs volui dicere, & erubui. Ecce ergo etiam poſt mortem eorum dico tibi. Si me audias, conijcies me in Monaſterium & deflebo peccata mea; & dicit ei: Abi, proba tuam cogitationem vna hebdomada, & ſi permanſeris in hoc propoſito, loquemur. Illa autem cum rurſus veniſſet, idem dixit. Beatus verò Andronicus accerſit ſocerum ſuum, & ei tradit omnes ſuas facultates, dicens: Ad ſancta loca proficiſcimur ad orandum. Si quid ergo nobis acciderit humanitus habebis has facultates, vt de eis facias quod tibi videbitur. Rogo ergo te vt rectè agas cum tua anima, & ex ijs quæ hic ſunt fac noſocomium, & xenodochium Monachorum, & manumiſſis ſeruis ſuis, dedit eis legata, & accepta parua benedictione, & duobus equis, exijt noctu ex ciuitate ipſe & vxor eius ſoli. Beata autem Athanaſia eminus vidit domum ſuam, & ſurſum adſpiciens in cœlum dixit: Deus qui dixiſti Abrahæ & Saræ, Egredere e terra tua & e cognatione tua, & veni in terram quam oſtendam tibi: ipſe nunc quoque deduc nos in timorem tuum. Ecce enim relinquimus domum noſtram apertam propter nomen tuum; ne ante nos claudas oſtium regni tui; & flentes ambo abierunt: & cum ad ſancta loca perueniſſent adorarunt, & cum multos Patres conueniſſent, veniunt ad S. Menam Alexandriæ & fruuntur martyre. Circa horam autem nonam adſpicit Andronicus, & videt Monachum contendentem cum laico, & dicentem: cur Abbatem iniuria afficis? Is verò ei dicebat: Domine locaui beſtiam meam ad Scetem. Ego vero ei dico: Eamus iam vt totam noctem ambulemus, & cras vſq; ad ſextam, vt perueniamus ante æſtum diei, & non vult vt iã eamus. Dicit ei dominus Andronicus: Habeſne aliquod aliud animal? Is vero dicit. Maxime. Dixit autem ipſi: Vade duc illud ad me, & veni, & accipiam ego vnum animal, & Abbas vnum, quoniam ego quoq; volo ire ad Scetem. Andronicus vero dicit vxori ſuæ. Mane hic apud S. Menam, donec deſcendam in Scetem, & accipiã benedictionẽ a Patribus, & reuertar. Dicit ei vxor eius: Accipe me tecum. Ille verò dicit ei: Mulier nõ ingreditur in Scetẽ. Illa autem dicit ei cum fletu: Habebis me apud S. Menã, ſi remanſeris, & me nõ collocaris in monaſterio. Cumq; ſe inuicẽ ſalutaſſent, & complexi fuiſſent, fuerunt ſeparati. Ipſe autem deſcendit ad Scetẽ, & cũ adoraſſet S. Patres in Laura, audiuit de Abbate Daniele, & cũ eò acceſſiſſet

non

non ſine magna difficultate eum potuit conuenire: ſeni verò omnia expoſuit. Dicit autem ei ſenex: Abi & adduc vxorem tuã, & faciam tibi litteras, & depones eam in Thebaide in Monaſterio Tabennenſiotarum. Andronicus autem fecit ſicut dixerat ei ſenex, & abiens duxit eam ad ſenem. Qui locutus eſt eis verbum ſalutis & factis literis miſit eos ad Monaſterium Tabennenſiotarum. Reuerſo verò Andronico, dedit ſenex habitum, & docuit quæ ad ſtatum pertinent monaſticum, & manſit apud eum annos duodecim. Poſt duodecim autem annos rogauit ſenem vt ſe dimitteret ad ſancta loca. Ille verò bene precatus eum dimiſit. Abbas autẽ Andronicus iter faciens per Ægyptum ſedit ſub ſpina vt animam recrearet ab æſtu. Ecce autem ex Dei diſpenſatione veniens in habitu virili eius vxor, quæ ipſa quoque ibat ad ſancta loca. Cumque ſe inuicem ſalutaſſent cognouit columba coniugem. Ipſe verò quomodo potuiſſet cognoſcere talem quę emarcuerat pulchritudinem & quæ videbatur vt Æthyops? Dicit ergo ei: Quo vadis domine Abba? Ille verò dicit ei: Ad ſancta loca. Ipſa autem dicit ei: Ego quoque volo illuc ire. Ipſa ergo rurſus dicit ei. Si velis eamus ambo ſimul. Sed tanquam non ſimul ſimus ingrediamur ſilentio. Dicit Andronicus. Vt iubes. Deinde ipſa, dicit ei: Non es reuera diſcipulus Abbatis Danielis? Ipſe verò dicit ei: Maxime. Dicit ipſa: Preces ſenis nos comitabuntur. Dicit Andronicus: Amen. Cum autem ſimul ingreſſi eſſent, & adoraſſent ſancta loca, reuerſi ſunt Alexandriam. Dicit Abbas Athanaſius Abbati Andronico: Vis maneamus ſimul in cella? Dicit Andronicus: Certe, vt iubes. Volo autem primum ire & accipere preces ſenis. Dicit ei Abbas Athanaſius: Vade, & expectabo te apud Octauumdecimum, & ſi venias, ſicut iter fecimus, manebimus ſilentio. Nam ſi te non ferat, ne veneris. Ego enim te expectabo apud Decimumoctauum. Ille autem profectus ſalutauit ſenem, & de eo ipſi renunciauit. Senex verò dicit ei: Vade & dilige ſilentium, & mane cum fratre: eſt enim monachus vt eſſet oportet. Eo autem reuerſo, cum inueniſſet Abbatem Athanaſium, manſerunt ſimul, timore Dei muniti alios duodecim annos, & non cognouit Abbas Andronicus eam eſſe ſuam coniugem. Sæpe ergo aſcendebat ſenex ad eos viſitandos ea illis diſſerens quæ pertinebant ad vtilitatem. Semel autem cum aſcendiſſet ſenex, & eos valere iuſſiſſet, antequam iret ad S.Menam, venit ad eum Abbas Andronicus, & dicit ei: Abbas Athanaſius vadit ad Dominum. Reuerſus verò ſenex, inuenit eum magnis compreſſum anguſtijs, & cœpit flere Abbas Athanaſius, & dicit ei ſenex: Cum te oporteret gaudere quod migras ad Dominum, lachrymaris? Dicit ei Abbas Athanaſius: Non ploro niſi propter Abbatem Andronicum. Sed fac hanc charitatem poſtquam me ſepelieris, inueniens ſchedulam ſitam ad caput meum, lege eam, & da ipſi Abbati Andronico. Cumque ipſi preces dixiſſent, communicauit & dormijt in Domino. Venerunt autem ad ei faciendas exequias, & ecce inuenta fuit ſexu mulier, & auditum fuit in tota Laura, & mittens ſenex, exciuit vniuerſam Scetem, & interiorem ſolitudinem, & venerunt omnes Lauræ Alexandriæ, & conuenit vniuerſa

ciuitas, & Monachi Scetæ, ferentes legumina; ita enim mos eſt in Scete. Cum ramis ergo, & palmis extulerunt venerandas reliquias Athanaſiæ, Deum glorificantes, qui tantam tolerantiam præbuit mulieri. Expectauit autem ſenex ſeptimum diem beatæ Athanaſiæ. Poſtea verò voluit ſenex accipere ſecum Abbatem Andronicum, ſed non id ſuſtinuit, dicens: Moriar cum mea domina. Cumque eum rurſus iuſſiſſet valere ſenex, priuſquam ipſe iret ad Sanctum Menam, venit ad eum frater, dicens: Laborat Abbas Andronicus, & eſt redactus ad anguſtias. Senex verò rurſus miſit in Scetem dicens: Adeſte huc venientes, Abbas enim Andronicus ſequitur Abbatem Athanaſium. Illi autem cum audiuiſſent, acceſſerunt, & inuenerunt eum viuentem. A quo cum accepiſſent benedictionem, dormijt in Domino.]

Ann. Chriſt. 419. & 420. Bonifacij Rom. Pontific. 1. & 2. Honorij Imper. 25. & 26. Theodoſij 12. & 13.

Bonifacius Papa.

1 DEFVNCTO Sozimo Papæ ſubſtituitur Bonifacius, cum contradictione tamen cuiuſdam Eulalij ſchiſma excitantis, cui primum Honorius Imperator fauere voluit, etſi poſtea, re melius perſpecta, ſententiam mutauerit, & Bonifacius vicerit. Baronius, Gordonus, Ciaconius, & alij.

Euſtochij virginis obitus.

2 Hoc tempore S. Virgo Euſtochium Paulæ Romanæ filia, & Diuo Hieronymo deuotiſſima, ad meliorem vitam tranſlata eſt, prout ex eiuſdem Hieronymi *epiſtola* 79. ad D. Auguſtinum, & Alipium circa cauſam Pelagij, Cœleſtij, & cuiuſdam Anniani Diaconi eorum errore infecti, colligitur. Vbi etiam quantum ipſe Hieronymus pro eius morte doluerit. Ipſius laudes ſæpius commemorat, præſertim in epiſtola *ad Pammachium*, ſic de ea loquens: *Quid Euſtochio fortius? Quæ nobilitatis portas, & arrogantiam generis conſularis virginali propoſito fregerit?* Monialis fuit Monaſterij Bethlehemitici, cui D. Hieronymus præerat, iuxta dicta *to. præcedenti ſub anno* 382. ex Palladio, & Heraclide. Et in quo etiam manebat Melania iunior, cuius etiam meminit quod ſalutaret Auguſtinum, & Alipium. Sicut etiam de Piniano eiuſdem Melaniæ marito, qui tamen ab vxore ſeparatus vitam Monaſticam in Monaſterio virorum agebat, iuxta dicta *eo præcedenti tomo ſub ann.* 409. Alia de Euſtochio habet lector in Baronio *ſub ann.* 419. §. *Ex his igitur, & ſeq.* & in notis ad Martyrologium Rom. ſub die 28. Septembris, quando ipſius feſtum celebratur.

S. Hieronymi tranſitus.

3 Obijt etiam paulo poſt magnum illud, & clariſſimum Orbis iubar Hieronymus, Euſtochij, Melaniæ, & aliarum Deo ſacrarum Monialium in Bethlehem cuſtos, & paſtor vigilantiſſimus, anno ætatis ſuæ 91. iuxta Proſperum *in Chronico*; 98. vel 99. iuxta alios; etſi non niſi 80. vel circiter, iuxta quoſdam. Id certum, quod, vt *in ſuo Chronico* inquit Marcellinus: *Finem vitæ fecit admodum ſenex*, *ibique* (ſcilicet Bethlehem)

lehem) *ſepultus eſt, catholicis quidem inexpugnabilis turris, hæreticis autem infatigabilis hoſtis.* Flauius Dexter *in Chronic.* pro anno 428. eius mortem deſcribit dicens: *Iam decrepitus migrat ad cælos.* Non enim exantlati pro Dei Eccleſia labores, ſtudia, vigiliæ, & librorum deſcriptio, vitæ curſum iugulant, vt quidam otioſitatis aduocati blatterant, ſed potius promouent, fulciunt, & protrahunt. Quod ardentiſſimus fuerit in expugnandis hæreticis in cauſa fuit, vt plurium maledicentium linguas effugere non poſſet, & quod aliquando etiam contra eos, quos de hæreſis labe notatos ex falſo rumore audierat, acriter quoque inueheretur, ſancto tamen zelo ductus; prout de ijs quæ contra Ioannem Ieroſolymitanum noſtrum ſcripſit, tomo præcedenti indicauimus. Opera, quibus Eccleſiam illuſtrauit cunctis nota ſunt, etſi inter ipſa aliqua ab impoſtoribus ſpuria ſint congeſta. De quo Marianus Victor, Antonius Poſſeuinus, Bellarminus, Baronius, & alij.

4 Ne autem Sacra Palæſtina propter D. Hieronymi tranſitum veluti orbata maneret ſanctis Monaſtici Inſtituti cultoribus, vnus, Deo prouidente, inter alios clariſſimus hoc tempore in partibus illis fulgebat. Is erat S. Euthymius Abbas, cuius vitam, & hiſtoriam latè proſequitur Cyrillus Monachus eiuſdem temporis, a Metaphraſte in paraphraſim redditam, & apud Surium *to. 1. pro die 20. Ianuarij*, & Ioannem Bollandum *in Actis Sanctorum to. 2. pro eadem die* inſertam, a nobiſque, vel compendioſe recitandam, eo quod ex loco, in quo is ſanctus Monachus exercebatur, alijſque circunſtantijs inferius expendendis, elicitur, non aliud ipſum Inſtitutum niſi peruetuſtum Elianum, & Eſſenum amplexatum fuiſſe. Vnde iure, meritoque inter Ordinis noſtri aſſeclas eum accenſent de exteris Scriptoribus Ægidius Gelenus Canonicus Colonienſis. *in Opere de Coloniæ Agrippinæ magnitudine lib. 3. ſyntagm.* 43. §. 1. & alij ex noſtris. Nec negare poterit Bollandus, qui ſupra *in prolegom. ad vitam S. Enthymij* §. 1. *nu.* 4. expreſsis verbis fatetur eandem vitæ rationem obſeruatam fuiſſe in lauris Euthymij, & aliorum, quæ obſeruata fuit in Nitrienſibus Ægypti: cum ex dictis *to. præcedenti* conſtare queat Nitrienſes hos Eliam pro aſceticæ diſciplinæ magiſtro cognouiſſe. Natus eſt Melitenæ Armeniæ vrbe ex Paulo, & Dionyſia parentibus claris, Deoque veluti alter Samuel a pueritia dicatus. Temporis curſu fit lector, & litterarum exercitio ab Epiſcopo traditus, parſimoniæ, deuotioni, & pugnæ contra vitia mirificè attendebat. Curam Monaſteriorum eius ciuitatis, mandante Epiſcopo, ſuſcepit; licet, quia quietis amator erat, fugæ ſe tradens Ieroſolymam petijt ætatis ſuæ anno 29. Cum autem conueniſſet Monachos, qui erant in ſolitudine, eorumque Inſtitutum arripuiſſet, ad *Pharam* Lauram, quæ propinqua eſt Ieroſolymis, peruenit, & in quadam cellula extra Lauram poſita ſe includens, & palmarum ramos in ea texens, ſibi & egentibus ſuos labores communes fecit, & Monachis futuris exemplum vitæ cum Theoctiſto alio ſimilis Inſtituti S. Euthymius

ſtituti conſorte ſuppeditauit. Hic ſiſtat lector, & animaduertat hanc Lauram *Pharam* appellatam eandem videri, ac Lauram *Pharus* in ijs ſimiliter partibus a S. Carithone erectam, iuxta dicta *to. præcedenti ſub anno* 277. & inde eliciat eiuſdem Eſſeni, & Eliani Inſtituti aſſeclas fuiſſe Carithonem, & Euthymium, vtpote eiuſdem loci incolas. Cum etiam Chariton nullam aliam vitæ rationem ſectari potuerit niſi vetuſtam Elianam, ſeu Eſſenam, vtpote, qui nihil commune habuit cum Antonio, Hilarione, Baſilio, aut alijs, qui poſt ipſum Monaſticen coluere, ſanè ſi veritatem ſequimur, dicere cogimur, eiuſdem Inſtituti aſſeclam Euthymium extitiſſe. Notet hoc lector in dicta Cyrilli hiſtoria §. *cum ſic autem*, vbi de eo inquit: *Cum conueniſſet patres, qui erant in ſolitudine, & didiciſſet vitæ vniuſcuiuſque &c.* & poſtea; *Illinc peruenit ad Pharam Lauram, quæ ſex milliaribus diſtat Ieroſolymis.*

Alia geſta Euthymij, & Theoctiſti.

5 Proſequitur Cyrillus in ſua hiſtoria dicens, Euthymium, & Theoctiſtum manſiſſe per quinquennium in Pharam; ſed poſtea per ſolitudinem fugientes ad quandam ſpeluncam deueniſſe, vbi herbis victitantes, & mundo incogniti Deo ſeruiebant. Ad eos tamen temporis curſu Marinus, & Lucas acceſſere, & Monaſticen ebibentes, Monaſteria extruxerunt, & Theodoſium authorem Cœnobiorum ad vitam Monaſticam perduxerunt. Conſtruxit & ipſe Euthymius aliud cœnobium, vbi Monachis ad eum accedentibus Regularia documenta tradidit, de obedientia, humilitate, propriæ voluntatis negatione, otio fugiendo, ſilentio habendo, & armis ſpiritualibus vtendis, quæ ſi lector perpendat, inueniet ſanè præter Regulam Baſilij alias quoque in Oriente in vſu fuiſſe. Fundauit etiam cum Domitiano diſcipulo Monaſteria alia circa mare mortuum; quo etiam denotatur vitam Propheticam amplexatum fuiſſe, cum ea loca quæreret vbi Prophetarum filij Eliæ diſcipuli, & poſtea Eſſeni, manſiones habuerunt, iuxta dicta tomis præcedentibus. Alia de ipſo in ſequentibus.

Monachiſmus in Brittannia.

6 Nec ſolum in Orientis partibus, ſed & in Occidentalibus quoque, per id tempus Monachiſmus propagatus cernitur. Etenim, vt a remotioribus Occidentis plagæ Regionibus initium capiamus, in Brittannia, maiori videlicet, quæ & Anglia, eum hoc tempore viguiſſe ex Ioanne Balæo eiuſdem nationis alumno *in Opere de Scriptorib. Brittann. Centur.* 1. *in Pelagio, & Congello Bannochorenſi* habetur. Dicit enim dum de Pelagio hæreſiarcha loquitur; *Ante Pelagium non nouit Brittannia monachiſmum ſuperſtitioſum, neque Chriſti gratiæ per confictas allegorias anteferre iuſtitiam operum.* Et in Congello: *Ab iſto Monachiſmus Ægyptius a Pelagio introductus ſub ſpecie Religionis in Brittannia radices, vires, & incrementa largiſſima cepit.* Ex quibus, ſi veræ pietatis cribro ſecernamus id quod impurus apoſtata, & in ſacrum Monachatum maledicus homo, obloquitur, veluti granum inter paleas remanebit, quod hoc tempore Pelagij introductus fuerit in Brittannia Monachiſmus Ægyptius, ac

perinde

perinde Eſſenus, prout ea, quæ ſæpius diximus, manu oſtentant. Non a Pelagio, vt Balæus ſomniat. Vnde rectè Clemens Reynerus *in Apoſtolatus Angliæ Benedictinorum libro Tract.* 1. *ſect.* 1. §. 18. inquit: *Falſo hoc laudis hæreticus oſor Monachorum, hæretico hoſti gratiæ diuinæ imputat.. Neque enim* ille (Pelagius nempe) *primus fuit, ſed a primis enutritus Monachis, aut forte primus ex Palæſtina in Brittanniam reuerſus*. Quis enim Eccleſiæ hoſtem iuratum Monachiſmi propagationi attendiſſe autumabit? Sed ab alijs, illis (credibile ſane) qui Collegium Bannochorenſe a multis ibi annis conditum, prout *tomo præcedenti ſub ann.* 180. ſcriptum reliquimus (vbi alia ad intentum) inhabitabant. Eſto Pennotus *in hiſtor. Canonic. Regular. lib.* 2. *cap.* 34. *in fin.* hoc cœnobium Canonicis, non Monachis attribuendum cenſeat. Erant iſti numero 2100. *manuum ſuarum laboribus victitantes*, vt idem Balæus *ſupra* dicebat, eatenus nouis Monachiſmi cultoribus auſcultandum, quatenus otioſitatem, & ſegnitiem plurium Noſtratum condemnat. Aſtruit etiam Pelagium Præpoſitum fuiſſe eiuſdem Collegij. Sed & in hoc cribrandus Balæus, forſan enim, vt non ſemel facit, in odium Monachiſmi Pelagium Archimandritam credit. In hoc reconueniendus, ſi enim Pelagius eiuſdem Collegij Præſul fuit, cum is Monachus fuerit, ſequitur Collegium illud Monachorum fuiſſe. Et cum antiquiſſimum eſſet, nec conſtet ritum viuendi alteraſſe, denotatur ſanè Monachiſmum ante Pelagium in Brittannia radices egiſſe.

7 In Hiſpania quoque ſub id tempus, anno videlicet 419. iuxta Flauium Dextrum *in Chronico*, Monachi quidam nigri florebant, Canali in Luſitania. Pro quibus, & qualiter credibilius ſit, Ordinis Prophetici, non Baſiliani aſſeclas fuiſſe, ex antiquioribus eius Regionis Monachis ortum ducentes, ea quæ adduximus *to. præcedenti circa ann.* 393. non mediocriter ſuadent. Monachi in Hiſpania.

8 Vigilius etiam Diaconus, & Monachus hoc tempore florebat, & Regulam quandam pro Monachis condebat, vt ex Gennadio, Honorio, Trithemio, & Poſſeuino tradit Benedictus Haeftenus *in diſquiſit. Monaſt. lib.* 1. *Tract.* 4. *diſquiſ.* 12. & nos diximus *in Appar. cap.* 1. Vigilius.

Ann. Chriſt. 421. 422. & 423. Bonifac. Papæ 3. 4. & 5. Honorij Imper. 27. 28. & 29. Theodoſij 14. 15. & 16.

HI tres anni vltimi fuerunt Pontificatus Bonifacij, & vitæ Honorij Imperatoris, nec valde notabilia ad hiſtoriam ſpectantia præferunt, vt proinde ſimul coniungi a nobis debeant, propriora Monachorum eo tempore geſta recenſendo. Huius tēporis hiſtoria.

2 Inter quæ locum meretur quod de Ioanne Caſſiano, de quo *tomo præcedenti ſub ann.* 404. dicere cœpimus, refertur, videlicet, Maſſiliæ in Gal- Caſſianus.

in Gallijs duo Monaſteria, virorum vnum, fœminarum aliud extruxiſſe. Ita enim aſtruunt Gennadius *in Catalogo Illuſtrium virorum in ipſo Caſſiano*, Trithemius *de Scriptorib. Eccleſiaſt.* & quamplures alij. In ipſis (inquit Trithemius) *Regularis diſciplinæ feruor magnus pluribus annis permanſit.* Sed cuius Inſtituti? Baſiliani, dicunt quidam. Abs re ſanè, cum ipſe Caſſianus *in Præfatione ad Caſtorem Epiſcopum* præfixa 12. libris *de Inſtitutis Cœnobiorum*, conceptis, & expreſſis verbis ritum viuendi Patrum Ægypti, & Palæſtinæ ab exordio prædicationis Euangelicæ Inſtitutum cæteris alijs præferri debere, & ſeipſum ſequi velle ingenuè fateatur. *Secundum eam* (inquit) *quam vidimus Monaſteriorum Regulam per Ægyptum, vel Palæſtinam antiquitus Fundatorum, fideli ſermone, vel adijciam, vel recidam. Nequaquam credens rationabilius quidpiam, vel perfectius Conſtitutionem nouellam in Occiduis Galliarum partibus reperire potuiſſe, quam illa ſunt Inſtituta, in quibus ab exordio prædicationis Apoſtolicæ a Sanctis, ac ſpiritualibus Patribus fundata Monaſteria ad nos vſque perdurant.* Secundum ergo ritum in Ægypto, & Palæſtina a tempore Apoſtolorum in Monaſterijs receptum ſua fundauit Monaſteria. Vt luculenter inter alios Clemens Reynerus in ſuo *de Apoſtolatu Benedictinorum in Angliam, Tract. 1. ſect. 1. §. 18.* indicare videtur verbis relatis *in Apparatu cap. 1. num. 25.* Clarius id exprimit Benedictus Haeftenus ex Petro Roucrio Ieſuita, verbis relatis *eodem Apparatu cap. 1. nu. 16.* Quorſum ergo a S. Baſilio id mendicaret? Eo præſertim, quod monaſticæ profeſſionis (quam ipſe in Gallijs propagare ſtudebat) authores agnoſcit non Baſilium; ſed Eliam, Eliſeum, & Ioannem Baptiſtam, vt clarè conſtat ex ijs quæ ſcripſit *lib. 1. de Inſtitut. cap. 2. & collat. 18. cap. 6.* In priori enim loco dicit Monaſticæ *profeſſionis fundaſſe primordia Eliam, & Eliſeum*: in poſteriori vero Anachoretas imitatores eſſe *Eliæ, & Eliſei.* Eliani ergo Inſtituti fuerunt ea Monaſteria a Caſſiano extructa. Et poſtea ſub titulo S. Victoris, prout habet Antonius Yepes *to. 6. hiſtor. S. Benedicti Centur. 6.* Qui etiam addit ad ipſius imitationem plura alia Monaſteria extructa fuiſſe, in quibus quinque millia Monachorum eum vt Superiorem agnoſcebant. Scripſit etiam pro illis, quæ condiderat virorum, ac fœminarum Monaſterijs propriam Regulam, de qua *in Appar. cap. 1. num. 15.* nonnulla diximus, & latè agit Haeftenus *in diſquiſ. Monaſt. lib. 1. Tract. 5. cap. 4.*

Caſſiani libri vtiles Religioſi.

3 In hoc tamen præ cæteris commendandus Caſſianus (eſto Semipelagianorum nigro titione tinctus credatur) quod libri, quos ſcripſit *de Inſtitutis Cœnobiorum*, de *Patrum collationibus*, *Octo vitijs capitalibus*, & alijs *aſceticis* operibus, ſucco pleni ſunt, & cæleſti nectare pro monaſtica perfectione (quæ in abnegatione propria conſiſtit) adipiſcenda; adeo vt Monachis cunctis præ manibus ſemper haberi æquum ſit, prout S. Benedictus *in Regula cap. 42. & 73.* Caſſiodorus *ad fratres ſui Monaſterij & in pſal. 69.* Vincentius *in Speculo hiſtor. lib. 20.* S. Antoninus

par. 2.

*par. 2. hiſtor. tit.*10. *cap.*10. §.2. Trithemius *ſupra*, & alij commendant. Exemploque confirmarunt S. Dominicus, & S. Thomas Aquinas, qui eo vſi ad perfectionis apicem grandem peruenerunt. Relinquamus ergo nænias, ſcurrilia, & ſæculi mundana geſta, ac Caſsianum legamus, (caute tamen) qui ad perfectionem adquirendam ex vi ſtatus anhelare tenemur. Ex hoc enim authore plurima pro ipſa conſequenda expiſcari poſsumus.

4 Circa hoc tempus, anno videlicet 422. iuxta Proſperum *in Chronico*, in Gallijs florebant *Honoratus*, *Mineruius*, *Caſtor*, *Iouianus*, *ſingulorum Monaſteriorum Patres.* Conſonat Flauius Dexter, qui *ſub an.*424. inquit *Honorius* (lege *Honoratus*) *Mineruius*, *Iouianus*, *viri clariſſimi, ſanctiſſimique ſingulorum Monaſteriorum curam ſuſceperunt*. Horum memoria nobis commemoranda fuit, quia nihil in ijs reperimus quod Elianum antiquum Monachorum ritum non redoleat, aut nouum S. Baſilij ſapiat, multo minus Benedictinum, vt expreſſe fatetur Reinerus ſupra relatus, etſi Benedictinus etiam. Ex quibus Mineruius ille videtur eſſe, de quo *to. præcedenti ſub ann.*406. diximus, & conſtat D. Hieronymo familiarem fuiſſe. *Caſtor*, ſi nomen non fallit, ille eſt, ad quem Ioannes Caſſianus, etſi ſub nomine Epiſcopi præfationem *in lib.* 12. *de Inſtitutis Cœnobiorum* ſcribit. Maximè vero Honoratus iſte noſtra hiſtoria dignus eſt, quod ipſe cum ſuo germano fratre Venantio S. Capraſij magiſterio potiti fuerint, prout Vincentius Baralius Lerinenſis Monachus in vita S. Capraſij apud Benedictum Gononum *de vit. Patr. Occidentis* narrat. Iſtum enim Capraſium eum fuiſſe, cui Ioannes Ieroſolymitanus Carmeli quondam Eremita, eiuſdem etiam montis Anachoretæ, librum *de Inſtit. Monachor.* nuncupauit, ſupra ſub anno 412. ex quorumdam ſententia retulimus: quam etſi reiecerimus, non tamen Capraſium ipſum; eo quod pro comperto videatur, illud commune Monachorum vetuſtorum inſtitutum, non ſpeciale aliquod Baſilij, aut alterius, ſectatum fuiſſe, prout de ipſo, & Monachis Lirinenſibus ingenue fatetur Reynerus ſupra relatus. Vide dicenda *ſub anno* 440. de huiuſmodi Monachis Lirinenſibus.

Monachi inſignes.

Mineruius.

Caſtor.

Honoratus.

5 Huius porro Honorati geſta, quæ documenta præbent ſanctè viuendi Religioſis, relictis alijs ad hiſtoriam mere ſpectantibus, hæc ſunt, ex Hilario Arelatenſi Epiſcopo apud Surium *to.*1. *in vit. S.Honorati* excerpta. Eliam imitabatur in illo: *Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto*: diuina enim præſentia frui ſtudebat ſemper. Cum Venantio fratre de virtutum exercitio contendebat: *Cuius mens ad pietatem mollior; cuius cibus durior; cuius ſermo blandior; cuius amictus aſperior; quis loqui rarius; quis orare crebrius poſſet; quem minus detineret lectus; quem magis lectio; quem minus moueret inuidia; quem magis miſericordia*. O pia, & ſancta Monachorum concertatio, non de honoribus, & præeminentijs in Monaſterio obtinendis. Sanctum etiam Capraſium adeunt, & ab eo paterNalia

Honorati geſta.

nalia

nalia præcepta diſcunt. Moritur interim in peregrinatione Venantius, & Honoratus in Italiam veniens in Thuſcia veneratione dignus habetur. Sacerdotio initiatus in Lirinenſi Inſula Monaſterium conſtruit, vbi Monachos ſuos præclara inſtitutione, inſigni vitæ exemplo, ipſis, & exteris admiratio fuit. Vnde inter legislatores, ſeu Regularum Monachalium conditores iure numeratur, propter Regulam ab ipſo conſcriptam, a Baſiliana, Auguſtiniana, & Benedictina diuerſam, vt diximus *in Apparatu cap.* 1. *num.* 15. Hilarium ipſius vitæ ſcriptorem Chriſto lucrifecit. Ab Arelatenſibus Epiſcopus expetitus, eo in munere exemplar virtutis erat. Iam proximè moriturus ſaluberrima ſalutis monita hæc reliquit, alta mente Monachis reponenda. *Sic vitam agite, ne vitæ extrema timeatis. Hoc quod mortem appellamus quaſi commigrationem expectetis. Dura eſt carnis, animæque diuiſio, ſed multo durius in gehennæ flammis erit carnis, animæque conſortium, niſi in omni vita generoſitatem ſuam ſpiritus recognoſcens, bellum corpori, & corporalibus vitijs indixerit. Nullus nimium Mundi huius amore teneatur. Optimum eſt, vt voluntate faſtidias, quo te vides neceſſitate cariturum.* Hæc & alia idem Hilarius in Epiſcopatu etiam Arelatenſi ipſius ſucceſſor. Quibus addendum, ipſum ſectatorem fuiſſe Monaſtici Inſtituti, non Baſilij, Auguſtini, aut Benedicti, ſed vetuſtorum Ægypti Patrum, prout ex Caſsiano in *præfatione ad Collat.* 11. elicitur apertè. Idque profitetur Pennotus, dum *in hiſtor. Canonic. Regular. lib.* 1. *cap.* 54. *num.* 5. inquit, de eodem Honorato loquens: *Monaſterium* (ſcilicet Lirinenſe) *non ſub Auguſtini Regula, ſed ſub Inſtituto, quod, vel a Capraſio, vel in Oriente didicerat*, fundauit. Conſonat veſtis *Melota*, qua vſus eſt, vt conſtat ex Breuiario veteri Eccleſiæ Maſsilienſis, quod affert Bollandus *in Act. Sanctor. pro* 16. *Ianuarij*; hæc enim veſtis propria Ægyptienſium, & Eſſenorum Monachorum erat, vt diximus ſæpius. De illo plura cum pluribus idem Bollandus: Vide dicenda infra *ſub ann.* 440.

Theodoretus 6 Agit & Baronius *ſub ann.* 423. §. *vlt.* de Theodoreto Cyri Epiſcopo, a noſtra memoria non obliterando, cum ipſe *in epiſt.* 81. *ad Nomum Conſulem, ſeu Conſularem* ſe dicat in Monaſterio ſemper fuiſſe donec inuitus Epiſcopus ordinatus eſſet. Tota autem ipſius vitæ periodus, teſte eodem Baronio *ſub ann.* 427. §. *vlt.* hæc fuit. A parentibus Deo dicatus numeros magna cum laude Monaſticæ inſtitutionis abſoluit; conſuetudine Theodori Mopſueſteni hanc gloriam obumbrauit; obnubilauit etiam ex Neſtorij amicitia; obſcurauitque penitus ex ſuſcepto eiuſdem Neſtorij patrocinio contra S. Cyrillum noſtrum Alexandriæ Antiſtitem; ſed ſpirante Dei gratia, iterum pulcher, glorioſus, ac decorus apparuit, atque in communicatione Catholicæ Eccleſiæ, & S. Leonis Papæ diem clauſit extremum. Addimus nos fuiſſe egregium Monachorum patronum, in eis inuiſendis, alendis, fouendis, & mundo pro vitæ exemplo proponendis. Prout ex nono libro *vit. Patr.* qui *Philotheus*,

hoc

hoc eſt, *Dei amantium hiſtoria*, appellatur, ab ipſo edito, cognoſcitur. Plura ergo ex hoc libro ex geſtis illuſtrium Monachorum, quos ibi refert. pro noſtra inſtructione, compendiariè tamen, præter adducta in ſuperioribus, & adducenda inferius, hic damus, ſelectiora deſumentes. Eò præſertim, quia omnes illi antiquam Eliæ normam in viuendo ſequi videbantur.

7 Primus eſt Iacobus Niſibita celeberrimus ob vitæ auſteritatem, & ſigna magna patrata, de quo agit *cap.*1. eius libri. Alius eſt Iulianus Sabas, quem ex Eſſenis fuiſſe, vel victus qui erat panis, ſal, & aqua, manifeſtat, iuxta dicta *tom.*2. *in Appar. cap.*1. *num.*18. Pater fuit multorum Monachorum, & ſpiritu prophetico illuſtris, prout dicta *eo to.*2. *ſub an.*363. oſtendunt, & ipſe Theodoretus *cap.*2. Item Marcianus magni Baſilij magiſter (non diſcipulus) Agapetus, & Auitus ab eodem Theodoreto *cap.*3. & a nobis *ſub ann.*360. commemorati. Et Euſebius, de quo ipſe *cap.*4. & nos eo *anno* 360. vbi etiam de alijs. Item Publius, de quo *anno* 363. diximus aliqua, & plura idem Theodoretus *cap.*5. ſcilicet quod cum ex Senatorio ordine eſſet, & patrimonium in pauperes diſtribuiſſet, orationi, lectioni, hoſpitalitati, abſtinentiæ, & ſimilibus operibus vacans, pater etiam eſſe meruit plurium Monachorum. Præ alijs Simeones priſcus, de quo ipſe Theodoretus *cap.*6. inter alia narrat ſpeluncam incoluiſſe, feris imperaſſe, & leones viæ duces errantibus aſſignaſſe, ac varijs ſignis effulſiſſe. De eo Bollandus *in Actis Sanctor. pro die* 26. *Ianuarij*. Item Palladius quidam abſtinentia, inedia, vigilia, & oratione perpetua tam clarus apud Deum, vt homicidij crimen innocenti impoſitum ab occiſo declarari obtinuerit. De quo idem Bollandus *in Actis Sanctorum pro die* 28. *Ianuarij*. Ex cuius *Ordine fuit etiam Abraames admirabilis* (inquit Theodoretus *cap.*7. Agit inſuper *cap.*8. de Aphraate, de quo & nos *ſub ann.*370. Item *cap.*9. de Petro Eremita Galata, qui annis 92. decertauit, ſepulchrum vice domus incoluit, ſignis claruit, adeo vt Zona ipſius, quæ erat lata, & longa ex craſſo ligno contexta (agnoſcat hic lector Eliani Ordinis alumnum, iuxta dicta *tom. præcedenti ſæpius*) miraculis clareſceret. Ac *cap.*10. de Theodoſio mirabili viro, quem nos *ſub ann.*372. commemorati ſumus. Item *cap.*11. de Romano, qui nunquam igne vſus eſt, neque lumine lucernæ. Cuius cibus erat panis, & ſal, potus autem fontanum fluentum. En Eſſenum hominem, prout ſupra indicauimus. Ferro præterea, & cilicio veſtitus (non mollibus vt quidam moderni) morbos, & ſterilitates auertebat. Non referimus Zenonem, de quo ipſe Theodoretus *cap.*12. & *lib.*4. *hiſtor. cap.*26. quia, vt ex ipſo colligitur, fuit S. Baſilij diſcipulus, Baſiliano ergo Inſtituto accenſendus. Referendus tamen Macedonius, de quo *ſub ann.* 388. egimus, Theodoretum, & alios ſecuti. Item Seuerus, Petrus Ægyptius, Euthychès, Cyrillus, Moyſes, & Malchus, quos circa vrbem Antiochiæ claruiſſe idem Theodoretus *cap.*14. deſcribit. Maximè Mæſy-

Monachi illuſtres.

mas

mas vnica tunica, & cilicio ſemper contentus, de quo ibi. Acepſimas, de quo *cap.* 15. inquit per 60. annos in domuncula quadam clauſum neminem vidiſſe, nemini locutum fuiſſe, lente aqua madefacta victitaſſe, & onus ſacerdotij (ad confuſionem infinitorum penè qui nullis virtutibus ornati illud ambiunt) refugiſſe. Sub compendio etiam recenſendi Maro, Abraames, Euſebius, Maris, Iacobus, cui in viſu apparuit Ioannes Baptiſta candida indutus veſte (notet hæc lector pro dictis de ſimili candenti veſte *ſub anno* 310.) Thalaſſius, Limnæus, Ioannes, Moyſes, Antiochus, Antonius, Zebinas, Polychronius, Damianus, Aſclepius, Iacobus alius, Simeon celeberrimus (de quo *ſub ann.* 379. dictum) Baradatus, & Thalelæus; ac de fœminis aſceticam etiam vitam ſectantibus, Marana, Cyra, & Domnina. Quorum, & quarum geſta admiratione, & quoad fieri poſſit, imitatione digna, monachis cunctis a Deo pro exemplari vitæ aſceticæ propoſita ſunt. Hoc etiam fine iſtorum, quos retulimus, memoriam agimus, vt noſtrorum temporum in monaſtica diſciplina quorundam ſegnitiem oſtendamus; quando nec illorum geſtis ſimilia, aut æqualia, ſed multo minora cernuntur; & non tam frequenter, ſed rarius.

Ann. Chriſt. 424. & 425. Cæleſtini Rom. Pont. 1. & 2. Theodoſij Imper. 17. & 18. & Valentiniani 2. Imper. 1.

Huius temporis hiſtoria.

1 MORTVO Papæ Bonifacio ſuccedit hoc tempore Cæleſtinus Primus, ſicut mortuo Honorio Imperatori ſucceſſit ſolus in regimine Imperij Theodoſius, qui cum ipſo per 16. annos imperauerat. A quo Valentinianus Placidius Auguſtus deſignatur, vocatus Valentinianus Secundus. Sic moderni ex vetuſtioribus. Nos ad propriora pergimus.

Theodoreti geſta.

2 Ex quibus aliqua notata habet Baronius; *ſub ann.* 424. §. *quod ad res,* videlicet quod Theodoretus Cyri Epiſcopus, de quo ſuperius actum; & Monachus ex Monachis aſſumptus pluſquam decem millia Marcionitarum hæreticorum ad Eccleſiam Catholicam conuertit. Vbi iam ſunt maleuoli homines, qui Monachos inutiles Eccleſiæ fuiſſe cenſeant? Item *ſub ann.* 425. §. *vir quidam*, quod cum quidam vitam excolens Monaſticam Imperatorem Theodoſium excommunicaſſet, noluerit Imperator cibum ſumere donec a vinculo ipſi interminato ſolueretur, ab eodem quoque Monacho qui eum ligauerat. Sic ex Theodoreto, Nicephoro, & alijs. In quo quid magis mirandum, an pietas in religionem Catholicam, an vero in Monachatum deuotio, ſub trutina eſſe poteſt. Id pro comperto, aurea hæc ſæcula Theodoſij iam præterijſſe, & ſimilia exempla non niſi rarò iam in Orbe Chriſtiano conſpici.

S. Euphroſinæ

3 Ad cuius etiam tempus meritò referenda hiſtoria Sanctæ Virginis Euphro-

Euphroſynæ, Eliani, & Carmelitici Ordinis alumnæ celeberrimæ; prout ex officio Eccleſiaſtico ab Eccleſia approbato, & eius Ordinis Breuiario inſerto, colligi datur. Adſtipulantibus quoque Laurentio Beyerlinck *in Theatr. vit. hum. to. 6. lib. 16. verbo Religioſus, Religio*, dum de Carmelitis; Ioanne Carthagena *in homil. pro Carmelit.* & alijs, qui eum noſtris hiſtoricis eam inter Carmeli roſas accenſent. Ipſius porro vitam ex Metaphraſte apud Surium *to. 1. pro prima die Ianuarij*, ex *lib. 1. vit. Patr.* Lipomano *tom. 6.* alijſque tum exteris, tum proprijs ſcriptoribus ſic compendio damus. Nata eſt Alexandriæ, patre Paphnutio, & matre nobilitate, & moribus æquali, precibus Abbatis Monaſterij Alexandrini, matri ſterili obtenta. Duodennis facta, ac genitrice orbata, a patre litteris imbuenda traditur. Sapientia ergo, pulchritudine, & alijs dotibus eximiè ornata a pluribus in ſponſam expetitur, deſpondetur tamen vni præexcellentiori. Deus autem, qui ſibi eam delegerat, mediante cuiuſdam Monachi eiuſdem Monaſterij exhortatione, generoſum facinus, vt vel ſic patri occulta maneret, aggredi inſpirauit: exutis etenim fœminæ veſtibus, coma abſciſſa, virilique habitu induta ſub Eunuchi, & Smaragdi nomine in eo Monaſterio monachatum poſtulauit, ac ſub Agapiti Monachi diſciplina, cui a Præfecto tradita eſt, obtinuit. Angebatur interim diabolus tam prudens conſilium animaduertens, & quomodo ſic tum ipſum, tum ſponſum, ſæculum, & patrem ipſum anxiè nimis eam quæritantem eludere potuiſſet. Et quam variis tentationibus tum carnis illecebrarum, tum diuitiarum, patris, ſponſi, & familiæ recordationis a propoſito amouere non potuit, nouo nocendi ſtratagemate ſic cunctorum oculis ſpectabilem reddebat, vt pulchritudinis ipſius telis cunctos veluti ſauciaret, & ad illicita vehementer alliceret. Re ergo Præfecto Cœnobij delata, illam deorſum in cella incluſam, & ab omnibus ſeparatam degere iubet. Annuit virgo, & laboribus, vigilijs, ieiunijs, & orationibus vacans in carcere illo ſpontaneo incluſa plus cæteris in perfectionis ſtadio currebat. Cum autem per 38. annos hanc vitæ rationem (res mira) in Monaſterio egiſſet, mortis ſuæ præſcia, patri ſuo ſemper pro ipſa ſuſpiranti ſe agnoſcendam præbuit; & iam mortua Monachis, qui 352. numero eo in Cœnobio eſſe dicebantur. Claruit miraculo reſtitutionis oculi monoculo Monacho factæ; & in monumento Patrum ſepulta eſt.

Offert autem, & eadem hiſtoria Paphnutij patris Euphroſynæ res ſanctè geſtas. Pietate enim, Dei timore, eleemoſynis, & reuerentia erga Monachos illos valde commendatur. Et (quod ad noſtram propius ſpectat hiſtoriam,) quod poſt filiæ obitum, bonis ſuis diſtributis, eidem Monaſterio ſe obtulerit, in eadem cella, & eodem pſiathio, id eſt, ſtratu, ſeu lectulo viuens, & poſt decem annos moriens ad Deum migrauerit. Hinc in Menologio Græcorum pro die 25. Septembris, Paphnutius.

& in Menæis eadem die de eodem fit commemoratio. Errant qui hunc Paphnutium authorem vitæ S. Onuphrij faciunt; cum enim, iuxta dicta *ſub ann.* 310. S. Onuphrius ab hoc ſæculo migrauerit anno 370. vtique non potuit Paphnutius, qui eius vitam ſcripſit, & corpus ſepeliuit, hic de quo in præſenti, qui poſterior fuit, eſſe.

Theodoſij Abbatis geſta.

4 Offert etiam, & præclaram ſanctitatis famam, quam Theodoſius eius Monaſterij Abbas habere merebatur. Vt enim ex ipſa hiſtoria conſtat, huius precibus a Deo impetrata eſt parentibus Euphroſyna, cum eo familiariſſimè conuerſabatur Paphnutius, Virginem benedixit, Monachum ſub Smaragdi nomine fecit, & ei Agapitum pædagogum deſtinauit, ac ab aliorum conſortio ſegregari præcepit. An idem fuerit, qui poſtea Euphroſynæ morti aſtiterit res valde dubia, cum temporis diſtantia id diſſuadere videatur.

Impaſſibilitas quid importet.

5 Ne porro offenſionem aliquam pius lector incurrat dum in hac S. Euphroſynæ hiſtoria videt Agapitum hunc Monachum, cuius diſciplinæ ſub virili habitu, & nomine imbuenda tradebatur ab Abbate Theodoſio, appellari *virum ſanctum, & impaſſibilem*, ac illi præcipi: *Amodo hic erit filius tuus, & diſcipulus; talem eum conſigna, vt exuperet magiſtrum*; in *ſanctitate* videlicet, & *impaſſibilitate*; præ oculis habeat *impaſſibilitatem* hanc, de qua Agapitus hic ſanctus commendatur, non eſſe illam accipiendam, quam ex Origenis vitiatis fontibus hauſtam eius diſcipuli ebibiſſe dicuntur: quamque in Euagrio Pontico, ex illis vno, Ioannes Maria Braſichelenſis Magiſter Sacri Palatij *in Indice librorum expurgandorum*, & Roſuuedius *in annotationib. ad* 5. *lib. vit. Patrum*, & *in annotat. ad lib* 8. *num.*33. annotarunt; eo quod hic Euagrius, prout in eo 5. *lib. vit. Patr. libell.* 1. *num.*4. affertur, dixit aliquando ex quorundam Patrum ſententia: *Quod ſiccior, & non inæqualis victus charitati coniunctus citius introducat Monachum in portum impaſſibilitatis*: & *eo lib.*8. dixerit, Ammonium Origeniſtam *impatibilem* fuiſſe. Hoc enim impaſſibilitatis, ſeu impatibilitatis, genus, quod impeccabilitatem redolere videtur, acriter impugnauit D. Hieronymus *in epiſt. ad Cteſiphontem*. Eo vel maximè, quod videbatur conſtituta, vt procedens ex ſolis viribus liberi arbitrij, quod eſt pure Pelagianum, vnde de Euagrio relato Antonius Poſſeuinus *in App.* dixit: *Sed qui indolentiam Stoicam in Eccleſiam introducere conatus eſt, hominem ſtatim ad culmen perfectionis euehi a ſe poſſe iiſdem ſcriptis pollicebatur, eo nomine ab alijs deriſus eſt: nam inter alios hæc Ioannes Climax de eo: Putauit Euagrius ſapientiſſimum ſe omnium alacritate ſenſus fieri, ſed fraudem paſſus ſibi mentitus eſt miſer, inſipientiumque inſipientiſſimus ex hoc ipſo oſtenſus eſt, &c. hæc Climax. Cæterum in omnibus ſic Euagrius ſectatus eſt Origenis errores, de quibus ſuo loco dicturi ſumus, vt ſententia Hieronymi, Epiphanij, Theophili, & aliorum eundem perſpectum habentium Orthodoxorum, idem ipſe Pelagianis materiam preparauit delirandi.*

Ergo

Ergo impaſſibilitas, de qua in præſenti, ſolum denotare videtur ſtatum illum virtutum, quas Theologi cum ipſorum Anteſignano S. Tho. vocant *heroicas*, vel *purgati*, ſeu *pacati* animi, & quæ homines veluti deiformes faciunt, ac in magna vitæ tranquillitate ab inordinatis paſſionibus exemptam reddunt: Dei tamen gratia præueniente, adiuuante, & cooperante. Hac porro pia, ac Catholicæ Religioni conformi *impaſſibilitate* decorati videntur Monachi illi Palæſtini Cœnobiorum, qui iuxta Sanctam Ciuitatem erant, & *Lauræ* vocabantur coloni, de quibus Euagrius hiſtoricus *lib.1. cap.21.* mira hæc: *Etſi perpauci ſunt ex hoc genere, ſunt tamen aliqui qui ſimul ac virtutis ſubſidio ab omnibus animi perturbationibus liberi, ac vacui ſint, prodeunt in hominum ſocietatem, ſeque in medias turbas inijciunt, ſeque dementes eſſe ſimulant; ſicque inanem gloriam, quam vt ſapiens Plato ait, anima poſtremo omnium tanquam vltimam tunicam ſolet exuere, quaſi pedibus conculcant. Adeo etiam ſine delectatione cibum capiunt, inque ea re tam auſteram exercent diſciplinam, vt ſiue ad cauponem, ſiue ad lupanar eos diuertere cogat neceſſitas, nec locum refugiunt, nec operiunt faciem, nec quicquam prorſus erubeſcunt.* Deinde hæc, etſi imitanda: *Sæpe vna cum mulieribus verſantur, ſimulque lauant ſeſe, atque ita perturbationum omnium ſunt expertes, vt naturam ipſam ſibi ſubieciſſe videantur, quandoquidem neque aſpectu, neque tactu, neque denique ipſo complexu mulieris ad naturalem concupiſcentiam inclinari, impelliue poſſunt; ſed ſunt cum viris viri, mulieres autem cum mulieribus: atque tametſi non recuſant cum vtroque ſexu coire ſocietatem, tamen vnius ſolum vſum norunt.* Et rurſus: *Eorum vitæ ratio adeo exquiſitis libratur laudibus; vt cum in contrariam partem, eamque ab altera multum diſtantem ſe inflexerint, nullam ſe mutationem feciſſe ſentiant. Ita enim res contrariæ in illis temperatæ ſunt diuina gratia, ea quæ nullo modo commiſceri poterant in vnum cogente, eademque rurſus dirimente, vt vita in illis ac mors duæ res & natura & effectu pugnantes maxime ſimul habitent; & in quibus rebus perturbationes dominari ſolent in illis mortui eſſe, & quaſi in ſepulchro conditi.* Quæ eo gratius retulimus, quod Monachi iſti *Laurarum* Palæſtinæ habitatores ex Eſſeno, & Eliano Inſtituto orti videbantur, vt dicimus *ſub ann.435.* Tale etiam impaſſibilitatis genus (nec etiam imitandum) fuiſſe videtur in celeberrimo illo Simeone Abbate *Salus*, id eſt, *ſtultus*, nuncupato; quia vt Chriſtum ſolum ſaperet, dum in Emeſinorum Ciuitate verſaretur fatuum, & ſtultum ſe ſimulauit. De ipſo enim in eius hiſtoria Leontius Epiſcopus apud Metaphraſtem, & Surium *pro prima die Iulij*, hæc ſcribit: *Ad eum autem puritatis, & impaſſibilitatis modum proceſſerat hic Sanctus, vt ipſe ſederet, & choreas duceret, hinc vnam tenens ſcenicam fœminam, & illinc alteram, & in medio totius populi verſaretur, & luderet: adeo vt impudicæ mulieres in eius ſinum ſæpe manus inijcerent, eumque irritarent, & titillarent. Hic autem ſenex, non ſecus atque aurum purum, nequaquam ab eis polluebatur. Nam quando inflammationem bellumque*

ſenſit in ſolitudine Deum orauit (vt dicebat) & magnum Niconem, vt magno fornicationis bello eum leuaret. Semel verò vidit egregium illum virum ad ſe venientem, & dicentem: Quomodo te habes frater? Dixi autem ei, inquit: Male niſi tu ſuccurreris. Caro enim mea laſciuit neſcio quare. Subridens ergo, inquit admirabilis ille Nicon, ſuſtulit aquam ex ſancto Iordane, & iecit ſubter vmbilicum cum venerandæ Crucis eum figura ſignaſſet, & dixit ei: Ecce ſanus factus es. Ab eo ergo tempore (vt iurabat) nec dormiens, nec vigilans ſenſit inflammationem corporis. Hæc porro ideo aſſerimus, vt Agapytum hunc in hiſtoria S. Euphroſynæ de impaſſibilitate commendatum vindicemus, ne ſcilicet impaſſibilis æſtimetur hæretico ſenſu, nempe pro impeccabili ex natura, ſed quia ad eum gradum heroicæ virtutis peruenerit, vt paſſiones domitas habens parum, aut nihil contradictionis in bonis operibus pateretur.

Ann. Chriſt. 426. 427. & 428. Cæleſtini Rom. Pontif. 3. 4. & 5. Theodoſij Imper. 19. 20. & 21. Valentiniani 2. 3. & 4.

1 MVLTIS ad prophanam hiſtoriam ſpectantibus, de quibus Paulus Diaconus, Socrates, Procopius, & alij, relictis, ad Monaſticam noſtram illud propius, quod ſub hoc tempore clari habebantur ex Monachis nonnulli. Vnus erat Hilarius Arelatenſis, vel hoc ſolum titulo, etſi alij deeſſent, veneratione dignus, quod D. Auguſtino ſtudioſiſſimus ſimul cum Proſpero Aquitano pro ipſius doctrina defendenda ſtrenuè laborauit. In cauſa præſertim contra Pelagianos, & alios, qui Pelagio quadamtenus adhærebant, qualis erat Ioannes Caſſianus, vir alias pius, & de re Monaſtica optimè meritus, vt in ſuperioribus tactum. Eum porro Auguſtinianum non fuiſſe contra Ioannem Marquez *in lib. de origin. fratr. Eremitar. cap.* 10 §. 1. *pag.* 134. & 135. probat Gabriel Pennotus *in hiſtor. Canon. Regul. par.* 1. *cap.* 35. §. 7. Cum ergo nec Baſilianus, multo minus Benedictinus, vt de ſe conſtat, extiterit, relinquitur quod fuerit antiquiſſimi illius in Orbe communis Monachiſmi, Eliani videlicet, conſors.

Hilarius Arelatenſis.

Alter erat Lupus Pimeniolæ eiuſdem Hilarij ſororis coniux, qui ſub Honorato Abbate Lirinenſi vitam Monaſticam, vxore relicta, excoluit; eiuſdem ſane Inſtituti, ac Honoratus, de quo *ſub ann.* 421. dictum. Alter frater quidam eiuſdem Hilarij (ſi forſan non eſt lupus relatus) qui cum eius etiam vxore ex mutuo vtriuſque conſenſu eidem monaſticæ vitæ nomen dederunt. De his Baronius ſub ann. 426. Et de Lupo Surius 29. Iulij, ac Sidonius Apollinaris *in carmine Euchariſtico*.

Lupus.

2 His tamen & alijs huius ſæculi ſanctitate præclaris Monachis quædam veluti nebula vertiginoſa ex tartarei Orci paludibus orta opponitur;

Neſtorius hæreſiarcha.

tur; Neſtorius videlicet, infamis hæreſiarcha, qui totum Chriſtianum Orbem ſuo peſtifero dogmate lethaliter infecit. Fuit is primum (dicere pudet) Monachus in Monaſterio S. Euprepij apud Antiochiam ſimulata ſanctitate conſpicuus. Ex ouo agnoſces, namque Pauli Samoſateni nefandi quoque apoſtatæ nepos creditus eſt. Ob Siſinij ergo Conſtantinopolitani Antiſtitis obitum, ipſe, curante Theodoſio, eius in locum ſuffectus fuit. Et in primo illius Epiſcopatus initio, vel ſuæ hypochriſis non oblitus, vel quia, Deo dante, tunc rectè ſentiebat, hanc ad Imperatorem coram populo ſententiam protulit, quæ bonis etiam Catholicis applauſibilis merito eſt. *Mihi, o Imperator, terram hæreticis tu purgatam tribue, & ego tibi cælum tribuam. Tu mihi in profligandis hæreticis ſubueni, & ego tibi in profligandis Perſis ſubueniam.* Arrianos ergò inſectari cœpit, & tam bene ſe gerere, vt eius exordia apud Cæleſtinum Papam, Cyrillum noſtrum Alexandrinum, & alios Epiſcopos commendatiſſima eſſent. Vt vel hinc etiam Monachi cuncti diſcant non vanè ſuperbire, ſed memoriter tenere illud *Qui ſtat, videat ne cadat.* Non iſtud accipiens conſilium Neſtorius, paulo poſt Pelagianorum fautor demonſtratus eſt, & in peſſimum illum erroris barathrum incidiſſe, quo aſſereret *Chriſtum ex Maria hominem tantum, & non Deum natum*, & Mariam non eſſe *Deiparam* nuncupandam. Hæc ex Socrate, & alijs Baronius *ſub ann.* 428. quem poſteriores ſequuntur. Qualis autem Neſtorius fuerit ſic ex Theodoreto *in epiſt. ad Sporadium*, vt ſimiles ſuperbos, & hypocritas Monachos (ſi qui quandoque fuerint) fugere diſcamus, habemus. *Sordida quidem indutus veſte, mæſtus, & triſtis incedens, forenſes tumultus deuitans, corporis pallore, & macie abſtinentiam ſimulans, libris domi vt plurimum incumbens, & intentus, & quiete ſibi viuens, his artibus, & ſimulationibus pleroſque alliciebat ad ſui admirationem, quouſque ad grauiorem peruenit ætatem, videri potius quam eſſe Chriſtianus, & ſuam magis quam Chriſti gloriam quærere ſtudens.*

3 Celebris Monachus Palæſtinus Iſicius nomine hoc tempore occurrit, anno videlicet 428. vbi de eo agens Flauius Dexter, inquit: *Fætadio Pontifici Toletano ſuccedit Iſicius Monachus Palæſtinus, qui Sedulium amicum ſuum, & Oretanum Epiſcopum prædicationis gratia Toleti detinet, &c.* Eſt tamen a nobis commemorandus, quia Monachi, & Palæſtini nota eum antiquiſſimi illius Monachiſmi Prophetici, & Eliani in illis partibus propagati alumnum fuiſſe indigitat. Aliter enim, ſi vel Baſiliani, vel Auguſtiniani Inſtituti aſſecla eſſet, Dexter expreſſiſſet, ſicut inferius in eadem pagina dum de Bonifacio Caldeaquenſi, agit, dicens, eum fuiſſe *ex Ordine Auguſtiniano*. Vbi notet lector iam hoc tempore Monachos appellari cœpiſſe cum differentia illa *ex Ordine Auguſtiniano*, ſicut alij poſſent etiam *ex Ordine Baſiliano* nuncupari; eo quod Baſiliani poſt S. Baſilium, & Auguſtiniani iam cœperant poſt Auguſtinum mundo clareſcere. Olim autem ante Baſilium, & Auguſtinum, cum nulla

Iſicius Monachus Palæſtinus Toletanus Epiſc.

eſſet diſtinctio Inſtituti Monachalis, omnes Monachi generaliſſimo Monachorum nomine tantummodo vocabantur, quia differentiæ ſolum pro ſpeciebus diſtinguendis aſsignari poſſunt, iuxta Dialecticórum regulas. Ex quo manifeſtè euincitur id quod quam ſæpius in ſuperioribus inculcauimus, Monachorum videlicet nomenclaturam ante tempora horum Patrum, imo etiam poſt ipſos, niſi quando circunſtantiæ oppoſitum ſuadent; eam Monaſticem denòtare, quam Prophetæ Elias, Eliſeus, & filij Prophetarum primitus in lege veteri profeſsi fuerunt, & Apoſtoli docuerunt, ac viri Apoſtolici, Eſſeni præſertim in Euangelica tenuerunt. Ad intentum quoque huius Iſicij, id etiam elici poteſt, vt cum communi Monachi, & Palæſtini titulo dumtaxat decoretur, ad illud Propheticum in ea regione multiplicatum referri debeat, vel ſaltem congruè poſsit. De eo in Catalogo Archiepiſcoporum Toleti.

Paulus in eremo Porphyrio.

4 Non longe ab hoc tempore in viuis erat Abbas Paulus in eremo *Porphyrio* nominata celebris anachoreta; qui eatenus a nobis ſpecialiter commemorari meretur quod iſta eremus, *Porphyrio* dicta, Carmelus noſter videtur. Etenim iuxta dicenda latius inferius ſub anno 535. Caiphas ciuitas quæ in decliuio montis Carmeli ſita eſt *Porphyria* quoque nominatur, vt proinde eremus *Porphyrio* Carmeli eremum denotare videatur, iuxta eo loco comprobanda. Caſu tamen quod noſtra ſuſpicio non arrideat: nihilominus quia iſte Paulus probatiſsimus inter Patres nominatur, & pro otioſitate vitanda, quæ vitiorũ mater, & virtutum nouerca iure compellatur, pro Monachis præſertim, mirabilis fuit; idcirco quæ Author libri de vitis Patrum *lib. 4. cap. 40.* ſcripſit quæ etiam habentur apud Ioannem Caſsianum *de Inſtit. renunc. lib. 10. cap. 24.* hìc damus: *Deniq; Abbas Paulus probatiſſimus Patrum, cum in eremo vaſtiore conſiſtens quæ Porphyrio nuncupatur, palmarum fructibus, & modico horto ſecurus, haberet ſufficientem alimoniæ ſuæ victuſque ſubſtantiam, nec poſſet aliquid aliud vnde ſuſtentaretur, operis exercere, eo quod ab oppidis, & habitabili terra ſeptem manſionibus, vel eo amplius deſerti illius ſepararetur habitatio, pluſque expeteretur pro mercede vecturæ, quàm valere poſſet pretium operis deſudati; collectis palmarum folijs quotidianum penſum velut exinde ſuſtentandus a ſemetipſo iugiter exigebat. Cumque opere totius anni antrum eius fuiſſet impletum, id quod ſollicita cura laborauerat ſingulis annis igne ſuppoſito concremabat: in tantum probans ſine opere manuum, nec in loco poſſe Monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conſcendere: vt cum hoc fieri nequaquam neceſſitas victus exigeret pro ſola purgatione cordis, & cogitationum ſoliditate, ac perſeuerantia cellæ, vel acediæ ipſius victoria, & expugnatione perficeret.*

Ann.

Ann. Chriſt. 429. 430. & 431. Cæleſtini Rom. Pontif. *6. 7.* & 8. Theodoſij Imperat. 22. 23. & 24. Valentiniani Imper. 5. *6.* & 7.

1 TRES iſti poſteriores anni Papæ Cæleſtini Pontificatus plura, ipſaque grauiſsima totius Eccleſiæ, & Monachorum negotia continent; ſimul coniungenda, & pro poſſe elucidanda, ad Dei maiorem gloriam, & noſtram ædificationem. Huius tẽporis hiſtoria.

2 Inter quæ, temporis ordine ſeruato, id primum locum obtinere videtur, quod cum quidam agricola Pelagianus Seueriani Pelagiani Epiſcopi filius, Brittanniam Pelagij patriam huius hæreſiarchæ erroribus corrumpere cœpiſſet, Papæ Cæleſtini opera actum eſt, vt illuc mitteretur Palladius Diaconus S. R. E. vt ab ea regione hanc hæreſim arceret, & ibi Chriſtianam Religionem firmius propagaret. Non eſt hic Palladius ille Galata eiuſdem nominis D. Hieronymo contrarius, Epiſcopus Helenopoleos, Euagrij diſcipulus, de Origeniſmo ſuſpectus, etſi editor *libri* 8. *vit. Patr.* qui *Lauſiaca hiſtoria* nuncupatur, & de quo egimus *to.* 2. *ſub ann.* 388. ſed alius Palladius Græcus dictus, author libri, ſeu vitæ S. Ioannis Chryſoſtomi, & hoc tempore tam clarus, vt ad eum D. noſter Alexandrinus Cyrillus, librum, ſeu dialogum *de adoratione in ſpiritu* nuncuparet. De quo eo *to.2. ſub ann.* 379. dicere cœpimus. Eius porro geſta noſtris Annalibus propriora cenſemus, quod ipſe Ioannis Ieroſolymitani noſtri ſæpius commemorati diſcipulus fertur, & auditor, in Carmelo etiam. Sic enim teſtati ſunt Nicolaus Harlemius, & Ioannes Balæus *in Catalogo Scriptor. Brittanniæ Centur.* 14. ſic: *Palladius Græcus primus Scotorum Apoſtolus, Ioannis* 44. *Ieroſolymorum Epiſcopi diſcipulus olim fuit (vt author eſt Nicolaus Harlemius) dum adhuc eremi cultor ſolitaria Syriæ loca, potiſſimè Carmelum incoleret. Eius inquam Ioannis, qui ob Origenis allegoricum dogma Hieronymi, atque Epiphanij in ſe concitauit ſcripta, quibus tamen ipſe ſui ſtudij rationem reddens reſpondit ſe non Origenis fidem, ſed ingenium eſſe imitatum, ediditque librum contra ſui ſtudij obtrectatores, & de Inſtitutione primorum Monachorum ad Capraſium, librum allegorijs plenum, quem e Græco translatum vidi. Palladius verò ante Epheſinam Synodum a Cæleſtino Primo Rom. Pontifice anno Domini* 431. *in Brittanniam, & Scotiam Epiſcopus mittebatur, vt Pelagianam hæreſim inde arceret, & vt ſacerdotalem Ordinem inter Scotos Romano ritu inſtitueret. Habebant autem Scoti ſuos Epiſcopos, ac miniſtros ex verbi diuini miniſterio plebium ſuffragijs electos, prout Aſianorum more fieri apud Brittannos videbant, ſed hæc Romanis, vt magis cæremonioſis, atque Aſianorum oſoribus non placebant. Palladium nihilominus ferunt ſuis concionibus pijs a multis gentilium ſuperſtitionum maculis Eccleſias illas purgaſſe.* Palladius.

In

In hunc igitur diem Scotorum Apoſtolus appellatur. Pontifex inſuper bonus, gratus, & officij plenus (vt Polydorus habet) dum eſſet apud Scotos omnibus precibus Conſtantinum eorum Regem eſt dehortatus ne vellet Anglos Saxones gentem impiam armis iuuare contra Brittannos, homines ſemper Chriſtianos; cum certò ſcire poſſet totius Inſulæ Imperium eos quærere. Quæ admonitio ita Conſtantinum mouit, vt auxilia poſtmodum nonnulla Brittannis aduerſus Anglos ſubminiſtraret. Ad iſtum ſcripſit Cyrillus Alexandrinus dialogum de adoratione in ſpiritu, & quod lex Euangelicæ vitæ vmbra tantum typus ſit. Scripta quæ ſequuntur reliquit Palladius ad poſteritatis vſum. Contra Pelagianos lib. 1. vitam Ioannis Chryſoſtomi lib. 1. Homilias plures lib. 1. Epiſtolas ad Cæleſtinum lib. 1. præter ea quæ Græce prius ediderat. Claruit anno Virginei partus 434. ſub Cæſare Theodoſio, & Conſtantino Primo Scotorum Rege. Et poſt pios tandem ſudores, ac religioſa exercitia in Forduno Merniæ vico felicem huius vitæ ſortitus exitum 18. Kalend. Ianuarij fatis conceſſit. Hæc ex Baleo prolixiora referre placuit, quia vtpote eius patriæ, & noſtri Ordinis monumentorum indagator ſollicitus, in ijs ad hiſtoriam ſpectantibus audiri præ alijs meretur; eſto circa Catholicæ fidei dogmata, ſicut vix vnquam fidus teſtis poſt apoſtaſiam ab Eccleſia, & ſua Religione, extitit, ſic neque a calumnijs in S. Romanam Sedem impudens homo abſtinuit, prout ex relatis ipſius verbis conijciet lector. In quibus aliqua expendenda.

Conſors Ioannis Ieroſolymitani in Carmelo.

3 Primum ergo illud de conſortio, ſeu familiaritate Palladij cum Ioanne Ieroſolymitano in vita eremitica locorum Syriæ, & Carmeli, quod Baleus poſt Nicolaum Harlemium affert, nullatenus infirmatur ex eo quod alij Palladij geſtorum compilatores id non referant, cum nullus ſit qui ea omnia conſcribat, & vt domeſtica hæc res Carmelitis, ipſis ſolis nota eſſe potuerit. Atque ita non ſolum a noſtris, quales ſunt Emmanuel Romanus *in elucidationib.* & Caſanate *in Paradiſo Carmelit. ſtat. 2. ætat. 6. cap. 163.* recipitur, ſed etiam de exteris eam amplectitur Ioannes Carthagena *in homil. pro Carmelit.* Indicatur etiam ab eodem Baleo illis verbis: *Poſt religioſa exercitia*. Illis namque denotatur vita religioſa Palladij. Maximè etiam idem indigitatur intentum, eo quod S. Cyrillus Alexandriæ Antiſtes ad hunc Palladium librum *de adoratione, & cultu in ſpiritu* direxerit, prout non ſolum Baleus, ſed & Conradi Geſneri Epitome autumant. Eo namque libro cum eodem Palladio dialogicè loquens ſibi amicum (prout eum ſæpius appellat) & familiaritate coniunctum ſubindicat. Quis ergo miretur hoc ortum contubernium ex communi conſortio cum Ieroſolymitano Ioanne etiam in Carmeli ſpelæis, quo eundem Cyrillum potitum fuiſſe *to. præcedenti ſub ann.* 371. 396. & 397. oſtendimus?

Natione græcus.

Placet deinde Baleo, Geſnero, & alijs inhærere quoad quod dicunt de Palladio, ſcilicet Græcum hominem fuiſſe, non Brittanum, vt Poſſeuinus *in Apparatu*, & Thomas Dempſterus *in hiſtor. Eccleſiaſtic. Scotor. lib. 15.*

lib. 15. autumant. Extat etiam pro nobis Trithemius *in lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt.* nec diſſentit Baronius *ſub ann.429.§.Primum verò.* Ex eo autem magis firmatur id quod diximus de neceſſitudine Palladij cum Cyrillo, & Ioanne, & quod ad ipſum Cyrillus præfatum librum *de adoratione* direxerit, quod non tam facile credi oporteret ſi Palladius externus homo, & Brittannus fuiſſet.

4 Miſſus ergo a Cæleſtino Papa in Brittanniam, & in eam Prouinciam, ipſo procurante, deſtinatus etiam Germanus Antiſiodorenſis Epiſcopus, Brittannos ad Catholicam fidem tenendam direxerunt. Proſper. *in Chronic.* Deinde ad Scotiam primus Epiſcopus directus, prout etiam ex Sigeberto, Adone, Hermanno, Hectore Boetio, & alijs corroborat Dempſterus relatus, Scotos vel ad fidem primò conuertit, vt Baronius, Platina, & Ciaconius volunt, vel, quod verius eſt, prout idem Dempſterus oſtendit, & Baleus notat, in ea integrè ſeruanda confirmauit. Apoſtolus ergo Scotorum iure compellatus. Nauigaſſe etiam in Hiberniam, & illic Euangelium prædicaſſe ex Probo in geſtis S. Patritij colligit Baronius *ſupra* §. *cæterum.* Miſſus in Brittanniam, Scotiam, & Hiberniam.

5 Quia autem noſter hic Palladius communiter appellatur *Diaconus*, imo a Probo relato Archidiaconus Papæ Cæleſtini, & a Baronio S.R.E. Diaconus, ideo ab aliquibus Cardinalis etiam nuncupatur, prout a Poſſeuino *ſupra.* Illud certius, Papæ Legatum fuiſſe in illis regionibus, ibique ſtrenuè pro Catholica fide laboraſſe. Hoc præcipuè imitandum Monachis, qui mortui mundo, ſoli Deo placere, & S. Matri Eccleſiæ, ſine vllo ad temporalia præmia reſpectu, deſeruire debent. Ipſius ſpecialiora geſta præter relata, habeat lector ex Dempſtero citato, vbi etiam de ipſius Apotheoſi, ſeu an inter Sanctos, aut Diuos coli debeat. An Cardinalis.

6 Redeamus iam ad Orientis Monachos, quos Neſtorius Conſtantinopolitanus indignus Antiſtes, de quo in ſuperioribus, prauis ſuis dogmatibus, litteris ad eos datis, conabatur peruertere. Scripſit ergo ad illos S. Præſul Cyrillus Alexandrinus epiſtolam quandam, quæ eſt prima inter ipſius epiſtolas *tom.* 2. *Operum ipſius, impreſſionis Pariſienſis anno* 1573. cuius titulus eſt: *Cyrillus Presbyteris, diaconis, patribus, Monachis, & ijs qui ſolitariam nobiſcum vitam exercent, & in fide Dei firmi perſiſtunt.* Ex quo duo lectori expendenda offerimus; alterum illud, *ijs, qui ſolitariam nobiſcum vitam exercent*, vt nouerint vniuerſi quam parum ſcitè quidam Monachum, aut ſolitarium Cyrillum fuiſſe refragentur. Alterum verò illud: *Et in fide Dei firmi perſiſtunt*, quod contra Dom. Baronium notatum ſit, quia ipſe *ſupra* §. *Sed iam*, exiſtimat nonnullos tunc ex Ægypti Monachis Neſtorij erroribus conſenſiſſe, cum tamen Cyrillus oppoſitum dixerit verbis relatis; nec ex ea epiſtola aliud colligatur, quam quod periculum eſſet ne aliqui inficerentur, & quod ea in re titubarent nonnulli, prout ex alijs eiuſdem Cyrilli Epiſtolis, vbi de iſta men- Neſtorius Monachos peruertere conatur.

mentionem facit, elicitur. Ergo Cyrillus hæc inter alia: *Audiui rumores quoſdam graues, & pernicioſos apud vos eſſe ſparſos, & oberrare quoſdam* (Neſtorium videlicet) *qui ſinceram veſtram fidem deſtruant, & inania verba apud turbas oblatrent, & percontentur dicentes: An B. Virgo Deipara nominari debeat, nec ne.* Proſequitur multa pro catholica veritate de maternitate Dei in Virgine Sanctiſsima corroboranda. Et quia epiſtola iſta ad ſanctos Monachos conſcripta Neſtorij bilem excitauit, idcirco ad eundem aliam ſcripſit, in ordine ſecundam, in qua oſtendit ipſum Neſtorium ſuo falſo dogmate tumultus in Alexandria ſuſcitaſſe; non verò Cyrillum, qui vt bonus paſtor prouidere debebat multorum animarum periculo, qui iam peruerti cœperant. Scripſit deinde Neſtorius Cyrillo aliam epiſtolam, quæ eſt tertia inter Cyrilli cognominatas, per Lamponem Presbyterum, & Monachum, in qua ſolita hypocriſi, & ouina tectus pelle lupum occultare conabatur. Quod & in aliis eiuſdem Epiſtolis ad ipſum Cyrillum agnoſcet lector. Quia verò Neſtorius malignitate incrudeſcens etiam libellis ſcriptis ſui dogmatis ſpargebat venenum, Cyrillus verò e contra ingraueſcenti morbo ſtudioſè mederi curabat, plura hinc inde acta, geſtaque ſunt, quæ etſi propria noſtræ hiſtoriç eſſent, quia tamen prolixiora omittenda; & ea dumtaxat quæ Cyrillum ipſum, & Monachos tangunt recenſenda, & ſub compendio, iuxta Theodori Peltani methodum, qui ſex tomis diſtributa hæc acta compilauit, & Epheſinæ Synodi geſtis adiecit. Quem Baronius, & alij ſequuntur.

Cyrilli geſta contra Neſtorium.

7 Ergo Cyrillus veritus ne latius Neſtorianiſmus ſerperet, & Orbis Principes inuaderet, tres libros *de Recta in Deum fide*, primum quidem Imperatoribus Theodoſio, & Valentiniano, & duos poſteriores Eudoxiæ, & Pulcheriæ Imperatricibus, nuncupatos, conſcripſit; in eis euincens contra Neſtorium *Deiparam* Virginem Matrem appellari poſſe. Epiſtolas etiam ad varios ea de re promulgauit; ad ipſum quoque Neſtorium *paræneſes*, ipſius arguens nequitiam. Comperiens cæterum nullum iam admonitioni reliquum eſſe locum, aſcitis quibuſdam Alexandriæ Ciuitati vicinis Epiſcopis, in ea, & cum eis Synodum celebrauit, quæ Neſtorium damnans, ad Cæleſtinum Papam, & Neſtorium ipſum rem geſtam tranſmiſit. Cæleſtinus porrò in Cyrilli zelum gratus, & nutabundus, tanquam vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor, vices ſuas ipſi in hoc negotio, litteris datis commiſit.

Neſtorius geſta circa Monachos.

8 Sed quæ interim Conſtantinopoli a Neſtorio, & ſectatoribus contra Monachos veræ fidei alumnos agebantur, ex ſupplici libello Baſilij Diaconi, & Archimandritæ, & aliorum Monachorum Imperatoribus oblato, quem Acta Epheſinæ Synodi a præfato Peltano edita habent, rectè oſtenditur. Inter quæ Illuſtre hoc cuiuſdam Monachi factum in primis refertur. *Simplex quidam Monachus zelo quodam vehementi inſtigatus per mediam Eccleſiam progreſſus impietatis præconem* (Neſtorium) *quod*

quod hæreticus eſſet, quodque populi ſynaxis haberetur, ab ingreſſu prohibuit. Sed hunc ille (Neſtorius) *egregiè cæſum magnificis præſidibus tradidit, flagriſque denuò diſſectum, publico præcone, non abſque clamore præeunte, miſerando ſpectaculo in exilium expulit*. De omnibus autem eius libelli ad Imperatores oblati authoribus Monachis hæc ipſimet ibi denunciant. *Porrò autem quæ nos ab illo perpeſſi ſumus, ea omnem fidem, omnemque opinionem longè ſuperant. Etenim quò perfectè edoceremur, verane ea eſſent, an falſa quæ de eo acceperamus, in Epiſcopale Palatium illius iuſſu, hortatuque conſcendimus. Aliquoties autem in aliud, & aliud tempus reiecti, vix tandem prodiens: Quæ, inquit, vultis, ea paucis exponite. Poſteaquam verò ex nobis audiuit quæ docuerat, puta ſacram Virginem nihil aliud peperiſſe, quam hominem ſibi coeſſentialem, nihil rurſus ex carne naſci poſſe niſi carnem, ea rectæ fidei non ſatis conſentanea videri, quam primum decurionibus, vt nos a turba arreptos cædant, ſerio mandat. Cæſi autem inde ad Eccleſiaſticum tribunal abducimur, ibique veluti nequam ſcelerati, ſummumque ſupplicium promeriti, denudamur, denudatique indignis modis vapulamus, iactamur, calcibuſque impetimur. Quid multis? Eiuſmodi nos in Eccleſia iniuſte ab iniuſtis perpeſſi ſumus, cuiuſmodi ne infimæ quidem ſortis homines in foro ciuili, ne dum Clerici, & Monachi, & Archimandritæ experti ſunt aliquando. Cæterum diu, multumque in Epiſcopali Conſiſtorio diuexati, rurſum fame tabeſcentes inde ad ſuppliciorum ergaſtulum abripimus, eoque in loco non modico tempore incluſi aſſeruamur. Neque illius furiæ his contentæ conquieuerunt, verum per quandam impoſturam magnificentiſſimo celeberrimæ ciuitatis huius Præfecto tradi nos curauit. Per hunc ergo ferro onuſti ad publicum reorum carcerem abſtrahimur; hinc iterum extracti, cateniſque, vt ante impediti, prætorio ſiſtimur. Cumque ibidem nullus planè, qui nos accuſaret, præſto foret, ordine rurſum ad Eccleſiaſticum concilium reducimur; hucque reducti denuò ab illo in faciem cædimur*. Quamuis tamen hæc, quæ lubentiſſimè referimus, vt innoteſcat Monachos Eliæ imitatores (neque enim veſtigium eſt exiſtimandi alterius Inſtituti hos monachos extitiſſe) Deiparæ Virgini ſic addictos fuiſſe, vt pro eius maternitate tuenda, carcerem, ferrum, catenas, alapas, flagella, & opprobria libenter ſuſtinerent, oſtendant ſatis illorum pietatem, ac ſinceram fidei deuotionem, quæ tamen ſequuntur, in quibus non ſui vindictam, ſed Dei gloriam, & ipſius Parentis honorem quæſiuiſſe demonſtrant, libentius tranſcribimus. Sic autem proſequitur libellus ſupplex horum Monachorum ad Imperatores. *Quamobrem, iterum atque iterum, immortalem, piiſſimamque fidem veſtram obteſtamur, ne orthodoxam Eccleſiam, orthodoxi, piiſſimique regni veſtri temporibus, ab hæreticis adulteratam, in poſterum neglectui habeatis. Non expetimus, contumelias indignè nobis illatas vindicari, Deus nouit; deſideramus autem Chriſtianæ fidei fundamentum inconcuſſum, immotumque perſiſtere. Veſtra proinde Maieſtas Sacram, & Oecumenicam Synodum primo quoque tempore*

coire

coire iubeat, quo, hac præſente, Chriſtus Dominus ſanctiſſimas Eccleſias denuò vniat; populumque ſuum iam diſperſum in vnum reducat. Hæc, & alia ibi.

Monachi cū Neſtorio non cōmunicant.

9 Eſt & aliud pro commendatione Monachorum Conſtantinopoli, vbi hæreſiarcha ſedem habebat, commorantium, quod cum ipſo communicationem habere reſpuerent. Sic enim dicebat Cyrillus in Epiſtola ad Cæleſtinum Papam: *Abſtinent ab eadem* (ſynaxi videlicet, & communione cum Neſtorio) *omnia pene Monaſteria, eorumque Archimandritæ*, Conſtantinopolis videlicet. Vnde idem Cyrillus in alia Epiſtola ad ipſos, cuius titulus eſt: *Religioſiſſimis, pijſſimiſque Monaſteriorum Patribus, qui in magna Conſtantinopoli ætatem agunt, Cyrillus, & S. Synodus Alexandrina in Domino ſalutem*, hæc in principio: *Pietatis veſtræ zelum, quem pro Chriſto publice in orthodoxorum Eccleſia blaſphemijs appetito declaraſtis, plenè didicimus, ſummiſque, vt æquum erat, laudibus extulimus.*

Synodus Epheſina.

10 Hortantibus ergo Imperatoribus Theodoſio, & Valentiniano, Præſide loco Cæleſtini Papæ S. Cyrillo, Patres Epheſi congregati, die vigeſima prima Iunij iuxta quoſdam, iuxta alios 22. collocato in conſpicua ſede in medio Euangelij libro, in Eccleſia, quæ appellatur *Maria*, Synodum inchoarunt, in qua, vnanimi conſenſu Cyrilli dogmatibus inhærentes, quem pijſſimum, ſanctiſsimum, religioſiſsimum, ſacratiſſimum, deuotiſsimum, Dei amantiſsimum, & Patrem noſtrum compellant, numero ſupra ducentos cum eſſent, Neſtorium condemnarunt, exauthorari iuſſerunt, & Virginem ſanctiſsimam *Theotocon*, ſeu Dei Matrem, appellandam definierunt. Viuat ergo ſæculis æternis talis, ac tantus titulus ab hac Generali Synodo Virgini Sanctiſsimæ vindicatus.

Monachi.

11 Iniurij porrò valde noſtræ Monaſticæ hiſtoriæ eſſemus, ſi ſpecialiora Monachorum geſta circa hanc Synodi definitionem, Virginis Deiparæ maternitatis explanationem, Neſtorij damnationem, & exauthorationem, ſilentio traderemus. Ex eis namque clarè elicitur quam ſingulari pietate, ac deuotione ipſi pro Virginis Auguſtiſsimæ maternitate contra impium dogma hæreſiarchæ ſe oppoſuerint. Cum ergo Cyrillus ſanctus de rebus geſtis in Synodo Comarium, & Potamionem Epiſcopos, ac Dalmatium Monaſteriorum Archimandritam in partibus Conſtantinopolis agentes per litteras monuiſſet, & aliqui Neſtorij fautores vias omnes terra, marique præſtruxiſſent, vt nuncius nullus e Concilio Conſtantinopolim venire poſſet, qui rem nunciaſſet; Deo prouidente factum eſt, vt mendicus quidam Concilij litteras, quas cannæ, qua ſcipionis loco vtebatur incluſas habebat, Catholicis deferret. Quid verò tunc egerint Monachi, & eorum Archimandritæ æterna memoria dignum ſic damus ex Antigrapho Epiſcoporum, & Archimandritarum inter Acta huius Concilij relato. *Confeſtim omnes Archimandritæ Mona-*

chorum

chorum catervis ſtipati exurgunt, hymnoſque, & pſalmos cantantes ad regiam contendunt. Specialiter quid ille Dalmatius Archimandrita geſſerit, & quam eximiæ ſanctitatis vir fuerit, ſequentia ex eodem Antigrapho demonſtrant. *Erat autem inter alios Archimandritas ſanctus Dalmatius, qui annos plus minus 48. pietatis ſtudio recluſus, extra Monaſterij ſui ſepta nunquam pedem extulerat, nec ab vllo vnquam, vt aliquando egrederetur, induci potuerat. Cum tamen ob frequentes terræ motus Conſtantinopolim concutientes, crebris piiſſimi Regis noſtri precibus, qui ad illum accedebat, ad exitum, communemque aliorum ſupplicationem iam antea prouocatus fuiſſet. Cæterum, dum de hac controuerſia quid facto opus eſſet, Deum precando conſuleret, vox cælitus ad eum delapſa, vt egrederetur imperauit.* Cum hoc ergo raræ, & integerrimæ vitæ Monachorum Patre Monachi ipſi, & orthodoxi quidam, cum illis ſimul antiphonarum, & pſalmorum modulationi intenti, Imperatorem adeunt, de litteris receptis monent, eiuſque voluntate accepta, ad Baſilicam S. Mocij accedunt, & ibi ſuggeſtum Dalmatius conſcendens Synodi litteras ab Imperatore lectas fuiſſe proclamat, lectiſque fidem adhibuiſſe. Vnde populus vna voce exclamauit: *Anathema Neſtorio.* Reſcripſit poſtea Dalmatius ad Synodum, ſuo, & totius Cleri Conſtantinopolitani nomine (tanta enim erat viri huius authoritas) gratias referens Deo pro felici rerum ſucceſſu, & opem poſtulans pro prouiſione Paſtoris in ea Ciuitate. In ſubſcriptione porro ſic: *Dalmatius Presbyter, & Archimandrita, & Monaſteriorum Pater.* Et poſtea: *Diuina, ſanctaq; congregatio ora pro me, obſecro.* Scripſit etiam Cyrillus Epheſo ad Monaſteriorum Præfectos de rebus geſtis cõmonefaciens,& ipſorum orationibus (hæc enim ſunt legitima Monachorum arma pro ſimilium neceſſitatum tempore) ſe & Concilij Patres commendans. Item & aliam Epiſt. ad Monachos,mittens ad illos Symbolum Nicænum. Dalmatius Archimandrita.

12 Quamuis autem hæc omnia feliciter geſta ſint, Satanæ tamen, & ipſius miniſtrorum opera actum eſt, vt cum Ioannes Patriarcha Antiochenus quinta die poſt depoſitum Neſtorium cum alijs Epiſcopis adueniret, occaſione capta, quod, ſe abſente, Synodus eum exauthoraſſet, contra Cyrillum, & Mennonem Epheſinum Epiſcopum inſurgens, eos etiam exauthorationis ſententia damnauit; & a Synodo citatus comparere renuit, ipſiue obedire; idcirco Patres eum, & ſocios ab omni Eccleſiaſtica communione arcent, Cyrillum, & Mennonem inſontes declarantes. In huiuſmodi autem tragœdijs a Diabolo excitatis id pro noſtra hiſtoria dignum animaduerſione cenſemus, quod Monachi, Conſtantinopolitani maximè, pro Deipara Virgine confitenda, Synodo Epheſi celebrata recipienda, Cyrillo præcipuo eiuſdem antesignano venerando, viribus & poſſe, & veluti data manu, ſteterint, vt propterea idem Cyrillus in Epiſtola quadam ad Clerum, populumque Conſtantinopolitanum eorum Archimandritas interpellet illis verbis: *Præſertim verò piiſſimi, & ſanctiſſimi Archimandritæ.* Ioannes etiam Caſſianus Monachus quoque pius, etſi nigra Semipelagianiſmi labe notatus, Conſtantinopolitanæ olim Eccleſiæ Tragediæ contra Synodum excitatæ

Diaconus, in occiduis Galliæ partibus agens ſeptem aduerſus Neſtorium de Incarnatione libros ſcripſerit, teſte Gennadio *de vir. illuſt. c.61.* Imo (quod notandum valde) pro parte Neſtorij (etſi alias Monachi) aut Ioannis Antiocheni ipſius aſſeclæ, ſociorumue, Monachorum aliquem ſtetiſſe haud legimus. Sanè Theodoretus (Monachus quidem, iuxta dicta in ſuperioribus) Cyrillo aduerſarius fuit, ſed quia poſtea reſipuit noſtrum intẽtum non eneruat. Nec quod Iſidorus Peluſiota Monachus etiam celebris eius qui, contra Cyrilli geſta aliquas ad ipſum epiſtolas ſcripſerit; cũ poſtea ſententiam mutauerit, & pro eodem Cyrillo ſteterit. Sicut nec quod Victor quidam etiam Monachus, ſeu ſolitarius, ab hæreticis promulgaretur quaſi de eodem Cyrillo improba locutus fuiſſet. Vt enim idem Cyrillus *in Apolog. ad Theod.* ſcribit, ab impoſito ſibi crimine iuramento coram plurimis Epiſc. Epheſi ſe purgauit. Vnus ſolus Andreas Theodoreti commilito & ex Monacho Conſtantinop. Epiſc. Samoſatenus creatus, Neſtorij partes tueri viſus eſt, ſed facile credendum, quod cum Theod. ipſe poſtea palinodiam cantauerit, qui ſecutus eſt errantẽ, ſecutus etiam fuerit pœnitentem.

Geſta alia pro maternitate Deiparæ cõmendanda

13 Referre tamen operæpretium eſt alia, quæ poſt damnatum Neſtorium, & Synodi definitionem, circa Sanctiſſ. Virg. maternitatem ſtatuendam geſta ſunt, quæ eiuſdem Auguſtiſſ. Matris gloriam, & noſtram hiſtoriã concernunt, ac ex eiſdem Actis Concilij, Theodoro Peltano, Baronio, & alijs eliciuntur. Primò enim cum Epheſinus populus a mane vſque ad veſperam Synodi iudicium expectaret, vt audiuit infelicem Neſtorium eſſe depoſitum, vna voce prædicare cœpit Synodum ſanctam, & Deum glorificare, *quod cecidiſſet fidei inimicus.* Egredientes etiam Patres ab Eccleſia, in qua Synodus habita eſt, & quæ, vt diximus, *Mariæ Virgini* attitulata erat, cum lampadibus ad proprias habitationes magna cum lætitia deduxit. Luminaria in ciuitate poſita erant. Mulieres quoque adolentes thymiamata in thuribulis eos præcedebant. Et ſicut olim Epheſij dementati magnam ſuam Dianam propenſius colebant; ſic ſapientiori conſilio, poſteriores iſti, nunc præcinentes, & ſuccinentes omnes ex æquo Mariam *Deiparam* celſioribus attollebant vocibus. Cyrillus prqterea ipſe ſeq. die habuit ad populum celebrem illam homiliam, cuius eſt exordium: *Hilarem video hodie cœtum fidelium omnium, qui conuenerunt promptis animis a ſancta, & Dei Matre Maria ſemper Virgine conuocati*, vbi complura in laudem ipſius; quam & repetunt Carmelitæ noſtri in ſuo Breuiario in 8. Natiuit. eiuſdem Virginis, & ſæpius per annum in Off. Sabbatino Mariano ſeptimanatim celebrato.; non ſine quorundam ſpeciali deuotionis affectu, quod ſciant homiliam iſtam a B. Cyrillo hac occaſione proclamatam.

Maria Mater Dei frequentius celebrata.

14 Ex hoc etiam celebri facto id poſtea ortum habuit, vt vbique locorum maiori frequentia quam antea tota Eccleſia Mariam Sanctiſſimam *Matrem Dei* cantando, laudando, & prædicãdo cognominaret, & Angelicæ ſalutationi *Aue Maria* additamentum illud iungeretur: *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis, &c.* Pulcheria quoque Auguſta auguſtiſſimum ſub nomine Dei genitricis Mariæ templum in Blachernis iuxta mare excitauit Con-

ſtanti-

ſtantinopoli. Cuius exemplo in diuerſis Orbis partibus ad ipſum præſtitũ eſt. Creſcente etiam *Mariæ* nominis deuotione ad id tempus referri poteſt mos antiquus Eccleſiæ, de quo Coriolanus infra referendus ex Petro Bleſenſi *ad fin. ſer. de Aſſumptione Virgin.* 18. vt ad Mariæ nomen fideles genua in terram flecterent; vel vt dextera manu inclinantes terram tangerent, ex Luca Tudenſi *lib.2. contr. Albigenſ. cap.* 31. Addit Baronius *ſub anno* 431. §. *ſed & Pulcheria*, & Coriolanus *in Breuiario ſub eodem anno* hæc: *Factumque eſt, vt licet frequens antea eſſet cultus Sanctiſſimæ Dei Matris, poſt hæc, diuino excitante ſpiritu, frequentior fuerit, atque celebrior, vixque reperire eſſet, qui abſque titulo Dei genitricis nominaret Sanctiſſimam Mariam.* Quæ materiam ſuppeditant, vt de ijs quæ hiſtorici noſtri ad rem ſcribunt, diſſeramus.

15 Communi namque fere omnium ipſorum calculo receptum eſt, quod glorioſus ille fratrum Beatiſſ. Virginis Mariæ titulus, quo noſter Ordo fælici omine fruitur, datus, conceſſus, vel ſaltem confirmatus fuerit huius Concilij tempore. Ita tradunt Ioannes de Vineta antiquus Ordinis author in Opuſculo, quod incipit: *Cum quidam fratres* in Speculo Ordinis *fol.* 58. Bernardus Olerius Generalis *In informatione ad Papam art.* 1. *in Speculo Ordinis fol.* 55. Ioannes Hildenſinus *in libro de princip. Ord. cap.* 14. Venerabilis Pater Ioannes Soreth Generalis *in præfatione ad Expoſitionem Regulæ Carmelitarum* §. *Nonne fratres*, Arnoldus Boſtius *lib.* 5. *Oper. hiſtor. cap.* 70. Palæonydorus *lib.* 2. *cap.* 8. Coria ſæpius, præſertim *lib.* 1. *cap.* 26. Caſanate *in Paradiſ. Carmelit. decor. ſtat.* 3. *ætat.* 6. *cap.* 12. & plures alij, de exteris etiam, quales ſunt Ioannes Carthagena *in homil. pro Carmelit.* Ludouicus Lopezzius Romanus Aduocatus *in Compend. vit. S. Thereſiæ cap.* 11. Differunt tamen in eius explicatione. Etenim Vineta, Olerius, Boſtius, & alij credunt hunc glorioſum titulum confirmatum fuiſſe a Concilio ea de cauſa quod S. Cyrillus ipſius Præſes, & Ordinis alumnus tam egregiè contra Neſtorium pro maternitate Deiparæ diſputauerit. Quod difficultatem præſefert, cum in Concilij Actis, tum vetuſtis, tum modernis, nihil tale conſpiciatur. Etſi hoc nec rem concludat, cum plura ſæpius in Synodis ſtatuantur, quæ quia ad Eccleſiæ dogmata ſtatuenda non ſpectant, ſola voce decernuntur. Præſertim cum Acta huius Concilij diminuta cernantur in alijs, prout in numero Patrum, qui illi adfuerunt, recenſendo: etſi enim ſupra 200. communiter credantur, illi tamen qui ſubſcribunt pauciores valde ſunt. Ideo Coria putare videtur confirmationem hanc a Papa Cæleſtino obtentam fuiſſe. Res quoque dubia, ſed nec facilè impugnabilis, cum temporis vetuſtas, & monumentorum iactura nihil ſuppetat. Cautius, & prudentius Hildenſinus relatus id tribuit communi populi voci, qui cum videret tam egregiè Cyrillum contra Neſtorium diſputaſſe, *dicebant omnes* (inquit hic author) *quòd non immerito talis* (videlicet Cyrillus) *frater Mariæ diceretur, eo quod pro ea tam glorioſe decertaſſet.*

Titulus fratrum B. Mariæ Dei genitricis.

Indicans ex hoc communem hanc nomenclaturam toti Ordini contigiſſe. Forſan melius Sorethius relatus eam tribuit ipſi Cyrillo dicens: *Qui titulus eſt eis confirmatus per B. Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, & quondam Eremitam ſacri Ordinis Carmelitici, deuicto ſcilicet Neſtorio, qui Beatam Mariam dicebat hominis tantum, & non Dei eſſe Matrem*. Et ſanè creditu facillimum eſt quod eo tempore quo contra Dei, & Virginis hoſtem Neſtorium Eccleſia fæliciter ſub vexillifero Cyrillo Cæleſtini Papæ vices gerente triumphabat, & Dei genitricis nomen in maiori veneratione erat, adeo vt Orationi Angelicæ, vt dictum eſt, adiungeretur, & vt Baronius, & Coriolanus relati dicunt, *vix reperiri eſſet qui abſque titulo Dei Genitricis nominaret ſanctiſsimam Mariam*, ipſius clientuli Carmeli montis anachoretæ, alijque Monachi ipſorum Inſtitutum ſectantes, ſpecialiori cæteris deuotionis affectu, qui a primis Eccleſiæ primordijs, ab eo præſertim tempore quo eidem Auguſtiſſimæ Aram eo in monte extruxerant, *Fratres B. Mariæ de monte Carmelo* vocabantur, nouo tituli incremento (*Dei genitricis* videlicet) inſigniri cuperent, & a Cyrillo ipſorum quondam coeremita, & tunc Papæ Legato id impetrarent, vt ſic in poſterum, authoritate quoque Apoſtolica, *fratres Dei genitricis Mariæ de monte Carmelo* appellarentur. Fauet de exteris Carthagena relatus dum Concilij Epheſini geſta contra Neſtorium præſertim in Virginis Mariæ maternitate confirmanda referens, ſubdit etiam: *Mirandum non eſt ſi hac etiam ratione hæc Religio hunc ſibi vendicarit titulum*.

Capraſius Carmeli Archimandrita in Synodo Epheſina.

16 Nec deeſt grauis coniectura, qua intentum firmius fulciatur. Ex eo ſanè deſumpta, quod, vt Arnoldus Boſtius *ſupra cap. 70.* refert, inter eos qui Synodo Epheſi aderant vnus erat Capraſius montis Carmeli Archimandrita, qui cum Iuuenali Ieroſolymitano Patriarcha cò venerat. Quid ergo mirum, vt pius hic Pater, quo tempore totus Orbis Chriſtianus in Beatiſſimæ Virginis deuotione, ſub titulo Dei genitricis magis, ac magis accendebatur, ipſe ſuorum vice, quos eidem Auguſtiſſimæ Matri præ cæteris addictos ſciebat, eorum Ordinis tituli additamentum exoptaret, quod in omnium verè fidelium ore frequentius quam antea inſonare audiebat? Certè in hoc nullus ſcrupulus. Præſertim, quia ſi Capraſius Synodo præſens ſibi commiſſo gregi aliquod priuilegium, vt par erat, deſiderare poſſet, hoc vtique expetijſſe credi par eſt; ac proinde ab eo tempore titulum hunc *fratrum Dei genitricis* frequentius in Ordinis gloriam promulgatum fuiſſe: cum titulus ſit *inſcriptio laudis, & honoris illius rei cui inſcribitur*, vt inquit noſter Ribbotus in Speculo Ordinis *lib. 6. cap. 6.* & dicatur (eodem teſte) titulus *quaſi Titanus, id eſt, illuminans, ſiue decorans, ſcilicet rem ipſam, cuius eſt titulus*. Eo quoque quod cum *Titulus* dicatur a *tuendo* quaſi *Tutulus* (vnde milites quondam dicti ſunt *tituli*, id eſt, *Tutuli*, quod patriam tuentur) profecto glorioſum valde Ordini fuit hoc titulo quaſi de nouo inſigniri, &

ri, & quod pro ipſo vindicando, qui Virginis Deiparæ protectionem deſiderabant pro poſſe laborarent.

17 Quæ ſubiungunt Boſtius, & Palæonydorus relati de definitione a Concilio, vel Cyrillo facta circa immunitatem eiuſdem Matris ſanctiſsimæ, etiam ab originali labe, ſano modo accipienda; cum certum, & compertum ſit, rem hanc, etſi pijſsimam, & totius ferme Chriſtiani Orbis fidelium ore proclamatam, Eccleſiæ tamen calculo deciſam adhuc non eſſe, ſed ſine erroris periculo a quibuſdam non recipi. De immunitate Virginis ab omni culpa.

18 Huic tempori, vt nihil omittamus ex ijs quæ Monaſticam tangunt hiſtoriam, vel per tranſennam notanda venit mors pretioſiſsima egregij illius totius Eccleſiæ iubaris Aurei Aurelij, & Auguſti Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi: Ipſe enim, vt Liberatus *in Breuiario cap.*5. *to.*2. *Conciliorum* narrat, a Theodoſio Imperatore inuitatus, vt Concilio Epheſi celebrando adeſſet, morte præuentus Cæſareas litteras accipere nequiuit. Notent hinc noſtri magnam apud omnes S. Cyrilli Alexandrini meritorum famam fuiſſe, vtpote, quod ipſe Præſul eſſet Synodi, ad quam tantus Doctor Auguſtinus ſolum vt priuatus Epiſcopus vocabatur. De Auguſtini porro obitu loquentes audiat lector Liberatum relatum, S. Proſperum, Poſsidonium, Victorem Vticenſem, quos Baronius, & alij moderniores ſequuntur. Obitus S. Auguſtini.

19 Obitus etiam S. Paulini Nolani Epiſcopi, & Monachiſmi Eliani æmulatoris, iuxta dicta *tomo præcedenti*, huic quoque tempori aſcribendus, prout ex Vranio eius diſcipulo apud Surium *to.*3. *die* 22. *Iunij*, & alijs elicitur. In hoc valde Monachis cunctis commendandus, vt eadem quoque die ſui tranſitus crudeſcente etiam dolore, qui lateri eius nimius erat, Matutinum ex more, & ordine quo ſolebat, recitauerit. Delicatis alijs, qui vix mediocri grauati morbo totum Officium horarum Canonicarum omittunt, opprobrium factus. Summas propterea eius virtutes Hieronymus in Oriente, Auguſtinus in Africa, Ambroſius in Italia, Proſper, & Eucherius in Gallia, celebrarunt; & ne Hiſpania pia in pijſsimi viri laudibus deeſſet, Flauius Dexter in Chronico *ſub ann.* 396. & ibi eius Commentator Franciſcus Biuarius. S. Paulini Nolani.

Ann. Chriſt. 432. 433. & 434. Sixti Rom. Pontif. 1. 2. & 3. Theodoſij Imperat. 25. 26. & 27. Valentiniani Imper. 8. 9. & 10.

1 SVMMO Pontifici Cæleſtino de profligato Neſtorio gaudenti, & propterea litteras, tum ad Synodum Epheſinam, tum ad Theodoſium Imperatorem, tum ad Maximianum loco Neſtorij in Epiſcopatu Conſtantinopolitano ſubrogatum, tum ad alios ea de cauſa ſcribenti, mors importuna aduenit; & Pontificum ſucceſſio.

Sixtus Romanus in Papatu ſucceſsit, ac in procuranda ſalute Neſtorij in Monaſterio S. Euprepij apud Antiochiam relegati, licet infructuoſè, quia *peruerſi difficilè corriguntur*, & quia *nemo corrigere valet quem Deus deſpexerit*, piè laborauit.

Theodoſius interpellat Monachos.

2 Pro pace interim in Eccleſia procuranda Orientali, adhuc inquieta propter Neſtorij dogmata, & quia Ioannes Antiochenus Antiſtes ipſis adhærebat, Theodoſius pius Imperator litteras tum ad Epiſcopos, tum ad Monachos, ſeu ſolitarios dedit, ab ipſis petens, vt ſuis precibus plenam Eccleſijs a Deo pacem, concordiamque impetrarent. Subiungens prӕterea illud: *Decet proinde veſtram ſanctitatem omni diligentia, ſtudio, ac contentione hæc a Deo depoſcere*. Diſcant ergo Dynaſtæ in cauſis ſimilibus ad ſpirituale Eccleſiæ commodum ſpectantibus ad Monachos recurrere; & Monachi, ipſorum hoc munus eſſe. Habetur hæc epiſtola inter Acta Concilij Epheſini editionis a Peltano factæ *to.5. cap.10.*

Et Simeonem Stylitem.

3 Ibi etiam *cap.15.* habetur alia eiuſdem Theodoſij epiſtola ad magnum illum, & incomparabile illius ſæculi admirandæ ſanctitatis exemplum Simeonem Stylitam; de quo nonnulla tomo præcedenti *ſub ann.* 379. dicta ſunt. In ea porro ſanctiſſimum hunc ſenem, orbis prodigium, & ſummæ pietatis portentum, in ſua columnella, propter quod *Stylites* vocabatur, conſiſtentem, Imperator hortatur, vt precibus pacem Eccleſijs a Deo impetret, ſerioque cum Ioanne Antiocheno, vt Neſtorij depoſitioni aſſentiatur, falſam eius doctrinam auerſetur, & Cyrillo conſentiat. Plena eſt epiſtola fide, pietate, & fiducia in Deum, & preces iſtius Simeonis, ad exemplum, & confuſionem aliorum Principum, qui ſimilia facere ſpernunt. Alia de iſto Simeone in loco relato quærat lector, & apud Baronium *ſub ann.432. §. Porro magni*, ex Theodoreto, & Euagrio.

S. Euthymius & Domnus.

4 De S. Euthymio Monachorum huius ſæculi Patre id affert hoc tempus, quod cum Domnus Monachus eius diſcipulus, ac Ioannis Antiocheni Epiſcopi ex ſorore nepos Antiochiam pergere cuperet, vt auunculo ſuo a Neſtorio ſupplantato opem ferret, Euthymius ab hac peregrinatione illum remouere curauit; ſed inaniter, quia Domnus Laura relicta Antiochiam profectus eſt; ſed quia ſuo Superiori non obediuit infeliciter ei diſceſſus e Monaſterio obuenit. In exemplum ſanè monaſtices profeſſorum, qui proprio cerebro ducti Superiorum ſuorum directioni non acquieſcunt. Rem ex Cyrillo Monacho *in vita S. Euthymij* recitat Baronius *ſub ann.432. §. hic quidem*. Alia de ipſo *ſub anno* 419. diximus.

Cyrillus Alexandrinus.

5 Cyrillus autem Alexandrinus Præſul, & egregius Chriſtianæ veritatis propugnator multas propterea a Neſtorianis patiebatur calumnias, quas fortiter, & viriliter Dei gratia, & Virginis Matris, cuius cauſam agebat, auxilio, ſuperabat. Hæc ex Actis Concilij Epheſini editionis Peltanæ *to.5.* accipiet lector. Sicut quod diffamatus eſſet quod pa-

linodiam

linodiam recantaſſet, reſcindendo quæ Epheſi acta fuerant, ex Epiſtola Iſidori Peluſiotæ ad ipſum *in Addit. ad liberat. Diacon.* His porro hæreticorum impoſturis occurrit Cyrillus eas detegendo.

6. Commemoratur hoc tempore inter ſanctitate celebres Monachos Siluanus primum Philippopolitanus in Thracia Epiſcopus, deinde Troade, qui etiam in Epiſcopatu Monaſticam viuendi diſciplinam ſemper excoluit. *Adeo enim* (ſic loquitur de ipſo Socrates *lib.7. cap.36.*) *ab omni faſtu alienus fuit, vt ſæpenumero in frequenti multitudine Ciuitatis, quæ tam celebris erat, ſandalijs indutus ex fœno confectis incederet.* Notet hic lector Monachorum calceamenta. Proſequitur Socrates miraculum ab eo geſtum, & alia ipſius notabilia: Sed quis miretur hæc a Monacho ſanctè in Epiſcopatu viuenti patrata?

Siluanus Monachus, & Epiſcopus.

7. Occurrunt etiam geſta Melaniæ iunioris, quam diximus Monialem fuiſſe noſtri Eliani Cœnobij Ieroſolymitani *ſub ann.409.* Hæc litteris a patruo ſuo Voluſiano adhuc gentilitatis errore detento Conſtantinopolim accerſitur. Ipſum, etſi reluctantem, Chriſtianum effecit, & quod vt talis moreretur, tum precibus ad Deum fuſis, tum infatigabili ſtudio, obtinuit. O veri Monachiſmi fructus. Expendat lector, & alia pro ſuo exemplo. Egreſſa eſt Ieroſolymis, ſed non aliter, niſi re communicata cum Monachis, ne Deo diſpliceret. Quis malum euentum inde ſuſpicari poſſet? Per quamcunque ciuitatem tranſibat, virgines venerandæ; & quotquot erant egregij Monachi tanquam e Cælo venientem ſuſpiciebant. Templa Sanctorum inuiſebat. Viſa primum a patruo quod extenuatus eſſet vultus eius ob Monaſtica exercitia ab illo audijt: *O qualem ex quali te video, Melania cariſſima.* Illa ex hoc occaſione arrepta, cœpit illi prædicare ſpem futurorum æternitatis bonorum, adeo, vt abiurata Gentilium falſitate ad Chriſtum traduceretur, & Chriſtianus factus ex hac vita migraret. Hæc & alia pietatis monumenta habet lector apud Metaphraſtem, & Surium vltima die Ianuarij.

Melania iunior.

8. Celebratur hoc tempore Lirinenſe Cænobium in Gallijs, ſanctiſſimorum Epiſcoporum ſeminarium, & Illuſtriſſimorum virorum, qui ex eo prodierunt, fons vberrimus. Prout conſtat ex eis, quæ de S. Honorato eius primo fundatore diximus *in Apparat. cap.1. num.15. & ſub ann.421. num.4. & 5.* ac de Capraſio *ſub ann.412. num.9. & ſequentib.* ac dicemus alijs locis.

Cœnobium Lirinenſe.

9. Inter hos autem Lirinenſes Monachos vnus ſingulariter referendus, Vincentius, *Lirinenſis* ab hoc Cœnobio dictus; de quo Gennadius hæc. *Apud Monaſterium in Lirinenſi Inſula presbyter, vir in ſcripturis ſanctis doctus, & notitia Eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructus, compoſuit ad euertenda hæreticorum Collegia nitido, & aperto ſermone validiſsimam diſputationem, quam ſui ipſius nomine ſuppreſſo* Peregrinum *aduerſus hæreſes inſcripſit.* De ipſo quamplures, maximè Trithemius *in catalog.* Onuphrius *ad an.462.* Baronius *ann.431.434. & alibi,* ac Gual-

Vincentius Lirinenſis.

terius

terius *in Chronograph. ſecul.* 5. Hunc porrò Vincentium, & alios Lirinenſes antiquorum Monachorum Elianorum æmulatores extitiſſe, antequam Benedictinam normam viuendi imbuiſſent, plura ex his, quæ ſparſim per hoc opus ſcribimus, ſuadent. Recolenda maximè, quæ ex Clemente Reynero retulimus *in Appar. cap.* 1. *num.* 25.

Palladius. 10 Ad annum quoque 434. referri poſſe videtur obitus Palladij illius Græci, de quo *ſub ann.* 429. dictum manet Ioannis noſtri Ieroſolymitani concollegam in Carmeli antris fuiſſe; a Cæleſtino Papa in Brittanniam, & Scotiam deſtinatum; Scotorum Apoſtolum nuncupatum; & varijs monumentis deſcriptis clarum valde fuiſſe. Pro hoc anno ipſum referimus, Balæum eiuſdem patriæ ſollicitum ſcriptorem ſequentes, etſi videamus Baronium, & ipſius Compilatores, pro anno 431. rem videri denotaſſe.

S. Patritius. 11 Id certius S. Patritium huius temporis ſanctitate, & miraculis clariſſimum iubar Palladio in munere prædicationis illis in partibus ſucceſſiſſe. Sic enim Balæus ipſe *in Catalogo Scriptor. Brittann. Centur.* 1. in Patritio: *Iſtum cum Segetio quodam Presbytero Cæleſtinus Pontifex anno Dom.* 432. *ad Scotos, & Hibernos poſt Palladium Græcum miſit*. Quamuis porrò plurima ipſaque egregia de hoc eximio viro hiſtoriæ, illius præſertim nationis, cunctæ canant, nihilominus quæ Ioannes Pitſeus pius, & diligens author in Brittannicis rebus conquirendis de ipſo ſcripſit *in lib. de Illuſtribus Brittanniæ Scriptoribus ætat.* 5. *num.* 41. hic apponenda: *Sanctus Patricius Succetus, Sethet, Bedæ Magonius, a magnitudine virtutum Magnus cognominatus, patre Calphurino Diacono viro nobiliſſimo, matre Concha (conceſſam vocat Beda) ex Pannonia, S. Martini Turonenſis Archiepiſcopi ſorore, in Brittannia natus, in valle Roſina regionis Tiborniæ, vel Neutriæ in vico Bannauæ Pembrochienſis agri, anno Domini* 370. *in ipſis teneris annis, anno videlicet ætatis* 13. *vt habet Probus, cum duabus ſororibus, & fratre (ſicuti poſtea his in reliqua vita) captus, & venditus eſt Hiberniæ Regi Miluc, & in Aquilonari illius Inſulæ parte Regis porcos paſcebat, quo etiam tempore ſæpè cum Angelo ſermones habuit. Anno autem ætatis ſuæ* 17. *a ſeruitute liberatus, in Brittanniam redijt; vbi bonas litteras auidè ſcienterque diſcere cœpit, optimis vſus præceptoribus. In quibus progreſſu temporis erat auunculus eius S. Martinus, & poſt eum S. Germanus Altiſiodorenſis Epiſcopus, ſub quo poſtquam ſacris litteris operam vtcumque vtilem impendiſſet, in patriam rediens ad Glaſconienſe Monaſterium (quod a S. Ioſepho Arimathenſi incohatum ferunt) ſeceſſit, & ibi in vita, & habitu religioſo cæleſtia contemplans, pluſquam annis* 30. *vixit. Tandem Romam profectus, propter vitæ ſanctitatem cum generis ſplendore, & ſingulari doctrina coniunctam ſummo in pretio apud Cæleſtinum Papam primum fuit. Quem idem Pontifex Epiſcopum conſecrauit, & inde in Scotiam, id eſt Hiberniam, ad prædicandum Euangelium Chriſti deſtinauit. Sic Florentius Vvigornienſis*. Hæc porrò a nobis indigitata fuerunt, propter

aliqua,

aliqua, quæ noſtram tangunt proximius hiſtoriam. Primò enim id quod Pitſeus notat de Glaſconienſi Monaſterio a S. Ioſepho Arimathenſi (fuit hic primus Brittanniæ Apoſtolus) inchoato, non parum iuuat ad ea quæ in præcedenti tomo latiùs ſcripſimus de Monachatus peruetuſta antiquitate etiam quoad Monaſteria. Cum enim talis Monachatus alius eſſe non poſſet, niſi ille qui ab Elia inchoatus, ab Apoſtolis ſub Chriſto duce confirmatus, ab Eſſenis exercitatus, & poſtea a Dionyſio Areopagita commendatus, & per Hilarionem, Antonium, Pachomium, & ſimiles Archimandritas continuatus fuit; vtique dicendum illum eſſe cuius hiſtoriam teximus, vtpote non diuerſum ab eo quem Carmelei noſtri agebant. Pro quo exterum authorem Clementem Reynerum Benedictinæ ſcholæ egregium ſcriptorem teſtem afferimus, lectori noſtro legendum *in ſuo de Apoſtolatu Benedictinorum in Angliam, Tract.* 1. §. 12. *&* 18. cuius verba referimus *in Apparat. cap.*1. *num.* 25. Deinde quod aſſerit Pitſeus de Monachatu Patritij pluſquam per 30. annos in hoc Glaſconienſi Cœnobio lectori diſcutiendum proponimus, vt piè ſententiam proferat de Monachatu, quem Patritius eo loco ageret. Cum enim, nullius prudentis iudicio, ille Benedictinus eſſet, qui ſub hoc tempore Angliæ oras non viderat: nec Baſilianus, aut Auguſtinianus, de quibus nec verbum reperi apud eos qui Brittannicam hiſtoriam perluſtrarunt, & ſpeciatim de Auguſtiniano probat luculenter, idem Reynerus *eo* §.18. liquidò elicitur eum fuiſſe, qui veluti omnium conſenſu primus in orbe fuit, Elianus videlicet, & Propheticus. Quod præſagijſſe viſi ſunt Locri, Eglid, & Mel Scotorum Magi, qui Regi, & Magnatibus præcinerunt *quendam Prophetam exterum aduenturum*, Patritium videlicet, prout in eius refertur vita. Vbi etiam vocatur *Homo Dei*, quo titulo Prophetici Ordinis aſſeclæ nuncupabantur olim, vt diximus *tom.* 1. *in Appar. cap.*7. *num.* 5. Scio quoſdam ſibi effinxiſſe Patritium Canonicatum, Regularem etiam (ſi Deo plàcet) Lateranenſem exercuiſſe. Sed vnde tale commentum? Nec ipſi Authores dicent. Veritas ergo vincat, ipſaque duce dicamus, Patritium antiquiſſimi illius Eliani, & Prophetici Anachoriſmi cultorem fuiſſe. Huiuſmodi namque hominis genus eam Patriam incoluiſſe non incongruè poëticè quidam in ea natus ſic cecinit:

Docta Palæſtinos reparauit Hybernia campos.
Lucifugis populata ſuis, in eremon aprico
Verſa ſolo, quæ diuiduis numeroſa colonis
Æquauit ſuperum ſtellis melioribus Orbem.
Non Pelluſiacis ibi Paulus defuit aruis,
Prouida quem tenui ſatiauit amigdalus eſca
Et folijs palmata ſuis, & frondibus aucta!
Endromis ipſa fuit, gelido fuit vnda liquori.
Non qui Tartareis maior Belialibus vnus

Corni-

Cornipedes Faunos Antonius & Satyriſcos,
Informes animarum vmbras, lemureſque, ſtrigeſque
Fudit, & innocuos irriſit in ictibus auſus.
Non Pan, non Pambo, non Sarmata, non Hilarion,
Elias, Helenus, Vitalis, Euagrius, Efrem
Abſuerant, non virgineis redimita corallis
Agmina, complexus quæ dedignata viriles,
Natales oblita lares, quanquam impare ſexu
Fictilibus vaſis; ſed enim nemora ardua votis
Tentabant auidis, & adibant paſſibus æquis.

Patritius Regulæ cōditor.

Illud quoque iungendum ſanctiſſimum hunc Patritium Regulam quandam Monaſticam ſuis Monachis præſcripſiſſe; vt Probus apud Bedam in eius vita author eſt, & elicitur ex vita S. VViuanloci apud Surium *tom.* 2. maximè ex Benedicto Haeſtenio *in diſquiſit. Monaſtic. lib.* 1. *Tract.* 5. *diſquiſit.* 15. ac varijs Codicibus ab eo relatis. Quæ Regula abſdubiè ex antiquiori illa Ægyptiorum Patrum deſumpta fuit, Patritio deriuata ab eius cognato S. Martino Turonenſi, qui etiam illam ſecutus fuit, prout ex ijs quæ de ipſo diximus tomo præcedenti elici valet, & ex eo quod in eius vita legitur, vbi Monachi ipſius *pares Ægyptijs* compellantur. Ex eadem quoque vita habetur plura condidiſſe Monaſteria pro viris, & fœminis *cuculla candida* amictis; vt vel in hoc etiam Eſſenatum redoleret, qui ſimili candida veſte vtebatur. Sicut etiam quod carnes non comedebat, Monachorum priſcorum mores æmulatus. Vnde inter Brittannicos Monachos Ægyptiorum æmulatores eum refert Reynerus relatus *eo* §. 18. Monaſteria quoque a paganis deſtructa reparaſſe ibidem etiam legitur; quo ſimiliter indigitatam habet lector vetuſtatem Monachorum Hiberniæ, ante eundem Patritium. Plurima quoque virtutum exempla ex Sanctiſſimo hoc viro trahere poſſunt Monachi, ſi ipſius hiſtoriam præ manibus geſtent. Quorum aliquot ex ijs, quæ nouus quidam author Bonauentura Barronius Minorita Panegyrico 3. deſcripſit, hic damus, pro pietate, & carnis mortificatione inter Monachos promouenda. *Noctes illi vigiliæ, dies inediæ aſperabant, æſtas æſtu, hyems frigore percellebat, & vapulabat tum forte maxime cum proderat magis, vel ad ipſam barbari voluptatem crudelitatem habentis in delicijs.* Deinde: *Carnem ſuam rigidiſſimis flagellis ita cruciabat, vt iam propemodum ſui carnifex euaſiſſet; & vbi ad moram doloris laborauit inopia temporis, noctem conuertit in diem, cuius ille excubias ita ſibi ad ſupplicium partitus eſt, vt primam vigiliam genuflexionibus quas tum ducentas faciebat impenderet; altera gelidis aquis ſtaret collo tenus immerſus; tertia denique ſuppoſito ceruicalis loco lapide ſuper altero ſtratus refrigerio ſomni recrearet exhauſtum laboribus corpus, aut verius repararet ſubeundis.* Et poſtea: *Interim enim aſperi cilicij particulam algidis aquis intinctam lumbis circumpoſitam geſtabat, ne quando lucifuga lex membrorum igniculum fomitis in-*

emortua carne cineribus ſopitum ſuſcitaret. Ad hæc poſt alia: *Quid ad hæc adyciemus ieiuniorum mortificationes, quibus ita temperauit victui, vt videretur non temperaſſe virtuti, & in ipſa abſtinentia peccauiſſe crapula?* *Ita ieiunia illius æterna erant, abſtinentiæ aſſiduæ, quæ aliquando amplians nunc ad quintum decimum, nunc ad trigeſimum alias ad quadrageſimum diem producebat. Si audieritis orationes quis credet auditui? Per omnem vitam etiam cum adhuc in paſcuis poſt fœtantes circumferretur diebus ſingulis ducentis vicibus orabat, trecentis genuflectebat, ſeptingentis crucis ſe ſignaculo muniebat; Pſalterium & Apocalypſim in dies tota perſoluebat; vbi profecto, neſcio quid iudicem amplius carpi ignauiam noſtram irritari ſtuporem, an accendi inuidiam?* Demum veluti pro colophone, & nobis ſubindicans tam Palladium, de quo ſupra, quam Patricium, de quo modo, Elianum ſpiritum redoluiſſe, ſic proſequitur: *Vbi ergo Palladius Roma in Hiberniam Legatus meditabatur iter, raptus magis quam eductus e viuis eſt, Eliæ inſtar a cælis deſtinantibus hunc Patritio Apoſtolatum. Ita in ipſo aditu abreptus reliquit Patritio quaſi Eliſeo ſacerdotium ſuum tanquam pendulam chlamydem Pontificium paludamentum. Suſcepit ille, & quaſi humo abiectam leuauit. Primatus adminiſtrationem non ambitu, ſed dignatione, vt & illa iam non honor erat, ſed onus*. Hæc etſi a neotherico Authore deſcripta, huic loco attexere placuit, quia veluti per epilogum, quæ in hiſtorijs S. Patricij fuſius continentur, contractius ipſe collegit, & ad inſtructionem noſtram (quod præcipue in his Annalibus intendimus) valde deſeruire poterunt.

Ann. Chriſt. 435. 436. 437. 438. & 439. Sixti Rom. Pontif. 4. 5. 6. 7. & 8. Theodoſij Imper. 28. 29. 30. 31. & 32. Valentiniani 11. 12. 13. 14. & 15.

1 HI quinque anni Pontificatus Sixti, quod attinet ad noſtram Monaſticam hiſtoriam (prophana relicta) præcipuè continent exterminationem reliquiarum Neſtorianæ hæreſis, Monachis ſedulo ea pro cauſa laborantibus. Cyrillo præſertim Alexandrino Patriarcha, cuius authoritate geſtum eſt, vt Ioannes Antiochenus Antiſtes, qui Neſtorianas partes primitus fouebat, Neſtorium ipſum damnaret, pacem cum Sixto Papa, & Cyrillo iniret; ac ſic obiens e vita deceſſerit. Succeſſorem habens Domnum Monachum eius nepotem, de quo ſuperius dictum Euthymij diſcipulum fuiſſe, & Monaſterij *Lauræ* alumnum. Armeni etiam Monachi libros Theodori Mopſueſteni contra fidem Catholicam a quibuſdam excitatos, prout fas erat, inſectati ſunt. Infelix etiam, & male feriatus Neſtorius, Theodoſio Imperatore iubente, in Oaſim exul deportatus eſt, etſi prius in Monaſterio *Euprepij* dicto ante portas Antiochiæ plus æquo bene receptus eſſet.

Neſtoriana hæreſis profligatur.

Oaſi

Oaſi ergo agens in Thebaide, Panopoli, aut vicino loco, meritas ſuæ blaſphemiæ, qua in cælum Cherubicum, Mariam Dei Matrem, linguam poſuerat, exoluit: vermibus namque linguam eius exeſam fuiſſe narratur. Hæc ex vetuſtioribus noui Chronologi.

Eudoxiæ peregrinatio.

2 Quo etiam tempore, cum Eudoxia Imperatrix Ieroſolymam, ſuadente Melania iuniore, quando Bizantium, iuxta dicta in ſuperioribus, venit, profecta eſſet; eiuſdem Melaniæ conſortio, magiſterio, & ope, etiam in pedis luxatione, qua laborabat, curanda, perfrui meruit. Et grati, ac pij animi ergò ſancta ædificauit Monaſteria, loca maximè illa, quæ *Lauræ* vocantur, & Moniales, quæ cum Melania conuiuebant, tanquam ſorores ſalutare, & amplexari non erubuit. Hæc ex Melaniæ geſtis apud Surium *die* 31. *Ianuarij*, & Euagrio *lib.* 1. *cap.* 20. & 21. *ac vltimo* Baronius, & alij recentiores.

Melaniæ geſta.

3 Eiuſdem quoque Melaniæ geſta alia egregia occurrunt referenda, Monaſticæ hiſtoriæ digna, & ex vita ipſius apud Metaphraſtem, & Surium excerpta. Ieroſolymis virorum Monaſterium in loco, quo Chriſtus crucem aſcendiſſe dicebatur extruit. Miraculis, & ſignis, etiam zona ſua (vt Eliæ filiam agnoſcas) coruſcabat. Loca terræ Sanctæ, & Galilæam (conijce etiam quod Carmelum Galileæ confinem) luſtrabat. Ad præſepe Domini reuerſa diem Natalis eius celebratura, morte præpeditur, quam in Monialium, & Monachorum præſentia ſubijt, vltimo menſis Decembris die. *Quantum ſuperuixerit* (inquit Baronius ſub an. 438.) *non conſtat, ſed illud certum eſt, ipſam Monaſtica vita magna obſeruatione perfunctam, & miraculis pluribus illuſtratam, die, quam prænouit, Decembris vltima, ad Deum migraſſe, & inter ſanctas relatam anniuerſaria memoria in Eccleſia celebratam.*

Palæſtinæ Monachi.

4 Quæ porrò de Palæſtinæ Monachis, cum quibus Melania conſortium habebat, referat Euagrius *lib.* 1. *cap.* 21. hic opportunè damus, eò ducti, vt ex illis lector agnoſcat, qualiter ipſi Eſſenorum propagines erant, in quibus ſimilia comperiri nullus refragari poterit. Loquens ergo de Eudoxia Auguſta Ieroſolymis agente hæc habet. *Sancta ædificauit Monaſteria, & loca illa, quæ* Lauras *vocant, in quibus tametſi varia ratione viuitur, tamen vitæ inſtitutio ad vnum, eundemque finem ſpectat, eumque ſanctiſſimum. Nam alij gregatim vitam degunt, nihil rerum quæ animos hominum ad terram deprimere ſolent, poſſident, quippe aurum illis non ſuppetit: at quid dixi aurum? imo verò ne propria veſtis, aut cibariorum quidquam. Nam quo pallio, aut tunica vnus iam induitur, alter veſtitur paulo poſt, adeo vt omnium veſtitus vnius eſſe videatur, & vnius omnium. Quin etiam menſa communis apponitur, non opiparis inſtructa delicijs, aut alio quouis cibariorum genere, ſed oleribus ſolum, ac leguminibus apparata, iiſque eatenus ſuppeditatis quatenus ſolum ſatis eſſent ad viuendum. Porrò autem in precibus ſolum, quas communiter inter ipſos ad Deum fundunt, ſe dies noctesque defigunt: ſicque atterunt ſeſe, ſic ſe laboribus affligant, vt*

mortui

mortui inſepulti ſuper terram iacentes videantur. Nonnulli eorum leges; quas ὑπὲρ νόμους *vocant, id eſt, leges, legibus, quibus tenentur, ſupra irrogatas ſæpe exequuntur: quippe ieiunant ad biduum, atque etiam ad triduum: Sunt ex illis qui quinque dies continuos, & amplius ieiunant, & vix tum quidem cibum capiunt neceſſarium. Alij autem aliud ingrediuntur viuendi genus, idque diuerſum a ſuperioribus. Nam ſe ſeparatim in ædiculas concludunt, quæ tantum habent latitudinis, altitudiniſque, vt in illis neque corpore erecto conſiſtere, neque ſe liberè inclinare poſſint. Quorum alij, vt eſt apud Apoſtolum, in ſpeluncis, & cauernis vitam aſſiduè degunt, vnàque cum beſtijs habitant, & in quibuſdam occultis, & ignotis terræ latibulis Deo precationes adhibent. Quin etiam alius viuendi modus a nonnullis eorum excogitatus eſt, qui omnem fortitudinis, & tolerantiæ vim ſuperat. Etenim viri ac mulieres in ſolitudinem ardoribus efferueſcentem ſe abdunt, & ſolis illis membris, quæ naturæ ſeruiunt neceſſitati, obtectis, reliquum corpus frigoribus immenſis, & feruidis aëris caloribus nudum exponunt; æſtu æquè atque algore contempto. Eò accedit, quod alimentis, quibus homines veſci ſolent, penitus reiectis, depaſcuntur terram, vnde* Βοσκοί, *id eſt pabulatores, appellantur: indeque ſolum victum ſibi ſuppeditant, adeò vt tempore belluis ſimiles efficiantur, quippe cum forma corporis, & animi habitu ab alijs hominibus omnino diſcrepent. Ac ſi forte viderint homines; ſtatim aufugiunt. Etſi qui eos inſequantur, aut elabuntur velocitate pedum, aut abſtruſis terræ locis, ad quæ difficulter accedi poſſit, ſe occultant. Aliud præterea commemorabo, quod quamuis præ alijs meritò primas tenet, ipſe tamen penè præteriſſem. Etſi perpauci ſunt ex hoc genere, ſunt tamen aliqui, qui ſimul ac virtutis ſubſidio ab omnibus animi perturbationibus liberi, ac vacui ſint, prodeunt in hominum ſocietatem, ſeque in medias turbas inijciunt, ſeque dementes eſſe ſimulant: ſicque inanem gloriam, quam vt ſapiens Plato ait, anima poſtremò omnium, tanquam vltimam tunicam ſolet exuere, quaſi pedibus conculcant. Adeò etiam ſine delectatione cibum capiunt, inque ea re tam auſteram exercent diſciplinam, vt ſiue ad cauponam, ſiue ad lupanar eos diuertere cogat neceſſitas, nec locum refugiunt, nec operiunt faciem, nec quidquam prorſus erubeſcunt. Porrò balneis crebrò vtuntur, ac ſæpè vna cum mulieribus verſantur, ſimulque lauant ſeſe: atque ita perturbationum omnium ſunt expertes, vt naturam ipſam ſibi ſubieciſſe videantur: quandoquidem neque aſpectu, neque tactu, neque denique ipſo complexu mulieris ad naturalem concupiſcentiam inclinari impelliue poſſunt. Sed ſunt cum viris viri, mulieres autem cum mulieribus: atque tametſi non recuſant cum vtroque ſexu coire ſocietatem, tamen vnius ſolum vſum norunt. Verum vti comprehendam breui, in hoc ſanctiſſimo diuiniſſimoque vitæ genere virtus naturæ iura præſcribit, legeſque conſtituit proprias: nempe vt nemo eorum res ad vitam neceſſarias capiant ad ſatietatem, quandoquidem ipſorum lex eos eſurire, & ſitire iubet, corpus eo veſtitu tegere, quem poſcit neceſſitas. Eorum vitæ ratio adeò exquiſitis libratur laudibus, vt cum in contrariam partem, eamque ab altera multum diſtantem ſe*

inflexerint, nullam ſe mutationem feciſſe ſentiant. Ita enim res contrariæ in illis temperatæ ſunt, diuina gratia ea quæ nullo modo commiſceri poterant, in vnum cogente, eademque rurſus dirimente, vt vita in illis ac mors, duæ res, & natura, & effectu pugnantes maxime, ſimul habitent, & in quibus rebus perturbationes dominari ſolent, in illis mortui eſſe, & quaſi in ſepulchro conditi: & vbi aſſidua facienda ſit ad Deum precatio, ibi etiam ſi ætate exacta fuerint, corpore valentes, & viribus integris eſſe videantur. Atque ſic in iſtis vtrumque vitæ genus cohæret, vt certè tum veluti carne prorſus depoſita, perpetuo viuant, cumque viuis verſentur, tum corporibus medelam adhibentes, ſupplicum voces Deo offerant, aliaque officia, quæ ſuperiori viuendi modo apte conueniant, exequantur, & neque rebus neceſſarijs egeant, neque locis circumſcribantur, ſed omnes audiant, & cum omnibus verſentur. Crebris, imò verò aſſiduis genuum flexionibus vtuntur, quas graues viciſſim ſtationes excipiunt, ſolo appetitu ætatem, & imbecillitatem ſpontè ſuſceptam recreante. Sunt athletæ carne nudati, ſunt luctatores expertes ſanguinis: qui etſi ieiunium habeant pro conuiuio omni ciborum genere inſtructo, proque opiparis delicijs, ac nihil, ſi modò ita viui poſſit, guſtare, loco menſæ dapibus onuſtæ ducunt: tamen quando hoſpes aliquis ad eos accedit, ſi etiam primo mane illud fortè eueniat, magna cum beneuolentia, & amica inuitatione, tum ad comedendum, tum ad bibendum, illum excipiunt, alio ieiunandi genere excogitato, videlicet, vt inuiti comedant, adeo vt res magnam omnibus admirationem excitet, quippe qui cum pluribus ad naturæ ſuſtentationem egeant, admodum paucis contenti ſunt, propriæ voluntatis inimici, & naturæ, iuxta veterum placita, proditores, ſicut omnibus modis illecebræ carnis arceantur, & anima gubernet, pulcherrima Deo placita prudenter tum diligens, tum obſeruans: felices ſanè illi propter præſentis vitæ inſtitutum, multo tamen feliciores hinc diſceſſuri, quo omnes ſuos conatus dirigunt, ad illud quod in optatis habent videndum properantes.

Notanda circa dicta.

5 Siſtat nobiſcum hìc lector, & attentius inſpiciat, qualiter, vt dicere cœpimus, Monachi iſti *Laurarum* Palæſtini incolæ, prorſus, & omnino ſimiles Eſſenis antiquioribus, ſicut ouum ouo, fuerint, vt propterea iure noſtro vtamur, cum ipſos Elianis aggregandos cenſemus. Iſti, vt Euagrius ait, *gregatim vitam degunt*: ſic autem degebant Eſſei, Ioſepho Flauio *l. 2. de bello Iud. c. 7.* dicente: *Diſceptant autem non minus quam centum*: & infra: *Cum ſimul denique ſederint*: Iſtorum *vitæ inſtitutio ad vnum, eundemque finem ſpectat, eumque ſanctiſſimum*, ait Euagrius: ſic de ſuis Eſſeis *in lib. de vita contemplatiua* dixit Philo *Horro porro vniuerſorum finis vnus, & idem, pietas.* Iſtorum paupertas recte deſcribitur ab Euagrio ibi *Aurum illis non ſuppetit. At quid dixi aurum? imo nec propria veſtis.* In quo etiam ſimillimi vetuſtioribus Eſſeis cõprobantur, de quibus Ioſephus *ſup. Diuitiarum contemptores ſunt.* Quod præterea addit Euagrius de ſuis. *Quo pallio, aut tunica vnus iam induitur, alter veſtitur paulo poſt*, quo vitam communem geſſiſſe demonſtratur, prorſus ſapit priſcorum ritũ, de quo idem

qui ſupra Ioſephus *Rerum apud eos communicatio admirationi habetur, ne͂q; inuenias alterum alteri opulentia praſtare, legemq́; ſibi dixerunt, vt qui diſciplinam ſuam ſectari vellent bona contubernio publicarent. Ita enim fore ne vel paupertatis humilitas, vel diuitiarum dignitas, appareret, ſed permixtis facultatibus; velut inter fratres vnum eſſet patrimonium*. Illud de parſimonia, & frugalitate in menſa, & cibis, quod de ijs *Laurarum* Monachis ſcribit Euagrius, pariter commendatum videmus in Eſſenis ab ipſorum Encomiaſte Philone *in lib. de vita contemplatiua*. Vbi inter alia: *Temperantiæ tanquam fundamento in anima iacto virtutes cæteras ſuperextruunt*. Et infra: *Edunt ne eſuriant, bibunt ne ſitiant, ſaturitatem cauendo, vt inimicam animo, & corpori*. In *Apologia* autem ſic ipſos celebrat: *Parſimoniæ amatores, rerum abundantiam tanquam animæ, corperiſque morbum auerſantes*.. Aſſiduitas in precibus, & orationibus; quam in ſuis anachoretis commendat Euagrius, pariter prædicatur de Eſſenorum ſchola a Philone in dicto libro *de vita contemplatiua*, cuius verba reperiet lector in noſtro ſecundo tomo Annalium *in Appar. cap.* 1. *nu.* 17. & Ioſepho 2. *de bello cap.* 7. eodem etiam loco relato. Sufferentia in laboribus, quam Euagrius commemorat ibi *ſic ſe laboribus affligant &c.* commemoratur etiam de Eſſenis a Philone, & Ioſepho ſæpius; ab illo ſpecialiter *in lib. Quod omnis probus ſit liber*, ab iſto autem 2. *de bello cap.* 7. & vtriuſque verba habet lector loco relato ex 2. *tom. num.* 23. Rigidiora etiam illa ieiunia bidui, tridui, quinquedui &c. ab Euagrio commemorata, clarè cernuntur in Philonianis Eſſenis, prout eo loco *nu.* 18. Philonis verbis relatis, oſtendimus. Solitaria illa vita iſtorum Palæſtinorum in *ædiculis*, ſpeluncis, & *cauernis*, ab Euagrio prædicata, prius comperta fuit in eorum anteſignanis Eſſenis, teſte Philone, *in lib. Quod omnis probus ſit liber*, & *in lib. de vita contemplatiua*. Id porro quod Euagrius ſubiungit de viris, & fœminis in ſolitudine verſantibus ſine vllo veſtium genere, calori, & frigori expoſitis, de Eſſenis non legitur; forſan quia Ægyptus, & Alexandriæ finitima regio vbi ipſi manebant, tales nudos homines auerſaretur, quod non eſſet in Palæſtinæ ſolitudine. Vtvt res fuerit, ſolum de nonnullis id aſſerit Euagrius. Cætera porro quæ ſubdit, Eſſenum quoque Inſtitutum ſapere facile conijciet lector ſi ea cum Philone, dum de ſuis Therapeutis loquitur libris relatis, conferre velit. Quomodo autem capienda illa, quæ ſpeciem quandam *impaſſibilitatis* in huiuſmodi *Laurarum* Aſcetis denotare videntur, ſuperius *ſub ann.* 424. *numer.* 5. expoſuimus. Ex omnibus autem prædictis recte inſpectis notet lector qualiter ſuo iure vtantur Carmelitæ noſtri, cum Euthymium illum celeberrimum, de quo *ſub ann.* 419. *num.* 4. & 5. dicere cœpimus, eiuſque Sodales; Sabam etiam, & alios commilitones eo tempore Aſceticam vitam in his *Lauris* agentes, de quibus etiam in ſequentibus, maxime *ſub ann.* 455. inter Elianos recenſent. Quibus adſtipulatur Ioannes Bollandus, dum *in Actis Sanctor. tom.*2. *pro die* 20. *Ianuarij*, *in vita*

S. Euthymij eandem vitæ rationem obſeruatam fuiſſe in huiuſcemodi *Lauris*, ac apud Nitrienſes Ægypti, aſſerit. Etenim Nitrienſes ex Eſſenorum numero fuiſſe tomo præcedenti *ſub ann.* 296. *num.* 5. diximus.

S. Maximus. 6 Ad hoc tempus, annum videlicet 438. refert Marcus Maximus in ſuo *Chronicon*, Camone Caſtro prope Nerium promontorium in Gallecia floruiſſe S. Maximum diſcipulum S. Martini, ideo a nobis commemorandum, quia Sanctus hic Martinus Turonenſis, cuius diſcipulus S. Maximus deſcribitur, antiquiſſimi Orientalis Monachiſmi, & Propheticæ ſcholæ alumnus, & aſſecla iure creditus eſt, prout firmant ea quæ ſuperiori tomo diximus *ad ann.* 351. Ex quo idem de Maximo hoc ſuſpicari poſſe conijcitur.

Carthago capta a Genſerico. 7. Carthago Ciuitas Africæ clariſſima, Romæ æmula, & illi ſplendoris gloria cedere neſcia, hoc tempore a Vvandalis capta, & direpta fuit. Cauſas ex Saluiano viro ſanctiſſimo *De vero iudicio; & prouident. Dei lib.* 7. habeat lector, & ex *lib.* 8. vnam ſingulariter nobis notandam, quia in exemplum eorum qui Monachis aduerſarij ſunt, cedit, vt vel ſic abſtineant a virorum Religioſorum inſectatione. Sic ergo Saluianus. *Ita igitur, & in Monachis, hoc eſt, Sanctis Dei, Afrorum probatur odium, quia irridebant ſcilicet, quia maledicebant, quia inſectabantur, quia deteſtabantur, quia omnia in illos pene fecerunt, quæ in Saluatorem noſtrum Iudæorum impietas fecit.* Et infra: *Non ſine cauſa itaque illud fuit, quod intra Africæ Ciuitates, & maximè intra Carthaginis muros, palliatum, & pallidum, & recíſis comarum fluentium iubis ad cutem tonſum videre, tam infelix ille populus, quam infidelis ſine conuicio, atque execratione vix poterat.* Notet hic lector Monachorum huius æui notas in pallio, paliore, comarum tonſura, &c. Pergit Saluianus: *Etſiquando aliquis Dei ſeruus, aut de Ægyptiorum Cœnobijs, aut de ſacris Ieroſolymorum locis, aut de ſanctis eremi, venerandiſque ſecretis ad vrbem illam Officio diuini operis acceſſit, ſimul vt in populo apparuit, contumelias, ſacrilegia, & maledictiones excepit; nec ſolum hoc, ſed improbiſſimis flagitioſorum hominum cachinnis, & deteſtantibus ridentium ſibilis, quaſi taureis cædebantur.* Et ad finem: *Et miramur ſi nunc barbaros illi perferunt, cum videamus quod ſancti viri in illis barbaros pertulerunt. Iuſtus ergo eſt Dominus, & rectum iudicium ſuum, &c.* Hæc non caſu adducimus, ſed pro reprimendo ſæcularium quorumdam parum pio zelo, quo ſemetipſos neſcientes, facilè in Regularis profeſſionis viros inuehuntur, ſub prætextu quod ij proprij Inſtituti ſectatores integri non ſint; cum tamen nec omnes huius ſæculi Afri Monachi probri eſſent, & tamen in ipſos ludibrioſi, barbaris in prædam propterea dati fuerunt.

Ann.

Ann. Chriſt. 440. 441. 442. & 443. Leonis Rom. Pontif. 1. 2. 3. & 4. Theodoſij Imperat. 33. 34. 35. & 36. Valentiniani Imper. 16. 17. 18. & 19.

1 POST mortem Sixti Leo Thuſcus in Papam electus eſt, e Gallia reuerſus quò Legatus pro concordia inter Principes ineunda miſſus fuerat. In hoc Pontifice exemplum habent Superiores omnes: nouit enim hæc duo ſimul coniungere in paſtorali functione, *ſummam in ſuæ conſideratione perſonæ animi demiſſionem, & eminentem in eius, cuius ſe ſucceſſorem eſſe intelligebat, animi celſitudinem*. Hæc cum alijs noſtræ hiſtoriæ extraneis remittimus, ad propriora pergentes de pijs Monachorum geſtis. Summorum Pontificum ſucceſſus.

2 Inter quæ non reticendum, Monachos in Inſula Margarita, quæ vulgò *Gorgona* nominatur, hoc tempore tam ſanctè vixiſſe, vt meruerint ab Angelis edoceri de martyrio S. Iuliæ clariſſimæ fœminæ, quæ per Felicem Ethnicum, cui vt ancilla ſeruiebat, alapis, crinium tortura, flagellis, & crucis patibulo afflicta ſpiritum Deo in ſpecie columbæ reddidit. Monachi ergo iſti ab Angelis præmoniti Corſicam, vbi paſſa eſt, conuenientes, corpus eius in Margaritam Inſulam attulere, & monumento tradidere, licet inde poſtea Brixiam delatum a Regina Longobardorum dicatur. Hæc ex Adone in Martyrologio 22. Maij Baronius *ſub anno* 440. Agunt etiam de illis Vſuardus, & Beda, maximè verò Epiſcopus Equilinus *lib. 5. cap. 29.* etſi in aliquibus ab Adone diſcrepans. Notet tamen lector hanc Inſulam vulgò *Gorgonam*, nunc ſub magni Ducis Ethruriæ ditione, non vocari ab Epiſcopo Equilino *Margaritam*, ſed *Marmaricam*. Notet præcipuè tum huius ſanctæ fœminæ, etſi ancillæ, ingenuitatem in Chriſti fide defendenda; tum eorum Monachorum piam vitam, quæ talibus illuſtrationibus a Deo decorabatur. Cuius porro Inſtituti fuerint hi Monachi Gorgonenſes, æquus iudex ſit lector; cum Benedictini nondum exorti, & Baſiliani, & Auguſtinienſes haud valde in Europa cogniti tunc eſſent. An forſan vetuſtioris alterius? Monachi in Inſula Margarita.

3 Clariſſimi etiam in Orbe erant Monachi Lirinenſes, Lirinenſis Inſulæ in Gallijs, Prouinciæ ſcilicet Narbonenſi adiacentis, e regione Antipolis. Vnus fuit Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, qui Concilio Arauſicano hoc tempore celebrato primus adfuit; & de quo *ſub ann.* 426. aliqua diximus. Alius eſt Eucherius Lugdunenſis Antiſtes, qui inter Monachos eius Inſulæ numeratur ab Hilario *in vita S. Honorati*, & Sidonio *in Carmine Eucharistico*, & de quo Hilarius dicit ad exemplum noſtrum: *Inter ſepta ſpeluncæ ſponte concluſus, in orationibus, & ieiunijs Chriſto ſeruiuit*. Item Vincentius Lirinenſis appellatus, de quo *ſub anno* 432. aliquid dictum. Ac Domnus ille Ioannis Antiocheni in Patriarchatu ſucceſſor, de quo ſub eodem *ann.* 432. etiam id notatum. Monachi Lirinenſes. Hilarius Arelatenſis. Eucherius Lugdunenſis. Vincentius Lirinenſis. Domnus.

Hos porro omnes vetuſto illi Monachorum antiquorum, non nouo Baſilij, aut Auguſtini, Inſtituto, annumeramus, tum propter generalem regulam ſæpius inculcatam, quia ſcilicet ſemper ſtat præſumptio in Monachis pro illo veteri Monachatu, dum nouus non probetur; tum quia relatus Eucherius *in libro de Eremi laude*, dum de Lirinenſibus Monachis agit, poſt relatos Honoratum, Maximum, Lupum, Vincentium, & Capraſium ſubiungit: *Hæc* (ſcilicet Lirinenſis inſula) *nunc habet ſanctos illos ſenes, qui diuiſis cellulis Ægyptios Patres Gallijs noſtris intulerunt.* Etenim Ægyptij illi Patres (videlicet Monachi) ſolum Eſſenatum, & Monachatum Elianum agnoſcebant. Idem habet Sidonius *lib.* 8. *ep.* 14. vbi de Monachis Lirinenſibus dicit, affectaſſe *Memphiticos, & Palæſtinos Archimandritas*. Eiuſdem ergo ſcholæ erant. Quod clariſſimè, ita vt nullus tergiuerſationi locus detur, exprimit Ioannes Caſſianus in Præfatione ad Collationem vndecimam, quam nuncupat præfatis Honorato, & Eucherio. Dicit enim: *Tanta illorum ſublimium virorum, a quibus prima Anachoreſeos inſtituta ſuſcepimus, laude flammamini, vt vnus quidem veſtrum* (ſcilicet Honoratus ipſe, de quo *ſub ann.* 421. locuti ſumus) *ingenti fratrum Cœnobio præſidens, Congregationem ſuam, quæ quotidiano ſanctæ conuerſationis veſtræ docetur intuitu, illorum quoque Patrum præceptis optet inſtitui: alter verò, vt etiam corporali eorumdem ædificaretur aſpectu, Ægyptum penetrare voluerit.* Vnde ex hoc ſolo Caſſiani teſtimonio, Benedictus Haeftenus *in diſquiſit. Monaſtic. lib.* 1. *Tract.* 5. *diſquiſit.* 3. concludit, Lirinenſes Monachos Ægyptiorum Monachorum maximè inſtituta ſectatos fuiſſe. Clemens etiam Reynerus eiuſdem Inſtituti Benedictinorum aſſecla *in lib. de Apoſtolatu Benedictinor. in Angliam, Tract.* 1. *ſect.* 1. §. 18. ita ad intentum egregiè. *Africani, & Maſſilienſes* (monachi) *& Lirinenſes Monachatum ſuum ab Ægyptijs, & Palæſtinis acceperunt: quod nemo dubitabit, qui vel Seueri dialogos de Monachis Orientalibus, vel Caſſiani Inſtituta, vel Sancti vitam Honorati Lirinenſium fundatoris perlegerit.* Horum porrò Lirinenſium Monachorum inſignium catalogum, ex Epiſtola Germani Lirinenſis Monachi nonis Iunij 1589. ad Arnoldum Vvion miſſa, quam ipſe affert *in Martyrologio Monaſtico die* 29. *Maij* ſic damus, vtilem pro dictis, & dicendis in noſtra Hiſtoria, verbis ipſius Epiſtolæ, non tamen iudicando an omnes ibi relati titulum Sancti mereantur; ſed hoc potius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ iudicio remittentes. *Sanctus Honoratus Archiepiſcopus Arelatenſis, cuius feſtum celebratur die* 16. *Ianuarij. S. Hilarius Archiepiſcopus Arelatenſis, cuius eſt dies feſtus die* 5. *Maij. Floruit anno* 440. *S. Cæſarius Archiepiſcopus Arelatenſis,* 27. *Auguſti. Floruit anno* 500. *S. Nazarius Archiepiſcopus Arelatenſis, S. Virgilius Archiepiſcopus Arelatenſis,* 5. *Martij. Floruit anno* 600. *S. Concordius Archiepiſcopus Arelatenſis. S. Maximus Regienſis Epiſcopus* 27. *Nouemb. Floruit anno* 470. *S. Fauſtus Regienſis Epiſcopus. Floruit anno* 490. *S. Eucherius Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Princeps,* 16.

No-

Nouembr. vixit anno 435. *S. Iuſtus Lugdunenſis Archiepiſcopus, & Princeps*, 2. *Septembr. Floruit anno* 370. *S. Maguntius Viennenſis Epiſcopus. S. Sedaſtus Viennenſis Epiſcopus. S. Germanus Pariſienſi Epiſcopus*, 28. *Maij. Translatio* 25. *Iulij. Obijt* 578. *S. Lupus Trecenſi Epiſcopus*, 29. *Iulij. Floruit anno* 450. *S. Apollinaris Valentienſis Epiſcopus*, 5. *Octobr. Floruit anno* 490. *S. Siffredus Carpentoratenſis Epiſcopus*, 28. *Nouembris. S. Agricola Auenionenſis Epiſcopus. S. Valerius Nicienſis Epiſcopus*, 24. *Iulij. S. Lambertus Vencienſis in Prouincia Epiſcopus*, 26. *Maij. S. Vernus Vencienſis in Prouincia Epiſcopus*, 11. *Nouembr. S. Thomas Tarantaſienſis Epiſcopus. S. Amandus Tungrenſis Epiſcopus*, 6. *Febr. Floruit anno* 640. *S. Saluianus Monachus Epiſcopus Maſſilienſis. Floruit anno* 480. *S. Vincentius Presbyter Archiepiſcopus Sanctonenſis. Floruit anno* 430. *S. Venantius frater S. Honorati*, 30. *Maij. Floruit anno* 400. *S. Capraſius Eremita*, 1. *Iunij. Floruit anno* 390. *S. Cononus, Cononius, ſiue Conon, Abbas*, 29. *Maij. Floruit anno* 600. *S. Porcharius Abbas, & Martyr cum* 500. *Monachis ſocijs*, 12. *Auguſti. Floruit anno* 500. *S. Agilulphus Abbas, & Martyr cum ſocijs Monachis*, 3. *Septemb. paſſi anno* 660. *S. Ebidobius Abbas. S. Euodius Abbas. S. Ioannes Abbas. S. Columbanus Abbas, S. Ardemius Abbas. S. Florentius Abbas*, 22. *Septemb. Translatio* 17. *Iunij. S. Amandus Abbas trium millium Monachorum. Floruit anno* 420. *S. Apollinaris Monachus. S. Theodorus Monachus, & Martyr.* Ex tempore porro, quo inſignes hi Monachi in eo Cœnobio floruerunt, alijſque circunſtantijs iam notatis, & in ſequentibus animaduertendis conijci datur cuius Inſtituti aſſeclæ eſſe potuerint.

Ann. Chriſt. 444. Leonis Rom. Pontific. 5. Theodoſij Imperat. 37. Valentiniani 20.

1 SINGVLARITER hic annus a nobis diſcutiendus ob funus ſancti noſtri Alexandriæ Antiſtitis Cyrilli, cui ſpecialiter adeſſe tenemur, & ob ſingularem Dom. Cardinalis Baronij doctrinam, quam *ſub hoc anno* §. *Sanè quidem* exaratam reliquit, quæ trutina, & diſcuſſione noſtra proculdubio eget. *Huius anni geſta.*

2 Ergo S. Cyrillus Alexandrinus hoc eodem anno ad cæleſtem patriam quinto Kalend. Februarij, iuxta Latinos (etſi Græci pro die nona Iunij eius obitum celebrent) poſt inſignes contra hæreticos, tum Nouatianos, tum præſertim Neſtorianos, vt ex dictis in ſuperioribus liquet, obtentas victorias, glorioſus tranſiuit; ſenio iam confectus, & innumeris ſuæ ſapientiæ teſtibus libris deſcriptis, quorum Catalogum Trithemius, & Bellarminus *de ſcriptorib. Eccleſiaſt.* Poſſeuinus *in Apparatu*, & alij collegere; a quorum enumeratione abſtinendum cenſemus, quia plurima ipſius volumina perijſſe ex Caſſiodoro *Inſtit. diuin. lect. præfat.* *S. Cyrilli Alexandrini obitus.*

colli-

colligitur, & plura in dies prodeunt, ſuppeditante maximè Apoſtolica Vaticana Bibliotheca, quæ multa ipſius opera manuſcripta conſeruat. Eius propterea memoria poſt ipſius obitum, veluti magni Doctoris, & eximiæ ſanctitatis viri, iugiter viget in Eccleſia omnium Orthodoxorum, præconijs frequentata. Etenim non ſolum in Latinorum, & Græcorum tabulis, vt diximus id conſpicitur, ſed & in Ruthenorum Kalendario (apud Poſſeuinum in Apparatu, verbo *Rutheni*) quo tam Moſcouia, quam reliqua Ruſſia vtitur, pro die 9. Iunij, Græcorum inſtar, reponitur. Quando & a quo tempore Carmelitarum Religio eius feſtiuitatem celebrauerit, inferius dicetur. Ipſius porrò prudentia in eo quoque eluxit, vt, boni inſtar paſtoris, qui morbidam pecudem ſanare ſtudet, ipſe quoque Anachoretam quendam ſenem, qui per ſimplicitatem credebat Melchiſedech fuiſſe Chriſtum, induſtriosè ad veritatem reduxerit, prout ex 5. *lib. vit. Patrum libell.* 18. *de præuidentia*, *ſeu contemplatione* tranſcribunt Baronius *ſub hoc anno*, & noſter Boſtius *lib.* 5. *hiſtor. cap.* 71. Qui etiam *cap.* 72. ſequenti ipſius geſtis relatis inquit: *Poſt innumeras virtutes ab ipſo patratas in pace obdormiens quietem naturalis mortis inuenit, atque incorruptum Deo ſpiritum reddidit, & gaudia cœlorum perpetim poſſeſſurus intrauit quinto Kalendas Februarij, ſcilicet ipſo die Agnetis ſecundo. Corpus verò eius in Eccleſia Alexandrina a Clero honore congruo, vt decuit, ſepelitur, multis niteſcens virtutibus.*

Theodoreti geſta.

3 Ipſius porro mortem valde gratam fuiſſe Theodoreto eiuſdem aduerſario, & Neſtorij propugnatori elici videtur ex Epiſtola quadam Theodoreti nomine ſcripta ad Ioannem Antiochenum, & in 5. Synodo *act.* 5. *tom.* 2. *Concil.* relata, in qua author de Cyrilli morte congaudens multa in eum ſatyricè garrit, & obloquitur. Verumtamen meritò hoc, commentum veluti, a pluribus cenſetur, & Epiſtola illa alicuius Neſtoriani hæretici proles exiſtimatur. Ioannes enim Antiochenus, ad quem ea ſcripta conſpicitur, iam ab aliquibus annis e vita diſceſſerat, ſuccedente ipſi Domno eius nepote, vt in ſuperioribus diximus. Deinde Theodoretus iam pridem ante mortem Cyrilli cum eo reconciliatus fuerat, & licet è Antiochia Cyrum, qui erat proprius ipſius Epiſcopatus, Imperatoris iuſſu miſſus, pluribus tamen litteris datis oſtendebat ſe verè Catholicum eſſe, & Neſtorianiſmo aduerſarium. Vindicandus ergo ab hac calumnia Theodoretus, prout ex eius Epiſtolis elicit Baronius. Quod libentius admittimus, tum vt grauiſſimum eius ſæculi iubar ab hæreſis labe, palinodia ſaltem decantata, liberum poſtea fuiſſe aſtruamus; tum, quia, iuxta dicta *ſub ann.* 421. Monachus ipſe fuit, & Monachorum commendator eximius.

Baronij exiſtimatio.

4 Pergens poſt hæc Dominus Cardinalis Baronius ad alia Cyrilli, hæc addit: *Sanè quidem reſpuimus, atque exufflamus figmentum illud, incerto authore proditum, Chronico nimirum, quod extaſſe fingunt apud quendam Franciæ Regem, quo tradunt, eumdem S. Cyrillum Alexandrinum*

Epiſcopum

Epiſcopum Monachum fuiſſe montis Carmeli, cui quidem aſſertioni Tritbemius leuiter nimis fidem præſtitit. Vnde hæc, quæſo, incerto authore, ſi qui certi, atque probati ſunt authores eiuſdem Cyrilli æquales, eiuſdemque res geſtas quam diligenter proſecuti, hæc neſcientes, obruta ſilentio reliquerunt? Vel quæ apud huius temporis ſcriptores mentio de culto Carmelo a vita monaſtica profeſſoribus? Etenim, cum apud S. Hieronymum, Palladium, Euagrium, Caſſianum, Theodoretum, Cyrillum Monachum, & alios ſæculi huius ſcriptores frequens mentio ſit de Monachis in Palæſtina degentibus, nuſquam penitus apud eos de Monachis Carmelitis. Faceſſat igitur eiuſmodi de Monachiſmo Cyrilli in Carmelo fabella, ſicut illa huic haud impar, qua traditur, & Ioannes Ieroſolymorum Epiſcopus Origeniſta fuiſſe etiam Monachus Carmelita: ſicut enim hæc leuiter effinguntur, ita & facilè refelluntur. Flagrans quidem cupido nobilitatis auitæ cogit interdum homines delirare. Hæc Eminentiſſimus Baronius. Quæ ſi quis perlegerit, ſatius, & optabilius nobis eſſe putabit, prudenti diſſimulatione ſilentio obruiſſe, quam ad perpetuam, vt dicitur, memoriam, noſtris Annalibus commendaſſe. Hæc quidem ſæpius ſic cogitauimus. Quia tamen de communi totius Ordinis æſtimatione agitur, & qui ea protulit magnæ apud omnes (& merito) authoritatis habetur; vulnuſque ab ipſo Carmelitis inflictum in dies recrudeſcit, adeo vt propter ipſum quidam in noſtros garriant obloquentes; nec deſint magna veritatis fulcra, quibus ea quæ Baronio haud arrident, corroborari queant; idcirco Chriſtianam, & Religioſam modeſtiam, ac humilitatem, ſimulque antigoniſtæ reuerentiam debitam præ oculis ſemper habentes, eius placitum tanto viro, & veritate ipſa indignum eſſe comprobare nitemur.

5 Et primo, quia Dominus Cardinalis, tam acri ſtylo, pungenti calamo, nigroque atramento in ſibi inſontes, & innocuos Carmelitas, vir alioquin pius, & in Deo ſacratas perſonas prædeuotus, inſurrexit, proculdubio exiſtimandum videtur grauiſſima aliqua ad id cauſa perurgente ita feciſſe. Et *ſane quidem* (prout ipſe dicere cœpit) plurium ex noſtris hæc eſt conſenſio, vt propterea credant ſic ſe geſſiſſe quod viderit, vel audiuerit quendam Ordinis noſtri alumnum librum quendam hoc titulo prænotatum *De centum erroribus Baronij* ſcripſiſſe, qui titulus, operiſque materia bilem ipſi excitare potuere. Innuit hoc nobilis quidam ex noſtris Pater, qui apud Vvaſtelium *in Apologetic. pro Ioannis Monachiſmo in Carmelo cap.*37. dicit Dom. Baronium *antequam ad Cardinalatus faſtigium aſſumeretur, a quodam noſtri Inſtituti offenſum fuiſſe, inde occaſionem ſumpſiſſe, cur in nos tam leuiter magno ſuo dedecore ſcriberet.* Clarius Caſanate *in Apologet. pro Ioann. Ieroſolymit. Tract.* 1. *diſcurſ.* 1. *præmiſſ.*4. & *præmiſſ.*7. authorem eius opuſculi *Belgam Carmelitam* vocans. Verumtamen, tanti viri probitate perſpecta, vix de ipſo tale facinus vel cogitare poſſumus, vt propterea exiſtimemus totam Almæ Virginis candidiſſimam familiam nigra ambitionis, & falſitatis fuligine

Quo fundamento.

gine

gine denigrare voluiſſe, quod vnum vel alium eiuſdem familiæ ſuis ſcriptis aduerſari videret. Quis enim æquus iudex propter vnius priuati piaculum totam Communitatem exoſam habet?

Germanior ratio.

6 Vera ergo, & genuina ratio, ob quam in Carmelitarum rebus, tam turbatè vir alioquin de tota Eccleſia meritiſſimus ſe geſſerit, eſt, quod (dolendum valde) ipſorum hiſtoriæ, ac monumenta ad eius manus nunquam peruenerint; nec ipſe grauiſſimis quia & communibus diſtendebatur negotijs, ea quæſierit, poſtulauerit, multoue minus perlegere potuerit; hinc enim ortum habuit, vt veluti in re omnino aliena, licet alias in hiſtoria incomparabilis, in noſtra cæcutiens, cum ſui, & noſtro præiudicio ceſpitauerit. Quod commodiori ratione fulciri non poteſt, quam ea aſſerendo, quibus Domini Cardinalis placitum funditus euerti, & noſtræ traditionis veritatem roborari conſtat. Ad ea igitur pergamus.

Notanda in Baronio.

7 Et primò, mittenda verba illa *reſpuimus, atque exſufflamus* authoris modeſtiſsimi indigna, in re præſertim neque ad fidei dogmata, minus ad fidelium mores: ſed ad meram hiſtoriam ſpectante. Illud quod additur *figmentum*, & poſtea *fabella* dum ſupra Monachatum Ioannis Ieroſolymitani, & Cyrilli in Carmelo cadunt Baroniano calamo irrepſiſſe, ſequentia demonſtrant. Magna ex parte ex ijs quæ de eadem controuerſia *to.2. ſub ann.*371. & alijs locis ſcripta reliquimus deprompta. Fulcra autem Cyrilli Monachiſmi plura ſunt.

Eccleſiæ teſtimonium.

8 Inter quæ primum obtinet locum Eccleſiæ authoritas, quæ in Officio eiuſdem S. Cyrilli pro die 28. Ianuarij in Carmelitano Breuiario, & quarta lectione ſic dicitur: *Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, claris parentibus ortus, Theophili item Epiſcopi Alexandrini ex fratre nepos, a quo adoleſcens Athenas ſtudiorum cauſa miſſus, cum plurimum profeciſſet, ad Ioannem Epiſcopum Ieroſolymitanum, vt Chriſtianæ vitæ perfectione imbueretur ſe contulit. Cuius conſuetudine in Carmelum Montem ſecedens, ibi cum aliquot pijs hominibus illic degentibus cæleſtem vitam in terris aliquandiu egit.* En iam quomodo Eccleſiæ calculo euincitur Cyrillum Carmeli accolam aliquandiu egiſſe cum pijs hominibus illic degentibus. Quæ, ne quis ſuſpicetur, vel clanculum, vel ſubreptitie obtenta eſſe, animaduertat approbata primitus fuiſſe ſub Gregorio XIII. (vt antiquiora, de quibus non conſtat prætermittamus) anno 1584. in Bulla *Vt Breuiarij* ab ipſo edita, in qua Officia, & feſtiuitates, quæ in dicto Breuiario iacent, Pontifex approbauit, *remotis inde incertis, & apochryphis ſcripturis* (inquit Papa) quæ notet lector, vt hiſtoriam iſtam de Monachatu Cyrilli in Carmelo non incertam, aut apochrypham cenſeat. Deinde ſub Sixto V. in Bulla *Eximium quod in nobis* anno 1589. die 27. Iunij edita *in 2. to. Bullarij*, reuidentibus, & approbantibus Cardinalibus Carrafa, & Vincentio Montis Regalis, pro PP. Diſcalceatis noſtri Ordinis, & Quinterno ipſorum. Præterea ſub Paulo V. anno 1609. a S. Congre-

gre-

gregatione Rituum, quæ dicti Officij, & aliorum reuiſionem mandauit D. Cardinali Bellarmino, & ipſa fuerunt *ab ipſo diligenter recognita, & ſubſcripta*, prout in decreto eiuſdem S. Congregationis habetur, ſubſcripto etiam a Cardinali Pinello, & P. Mucantio Congregationis Secretario. Ac denique quartò ſub Vrbano VIII. ab eadem S. Rituum Congregatione de anno 1628. recognoſcente, & ſubſcribente Cardinali de Torres, ac ſignante Fuluio Benigno a ſecretis. Videat iam pius lector quo iure Eminentiſſ. Baronius *figmentum* appellare potuit quod iam quater a Sede Apoſtolica (his maximè temporibus, in quibus ſpecialiori diſcuſſione ſimilia tractantur) approbationem obtinuit. Aut quid heterodoxi Eccleſiæ iurati hoſtes dicere poſſent, ſi quod toties Romanæ Sedis calculum meruit, vnus ipſius propugnator acerrimus *figmentum* appellat?

9 Sanctam porro Sedem non leuiter id feciſſe quis refragabitur? Anſam etenim ad id habere potuit ex vetuſtiſſima Ordinis traditione, Breuiarijs, Miſſalibus, Kalendarijs, Menologijs, publiciſque Tabulis exarata, a grauiſſimis eiuſdem Inſtituti Authoribus, antiquitate, & doctrina venerandis (quorum aliquos infra adducimus) recepta; & Chronologis, hiſtoricis, alijſque rerum domeſticarum Scriptoribus comprobata. Quorum teſtimonijs ſtandum nullus, vel mediocriter in Iure peritus renuere poterit: cum conſtet ex *cap. ſuper prudentia* 14. *qu.* 2. *& cap. nuper de teſtib.* alijſque iuribus, & Doctoribus relatis *to.* 1. *in Appar. cap.* 10. *nu.* 2. *&* 3. Religioſos teſtes eſſe idoneos in cauſis, & negotijs ad eorum familias ſpectantibus. *Motiua approbationis.*

10 Ne verò quis, quod Chriſto quidam dixere: *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum*, Ordini noſtro obijciat, audiat exterorum teſtimonia. Primum ſit S. Iſidori Peluſiotæ, quod loco relato *ex* 2. *tom.* retulimus; ibi enim conceptis verbis, in ea Epiſtola, quæ eſt 25. ad Cyrillum Alexandrinum ſcripta, ſic eum carpit: *Quid tibi vtilitatis affert Ioannis in locum deſertum ſeceſſio, quam olim ſtudioſè imitatus es? cum eum nunc minimè imiteris, &c.* Siue enim per Ioannem hìc indicatum intelligatur Baptiſta, ſiue potius Ieroſolymitanus Ioannes, proculdubio, niſi cæci eſſe velimus, manifeſtant Cyrillum *olim*, & *ſtudioſè*, imitatum eſſe Ioannem *in locum deſertum ſecedendo*. Quonam gentium ergo hoc deſertum fuit? Num in Ægypto, Thebaide, Scythi, Nitriæ? Oſtendant. Noſtri ſubſidium præſtant, dum dicunt quod in Carmelo. Cur ipſis non credendum, Eccleſia teſtante, quod *in Carmelum montem ſecedens, ibi cum aliquot pijs hominibus illic degentibus cæleſtem vitam in terris aliquandiu egit*? Teſtantibus quoque de exteris authoribus (quorum plures poſt Dom. Baronium ſcripſere, eiuſque ſcripta legere potuere) Einſengrineo, Arnoldo a Villanoua, Chriſtiano Maſſæo, Anonymo Guillelmitano, Renato Choppino, Ioanne Trithemio, Alphonſo Villegas, Ioanne Riochc, Baſilio Sanctoro, *Extera teſtimonia.*

ctoro, Guillelmo Pipino, Carolo de Tapia, Ioanne Carthagena, Philippo Lopezio, & Laurentio Beyerlinck eo loco *ex 2. tom.* relatis, alijs prætermiſſis, quos non referimus.

Ioannis Trithemij. 11 Sed vnus Ioannes Trithemius, quem vnicum Dom. Baronius legit *in lib. de Scriptorib. Eccleſiaſtic.* dicentem: *Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus, Doctor Græcus, montis Carmeli quondam decus, & cultor inſignis*, ipſum excitauit vt diceret: *Cui quidem aſſertioni Trithemius leuiter nimis fidem præſtitit*. Cæterum an hæc veritati congruè aptentur, dicta, & dicenda euincent. Pro Trithemio autem reticendum non erit, ipſum diligentiſſimum authorem fuiſſe vix vllum abnegaſſe. In rebus etiam ad Carmelitarum Ordinem ſpectantibus non oſcitanter, aut negligenter, ſed ſtudioſiſſimè adlaboraſſe, duo illi libri, quos *de laudibus Carmelitarum*, & quæ *in Vrticeto*, & in Tractatu *de luminaribus Germaniæ*, ac in communi illo opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* conſcripſit, manifeſtè denunciant; & quod nullus externorum eſt, qui intelligendæ, & euulgandæ antiquitati, & hiſtoriæ Carmelitanæ totum ſe ſic impenderit. Ipſa quoque quæ de Cyrilli Monachatu in Carmelo ſcripſit ſui non oblitus, inculcauit etiam ſecundo illo libro relato *de laudibus Carmelitarum*, dicens: *Sanctus Cyrillus Ordinis Carmelitici Monachus, poſtea Epiſcopus Alexandrinus, &c.* Poſtea etiam loquens de Diuo alio Cyrillo noſtri quoque Ordinis egregio alumno, ne aliquis falsò putaret eundem vtrunque Cyrillum eſſe, prout quidam parum periti autumauerant, ſubiungit: *Errant qui hos duos Cyrillos vnum eſſe putant, cum nec tempus in eos conſentiat, nec ordo geſtorum. Primum enim ſub Theodoſio in Epheſino Concilio claruiſſe certum eſt, & iſtum ſub Henrico VI. vt diximus*. En iam Trithemium conſtantem potius quam leuem in Monachatu Cyrilli aſſerendo.

Chronicon Gallicum. 12 Offendit etiam Dom. Baronium Chronicom illud Gallicum a noſtris relatum, ex quo aſtruunt hanc de Carmeli incolatu Cyrilli hiſtoriam. Cæterum huiuſmodi Chronicon non incertæ authoritatis eſſe non ſolum confirmat, quod ipſum retulerint Generalis Bernardus Olerius a trecentis fermè annis in libro, ſeu informatione ad Papam, Thomas Scropus Epiſcopus Dromorienſis ſupra ducentos annos, Balduinus Leerſius circa idem tempus, Ioannes Palæonydorus a centum, & quinquaginta, quos poſteriores alij, Coria, Romanus, Sarracenus, Munozius, Vvaſtelius, & alij ſequuntur, prout attulimus loco citato ex ſecundo Tomo; ſed (quod magni ponderis eſt) quod Marcus Antonius Caſanate, illud legiſſe in Hiſpania in Cœnobio *de la Oliua* Ciſtercienſis Ordinis, teſtis oculatus referat; vt proinde verba ipſius Chronici Gallicè ſcripta, & latinitati donata eo loco retulerimus. Huiuſmodi autem monumenta vetuſta, etſi lacera, corroſa, & tineis expoſita ſæpius veritatis comprobandæ legitima inſtrumenta eſſe ex eodem Baronio millies habebit ſtudioſus lector, & in Chronicis Ioannis Biclarenſis, Luitprandi, & ſimilibus

bus docti ſuffragium ferent. Præterea de iſto Chronico, ſeu libello hæc habet Saracenus in Menologio in vita S. Cyrilli, quæſtiunc. 1. *Repertus eſt enim in Bibliotheca S. Ludouici XI. Galliarum Regis, vt creditur ex Oriente deportatus. Amplectendus eſt ex collectore, qui ipſum citat, eſt enim Magiſter Nicolaus Gallus Doctor Pariſienſis, cuius ſanctitatis fama adeo inſignis, vt aſſumptus ad Generalatus apicem, cum per aliquot annos ſanctiſſimè rexiſſet, officio renuncians ad eremum priuata conuerſatione contentus reuerſus eſt. De ipſo Euerardus in faſciculo temporum. Iacob. Philip. fol.* 248. *& alij.* Subiungit deinde de eodem Chronico, quod *libellum* appellat: *Amplectendus eſt demum ob inſignem virum, cui dirigit informationem ſuam Generalis ille celebris. Eſt enim Petrus Groſſus de S. Ægidio nepos Clementis IV. de quo Ciaconius aſſerit, quod pauperes amauit, & maxime Prædicatores, Minores, & Eremitas omnes, quos multis honorauit priuilegijs.* Sed quidquid de his omnibus ſit, cum Ordo noſter in Carmelitano Monachiſmo pro Cyrillo aſtruendo non innitatur veluti potiſſimo fulcro eiuſmodi Chronici authenticæ veritati, ſed quaſi ſubſidiario, & auxiliario fundamento (cuius ſignum eſt, quod Hildenſinus, Bacconius, Thimetius, Molinius, Ribotius, Groſſus, Vvaldenſis, Sorethius, Brunius, Boſtius, Lillanus, Mantuanus, Currifex, nullam de ipſo mentionem habent, prout Vvaſtelius *in vind. Ioann. Ieroſolym. libr. de Inſtitut. Monach. ſect.* 4. *ar.* 1. §. 5. diſertè notat) ſed potius Eccleſiæ teſtimonio in Officio eiuſdem Cyrilli relato, ac traditioni Patrum eiuſdem cœtus, antiquitate vel ipſa venerandæ, non debuerat ſapientiſſimus Baronius ſolam huius Chronici dubiam, & incertam authoritatem nobis obijcere. Multo magis prætermittere fas erat illud *apud quendam Franciæ Regem*, quod indiuiduum vagum, & incertum notat: non enim Noſtrates, id dixere; ſed *apud Franciæ Regem*, quod denotat Regum Franciæ Bibliothecam, vel Galliarum Regis aulam Regiam. De quo eruditè, vt ſolet, Vvaſtelius *eo* §. 5. *&* 6. *ſeq.* Nos verò ad alia.

13 Illud primitus, Baronij nempe fundamentum, vt Cyrillum à Carmelo auferat. Inquit enim: *Qui certi, atque probati ſunt authores eiuſdem Cyrilli æquales, eiuſdemque res geſtas quam diligenter proſecuti, hæc neſcientes obruta ſilentio reliquerunt.* Illud etenim fragile nimis eſt. Nam primum, *authores Cyrilli æquales, qui eius res geſtas proſecuti*, ſunt Socrates, & Theodoretus, ex quibus Socrates fuit Nouatianus, Theodoretus verò Neſtorianus, & vterque Cyrillo valde infenſus (ipſo Baronio comprobante) quomodo ergo *certi, & probati authores* dici merentur quoad res geſtas Cyrilli. Iſidorus autem Peluſiota, qui etiam coæuus fuit Cyrillo, eius Monacharum, in Carmeli quoque deſerto ſatis apparenter demonſtrat, iuxta dicta in præcedentibus. Deinde, eſto authores Cyrillo æquales eius Monachatus non meminerint, ex hoc ſolum elicitur, authoritate, vt inquiunt Logici, negatiua, Baronij intentum fulciri; hoc porro genus argumenti leuidenſe prorſus ijdem Logici in Topicis, Theologi,

Baronij fundamentum quam vim habeat.

logi, & ſacri Doctores paſſim proclamant. Vnus pro mille Bellarminus, etſi ad aliud intentum, videlicet *lib.* 2. *de Rom. Pont. cap.* 8. ſic: *Reſpondeo, nihil concludi ex argumentis ab authoritate negatiue; non enim ſequitur: Lucas, Paulus, & Seneca non dicunt Petrum fuiſse Romæ, igitur non fuit Petrus Romæ. Non enim iſti tres omnia dicere debuerunt, & plus creditur tribus teſtibus affirmantibus, quam mille nihil dicentibus.* Expendat quoque lector Baronianum illud *quam diligenter*, quo notare contendit *res geſtas* Cyrilli ab authoribus, qui de ipſo ſcripſerunt, *quam diligenter* proſecutas fuiſſe; & percurrat Socratem, Theodoretum, Nicephorum, & alios, qui de ipſo tractarunt, ac inueniet pauciſſima, ea maximè quæ egit poſt Athenas decurſas, & reditum in patriam (quo tempore Carmelum coluit) ab ipſis recenſeri, nec *quam diligenter*, ſed breui compendio, & quamplurimis prætermiſſis.

Aliud. 14. Pergit Dom. Baronius: *Vel quæ apud eius temporis Scriptores mentio de culto Carmelo a vitæ Monaſticæ profeſſoribus?* Cæterum, præterquam quod huiuſmodi argumentatio, ſicut & præcedens, ob debilitatem negatiuæ authoritatis, a qua petitur, prorſus claudicat, vt dictum manet; plura ad ipſam retundendam ſuppetunt, quæ quia in præcedentibus ſunt in medium producta, nunc ſolum tangenda. Et primò interpellandus Antagoniſta ſic. Cum Gregorius Nazianzenus huius temporis decor *in Apologetico* dixit: *Eliæ Carmelum animo agitabam*, ſeu, vt Bilibaldus reddidit: *Carmelum præferebam*; & cum in Oratione *de fouenda paupertate* dixit: *Pulchra ſunt ſolitudo, & quies, quod me Eliæ docet Carmelus*; & cum alter ipſi compar Gregorius, Nyſſenus nempe, *in orat. de S. Baptiſmate* ſcripſit: *Quæro Eliæ Prophetæ Carmelum*, proculdubio non propter rupes, ſaxa, arbuſta, plantas, quæ in Carmelo erant ab ijs pijſſimis Patribus meditata hæc fuere. Quorſum enim tam viliter ſentiendum de tantis viris? Igitur, propter anachoreſim, aſceticamque vitam, quam eo in monte exerceri ſciebant ab Eliæ, Eliſei, & filiorum Prophetarum ſectatoribus, quorum conſortium deſiderabant. Tales ergo tunc erant in Carmelo. Rurſus; cum, iuxta Hieronymi, Palladij, Sozomeni, Theodoreti, & aliorum eius ætatis Scriptorum placitum, infinita fermè per Syriam, Palæſtinam, ſeu Phœnicem Monachorum examina, Ægypti inſtar, fuere, quis ſibi perſuadeat ſolam inclytam Carmeli eremum, tantorum Prophetarum quondam habitatione celebratam, aſcetis huiuſmodi derelictam manſiſſe? Si totam mente percurramus Palæſtinam, vel Syriam, vix locum anachoreſi, Monaſticæque vitæ excolendæ Carmelo aptiorem, ob fertilitatem, ſolitudinem, maris propinquitatem, quondam incolarum ſanctitatem, ſimileſue pias commoditates reperire poterimus; & nihilominus eum ſolum deſolatum æqui iudices exiſtimare poterunt? Eas ob cauſas etiam hoc tempore quando hæc ſcribimus, eum montem non ſolum Chriſtiani veri anachoretæ, ſed & ficti quoque, Mahumetani videlicet, colunt, quos

Santones

Santones vocant, quia indignum cenſent tam pium locum incolis piam vitam gerentibus carere. Quis ergo ſimilia non credet de Cyrilli tempore, quo tota illa regio non ſub Sarracenorum, ſed Chriſtianorum ditione erat? Adhæc; cum cuncti tum illius, tum vicinorum ſæculorum Monachi, Eliam Prophetam ipſorum veluti prototypon, & vexilliferum in Monaſtica exercitatione ſuſpexerint, prout dicta *tom.* 1. *Annal. in Appar. cap.* 5. oſtendunt. Et conſpicitur in Antonio Magno Monaſtices Ductore, de quo tum Athanaſius *in ipſius vita*, tum author vitæ Pachomij dicunt, Eliæ fuiſſe æmulatorem: & in Gordio eremita, de quo Baſilius *homil. in ipſum* inquit, in vita eremitica ſecutum fuiſſe *Eliæ exemplum*: & in ipſo Magno Baſilio, de quo ipſius amiciſſimus Nazianzenus *in Orat. funeb. de ipſo* ait, *cum Elia, & Ioanne, qui admodum philoſophi erant, ſolitudinem amplexum fuiſſe*: ac maximè in Honuphrio inſigni eremita, de quo Paphnutius *in ipſius vita*, & Menologium Græcorum ad 12. Iunij, inquiunt, titulo *patris noſtri* Eliam commemoraſſe. Alia ſcientes prætermittimus, de quibus loco relato, & ſparſim ſæpius in ſecundo Tomo. Ex his verò ad intentum noſtrum tale argumentum elicimus. Si cuncti huiuſmodi Monaſticæ vitæ cultores, Eliam, vt primum ſui Inſtituti Patriarcham agnoſcebant, cur credendum vel aliquos ipſorum ob tanti parentis venerationem locum ab ipſo cultum, Carmelum videlicet, non coluiſſe? Non ſic faciunt Benedictini, Carthuſiani, Camaldulenſes, Præmonſtratenſes, Dominicani, Franciſcani, & alij Ordinum profeſſores; magnam enim ſibi ſortem contigiſſe putant ſi loca illa, quæ primi ipſorum parentes habitarunt, colere poſſint. Accedit etiam, quod Helena Conſtantini mater, teſte Nicephoro Calliſti *lib.* 8. *Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* 30. ad ſacrum Iordanem, *circa ſpeluncam, vbi olim domicilium Baptiſta habuit, perpulchram ædem erexerit, aliamque ad accliuitatem montis*; id eſt, in Promontorio Carmeli (vt explicat Adrichomius *in Theatro Terræ Sanctæ in tribu Iſachar, num.* 21.) *Eliæ Thesbitæ*. Quibus enim huius Eccleſiæ in ſolitudine ſitæ curam incubuiſſe putes, præterquam loci iſtius Monachis? Erant ergo in Carmelo Monachi. De his latè Vvaſtelius relatus *art.* 4. *& ſequentib.* Vbi etiam *art.* 4. quod ſcriptores quarti, & quinti ſeculi, de quibus Baronius loquitur, exiguam Cœnobiorum mentionem fecerint; ſed ſolum veluti in genere Monachos Ægypti, vel Palæſtinæ, inter quos Carmelitæ cenſentur, ſub communi titulo Monachorum, aſcetarum &c. nominabant. Quia, vt in *art.* 9. probat idem Vvaſtelius, apud antiquos ſcriptores loca Monaſteriorum nominare vix erat in vſu: ex quo machina contraria deiecta corruet. Si namque Monachorum Chronologi vix aut vnquam de ſpecialibus Monachorum Cœnobijs, locis, aut aſceterijs mentionem fecerunt, quid ni id fecerint cum Carmelo noſtro? Eo etiam quod præ cæteris alijs ab vrbibus diſiunctus erat, in vltima veluti terræ parte, & ſupra mare ſitus. Sed quo magis Baronianum placitum inſigniter euertitur, illud eſt, quod

P 2 Ioan-

Ioannes noſter Ieroſolymitanus Antiſtes teſtis domeſticus,& oculatus huius ſæculi, de quo clariſſimus Baronius ſermonem inſtituit, librum edidit *de Inſtitutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in noua perſeuerantium ad Capraſium* Carmeli montis Monachum, in quo totis,vt aiunt, neruis, contendit eum montem,ſicut in lege veteri ab Elia, Eliſeo, & filijs Prophetarum excultus fuit, ſic & in noua a Monachis *Carmelitis* vocatis, quorum mores inſtruit, & deſcribit. At valde, maximeque dolendum, quod Dominus Baronius nunquam hunc librum vidit, minus legit, aut euoluit; prout manifeſte elicitur ex eo quod nullam vnquam de ipſo mentionem fecerit, quod facere non omiſiſſet, ob Ioannem ipſius authorem, quem ſemper præ oculis habebat; ex quo ſibi anſam in noſtris hiſtorijs cæcutiendi, & nobis cum tanto viro manus conſerendi, præbuit. Eius porrò libri authorem Ioannem fuiſſe hunc ſupponimus, quia latè probauimus ex innumeris ferè authoribus, qui ante ipſum Baronium, & poſt ipſum ſcripſere *to. 1. in Appar. cap. 9.* quò adeat lector veritatis ſtudioſus.

Alia Baronij. 15 Adhuc tamen *in ſalebra*, vt dicitur, *hæremus*, propter illa: *Etenim; cum apud S. Hieronymum, Palladium, Euagrium, Caſſianum, Theodoretum, Cyrillum Monachum, & alios ſæculi huius Scriptores frequens ſit de Monachis in Palæſtina degentibus mentio, nuſquam penitus apud eos de Monachis Carmelitis.* Cæterum illa, etſi propter authoritatem dicentis ponderoſa videantur, nihilominus pondere ſuopte corruunt ex dictis. Primò quidem quia cum ſint ab authoritate negatiua petita, flaccida ſunt, & debilia, vt tritum eſt apud omnes, & nos etiam ſuperius inculcauimus *num.* 13. Imò liceat ex ipſis authorem ſic reconuenire in hoc Cyrillo Monacho, quem magni facit. De hoc Cyrillo neque Gennadius, nec Illephonſus, Iſidorus, Honorius, Trithemius, Sixtus, Geſnerus, aut Bellarminus, qui Scriptorum Eccleſiaſticorum catalogos ediderunt *vſquam penitus* meminerunt; præter vnum vix ſolum Baronium, & Poſſeuinum ex ipſo; ergo *figmentum*, & *fabella*. Diceret ſanè Eminentiſſimus author, etſi iſti de ipſo mentionem non fecerint, non inde colligi fictitium, aut ſuppoſititium authorem exiſtimari debere. Nec nos id dicimus, cum is Cyrillus a Molano, & alijs, nobis etiam credatur verus author vitæ SS. Sabæ, & Euthymij; imo ab alijs etiam Actorum Theodoſij, Ioannis Silentiarij Cœnobiarcharum, & Quiriaci Anachoretæ. Dumtaxat ergo intendimus argumentum authoritatis negatiuæ, quo Cardinalis vtitur, inefficax eſſe, ſimili argumento ad hominem, vt dicitur, ex eodem Cyrillo petito. Imbecillitas autem fundamenti ex D. Hieronymo, Palladio, Euagrio, Caſſiano, Theodoreto, & hoc Cyrillo Monacho deſumpti, quod videlicet Carmelitarum Monachorum mentionem non egerint, ex eo quoque conſpicitur, quod, nec ipſis neceſſarium pro ſuo ſcopo erat, ſed omnino extra illum. Is namque fuit non tam de Cœnobijs, aut Monachorum collegialiter degentium

rium locis, quam de ſolitarijs, & Anachoretis maioris pretij eius ſæculi hiſtoriam texere. Vt patet in Palladio, Euagrio, & Theodoreto, qui nec vnius Cænobij Palæſtinæ meminerunt; & in D. Hieronymo, qui ſolum de ſuo Bethleemitico Monaſterio; & Caſſiano, qui de Bethleemitico etiam mentionem interſerunt. Vt quid ergo in teſtes vocandi quod Carmelum non nominauerint, in quo præcipue Cænobitica vita gerebatur? Idem conſtat in Ruffino, Socrate, Sozomeno, & authore Tripartitæ, qui vix etiam de vno vel alio Olineti, Ieroſolymæ, & Geraræ Cænobijs aliquid dixerunt. Ad hæc, vt rectè Matthæus Galenus *in epiſt. dedicator. operis ſui Monaſtici*, & noſter Vvaſtelius *ſupr. art. 7.* huiuſmodi Scriptores veteres de Cænobitica vita parum curantes, quod cernerent eam vulgariſſimam, & inferioris pretij, ſolum ad poſteros eorum tantum famam tranſmittere curabant, qui ſolitariè, & ab alijs ſeceſſi, quaſi ſupra humanæ vitæ conditionem ſeparatim viuebant. Merito ergo Carmelæos omittere poterant, quos ſciebant eius montis incolas eſſe, Cænobitarum præſertim inſtar, (etſi non ſine aliquali anachoreſi per Montis latebras, & ſpelæa) ad Dei laudes, & Virginis Matris concinendas in Sacello ipſi dicato, iuxta dicta tomo præcedenti, conuenientes. Conſulantur pro intento Vvaſtelius *ſupr. ar. 9. &* 10. & Caſanate *in Apologetic. pro Ioann. Ieroſolymit. Tract. 2. diſcurſ. vnic. cap. 13.*

16 Porro illud quod Dom. Baronius *fabellam* vocat; nempe quod *Ioannes Ieroſolymorum Epiſcopus Origeniſta fuiſſet etiam Monachus Carmelita*, quamuis tomo præcedenti, & ſupra *ſub ann. 412. & 415.* euacuatum prorſus ſit; nihilominus, ne difficultatem fugere videamur, aliqua circa illud tangenda. Et primò, quam veritatem contineat nota illa *Origeniſta*, qua veluti theſſera decoratur Ioannes Ieroſolymitanus, dicta locis relatis ſatis ſuperque demonſtrant. Vnum ſilentio haud tradendum, quod ſi Ioannes iſte *Origeniſta* a Carmelitis comprobatus fuiſſet, imprudentiſſimè ſanè pro hæretico homine ſuo Carmelo adiudicando contenderent. Quod verò ipſi adiudicari debeat, vt pote, quia verè Carmelum montem coluerit, & in ipſo Monaſticen quandoque egerit, ſufficienter oſtendunt, quæ ſupra *num. 8.* ex Officio S. Cyrilli ab Eccleſia, & S. Rituum Congregatione ſæpius approbato adduximus. Ibi enim dilucidè exprimitur quod Cyrillus, *Ioannis Ieroſolymitani*, quem, *vt Chriſtianæ vitæ perfectione imbueretur*, conuenerat, *conſuetudine, in Carmelum montem ſecedens, ibi cum aliquot pijs hominibus illic degentibus cæleſtem vitam in terris aliquandiu egit*. Ex quibus dilucidè quoque demonſtratur, Ioannem etiam Carmelum *cum huiuſmodi pijs hominibus* incoluiſſe. Imo *conſuetudine*, quæ non breue aliquod tempus, ſed prolixum, & continuatum denotat; prout Iura, & Iuriſtæ notant. Ipſe quoque Ioannes *in libro de Inſtitutione Monachorum* (quem ipſius legitimam prolem eſſe contra quoſdam parum in ipſo verſatos oſtendimus *tom. 1. in Apparat. cap. 9.*) ſatis id clarè confitetur; ſiquidem *cap. 1.* loquens de

Ioannis Ieroſolymitani Monachatus in Carmelo.

exercitatione Monaſtica in Carmelo, cum Capraſio Carmelita, inquit, *Huius noſtræ conuerſationis*, & *cap.*48. alias *cap.*41. *hæc de noſtræ Religionis habitu, &c.* Idem concorditer docent Authores cuncti, qui hiſtorias noſtras texuere; ac de exteris non ſolum illi, quos in magno numero retulimus *eo cap.*9. *num.*15. hunc librum ipſi aſcribentes, quibus etiam plures alios iungere poſſemus, niſi prolixitatis notam conaremur effugere; ſed & illi quoque qui Ioannem, noſtris, ac ſuis conſocijs Carmelitis Regulam tradidiſſe ſcribunt, quos & in copioſo numero relato *cap.*9. *num.*12. recenſuimus, & ſupra *ſub anno* 412. commemorauimus. Expreſsè quoque vir magni nominis, apud Baronium etiam, Ioannes Molanus in ſuo Martyrologio *ad* 12. *diem Ianuarij* in vltima editione, eum inter Carmelitas cenſet; quod & faciunt Anonymus Guillelmitanus, & Philippus Lopezius, quos tomo ſuperiori *ſub anno* 371. adduximus, ac Reuerendiſſ. Didacus Iepes Tiriaſonenſis Epiſcopus, & Philippi II. prudentiſſimi Hiſpaniarum Monarchę a confeſſionibus *in l.*1. *vit. S. Thereſiæ cap.*1. Plures quoque alij, quos Caſanate *ſupr. cap.*2. & 3. afiert.

Alia Baronij expenduntur

17 Ex quibus iam pius lector (quem interpellamus) iudicium ferat de illis, quæ idem Eminentiſſ. Baronius ſubiungit; ſcilicet: *Sicut enim hæc leuiter effinguntur, ita & facile refelluntur.* Quomodo enim leuiter efficta dici poſſunt, quæ Eccleſiæ teſtationi, & approbationi; Ordinis peruetuſtæ traditioni; ingenti grauiſsimorum authorum tum eiuſdem Ordinis, tum de exteris aſſertioni; ac hiſtoriæ, cui nullus ante ipſum obſtitit, innituntur? Leuiter enim ea creduntur, vt ex D. Bernardo *ep.*190. *ad Innoc.* habetur, quæ *ante rationem*; hæc porrò quæ adduximus ſatis, ſuperque rationabilia ſunt.

Alia eiuſdem.

18 Illa verò: *Flagrans quidem cupido nobilitatis auitæ cogit interdum homines delirare*, adeo aculeata, opprobrioſa, & digna reprehenſione a quibuſdam ex noſtris æſtimata fuere, vt vnus Carmeli noſtri Patrum, & eius lumen quondam ſplendidiſsimum, in eundem Dom. Cardinalem telum retorquens, ambitionis quoque nota, & *auitæ nobilitatis* cupidine ſauciatum fuiſſe contendat, eo quod ipſe aliquoties quorundam *Baroniorum*, ſeu *Baronorum* inſigniũ pietate memoriam fecerit, veluti ſuæ familiæ prædeceſſorum. Quæ quamuis nobis vllo modo placere nequeāt, quia quadantenus aculeata nimis in tam egregium virum videri poſſunt; ſed potius propterea ſilentio celanda; at, quia hiſtoricum agimus, cuius partes ſunt cuncta referre; bona approbando, mala reſpuendo, ideo, etſi ipſa omnino reijciamus, referre tamen cogimur. Sic autem ille. [Vnus Cæſar Baronius patres noſtros doli, fraudis, mendacij, lucri, ambitionis criminibus aſperſit: his vitijs iuſsit, voluit affectos. Tomo enim 6. annal. pag. 21. Plantinianæ Typographiæ hanc in eos excreat propoſitionem. Flagrans quidem cupido auitæ nobilitatis cogit interdum homines delirare. Mira hæc propoſitio eſt, qua efficit, vt vix nemo fuerit, qui hac trutina examinatus, hac lance ponderatus, non pretio, non æſti-

matione,

matione, non dignitate deprimatur, minuatur, cadat. Num ipſe idem? Quid enim vetabit ne poſsit in eum retorqueri? Ne quam falsò in patres noſtros ſtrinxit, iuſtè in eum reſtringamus? Illuſtremus. Cum tomo II. annal. pag. 103. Plantin. Typograph. legiſſet in Codice Caſinærij cap. 374. pag. 343. a Gregorio de Barono, & in eodem Codice c. 350. pag. 232. a Leonardo de Barono donationes quaſdam fuiſſe factas, quaſi in libro fabam reperiſſet, per homæoſim, ſimilitudinemque dictionum, Baroniorum familiam, quod nemo, ait, anteceſſorum ſuorum fecerat, ab eis deriuatam eſſe voluit. Putas qua animi lætitia? Vidimus, inquit, & gauiſi ſumus anteceſſores noſtros, his pietatis inſignibus reperiſſe nobilitatos. Adeo flagrans auitæ nobilitatis cupido cogit interdum homines delirare. Et quidem ſæpe ſæpius familia a patre nomen, & originem deducit, interdum tamen a matre. An Baroniorum familia per patrem, aut matrem nomen, & originem ab illis Baronibus trahat, non attingit ampliſsimus Cardinalis Baronius. Adeo vt flagrans auitæ nobilitatis cupido homines interdum delirare cogit. Addit: Abſit, vt præterquam in Domino gloriemur; in ipſa vera nobilitate, quam per adoptionem in filiorum Dei familiam cooptari, feliciter ſumus conſecuti. Nam ſi filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, Epheſ. 1. Verum, o heu, tu bone vir: ſolus ſapis, & vides, cæteri minime? Olim Varro; Omnes videmur nobis ſaperdæ, feſtiui, belli, cum ſimus copreæ. Nolim plagam inferre, tantam a Patribus noſtris; & nobis eorum filijs, auertere. Veruntamen hæc iſta verba, quæ ſubornas, illa ſunt, quibus non leuem nobis ſuſpicionem veritatis tuæ propoſitionis ingeris; cur meritò eam in te reijciamus. Etenim ſi a Gregorio, & Leonardo de Barono familia Baroniorum originem, & nomen reuera repetit. Amabo, quo fine ei pro condimento tantæ humilitatis proteſtatio? Vt nobis animi tui humilitatem ſignificares, proderes? Ecquis de ea dubitabat? Vt ſub ea, velut pariete, ac velo obtegeres flagrans illud auitæ nobilitatis deſiderium? At olim ille: Video per fiſſuras faſtum Antiſthenis. Adeo flagrans auitæ nobilitatis cupido homines interdum delirare cogit. Aut ſedem in Cæſare Baronio non inuenerit; ſed in Patribus Carmelitis? Ad populum phaleras. Lector & repeto. Non vulnus inferimus, clauum clauo tantum retundimus. Maneat Illuſtriſsimo Cardinali integra, eaque deducta a Gregorio, & Leonardo de Baronio Baroniorum familia. Non inuidemus; doluimus tantum virum antequam ad Cardinalatus faſtigium aſſumeretur, a quodam noſtri Inſtituti offenſum fuiſſe, inde occaſionem ſumpſiſſe cur in nos tam leuiter magno ſuo dedecore ſcriberet. Quid enim exuſſlationes, quid reſputamenta, quæ tom. 6. annalium pag. 21. in nos reiectauit, ſplendoris ad eius famam adſerunt? Quid tantus iſte contemptus Chriſti, ipſius ſententia Matth. 5. condemnatus ornamenti, quid claritudinis, ac lucis ad eius nomen, & dignitatem iſta eius in nos conuitia aduehunt?

Si re-

Si reſpuere, ſi exufflare, quæ hactenus Patrum traditione tenemus improbaſſe, infirmaſſe eſt, victoriam, ac triumphum ipſe referat, conuiciatoris, calumniatoris notam non incurrat; nullam Patribus, nullam nobis iniuriam factam credamus. At verò nemo adeo expers ſenſus eſt, qui hoc improbandæ rei, maximè autem antiquitatis genus approbet. Cum itaque iſtarum ſordium attactu chartam maculauerit, has eluat ſi poteſt, & terſo mundet linteo.] Hæc ille; typis mandata Bruxellis anno 1611. Sed a nobis, vt diximus nullatenus probata; reijcienda ex animo potius, quia nec Religioſæ humilitati, nec tanti Cardinalis de tota Eccleſia optimè meriti, dignitati ſunt conſona: eo præſertim, quod, vt ex fideli teſtimonio habetur, ipſe Dominus Cardinalis a noſtris monitus palynodiam decantare voluiſſet niſi vel morte præpeditus, vel vrgenti alia cauſa detentus eſſet. Dolendum tamen quod ipſius rigida ſententia non vnum, vel alterum noſtræ familiæ, ſed cunctos fermè ambitionis, & amentiæ condemnare videatur. Quam ob cauſam; eò etiam quod ab aliquibus, ob dicentis authoritatem, proh dolor! recepta, non modicum toti Religioni præiudicium attulit, plurium quoque aliorum bilem ſic commouit, vt in ipſum cruentatas ſagittas retorſerint, eumque varijs in locis ſuis ſcriptis exagitauerint. Nos tamen huiuſmodi veluti nænijs prætermiſſis, Dominici documenti *Matth.* 5. memores: ***Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram***; ac illius a Petro. 1. *Petr.* 3. proclamati: ***Modeſti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto***, plagam plagis inferre, aut vim vi repellere nolentes, ſed ſolum iniuriam cum moderamine inculpatæ tutelæ, auertere cupientes, nihil aliud cruentiſſimæ cenſuræ D. Baronij opponemus, niſi vitæ ſanctimoniam, doctrinæ conſpicuitatem, claritatem, & venerandam antiquitatem eorum, quos ipſe tam acriter pungit; vt vel ex eo clariùs innoteſcat id quod in principio huius controuerſiæ dicere cœpimus, eum videlicet, horum noſtrorum Patrum ſcripta, nec legiſſe, nec vidiſſe, ac proinde in noſtris hiſtorijs ſæpius a veritatis tramite aberraſſe; refragando maxime, prout in præſenti; Monachatum in Carmelo Ioannis Ieroſolymitani Antiſtitis, & D. Cyrilli Alexandrini Patriarchæ, quem iſti Patres noſtri aſtruunt; alij quidem de vno ipſorum, alij verò de vtroque id aſſerentes.

Clariſſimi authores Baronio aduerſantes.

19 Ex quibus vnus eſt B. Cyrillus Conſtantinopolitanus, de cuius ſanctitate, diuinarum rerum illuſtratione, ea maximè, quam habuit ante annos 450. quæ *Oraculum Angelicum* vocitatur, non ſolum Eccleſia in Officio Canonico ipſi conceſſo, & a Sede Apoſtolica vicibus repetitis approbato, ſed innumeri authores ſcribunt, quorum pleroſque retulimus *tom.* 1. *horum Annalium in Apparat. cap.* 10. *num.* 5. Alter eſt Ioannes Bacco illuſtriſsimus Theologus, de quo vix vllus ſine laude loquitur; quin a Sixto Senenſi *in Bibliotheca* vocatur ***Theologorum ſui temporis Princeps***, & quem idcirco commendant, ac inter egregios Eccleſiæ

Scripto-

Scriptores connumerant Trithemius, Bergomenſis, Iacobus de Plebe, Poſſeuinus, Pitſeus, Bellarminus, & vt vno dicatur verbo, cuncti ferme omnes, ſiue Catholici, ſiue hæretici, qui Catalogos Scriptorum Eccleſiæ compilarunt; floruit hic egregius Doctor ante annos 300. Alter etiam eſt Reuerendiſſ. Bernardus Olerius Ordinis Generalis Archimandrita a 300. circiter annis in Religione florens, in libello ſupplici ad Papam (ad quem non niſi certa referri deberent.) De eo Poſſeuinus, & Ordinis monumenta plura loquuntur. Alius Reuerendiſſimus etiam Pater Ioannes Groſſus Ordinis Prior Generalis a 250. annis eum illuſtrans, & quem vt illuſtrem commemorant Paulus Langius, Guillelmus de la Perriere, Nicolaus Bertrandus, Einſengrineus, Trithemius, & alij, quorum aliquos retulimus eo *cap.*10. *num.*14. Alius, Philippus Ribbotus Cataloniæ Prouincialis, quem aliqui Sanctum cognominant, ſed ſaltem celebris author fuit, prout Trithemius, Poſſeuinus, Eynſengrineus, Petrus Lucius, & alij de ipſo loquentes teſtantur, quos nos ſequimur eo *cap.*10. *nu.*13. Florebat etiam ante 250. annos. Alius quoque ijs Patribus coæuus, Ioannes Hyldesheym B. Petri Thomæ diſcipulus, & in Ordine ſingularis venerationis, vt propterea eumcum laude commemorent Eyſengrineus, Trithemius, Poſſeuinus, Harpsfeldius, Pitſeus, & alij. Alius præterea, qui ſolus ſufficeret pro intento fulciendo, eſt Magnus ille Thomas VValdenſis, Eccleſiæ Catholicæ propugnator acerrimus, hæreticorum, VViclephiſtarum præſertim, terribilis maſtix, & de quo vix vnus eſt, qui ſine laude eum commemoret. Vnde ſuorum operum approbationem a Martino V. & honorificam mentionem ab innumeris authoribus meruit. Ex quibus Eyſengrineus eum abſolutè *Sanctum* vocat, alij *Beatum*, plurimi quoque ipſum commendant, inter quos Ioannes Cochlæus, Gardinalis Hoſius, Harpsfeldius, Pitſeus, Poſſeuinus, Andreas Vega, Alphonſus a Caſtro, Fabianus Iuſtinianus, Volaterranus, Bergomenſis, Bzouius, Iacobus Gualterus, Bellarminus, & multi alij cum omnibus Carmelitis. Alius huius egregij Eccleſiæ luminaris diſcipulus, & auditor, qui eſt Illuſtriſſimus Thomas Scropus Epiſcopus Dromorienſis, ac ſuffraganeus Nordouicenſis, quem etiam vt inſignem authorem commemorant Eyſengrineus, Poſſeuinus, Pitſeus, ac alij. Alter, ipſeque grauiſsimus, ob vitæ ſanctimoniam,& Præſulatus dignitatem eſt Reuerendiſsimus,& venerabilis Pater Ioannes Soreth Ordinis inſignis Generalis reformator, de cuius laudibus, & ſcriptis loquuntur Trithemius, Eyſengrineus, Faſciculus temporum, Philippus Bergomenſis, Poſſeuinus, & alij; quorum aliqui eum inter Sanctos connumerant, & miraculis coruſcaſſe ſcribunt. Nos autem quoad hoc Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſperamus deciſionem. Celeberrimus alius adeſt in Eccleſia author pietate, doctrina,& monumentis editis clariſſimus, Baptiſta Mantuanus, vel ſolo nomine apud omnes perinſignis. Vnde vt talem eum celebrant ipſe Dom. Cardinalis Baronius, Petrus

Caniſius,

Caniſius, Aſcenſius Badius eius Commentator, Ioannes Picus Mirandulanus, Ioannes Iouianus Pontanus, Philippus Beroaldus, Cardinalis Bellarminus, Trithemius, Poſſeuinus, Petrus Opmerus, Marcus Guazzus, & cunĉti fermè qui Scriptorum inſignium Catalogum ediderunt. Alius & inter Ordinis ſcriptores celebris, eſt Arnoldus Boſtius Gandenſis, tantæ æſtimationis apud exteros, vt Hermolaus Barbarus Patriarcha Aquileiæ, & S. R. E. Cardinalis, ac Robertus Guaguinus Ordinis Sanĉtiſſimæ Trinitatis Generalis Miniſter, & celebris ſcriptor, libros ſuos ipſi dicauerint. Hinc ipſum cum laude commemorant Trithemius, Iacobus Philippus, Eyſengrineus, Marcus Guazzus, Guicciardinus, Poſſeuinus, & plures alij. Vltimus Ioannes Palæonydorus Batauus Ordinis inſignis Hiſtoricus, qui vt talis habetur a Valerio Andrea, Poſſeuino, Franciſco Subuertio, & alijs. Omittimus plures quoque alios minoris notæ celebres Authores. Item illos, qui poſt Dom. Baronium ſcripſere, qui proinde ipſius Cenſura non comprehenduntur, etiamſi de ipſius authoritate nihil ſoliciti traditionem Ordinis de Monachatu Ioannis, & Cyrilli in Carmelo receperint, & contra ipſum, acriter etiam, defenderint. Dumtaxat ergo eos retulimus, quos Eminentiſſimus legere potuiſſet, quod quia non fecit, in tam rigidam cenſuram contra ipſos inauditos incidit; oppoſitum proculdubio diĉturus ſi relata a nobis fundamenta inſpexiſſet, & vnum vel alterum ex adduĉtis obuiaſſet. Quis enim de tam pio authore, timoratæ conſcientiæ viro, veritatis, & iuſtitiæ zelatore hoc non autumet?

Baronij ſententiæ adſtipulantes.

20 Ex diĉtis porro hauriat leĉtor quantum valere debeant ea, quæ circa hanc cauſam de Monachatu Ioannis, vel Cyrilli in noſtro Carmelo, aliqui, Dom. Baronij authoritate ſubnixi, ſine maiori indagine, ſcripſere. Quales ſunt Eminentiſſimus Cardin. Bellarminus mille titulis author venerandus in opuſculo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Ioanne Ieroſolymitano*; Henricus Spondanus eiuſdem Baronij Abbreuiator, & alij, qui idem intentum ſibi aſſumpſere, de hoc anno 444. loquentes; Antonius Poſſeuinus *in Apparatu*, *in Cyrillo Alexandrino*, Margaritus de la Vigne additionator eiuſdem libri Ioannis Ieroſolymitani in Bibliotheca Patrum recenſiti; Ioannes Maria Braſichelenſis *in Romano expurgandorum librorum Indice*, & Paulus Sherlogus *in Commentario Cantici Canticor.* Etenim, quod ad Spondanum, & alios Dom. Baronij Epitomiſtas ſpeĉtat, facilè ipſis ſatisfiet ex eo quod non tam ſuam quam Baronij mentem breuiori, & compendioſiori ſtylo expreſſerint. Vnde cum illis nihil agendum. Magis vrgere poteſt Cardinalis Bellarmini authoritas, qui in diĉto libello *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, dum de præfato Ioanne Ieroſolymitano, & libro ipſius *de Inſtitutione Monachorum* (quem per errorem vocat *de Inſtitutione Monachi*) hæc ſcribit: *Hic liber videtur ſcriptus ab aliquo longè poſteriore: ſiquidem in eo libro dicit auĉtor ſe eſſe Ordinis Carmelitarum, & deſcribit habitum Carmelitarum: at*

illis

illis temporibus nomen Carmelitarum Religioſorum erat planè inauditum, *vt etiam Cardinalis Baronius affirmat tom. 6. Annalium, ad annum* 444. *Adde quod ſtylus eſt hominis latini, & temporum poſteriorum*. Veruntamen iſthæc a Dom. Bellarmino prolata ſibi ipſi, & veritati contraria ſunt. Eidem quidem Cardinali, quia ipſemet, vt vidimus in præcedentibus, die 20. Iunij de anno 1609. de mandato Sacræ Congregationis Rituum (prout conſtat ex ipſius decreto ſubſcripto a Cardinali Pinello, & Dom. Mucantio Secretario) recognouit, ſubſcripſit, & approbauit Officia propria Sanctorum Ordinis Carmelitarum, vbi in Cyrillo Alexandrino habetur, vt etiam in ſuperioribus viſum, ipſum Cyrillum *conſuetudine Ioannis Ieroſolymitani Epiſcopi*, ad quem ſe contulerat *confirmatum* (prout dicitur in Quinterno, quo PP. Diſcalceati vtuntur) in Carmelum Montem ſeceſſiſſe, & ibi *cum aliquot pijs hominibus illic degentibus cæleſtem vitam in terris aliquandiu* egiſſe. Ex his enim a Bellarmino approbatis luce clarius innoteſcit, tum Ioannem ipſum Ieroſolymitanum, tum Cyrillum Alexandrinum, Carmelum excoluiſſe; non ſolos, ac ſolitarios, ſed *cum aliquot pijs hominibus illic degentibus*. Erant ergo eo tempore *Carmelitæ*, id eſt in Carmelo religioſam vitam agentes. Quomodo ergo dicere potuit illis temporibus *nomen Carmelitarum Religioſorum erat planè inauditum?* Videant pij lectores an, vel quadantenus grauiſsimum authorem ab antilogia liberare poſsint, & nos libenter acquieſcemus. Res porro ipſa, videlicet quod Carmelitæ eo tempore fuerint, dicta *2. tom. in Appar. cap.* 5. & *hoc 3. tom. etiam in Appar. cap.* 2. (vt omittamus ſuperiora tempora ante Chriſtum de quibus *tom.* 1.) ſufficienter demonſtrata manet. Quod liber ille, Ioannis ſit legitima proles, efficaciter probatum manet in ſuperioribus, adiunctis maximè ijs, quæ diximus *tom.* 1. *horum Annalium in Apparatu cap.* 9. præſertim *n.* 16. *& ſeq.* vbi talem librum Græcè ſcriptum ab eodem Ioanne oſtendimus; Carmelitis pro Regula datum (de quo etiam ſupra *ſub ann.* 412. dictum) deinde ab Aymerico Patriarcha Antiocheno latinitati donatum; Græciſmis refertum; licet quandoque vitio, vel licentia interpretis latini (prout moris eſt interpretibus omnibus) latinum ſapiat ſtylum; & tam antiquum vt a quingentis annis, & ſupra in vſu latinorum Carmelitarum fuerit. Corruunt propterea quæ Dom. Bellarm. ſubiungit de ſtylo hominis latini, & temporum poſteriorum. Quo etiam ſatisfactum erit Margarito de la Vigne, Ioanni Mariæ, & Paulo Sherlogo relatis. Pro Sherlogi autem emendatione doctè, & accuratè Vvaſtelius noſter *tom.* 2. *Vindic. Ioann. Ieroſolymit. ſect.* 3. *per totam* laborauit. Quod ſpectat autem ad Poſſeuinum, ipſe pro nobis eſt in hoc libro Ioannis Ieroſolymitani vindicando; ab ipſo namque compoſitum fuiſſe, & poſtea e Græco latinum redditum conceptis verbis exprimit *in ſuo Apparatu verbo Ioannes Ieroſolymitanus*. In *Cyrillo* autem *Alexandrino* Baronium ſequitur, ipſius merè authoritati ſubnixus, nihil, vt videtur, amplius de re meditatus.

ditatus. Maneat ergo, nihil obuiante rigida cenſura Dom. Cardinalis Baronij, vt veritas comperta, S. Cyrillum Alexandrinum, & Ioannem Ieroſolymitanum Ordini Carmelitico adiudicari debere, idque non *auitæ nobilitatis* cupidine, ſed iuris proprij vindicandi cauſa, a noſtris, & exteris authoribus prolatum, aſſertum, & propugnatum merito fuiſſe.

Diui Cyrilli laudes.

21 Demum, vt coronidem huic importunæ concertationi imponamus magis pietati conformem, libet aliqua encomia noſtro Cyrillo Alexandrino (pro cuius cauſa decertauimus, a viris grauiſsimis tributa ex *tom. 4. actor. Concilij Epheſini*, iuxta Peltani elucubrationes, hic apponere, noſtris Carmelitis meditanda, vt, qui eum Concarmelitam tuentur, ipſius virtutes æmulari contendant. Primò ergo Maximianus Epiſcopus Conſtantinopolitanus loco Neſtorij depoſiti ſubrogatus, in Epiſtola ad ipſum Cyrillum hæc ſcribit: *Expletum eſt deſiderium tuum, Deo deuotiſſime; perfectum eſt quod religionis cauſa ſuſceperas; ad finem perductum eſt pietatis tuæ votum. Theatrum factus es Angelis, & hominibus, vniuerſiſque Chriſti Sacerdotibus. Neque enim ſolum in Chriſtum credidiſti, ſed incommoda quoque pro ipſo pertuliſti. Solus dignus cenſus es, qui ſtigmata illius in corpore tuo portares. Confeſſus illum coram hominibus, promeritus es, vt Pater te confiteatur coram Angelis. Redimitus es coronis, quæ pro pietate certantibus debentur, potuiſti omnia in Chriſto, qui te confirmauit; humiliaſti Satanam per patientiam; contempſiſti tormenta; conculcaſti furorem Principum; famem pro nihilo duxiſti. Panem enim habebas, qui de Cælo deſcendens, cæleſtem vitam hominibus impartitur.* Alypius autem Apoſtolorum presbyter in alia Epiſtola ad ipſum Cyrillum miris his laudibus ſic eum extollit: *Beatus homo, quem Deus dignum cenſuerit Sanctum, Deoque dilectum caput tuum martyricæ confeſſionis ſertis redimitum, dilectionis oculo contueri. Tu enim, Sanctiſſime Pater, vigilanti lumine Sanctorum Patrum viam triuiſti. Tu vtroque poplite claudicantes, recta ad veritatem incedere docuiſti. Tu fiduciam indutus es Eliæ. Tu ſolus Phinæi zelum aſſumpſiſti. Tu impium venenoſi draconis os obturaſti. Tu voracem Bel euertiſti. Tu illius ſpem, hoc eſt dominatum, & præſidentiam ære coemptam labefeciſti, aureæque ſtatuæ apparatum perdidiſti. Ecquanam os ſpiritualibus vnguentis imbutum zeli tui encomia pro dignitate exprimere valeat, vt qui Beati Theophili quondam auunculi tui ſtudiorum æmulus, illi qui ſimilis euaſeris? necnon ad ter beati illius Athanaſij martyrium proximè acceſſeris?* Meritò proinde olim in Miſſalibus, & Breuiarijs Ordinis hæc pro eodem Sancto Cyrillo recitabatur collecta: *Deus illuminator cordium, qui tui ſplendoris lumine mentem beati Cyrilli confeſſoris tui, atque Pontificis ad tuæ genitricis, ſemperque Virginis Mariæ iucundum honorem illuſtraſti: præſta quæſumus, vt ſicut impiorum peruerſos errores diſſoluit, ita eius precibus depulſa hæreſum prauitate, errantium corda, ad tuæ veritatis redeant vnitatem, & nos te agnoſcamus Dominum*

minum

minum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, &c.

Ann. Chriſt. 445. 446. & 447. Leonis Rom. Pontif. 6. 7. & 8. Theodoſij Imper. 38. 39. & 40. Valentiniani 21. 22. & 23.

1 De communi Eccleſiaſtica hiſtoria noſtra dignum eſt; quod cum terræmotus magnus per Orbem graſſaretur, Conſtantinopoli tamen adeo creuit (in pœnam vt creditur Neſtoriſmi in ea Ciuitate propter nequitiam Neſtorij propagati) vt quinquaginta ſeptem turres ad terram deijcerentur, & omnes litanijs, & ſupplicationibus dediti lachrymis, & gemitibus ex intimo animo miſericordiam diuinam implorarent. Tunc miraculum accidit toti poſteritati ſæculorum litteris commendandum, ad Dei miſericordiam extollendam, & noſtram imbecillitatem ad confidentiam in ipſo habendam, ſubleuandam. Plurimis namque in publico loco ſpectantibus, e medio diuina quadam vi puer quidam in aerem ſublimis ad cæleſtem vſque tractum, ita vt iam non appareret, ſublatus; diuinam vocem, qua Angelis Deum laudibus ferre mos eſt, audiuit: eaque voce percepta, rurſum priore puer per aerem via reuerſus deſcendit; & Epiſcopo Proclo, ipſique Imperatori, & multitudini omni ſupplicationibus operam danti, Deumque hymnis celebranti, ab Angelis canentibus, ſe verba hæc audiſſe renunciauit: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus, & Immortalis, miſerere nobis.* Quæ vbi Proclus intellexit, ad eum modum populum pſallere iuſſit, & terræmotus ſtatim etiam conſtitit, omninoque quieuit. Sic ex Marcellino, & Nicephoro noui Chronologi. Apud quos etiam quod hoc ſit celebre illud *Triſagion* a D. Ioanne Damaſceno decantatum, & quod in Eccleſijs canitur, maximè feria ſexta in Paraſceues. *Hiſtoria Eccleſiaſtica.*

2 De domeſtica, & monaſtica illud quadantenus proprius, quod, cum ob S. Cyrilli Alexandrini mortem eam Sedem aſcendiſſet Dioſcorus vir improbus, vt ex dicendis manifeſtum erit, Nomi huius temporis Conſulis opera vſus, S. Cyrilli prædeceſſoris affines exagitare cœpit, boni ab eis tyrannicè exigendo, Paulo, & Athanaſio Cyrilli nepotibus mortem minitando; a conſanguineis ipſorum, & ipſis, domos auferendo; Athanaſium presbyterio priuando; vt propterea cogeretur ad quendam locum, qui ſub tutela erat Monaſterij Tabennenſium (vt vel hinc colligi poſsit quantam cum Monachis Cyrillus noſter neceſsitudinem haberet) confugere. Sic ex Liberato Diacono, & eiuſdem Athanaſij libello *in Concil. Chalcedonenſi* colligunt moderni Chronologi. Ex quibus Baronius *ſub ann.* 445. prudenter notat: *Vetus exemplum, frequentius* *D. Cyrilli affines afflicti a Dioſcoro.*

iteratum de his quæ pati ſoleant, ſiue iuſte, ſiue iniuſte ditati Epiſcoporum affines. Id eſt, nepotes Eccleſiæ Prælatorum.

Hilarius Arelatenſis.

3 Extat & memoria pro hoc tempore Hilarij Arelatenſis Epiſcopi ex Monachis aſſumpti, iuxta dicta *ſub ann.*426. qui cum ardentius quam par eſſet iura Eccleſiæ ſuæ contra Viennenſem Epiſcopum tueri conaretur, reſcriptum Imperatoris Valentiniani contra ipſum prodijt, quin & Leo Papa ad Epiſcopos Galliæ epiſtolam dedit ipſius condemnatoriam. Sed non propterea Hilarius ipſe ſanctitate clarus eſſe deſijt. Etſi enim iura ſuæ Eccleſiæ vindicando exceſſerit, ore tamen omnium commendari meruit. Prout ex Gennadio *de Scriptor. Eccleſiaſt.* Romano Martyrologio *die* 5. *Maij*, & alijs elicitur. Succeſſit in Lirinenſis Cœnobij præpoſitura Honorato primo fundatori, de quo *ſub ann.*421. diximus. Hinc eiuſdem cum ipſo Inſtituti aſſeclam credimus cum Caſanate noſtro *in Paradiſ. Carmelit. decor. ſtat.*2. *ætat.*6. *cap.*160. quod Elianum fuiſſe dicta eo *ſub ann.*421. *&* 426. abunde ſuadent. Monendos tamen Noſtrates volumus, quod ſicut de inſignium horum Monachorum geſtis, quaſi de propriæ familiæ triumphis gloriantur, ſic maximè eos æmulari ſtudeant, quos Eliæ æmulatores extitiſſe autumant. In hoc porro Hilario imitandum habent, zelum primo pro ſanctæ Eccleſiæ defenſione contra hæreticos, qui canino ore eam labefactare contendunt. Deinde id, quod ex Sidonio affert Caſanate. *Tantæ extitit in egenos pietatis, fidei igneus torrens, cœleſtiſque eloquij, & diuinæ præceptionis operarius indefeſſus, multimodaque virtute pretioſus (verbis vtimur Sidonij) vt bona ſua, aut parentibus reliquerit, aut vendita pauperibus erogarit, vt pauperum pater vocari mereretur.* Tertio, quod ex Gennadio relato habetur ijs verbis. *Hilarius Arelatenſis Epiſcopus vir in Sanctis ſcripturis doctus, paupertatis amator, & erga inopum prouiſionem non ſolum mentis pietate, ſed & corporis ſui labore ſollicitus fuit: nam pro reficiendis pauperibus etiam ruſticationem contra vires ſuas homo genere clarus exercui : ſed nec in ſpiritualibus neglexit: nam & in docendo gratiam habuit, & abſque perſonarum acceptione omnibus caſtigatum opus prædicationis ingeſſit.*

Ann. Chriſt. 448. 449. & 450. Leonis Rom. Pontific. 9. 10. & 11. Theodoſij Imper. 41. 42. & 43. Valentiniani 24. 25. & 26. Marciani 1.

Eutychetis hæreſiarchæ nequitia.

1 VNVS nequam Monachus, imo Monachorum Conſtantinopolitanæ Vrbis Abbas, ſeu Archimandrita, (Ordinis S. Baſilij eum facit noſter Boſtius *lib.*5. *cap* 73.) Eutyches nomine, horribiles in tota Eccleſia tragœdias excitauit hoc tempore. Etenim ab errore Neſtorij plus æquo diſcedens, non ſolum in Chriſto negabat duas perſonas contra Neſtorij placitum, ſed duas

quoque

quoque naturas; vnam dumtaxat diuinam aſtruens, in quam conuerſa erat humana. Quem errorem in ſcriptis redactum per Monaſteria direxit; Monachorum animos excitando, proculdubio quia ſciebat in huiuſmodi Eccleſiæ negotijs Monachos ſemper maximam authoritatem habuiſſe. Archimandritæ tamen ſubſcribere noluere, vno eorum prudenter dicente (vocabatur Martinus) *Non eſt meum ſubſcribere, Epiſcoporum tantum eſt*, alij vero Monachi nec ſcriptum acceptare voluerunt. Accuſatus proinde ab Euſebio Epiſcopo Dorilæi in Phrygia, damnatur a quadam Conſtantinopoli habita Synodo, ac presbyteratu, & Monaſterij adminiſtratione priuatur. Excuſabat ſe apud Leonem Papam, & Theodoſium Imperatorem, fautorem habens Chryſaphium; cuius molitione actum eſt vt Epheſi congregaretur Synodus 128. Epiſcoporum, præſide Dioſcoro Alexandrino Antiſtite, in qua nefariè Eutyches abſolutus, & Catholicæ veritatis propugnatores damnati fuerunt. Imo Flauianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus egregius Catholicorum propugnator occiſus, coöperante Barſuma impio, & ſolo nomine Monacho, & Archimandrita. Iure proinde Epheſinam hanc Synodum *Prædatoriam*, vel *latrocinium Epheſinum* Authores appellant, & eam Leo Papa in Synodo Romana damnauit. Dioſcorus verò nihilo melior factus ipſummet Leonem (quod auris abhorret) excommunicauit. Imperator autem Theodoſius; etſi prius Eutycheti ſuppetias ferret, poſtea tamen reſipiſcens, eunuchum illum omnium malorum authorem dignitate, ac bonis ſpoliatum relegauit, licet hoc Pulcheriæ pietati alij tribuant. Moritur deinde Theodoſius, ſucceſſorem habens Marcianum, cui Pulcheria nupſit, hac lege, vt virginitatem ſeruare poſſet. De ijs moderni Annaliſtæ, & Chronologi ex Liberato, Theodoreto, Euagrio, Nicephoro, & alijs.

2 Celebris porro ille Theodoretus, Monachiſmi, iuxta dicta in ſuperioribus, profeſſor, ſoluebat hoc tempore pœnas ſimultatum, quas cum Cyrillo noſtro Alexandrino habuerat propter Neſtorium, cui adhærere videbatur. Etenim primò, diuina prouidentia ſic actum eſt, vt Dioſcorum Alexandrinum Patriarcham inimicum pateretur, qui eius prædeceſſorem S. Cyrillum habere renuit amicum. Deinde quamuis Eutychianæ nouæ hæreſi exortæ ſe opponeret catholicè aduerſarium, nihilominus calumnijs iniuſtè appetitum fuiſſe ipſe conqueritur. Item, quia præſumpſerat proferre contra ea quæ de fide ſcripſerat S. Cyrillus in legitima Epheſi Synodo, prohibitus eſt ab Imperatore Theodoſio accedere ad Synodum Epheſinam aliam ab Eutychianis celebratam, in qua ab ipſis damnatus fuit. Appellauit proinde ad Rom. Pontificem Leonem de ſua depoſitione querelam mittens per Hypatium, & Abramium Corepiſcopos, & Alypium Archimandritam, ſeu Præſidem Monachorum, qui videtur is eſſe, cuius meminit idem Theodoretus *lib. 9. vit. Patr. cap. 3. in Marciano* dicens huius Marciani nepotem fuiſſe. Damnauit De Theodoreto.

nauit etiam Theodoſius Imperator Theodoreti ſcripta. Hæc & alia ex ipſius Theodoreti Epiſtolis habet Baronius *ſub his annis*, ex eo a nobis relata, vt oſtendamus qualiter praua geſta hominum Deus in hac vita purificet, in ipſorum, & aliorum exemplum. Vt innoteſcat inſuper quomodo Monachiſmi defenſores, qualis Theodoretus ſemper fuit (ſicut & profeſſor ab incunabilis, vt ipſe teſtatur *epiſt.* 81.) Deus ſic protegat, vt non pereant in finem, etſi vt filij ad tempus puniantur.

Capraſius e Carmelo operarios mittit.

3 Inter has porro Eccleſiæ, præſertim Orientalis, tragœdias, vnius Eutychetis Monachi nequitia excitatas, noſtræ hiſtoriæ lucem accipiunt, ipſarumque veritas clarius innoteſcet. Ipſæ ergo illud pro præſenti tempore aſtruunt, quod ad huiuſmodi Eutychianorum tumultus ſedandos, & orthodoxam fidem contra ipſos tuendam Capraſius Carmeli Archimandrita, de quo *ſub ann.* 412. actum, operarios in vineam Eccleſiæ miſerit, qui pro ea excolenda ſtrenuè adlaborarent. Sic enim Arnoldus Boſtius inſignis Ordinis Chronologus *lib.* 5. *hiſtor. cap.* 73. exarauit: *Dicta itaque calamitate durante S. Capraſius Pater Monachorum Montis Carmeli, de quo ſupra cap.* 67. *dictum eſt, obijt anno* 450. *die* 15. *Octobris. Hic Capraſius venerandus propter Eutychianorum perſecutionem diſcipulos ſuos ad diuerſas miſit prouincias.* Ioannes autem Palæonydorus *lib.* 2. *cap.* 9. ſic: *Hac calamitatis tempeſtate Capraſius, de quo ſupra, miſit diſcipulos ſuos de Monte Carmeli ad diuerſa loca, ad Eutychianis reſiſtendum, & Monaſteria Ordinis tuenda.* Similia Didacus Coria *lib.* 9. *c.* 13. & alij. Qui autem fuerint hi a Capraſio e Carmelo miſſi inferius dicetur. Nunc verò expendendum dumtaxat, quod huiuſmodi hiſtoria noſtra, ſatis, valdeque cohæreat cum ijs, quæ ab extraneis de huius temporis calamitatibus ſcripta ſunt. Si enim nequiſſimus Eutyches, vt ſua peruerſa dogmata longe, latèque promulgaret, Monachorum auxiliares manus compellabat, & ad ſeditionem ſequendam libellos per Monaſteria dirigebat, vt dictum eſt; ipſorumque Monachorum multitudine ſtipatus incedebat; ijque eſſent illius veluti procuratores effecti; vnus maximè Barſumas Archimandrita, qui omnium Monachorum nomine Orientales Epiſcopos Eutychetis aduerſarios accuſabat in Pſeudo-Synodo Epheſina; vt propterea e contra Leo Papa Monachos alios, Fauſtum videlicet, Marcionem, atque alios Conſtantinopoli agentes Archimandritas ad arma contra hoſtem iuratum capeſſenda per litteras hortaretur, prout ex huius temporis hiſtorijs, & geſtis habetur; quidni dicamus quod pius Carmeli Archimandrita Capraſius pro tuenda fide Catholica in tanto rerum turbine valde periclitante ſtrenuos pugiles contra Eccleſiæ iuratos hoſtes miſerit?

Qui fuerint.

4 Qui porro hi fuerint, ex Boſtio ſupra *cap.* 73. ſic habemus: *Liberatum cum Felice ad Africam mittens, ſanctum Timotheum Monaſterio Carmelitarum præfecit in Nigra Montana prope Antiochiam, vt illud contra Eutychianos defenderet. Is itaque S. Timotheus plures etiam habuit optimos*

mos diſcipulos, quos eadem de cauſa hinc inde diſperſit. Ad Italiam namque miſit Simplicium, & S. Romanum Conſtantinopolim, qui tandem inde pulſus per Eutychianos ſeceſſit Romam, & inde in deſertum, cui Sublacus vocabulum eſt, *vbi tribus annis S. Benedictum pauit, Patrem Monachorum Ordinis S. Benedicti, vt dictum eſt ſupra cap. 10. primi libri. Retinuit autem ſecum idem Timotheus Martyrium, Minulſum, Antonium miniſtrum S. Simeonis, & ipſum S. Simeonem, de quo in ſequentibus litteris dicitur.* Hæc Boſtius. Palæonydorus autem *lib. 2. cap. 6.* ſic. *Iſte eſt Capraſius, qui poſtea tempore perſecutionis hæreticorum Eutychianorum miſit diſcipulos ſuos ad defenſionem orthodoxæ fidei, Liberatum, & Felicem ad Africam; Simplicianum ad Italiam; Romanum ad Conſtantinopolitanam Vrbem. Quidam verò opinantur iſtum Romanum Sancto Benedicto habitum Monaſticum tradidiſſe. Timotheum verò Capraſius miſit in Monaſterium Montis Neroi, vt fratres ibi contra Eutychianos defenderet. Huius Timothei diſcipuli fuerunt Martyrius, Ninulphus, & Simeon Antiochenus, de quo Vincentius lib. 21. cap. 51. hiſtor. ponit quòd a Timotheo receptus inimitabilem duxit vitam.* Vbi videas, lector, Palæonydorum a ſuo Duce Boſtio diſceſſiſſe, quia quos Boſtius dicit miſſos a Timotheo, ſcilicet Simplicium, & Romanum; a Capraſio miſſos autumat. Simplicium præterea Simplicianum, & Minulphum Ninulphum vocat. Addit etiam inter miſſos a Capraſio Liberatum, & Felicem, quorum tamen non meminit Boſtius. Quia etiam Boſtij codex vſque modo latuit in Bibliotheca Conuentus noſtri Aſtenſis, ex quo illum nos habere potuimus, & ſolus Palæonydorus præ manibus noſtrorum hiſtoricorum erat; ideo illo poſteriores Coria, Thomas de Ieſu, Caſanate, & alij ipſum, oculis clauſis, ſecuti ſunt. Cæterum nos, qui Dei gratia Boſtium habemus, & veritatem præ omnibus amplectendam putamus, nænijs relictis, quæ conformia ipſi ſunt, lectori proponimus.

5 Et quidem primò, quod attinet ad *Simplicium*, Simplicianum a Palæonydoro, & alijs poſterioribus vocatum, iam diximus tomo præcedenti *ſub ann. 375.* non fuiſſe celeberrimum illum Simplicianum D. Auguſtini Magiſtrum, & D. Ambroſij in Mediolanenſi Sede ſucceſſorem; etſi hunc non extraneum Ordini Prophetico fuiſſe, & forſan nec Carmelo ipſi, eo loco dixerimus. Credimus tamen cum Boſtio eum *Simplicium* appellatum, & non immediatè a Capraſio e Carmelo, ſed a Timotheo e Montana nigra Italiam miſſum. Alia ipſius geſta latent. De Simplicio.

6 De Liberato, & Fælice, quos ſine Duce Palæonydorus inquit a Capraſio e Carmelo in Africam miſſos, haud aliud dicere poſſumus, niſi id nullius teſtimonio fulcitum videri, ſicut nec quinam fuerint, quidue in Africa negotij geſſerint. Interim ergo fides maneat apud Palæonydorum, authorem de Ordine noſtro ſatis alias bene meritum. De Liberato, & Felice.

7 De Timotheo illo a Boſtio, Palæonydoro, & alijs ſectatoribus commemorato, quod dicitur a Capraſio e Carmelo Antiochiam, Montanam De Timotheo

tanam ſcilicet nigram, ſeu Montem Neroi miſſum, libenter ampleĉtimur; vt tamen notauimus *to. præcedenti ſub ann.* 379. non potuit eſſe ille Timotheus in vita Simeonis Stylitæ, quam eo loco retulimus, commemoratus: ille enim non potuit dici miſſus a Capraſio e Carmelo *vt Montanæ nigræ Monaſterium contra Eutychianos defenderet*, prout illi ſcribunt, cum certum ſit Eutychianos in Orbe Chriſtiano ante hoc tempus non fuiſſe, illum verò Timotheum in vita Simeonis notatum ante ſeptuaginta annos floruiſſe. Alius ergo diuerſus Timotheus iſte erit. Corruit etiam id quod dicunt, videlicet Simeonem Stylitam diſcipulum huius Timothei fuiſſe. Niſi dicamus antiquioris illius Timothei diſcipulum primitus fuiſſe, poſtea verò, adueniente hoc poſteriori Timotheo, ſub eius quoque diſciplina egiſſe, prout credi par eſt; ſiquidem, iuxta dicta *eo anno* 379. vſque ad annum 460. Superſtes in ſua prorſus inimitabili, ac portentoſa vitæ ratione vixit.

De Antonio. 8 Quod Antonius ille S. Simeonis miniſter huius Timothei e Carmelo noſtro miſſi diſcipulus fuerit refragari non poſſumus, cum Boſtius, Palæonydorus, ex hiſtoricis noſtris præcipui, id aſtruant, nec quidquam de extraneis contrarium appareat. Quod enim a quibuſdam eiuſdem Simeonis diſcipulus appelletur, quid obuiat, cum ſub vtriuſque diſciplina, maximè diuerſis temporibus, agere potuerit? Hic ergo Antonius Simeonis vitæ oculatus teſtis ſcriptor fuit, cooperator miraculorum, ipſique valde deuotus, prout ex ea vita, quam *lib.* 1. *vit. Patrum*, & apud Boſtium noſtrum *lib.* 5. *hiſtor. cap.* 74. *& ſequentib.* pius lector Religioſus reperiet; ex qua etiam plura pro animæ ſalute documenta hauriet.

De Martyrio, & Minulpho, ſeu Ninulpho, & Romano. 9 Pariter dicendum de Martyrio, & Minulpho, ſeu Ninulpho, ac Romano, quos etiam huius Timothei Carmeli quondam cultoris diſcipulos agnoſcimus cum Boſtio, & Palæonydoro relatis. Alia de ipſis, ſi occurrerint, in ſequentibus dicemus. Maximè de Romano, quem S. Benedicti magiſtrum Boſtius vocat, non diſſentiente Palæonydoro, nec alijs Ordinis hiſtoricis poſterioribus. Is porro Martyrius in præſenti nominatus diuerſus proculdubio eſt ab alio eiuſdem nominis Monacho, & Eutychetis ſubdito, qui cum alijs pro eo agunt in epiſtola ad Conciliabulum Epheſinum, quæ habetur inter Acta Concilij Chalcedonenſis *Actione prima*.

Capraſij obitus. 10 Nunc ad Capraſij funus, quod anno 450. contigit iuxta Boſtium, vocamur. Sic enim *eo cap.* 73. *Dicta itaque calamitate durante S. Capraſius Pater Monachorum Montis Carmeli, de quo ſupra cap.* 67. *dictum eſt, obijt anno* 450. *die* 15. *Octobris*. A quo parum differt Palæonydorus dum *lib.* 2. *cap.* 9. dicit de eo: *Miſit diſcipulos ſuos de Monte Carmeli ad diuerſa loca, ad Eutychianis reſiſtendum, & Monaſteria Ordinis tuenda, & non longe poſt die* 20. *menſis Octobris migrauit ad Dominum*. Vnde falsò quidam eum prima die Iunij morti debitum ſoluiſſe dicunt,

prout

prout in Martyrologijs Romano, Bedæ, Vſuardi, Adonis, & aliorum habetur. Nam Capraſius, de quo in his Martyrologijs, non eſt iſte Carmeli Archimandrita, ſed ille alius Lirinenſis, de quo in ſuperioribus dictum, præſertim *ſub ann.* 412. Nihilominus hunc Capraſium titulo Sancti aliqui inſigniunt, vt ſunt antiquum Mechlinienſe Kalendarium, in quo 13. Kalend. Nouembris dicitur *Capraſij Abbatis Prior. Carmelit.* Boſtius, & alij; quos non imitamur, decretis Apoſtolicæ Sedis morem debitum gerentes, donec maiora ſuppetant fundamenta eius ſanctitatis.

Ann. Chriſt. 451. Leonis Papæ 12. Valentiniani Imper. 27. Marciani 2.

1 MEMORABILIS valde hic annus in æternum erit, ob magnum Concilium Chalcedonenſe eo tempore habitum, contra Eutychetis, Dioſcori, imo & Neſtorij dogmata; vt propterea, relictis alijs, quæ ad humanam hiſtoriam ſpectant, in huius Concilij enodatione, ea præſertim parte, qua noſtram Monaſticam tangit, inſiſtendum nobis ſit. *Concilium Chalcedon.*

2 Leo ergo Summus, & Romanus Pontifex, Imperatoris Marciani precibus, Eccleſiæque neceſſitate inductus, Chalcedonem Legatos miſit, vbi cum 630. vel circiter Patribus, præſentibus Marciano, & Pulcheria vxore, Synodus cœpta octauo Idus Octobris, & abſoluta Kalendis Nouembris per plures ſeſſiones. Honuphrius, Genebrardus, Baronius, Gualterius, & alij poſt antiquiores, inter quos Boſtius noſter *lib.* 5. *c.* 73. In ea porro Patres ſuſcipientes, vt *in ſeſſ.* 6. habetur, *Epiſtolas Synodicas Beatiſſimi Cyrilli Alexandrinæ Eccleſiæ Præſulis*, decreuerunt Chriſtum *ex Maria Virgine Dei genitrice ſecundum humanitatem, in duabus naturis inconfuſe, immutabiliter, indiuiſe, inſeparabiliter, agnoſcendum; non in duas perſonas partitum, atque diuiſum.* En Eutychetem, & Neſtorium vno ictu capite truncatos. *Quomodo celebratum.*

3 Quoad noſtra ſpectant, huic Synodo affuit Eliotarum Generalis, hoc eſt, eorum qui Eliæ propagines erant Archimandrita. Sic enim ab extero authore Ioanne Baſilio Sanctoro Hiſpano doctore in ſuo Prato ſpirituali *par.* 2. *lib* 5. *cap.* 2. hauſerunt ex noſtris Oliuanus *to.* 2. *diſc.* 2. §. 4. *num.* 7. Emmanuel Romanus *Elucidatione* 15. Caſanate *in Paradiſ. Carmelit. decor. ſtat.* 3. *ætat.* 6. *cap.* 15. & alij. Quamuis autem quidam ex ipſis hunc Eliotarum Archimandritam Capraſium Carmeli Priorem, de quo in ſuperioribus diximus, autument; quia tamen ipſius mors ſub anno præcedenti contigit, prout ex Boſtio retulimus, ideo alius eſſe debet. Id certius non ſolum ipſum, ſed & ſocios aliquos cum ipſo Sanctiſſimæ huic Synodo, in qua de grauiſſima Eccleſiæ cauſa res erat, interfuiſſe, prout ex relatis authoribus aliqui rectè notant. *Eliotarum Generalis.*

Monachi alij 4 Ex Monachis etiam aſtiterunt Synodo Theodoretus ille celebris, de quo plura in præcedentibus, contradicentibus etſi Ægyptijs, Palæſtinis, & Illyricis Epiſcopis, eo quod ipſum Neſtorij ſectatorem exiſtimarent. Ipſe tamen anathema Neſtorio dixit, & propterea Patrum ſibi conciliauit gratiam, prout ex *ſeſſ.* 8. Concilij elicitur. Item Domnus ille Antiochenus Epiſcopus Sede priuatus in Conciliabulo Epheſino, ſed alimentis donatus ab hac Chalcedonenſi *ſeſſ.* 9. Ac Stephanus Iamneæ, & Ioannes Epiſcopus Sarracenorum, magni Euthymij diſcipuli, quos commemorat Cyrillus in vita eiuſdem Euthymij apud Surium 20. *Ianuarij to.* 1. & a nobis commemorari merentur, vt conſortes Monachiſmi, qui apud *Lauras* exercebatur.

Monachorũ ſchiſma. 5 Sed (quod dolendum eſt) veritate ipſa cogente dicere debemus, Monachorum plures, eo excitatos quod Eutyches inter ipſos celebris Archimandrita eſſet, & quod Eutychiani (ſimili enim Stropha, ac vafricie vti ſolent hæretici) effutirent Eutychetis aduerſarios Neſtorij ſectatores eſſe, huic Sacro Sanctæ Synodo verbis, & factis ſe opponere ſeditiosè non dubitaſſe. Notat illos Sancta Pulcheria Auguſta in epiſtola *ad Strategium Conſularem Bithyniæ*, quæ extat ante hoc Concilium, vbi de illis inquit: *Monachi tumultum facere tentant*, & propterea iubet eos *de ciuitate expelli*. Aliqui etiam Monachi Dioſcori fautores, & ab eo miſſi, Theodori Diaconi Alexandrinæ Eccleſiæ, quod amicus fuiſſet S. Cyrilli, poſſeſſiones igne incenderunt, & domos diruerunt, prout conſtat ex libello ſupplici eiuſdem Theodori oblati Leoni Papæ, & S. Synodo. Tumultus etiam excitarunt Archimandritæ illi, qui in Pſeudo-Synodo Epheſina Dioſcoro fauerant, & pro Eutychete prodentes libellum Synodo porrexerunt, quo ſe profitebantur tantummodo Nicæni Concilij fidem amplecti; hoc enim prætextu hypocritæ iſti ſuos velabant errores. Inter iſtos eminebant Caroſus, & Dorotheus, atque infamis ille Barſumas, de quo in ſuperioribus actum. Hi temerarij, & ſuperbi libellum Marciano Imperatori obtulere, poſtulantes, vt ſibi liceret diſputare coram ipſo cum Catholicis. Pius autem Imperator ad Concilium eos remiſit. Conſtant hæc ex quarta, & quinta ſeſſione iuxta Græcum exemplar. Quinimmò contra ipſos ſtomachatus Marcianus a S. Synodo petijt, vt ad tollendum Pſeudo-Monachos Eutychetis ſectatores, quorum cauſa peſtilens Eutychiana hæreſis Eccleſiam infeſtarat, non poſſent Monaſteria ſine Epiſcoporum conſenſu ædificari, eſſent Epiſcopis ſubiecta, & in eis ſerui ſine dominorum ſuorum voluntate non reciperentur, ipſique in eis degentes Monachi *vacarent ieiunijs, & orationibus, neque immiſcerent ſe negotijs Eccleſiaſticis, vel Reipublicæ, aut alijs importuni exiſterent*. Leo etiam Papa *in epiſt.* 64. & 81. Monachos Palæſtinos in fide titubantes ſatis notat.

Caroſus, Dorotheus, & Barſumas Pſeudo-Monachi.

Boni, & ſancti Monachi. 6 Ne tamen Monachiſmi oſores, quales, vt in plurimum hæretici ſunt, & Eccleſiæ hoſtes (vtinam non ex Catholicis alij) propter iſta gloriandi

riandi anſam accipiant, & Monachis inſultare præſumant, quaſi ipſi turbas inter fideles concitauerint, animaduertant, hæc ſolummodo de illis qui Eutycheti Archimandritæ Monachorum hac tempeſtate adhæſerant, non de innumeris alijs veritatis Catholicæ propugnatoribus, quales in magno numero tunc (ſicut ſemper) in Eccleſia fuerunt. Colligi id poteſt ex Epiſtola Leonis Papæ 43. ad Pulcheriam Auguſtam, in qua ipſam monet, vt Monaſterio, quo Eutyches pernicioſè præſederat Catholicum Abbatem præponat, *qui illam Seruorum Dei Congregationem, & à prauo dogmate liberare, & inſtitutis veritatis poſſit imbuere*. Erant ergo Catholici aliqui Abbates, & inter illos Eutycheris ſubditos aliqui qui *Seruorum Dei* cognomen mererentur. Deinde, prout ex quarta ſeſſione Concilij habetur, Catholici Archimandritæ libellum contra Eutychetem obtulerunt, qui vt pius a S. Synodo probatus fuit. Et propterea hæreticis Archimandritis, ſcilicet Caroſo, Dorotheo, & Barſumę relatis, ac Maximo, qui Eutycheris magiſter dicebatur, tridui ſpatium ad reſipiſcendum conceſſum. Monachi præterea Orientis, inter quos Carmelæi noſtri, & qui ex Carmelo miſſi fuerant cum Timotheo ad Nigram Montanam Antiochiæ, ac Simplicius, Romanus, Martyrius, Minulphus, & Antonius Simeonis miniſter, eiuſdem Timothei diſcipuli, iuxta dicta *ſub ann.* 448. Synodo Sacroſanctæ adhæſerunt. Idem de Euthymio celeberrimo Palæſtinæ Monachorum Abbate colligitur ex Cyrillo in eius vita ſuperius relata; cuius induſtria actum eſt, vt non ſolum Stephanus, & Ioannes, qui ex eius diſcipulis Synodo adfuerant, ſed & complures Eremi Palæſtinæ Monachi veritatis Catholicæ pugiles ſtrenui fierent, contra quendam Theodoſium Eutychianum Pſeudo-Monachum, qui Palæſtinam ea hæreſi fœdauerat. Notat hoc Baronius *ſub hoc anno* §. 11. *ergo*; ſicut & in ſequentibus, quod cum Auxentius inſignis etiam eo tempore Abbas apud Chalcedonem in deſertis habitans ab Imperatore Marciano per Monachos quoſdam interrogaretur de fide quam profitebatur, ipſe confeſſus ſit de Filio Dei, quod S. Chalcedonenſis Synodus ſtatuerat, & Epheſina prius determinauerat. Rem apud Surium *tom.* 1. *ſub die* 14. *Februarij* iucundè, & lepidè deſcriptam legat lector. Idem fecere magnus ille Simeon Stylita, de quo ſuperiori tomo diximus, Sabba clariſſimus, & Theodoſius (diuerſus ab illo Eutychiano) inſignis Cœnobiarcha, de quibus Baronius *ſupra*. Auxentius.

7 Ex epiſtolis etiam Papæ Leonis, & Actis Concilij elicere poſſumus alia, quibus notari videtur plures ex Monachis huius temporis Catholicæ veritatis egregios propugnatores extitiſſe. Et primò omittimus, quod ipſe Leo *in Epiſt.* 26. Fauſtum, Marcianum, Petrum, Magnum, & Eliam presbyteros, & Archimandritas Conſtantinopolitanos contra geſta in Pſeudo-Synodo Epheſina pro fidei defenſione conuocat. Et quod *epiſt.* 30. Martianum, & Fauſtum de damnatione dictæ Pſeudo-Synodi monet. Item quod *epiſt.* 32. Fauſtum, Martianum, Petrum, Manuelem, Alia ad intentum.

lem, Iobum, Antiochum, Viuantiachum, Abrahamum, Theodorum, Pientium, Euſebium, Helpidium, Paulum, Aſterium, & Charoſum (alijs Caroſum) presbyteros, & Archimandritas, ac Iacobum Diaconum, & Archimandritam admonet, vt adiuuent fidei cauſam, de quibus dicit: *Vos qui iuſtificamini per fidem, qui Catholicam diligitis veritatem, & de ſingulari Sacramento ſalutis humanæ per Spiritum ſanctum eſtis edocti, &c.* Notet lector in hac epiſtola ſexdecim Archimandritas, vt inde eliciat magno numero fuiſſe, tunc Monaſteria in vna Conſtantinopoli. Præterea *in ep.* 34. Marcianum presbyterum (qui videtur eſſe ille Archimandrita relatus) valde commendat.

8 Ex Actis porro Concilij primò occurrit Imperatoris Epiſtola ad Barſumam illum maleferiatum Archimandritam, in qua ei notificat qualiter in Orientis partibus *Religioſiſſimi, & ſanctiſſimi Archimandritæ pro fide laborarent*. In ſubſcriptionibus porro Concilij, quæ Actione prima referuntur, nominantur Andreas, Fauſtus, Martinus, Manuelius, Petrus, Iob, Antiochus, Abramius, Theodorus, alius Theodorus, Pientius, Flauianus, Euſebius, alius Euſebius, Tryphon, Iacobus, Elpidius, Paulus, Caraſus, Aſterius, Callinicus, & Germanus Archimandritæ ſubſcribentes in depoſitione, & condemnatione Eutychetis. Item actione 4. extat epiſtola Catholicorum Archimandritarum, qui magna ex parte modo relati ſunt, poſtulantium contra Archimandritas Eutychianos. Quibus recte penſis manifeſtè elicitur, qualiter Monachiſmi profeſſores hoc tempore, ſicut etiam alijs, pro veritate Catholica, & S. Synodo Chalcedonenſi propugnanda ſtrenui pugiles fuerint. Quos ſic confuſim referre placuit; quia etſi non conſtet cuius Inſtituti Monaſtici aſſeclæ extiterint, & valde credibile fiat Baſiliani æmulatores plures illorum extitiſſe, nihilominus plures quoque vetuſtiori Eliano aggregari poſſe haud dubium eſt.

Ex Actis Cōcilij.

Ann. Chriſt. 452. 453. & 454. Leonis Rom. Pontif. 13. 14. & 15. Valentiniani Imperat. 28. 29. & 30. Marciani Imper. 3. 4. & 5.

Huius temporis geſta.

1 DVM hoc tempore, quoad prophanam hiſtoriam attinet, Attila cognomento *flagellum Dei*, Aquileiam dirueret, Ticinum, Mediolanumque excideret, de Roma quoque idem cogitaret, niſi Leonis Papæ eloquentia repreſſus fuiſſet; Venetiarum etiam Vrbs inclyta originem haberet: quoad Eccleſiaſticam ſpectat, Marcianus noua lege Eutychianos exagitabat; Leo Papa in Occidente Synodum Chalcedonenſem promulgare ſtudebat; Anatolium Conſtantinopolitanum Patriarcham primatum eius Sedis ambientem redarguebat. Alexandrini interim pro ſuo Dioſcoro decertabant;

tabant; ſed pro eiſdem ad bonam frugem reducendis S. Leo plures ad Marcianum Imperatorem litteras dedit: vt propterea Marcianus ipſe ſanctionem contra Eccleſiæ hoſtes, Neſtorianos, Eutychianos, & ſimiles promulgauerit. Sic moderni Annaliſtæ ex vetuſtioribus.

2 Ex noſtra monaſtica hiſtoria (quod vix eſſet dicendum) illud in propatulo eſt, plures a Pſeudo-Monachis Eutychianis in Palæſtina excitatos tumultus fuiſſe. Nonnulli enim, qui ſolitudinem in confinijs Ieroſolymorum ſitam incolebant, ab alijs qui Concilio interfuerant incenſi, de fide dubitabant; & Theodoſium quendam expulſum Monachum Ieroſolymorum Sedem occupantem, & Eudoxiæ Auguſtæ deceptæ auxilio nixum, magnam perſecutionem in Ciuitate ſancta aduerſus eos, qui cum ipſo communicare nolebant, igne, cruciatibus, bonorumque direptione mouentem, in Epiſcopum creabant. Euagrius *lib.* 2. *cap.* 5. Nicephorus *lib.* 15. *cap.* 9. Cyrillus Monachus *in vita Euthymij* apud Surium 20. *Ianuarij*, & Marcianus Imperator in epiſtola *ad Archimandritas, Monachos habitantes in Helia, & circa eam*, quæ habetur inter Epiſtolas adiunctas a Surio Synodo Chalcedonenſi. Vbi notet lector illa repræhenſiora Imperatoris verba? *Oportuerit vos quieti vacare*; & illa: *Qui habitare in Monaſterijs debuiſtis*: & infra: *Relinquentes quidem Monaſteria*: & poſtea: *Docere potius quam diſcere præſumitis*; ac inferius eos admonens: *Obſeruare potius Monaſterijs, & ad perfectum meliorem orationibus vacare, &c. nullamque turbam omnino celebrare*. Vt hinc eliciamus quæ ſunt propria Monachorum munia, & quæ extranea, ex mente huius Imperatoris. Quoad Monachos.

3 Prius quam hinc diſcedamus ſcire valde oportet, eos Anachoretas, quos Carmelus occultabat, hac hæreſeos lue tabefactos non fuiſſe; prout ea quæ adduximus in præcedentibus de ex eo monte pro fidei tuitione contra Eutychianam prauitatem pugilibus miſſis, ſuadere poſſunt. Quibus maximè accedit, quod Euagrius loco relato referens Monachos Eutychianiſmo infectos ſolum nominat eos, *qui ſolitudinem in confinijs Ieroſolymorum ſitam incolebant*, non ergo peſtis iſta Carmelæos procul a Ieroſolymis ſitos tetigit. Carmelicultores.

4 Nec etiam attigit famigeratum illum Euthymium, de quo plura diximus ad annum 419. Etſi enim impius apoſtata Theodoſius ad eum peruertendum duos ſibi conſimiles Pſeudo-Monachos Elpidium Paſſarionis, & Gerontium B. Melaniæ Monaſteriorum ſucceſſores, miſerit, dignam tamen repulſam ab eo recepit, *Deiparam ſanctam Virginem* contra Neſtorium, & *Chriſtum inconfuſè, & immutabiliter in duabus naturis* contra Eutychetem, confitente. Quin potius eiuſdem Euthymij opera actum eſt, vt Elpidius ille, qui ad eum peruertendum miſſus a Theodoſio fuerat; & magnus Anachoreta Geraſimus, qui ad Iordanis ripas Monaſticem exercebat, & ab hæreticis ſupplantatus erat; item Petrus cognomine Gurnitis, & Marcus, Iulon, ac Syluanus, qui cum Theodoſio Euthymius.

com-

communicabant, ad rectam fidem conuerterentur. Cyrillus Monachus *in vita Euthymij*.

Pſeudo-Monachi repreſſi. 5 Quamuis autem praui iſti, & ſolo nomine Monachi, Eutychiani Theodoſij ſectatores non ſolum Eudoxiam Auguſtam apud eos hoc tempore commorantem ſeduxiſſent; ſed & Pulcheriam Marciani coniugem, & ſic ipſummet Marcianum ad hæreſim ſuam pellicere tentaſſent; Iuuenalem legitimum Ieroſolymorum Antiſtitem interficere curaſſent; imo contra ipſum Eccleſiæ verticem, Leonem ſcilicet Papam, inſurgere non erubuiſſent; Dei tamen gratia cooperante, idem Leo Summus Pontifex, Marcianus, & Pulcheria, imo ipſe Iuuenalis ipſorum conatus inanes reddere potuerunt. Hæc habeat lector ex Epiſtolis, tum Leonis, tum Marciani Auguſti, Pulcheriæ Auguſtæ, & Iuuenalis, quas inter acta Concilij Chalcedonenſis reperiet; indeque eliciat veriſſimum eſſe illud Auguſtini proloquium quaſi propheticè de Monachis dictum: *Non inueni meliores quam qui in Monaſterijs profecerunt, neque peiores, quam qui defecerunt*. Eligamus igitur cum melioribus proficere, ne nobis contingat cum peioribus deficere.

Quid de Monialibus. 6 Moniales etiam Aſceteriorum Ieroſolymitanæ Vrbis impius ille Theodoſius ſuis prauis dogmatibus conabatur euertere; inaniter quoque, cooperante maximè S. Pulcheria Auguſta, quæ propterea litteras ad Baſſam Monaſterij Ieroſolymitani Abbatiſſam miſit, in quibus & veræ fidei dogmata, & ipſius Abbatiſſæ, aliarumque ſociarum Monialium inſtructionem ponit. Has refert Baronius *ſub ann.* 453. §. *Serenitatis noſtræ*. Vbi etiam §. *fuit planè* poſt multa de hac verè Auguſta Pulcheria ſubiungit: *Fuit planè grande videre miraculum in Regia illa Regiarum Virginum Monaſterium contineri; ſed illud ſingulare ſuperexcellens, in fœmina eademque virgine eniteſcere vna cum Monaſtica obſeruantia ſimul optimum Imperij regimen*. Quæ nobis omittenda non fuerunt, cum ex

S. Pulcheria. illis eliciatur hanc Diuam Pulcheriam Auguſtam ad noſtræ hiſtoriæ complementum ſpectare, quippè Monialis, & Monialium fautrix præclariſſima fuerit; earum videlicet, quæ antiquum Propheticum ſapiebant Inſtitutum.

Monachi Ægypti. 7 Monachos quoque Ægyptios in hac rerum turbulentia, turbines, & diſcrimina paſſos fuiſſe, ex *Epiſt.* 56. Leonis Papæ ad Iulianum Coenſem Epiſcopum Conſtantinopoli agentem elicitur. Vt propterea quaſi ſtomachatus in Monachos idem Leo *in Epiſt.* 62. ad Maximum Antiochenum Epiſcopum ſcripſerit Monachos arceri debere a prædicatione, iſtos videlicet, qui pacem turbabant.

Cæſarius Arelatenſis. 8 Pro ijs tamen Orientalis Eccleſiæ non ſatis probatis Monachis, Occidentalis Galliarum probatiſſimos plures enutriebat. In his veluti primus fuit Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus ex Cœnobio Lirinenſi Monachus, & Abbas, cuius res præclarè geſtas ipſius diſcipulus Cyprianus ſcripſit apud Surium *die* 27. *Auguſti*. Noſtris porro annumerandus,

quia

quia cum Baſilianis nihil commune habebat, & Benedictinis anterior fuit; vt Baronius infra referendus demonſtrat. Duplicem Regulam Monaſticam ſcripſiſſe, pro Monachis vnam, pro Monialibus, quibus præerat Cæſaria ipſius ſoror, alteram, ex Bibliotheca PP. editionis Colonienſis, ex Stellartio *in fundam. Relig. Ordin. cap.*25. & Haefteno *diſquiſit. Monaſtic. lib.*1. *Tract.*6. *diſquiſit.*1. perſpicuè conſtat.

9 Item Porcarius Abbas, ſub cuius diſciplina Cæſarius in Monaſtica mirè profecit, eodem Cypriano teſte. Quin, vt idem Cæſarius *hom.*20. dixit, Inſula illa Lirinenſis *Innumerabiles montes* (id eſt Sanctos) *ad cælum miſiſſe cognoſcitur*. Et rurſus: *Hæc eſt quæ eximios nutrit Monachos, & præſtantiſſimos per omnes Prouincias erogat Sacerdotes*. Vt enim gloſſatur *ſub ann.* 453. §. *hac eſt* Baronius: *Vix reperiri erat qui his temporibus aſſumptus in Regionibus illis ad regimen Eccleſiarum, non delectus eſſet ex nobiliſſimo, & regularis Inſtitutionis obſeruantiſſimo Cœnobio Lirinenſi*. Adeo, vt etiam barbaris gentibus in Gallias graſſantibus in veneratione fuerit, nec ab illis euerſum, vt idem Baronius in ſequentibus confirmat. Quod maximè cedit in gloriam monaſticæ obſeruantiæ, quæ iniquis etiam hominibus in veneratione eſſe ſolet. Hos verò Monachos Lirinenſes inter Elianos computandos eſſe, cum nullum nec veſtigium ſit exiſtimandi alterius Inſtituti fuiſſe, conſtat ex ijs, quæ de Honorato eius Cœnobij primario parente diximus *ſub ann.*421. *nu.*4. *&* 5. & *ſub ann.* 440. *num.*3. Vnde relatus Baronius *ſupr.* §. *Sed non prætermittimus* miratur Trithemium, ſiue alios, retuliſſe ſub Profeſſoribus regulæ S. Benedicti præfatum Cæſarium Arelatenſem, cum ante Benedicti Monachatum claruerit. Et idem intentum proſequens *ſub ann.* 494. §. *At verò*, inquit: *Quid, rogo cum S. Benedicto, S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, qui antequam naſceretur ille, erat Antiſtes?* Reprehendens ſane Trithemium in *libro ſecundo de viris illuſtribus Ordin. S. Benedicti cap.*16. hunc Cæſarium inter Benedictinos accenſentem, quem ob viri authoritatem alij minores ſequuti ſunt. Porcarius Abbas.

10 Pari ratione idem dicendum de S. Seuerino Norici Apoſtolo nominato, qui feruore perfectionis vitæ ductus ad quandam Orientis ſolitudinem ſeceſſit, ſed poſtea, tumultibus Orientalibus, inter Monachos etiam, ob Eutychianam hæreſim excitatis, permotus, ad Norici Ripenſis Oppida Pannoniæ Superiori vicina, non ſine diuino impulſu venit, vt Eccleſiam illam crebris barbarorum incurſionibus depreſſam adiuuaret. Huius Seuerini geſta a Baronio *ſub ann.* 454. commemorata latè reperiet lector apud Surium *tom.*1. *die* 8. *Ianuarij* ab Eugippio Abbate eius contemporaneo deſcripta. Vbi etiam qualiter Monachos ſibi ſubditos monuerit beatorum Patrum veſtigijs inhærere; tres ſuperbos Monachos, o peſtis totius Monachatus! a Deo puniri obtinuerit; alijs ventura prædixerit; ac multis ſignis claruerit, tum vita, tum poſt obitum. Et de Monaſterio eodem loco conſtructo, in quo Marcianus qui- S. Seuerinus.

dam Monachus præfectus ſuit, & poſtea Eugippius huius hiſtoriæ Chronológus. Magnam prætereca vim ieiunij, & orationis eſſe, ex ea, pro ſui ædificatione, Religioſi capere poterunt. Hunc porro Eugippium Abbatem, S. Seuerini diſcipulum, Benedictini Ordinis aſſeclam non fuiſſe demonſtrat idem, qui vt ſupra, Baronius, Trithemium carpens, qui oppoſitum libro relato *cap.* 7. leuiter ſcripſit. Edidit autem Monachis in eiuſdem Seuerini Monaſterio degentibus Regulam, cuius meminit D. Iſidorus Hiſpalenſis *de viris illuſtribus cap.* 26. quam eiſdem Monachis (ait Iſidorus) *moriens quaſi teſtamentario iure reliquit*. Et de qua Haeftenus ſupra relatus *diſquiſit.* 2. Contra hiſtoricam ergo veritatem loquuntur ij, qui tam eximios, & egregios legislatores Monachorum S. Baſilium, & Auguſtinum, autumant, vt ſolum ipſorum Regulas in Orbe poſt ipſos viguiſſe clamitant: cum Cæſarium, & Eugippium, de quibus modo, ſicut & alios, quos ſparſim hoc tomo referimus, neſciſſe videantur. Conſulat lector ea quæ diximus *in Appar. cap.* 1.

Eugippius.

Ann. Chriſt. 455. 456. & 457. Leonis Rom. Pontif. 16. 17. & 18. Marciani Imper. 6. 7. Leonis, Maximi, Auiti, Maioriani 1.

Orbis euentus.

1 INTER notabiliores Orbis euentus pro hoc tempore iure cenſentur, mors Valentiniani Imperatoris; Imperium Maximi; matrimonium ipſius cum Eudoxia Auguſta; huius proditio vocantis e Carthagine Genſericum cum Vvandalico gladio; ipſius Eudoxiæ cum filiabus captiuitas a Genſerico, ſimul cum Vrbis direptione; Auiti creatio in Imperatorem; Leonis etiam electio; ac Valerij Maioriani. De his moderni Annaliſtæ ex Procopio, Caſſiodoro, Marcellino, Euagrio, Nicephoro; & alijs.

Eudoxiæ Senioris côuerſio SS. Monachorû opera.

2 Pro noſtra verò Monaſtica hiſtoria, cum qua Eccleſiaſtica communis valde connectitur, id primò habemus, quod cum Eudoxia illa alia etiam Auguſta Theodoſij Imperatoris vxor, & mater alterius Eudoxiæ Marciani Imperatoris coniugis, Ieroſolymis ageret, & Eutychianum potata venenum fuiſſet, cooperante Pſeudo illo Monacho, & Epiſcopo intruſo Theodoſio, de quo in ſuperioribus actum; communibus tandem Eccleſiæ, eiuſque filiæ attrita flagellis, menti reddita, eam, quam iam pridem profeſſa fuerat, hæreſim, omnino deteſtata fuit; operante ſanctiſſimo Euthymio, de quo in præcedentibus dictum, ac maximè prodigioſiſſimo illo Orbis, & Monachorum portento Simeone Stylita ſupra columnam illam mirabilem, iuxta dicta *tom. præcedenti ſub anno* 379. exiſtente in Antiochiæ partibus. Ab ipſa enim Eudoxia per internuncios conſultus hæc reſpondit: *Scias quod malignus videns opes tuarum virtutum, expetiuit te vt cribraret ſicut triticum, & per peſtiferum illum*

Theodoſium tuam corrupit animam. Sed eſto bonò animo: non enim defecit fides tua. Mihi autem hoc ſuccurrit admirari, quod cum ſit tibi fons propinquus, ipſum quidem deſpicis, procul verò quæris eandem aquam haurire, habes enim diuinum Euthymium, cuius ſequens doctrinam non errabis a ſalute. Euthymium ergo conuenit, & ab ipſo accipiens monita ſalutis, ſibi, & pluribus alijs, tum Monachis, tum Laicis dux extitit veritatis ſectandæ. Hæc habeat lector ex Cyrillo *in vit. S. Euthymij* apud Surium *die* 20. *Ianuarij*, & ex ijs eliciat quantum vtilitatis ſancti Monachatus Profeſſores Eccleſiæ impenderint ſemper, & vbique.

3 Ex eadem quoque hiſtoria plura pro Monaſtica noſtra ab eodem Cyrillo enarrata accipiat. Primò Cyriacum quendam Anachoretam, qui ab ineunte ætate in Cœnobio Euthymij vixerat, poſtea in Laura veteris Sucæ ſeptuaginta fermè annis ſe exercuiſſe omni virtute, & honeſtæ vitæ factis illuſtrem. Secundò, celebrari etiam inter Monachos præclaros Elpidium, & Geraſimum, de quibus in ſuperioribus diximus. Hunc autem Elpidium illum exiſtimamus de quo *ſub anno* 284. *in ſecundo Tomo* dictum, Præfectum fuiſſe illius Lauræ, quam Carithon condiderat, vt hinc eliciamus eiuſdem Inſtituti ſectatores fuiſſe. Fuit etiam Archimandrita, prout idem Cyrillus ſcribit, quod & notat Baronius *ſub ann.* 455. §. *Illa autem* eum vocans (neſcio quo iure) Eleutherium. Geraſimus autem ſtrictiſſimæ obſeruantiæ, & abſtinentiæ erga ſe, & ſuos diſcipulos, ad ſæculi noſtri verecundiam, commendatur. Tertiò, Chryſippum, & Gabrielem ab Eudoxia e Laura Monachos accerſitos, vt cuſtodes eſſent S. Crucis, ex quibus Gabriel etiam Præfectus fuit Monaſterij S. Stephani Protomartyris. Quartò, Andream etiam e Laura accerſitum fuiſſe, & Præfectum Monaſterij, quod pia illa Baſſa Abbatiſſa ſub nomine Menæ Martyris extruxerat. Quintò, celeberrimum Abbatem Sabam, de quo in ſequentibus, diſcipulum fuiſſe magni Euthymij, & ab ipſo Domitiano Monacho, & poſtea Beato Theoctiſto commendatum. Hic quidem, ſumma Dei prouidentia curante, Monaſticæ diſciplinæ egregius Reformator extitit, eo tempore, quo Eutychetis, & Dioſcori potato veneno, Monachorum plures a Catholica fide, & Monaſtico Inſtituto deuiarant. Inter Eliaños etiam iure computatur, iuxta dicenda *ſub ann.* 471. Regulam quoque conſcripſiſſe, & Ordinem quendam *Sabbaitarum* dictum propagaſſe; ex qua plures, ipſique valde commendabiles Monachi prodierunt; ac Lauram Maximam omnium, quæ in Palæſtina fuerunt, fundaſſe, præter alias etiam, ex Maurolico *in Oceano Ordin. lib.* 1. Metaphraſte in ipſius vita, & alijs elicit Haeſtenus *in diſquiſit. Monaſt. lib.* 1. *Tract.* 6. *diſquiſit.* 4. Inter quæ etiam, quod hic Ordo in Cappadocia ortum habuerit, quod notet lector, pro ijs quæ *in Apparat. cap.* 2. & alibi ſæpius notamus, poſt S. Baſilium Monachorum Inſtitutorem alios quoque extitiſſe, qui idem egerint, etiam in Baſiliani Ordinis conſpectu, Cappadocia videlicet, eiuſdem S. Baſilij patria; nec

Cyriacus.

Elpidius, & Geraſimus.

Chriſippus, & Gabriel.

Andreas.

Sabas.

R 2 longe

longe a Ponto ſeparata. Plura de hoc Saba, eius ſocijs, Laura, & ſimilibus rectè elaborata reperiet lector apud Bollandum *in Actis Sanctorum tom. 1. in vita S. Theodoſij 11. Ianuarij*.

Timotheus. 4 In Ægypti autem partibus vnus Timotheus nomine ex Monacho creatus Alexandrinus Presbyter, Dioſcori ſectatoribus Dux effectus, in cauſa fuit, vt Proterius eius Sedis Patriarcha occideretur, eodem Timotheo in eius locum ſubrogato; fauentibus etiam prauis quibuſdam Monachis ab eodem Proterio, & Concilio Ægyptiaco propter hæreſim in exilium miſſis. Refragantibus tamen alijs, quorum Monaſteria, & Virginum Sacrarum Cœnobia improbus Timotheus prophanauit. Hæc & alia ex Epiſtolis pro Concilio Chalcedonenſi hauriet lector, ex quibus aliqua Baronius, & qui eum compendiant.

Ann. Chriſt. 458. 459. & 460. Leonis Rom. Pontif. 19. 20. & 21. Leonis, & Maiorani Imper. 2. 3. & 4.

Geſta hoc tempore. 1 PREMEBANTVR hoc tempore fideles non ſolum barbarorum inuaſionibus in eorum regiones, ſed etiam Eutychianorum hæreticorum reliquijs, Timotheo etiam illo Monachiſmi ſcoria, & Alexandrini Patriarchatus inuaſore, vt propterea a Leone Imperatore in exilium pulſus fuerit, ſubrogato alio Catholico. Eadem quoque de cauſa idem Imperator Leo Catholicæ fidei conſulturus ad celeberrimi nominis ſanctos Monachos, & anachoretas litteras ſcripſit, quo magis, ac magis Chalcedonenſis Synodi decreta in omnium animis firmarentur. Hinc ad prodigioſum illum Simeonem Stylitam adhuc ſupra columnam illam, immortalis memoriæ dignam, ſuperſtitem ſcripſiſſe conſtat ex Euagrio *lib. 2. cap. 9.* & alijs. Item ad Baradatum, & Iacobum Syrios. Ex quibus Baradatus, tam mirabilis tolerantiæ fuit, vt in quadam arca incluſus ſola diuina frueretur conſolatione, tunica pellicea, vt protoparens Monachorum Elias, contentus, & manus ad Deum tendens. Iacobus verò ille miraculis clarus ob vitæ ſanctitatem meruit eſſe. Hi ergo tres ob clariſſimi nominis famam meritò digni habiti ſunt, vt Imperatoris litteras acciperent, non alij propriæ commoditatis ſtudioſiores. De illis aliqua nos diximus *ſub anno* 421. ex Theodoreto, & Baronius *ad ann.* 458. ex eodem Theodoreto, Euagrio, & alijs. Qui & putat ſcripſiſſe quoque ad Euthymium, Auxentium, & Danielem Stylitam Monachiſmi luminaria. Tales enim ab Imperatoribus, & Principibus iure, meritoque honorari ſic debuerunt.

Monachi illuſtres.

Cœnobium Studitarum. 2 Illuſtrabatur etiam Conſtantinopolitana Eccleſia hoc tempore erectione Cœnobij Monachorum *Acæmetarum*, ſeu *Studitarum*, de quibus plura in ſequentibus; nunc ſolum ad intentum, & ædificatio-

nem

nem noſtram, iſtud Monaſterium appellatum *Acæmetarum*, id eſt, inſomnium, quia Monachi ipſius iuges diu, noctuque peruigiles Deo laudes offerebant, tripartito tempore, & Monachis ſibi ſuccedentibus. Vt inde Monachi noſtri ſæculi capiant hoc eſſe Monachorum proprium veluti munus; prout nempe D. Bonauentura *de ſex alis Seraphim capit.* 8. inquit, *vt laudes Dei in terris celebrarentur a mortalibus, ſicut in cælis iugiter celebrantur ab immortalibus*. De hoc Cœnobio, & eius fundatore Baronius *ſub ann.* 459. ex Nicephoro, Suida, & alijs.

3 Hoc etiam tempore, iuxta Genebrardum, Honuphrium, Baronium, & alios Chronologos, Martyrius in Epiſcopum Antiochenum ſubrogatus fuit, poſt obitum Acacij prædeceſſoris. Hoc vel tetigiſſe noſtræ hiſtoriæ intereſt, quia, vt dictum eſt *ſub anno* 448. Timotheus ex Carmeli Monachis Antiochiam a noſtro Capraſio miſſus, inter alios, quos habuit diſcipulos, vnus fuit quidam Martyrius nomine, quem ſecum Antiochiæ retinuiſſe habet Boſtius noſter eo loco relatus, vt propterea anſam præbeat dubitandi an is ſit, qui modo ad Antiochenſem Eccleſiam regendam euectus dicitur. Rem tamen ſub dubio relinquimus donec alia ſuppetant monumenta clariora. Martyrius.

4 Ad hoc etiam tempus, prudenti computo, ex Cedreno *in Compendio*, Theodoreto, & alijs, refertur mors pretioſiſſima Sancti illius Simeonis Stylitæ, de quo in præcedentibus, maximè *ſub anno* 379. plura diximus. Eam inter alios refert noſter Arnoldus Boſtius *lib.* 5. *hiſtor. cap.* 77. Plura quoque miracula, quæ circa mortem, tam prodigioſi totius Orbis portenti contigerunt ſimul deſcribens. Ea prætermittimus cum pluribus alijs ipſius geſtis, breuitati conſulentes, ſed non quæ Theodoretus *in lib. de vit. Patr.* qui eſt nonus in volumine *Vitæ Patrum* nominato *cap.* 26. dicens: *Cum poſt hæc autem diu vixiſſet, & multis miraculis, & laboribus, ardoreque ſolis, & Hiberna glacie, & vehementibus ventorum inſultibus, & humanæ naturæ imbecillitate, ſolus ex omnibus, qui vnquam fuerunt manſiſſet inexpugnabilis, poſtquam eum deinceps oportuit eſſe cum Chriſto, & immenſorum certaminum coronas accipere; quod homo quidem eſſet, morte confirmauit iis qui non credebant: manſit autem etiam poſt mortem immobilis, & in cælum quidem anima peruenerat, corpus autem ne ſic quidem cadere ſuſtinuit; ſed rectum ſtetit in loco certaminum, tanquam inuictus athleta, nulla parte membrorum volens terram tangere. Sic Chriſti athletis manet etiam poſt mortem cum eis ſimul verſans victoria.* Nec minus, ea quæ ſubijcit idem Author, quia meam deuotionem erga tam prodigioſum, & ſupermirabilem virum, quaſi adamuſſim oſtendunt, ſcilicet: *Cuius ſanctis interceſſionibus cupio, vt ego adiutus, in his Sanctis perſeuerem laboribus: Deumque precor, qui eſt communis ornatus, & eſt ſplendor pietatis, & veræ Religionis, vt & mea vita corrigatur, & ad angelicam vitæ formam dirigatur.* Simeonis Stylitæ obitus.

5 Hunc porrò Eminentiſſimæ ſanctitatis virum Eliani Inſtituti aſ-

Daniel ſucceſſor Simeonis. ſeclam fuiſſe, ſicut & alios eius æui Aſcetas, Monachos, Anachoretas, & Eremitas, præter dicta ſæpius id ſuadere videtur quod ſicut Elias Eliſeum ſpiritus ſui reliquit hæredem, & virtutum imitatorem; ita Simeon Danielem Monachum, quem prædictionibus, & diuinis viſionibus ad eiuſmodi Angelicum arripiendum vitæ inſtitutum adhortatus erat, ſibi ſubſtituiſſe viſus eſt, ſpiritualis hæreditatis legitimum ſucceſſorem. Paulo enim ante eius obitum, ipſo tamen obitus die (quem licet longè abſens, diuina reuelatione præcognouit) idem Daniel inſtar Eliſei, ſicut ille pallium eſt conſequutus Eliæ, ipſe cucullum Simeonis per Sergium diſcipulum ad Leonem Imperatorem miſſum, ſed ab illo non retentum, accipere meruit; magnaque fiducia conſtructam apud Oſtia Ponti, haud procul a finibus Conſtantinopolis, columnam aſcendit, coluitque per multos annos; comprobante Deo eiuſmodi propoſitum plurimis, ingentibuſque ſignis, & miraculis. Ita Spondanus *ſub anno* 460. ex Baronio. Alia porro huius Danielis in ſequentibus damus.

Euthymius. 6 Nunc de Euthymio illo celeberrimo Monachorum Patre, dicendum, quod cum Eudoxia Auguſta Theodoſij Iunioris relicta coniux in Palæſtina degens (obijt autem paulo poſt, prout ex Nicephoro *lib.* 14. *cap.* 50. elicitur) cum conuenire vellet, & propterea Gabriellium pro nuncio mitteret ad Euthymij Lauram, cui etiam redditus dare in animo habebat, ille eam ſic repulit: *Cum tuus diſceſſus ſit in foribus, cur ſollicita es, o filia, & diſtraheris circa plurima? Illa ſint tibi parata quæ pertinent ad exceſſum ex hac vita. Noſtri autem ne memineris quantum ad redditus, & pecunias, ſed communis Domini memineris, apud quem rogamus, vt noſtri potius recorderis.* Hæc Cyrillus in vita S. Euthymij apud Surium 20. *Ianuarij*, quæ penſitent, rogito, noſtri temporis ſtrictioris obſeruantiæ Monaſticæ profeſſores, & videant an ipſi tanto ſpiritu feueant, vt Auguſtas Imperatrices donaria, & redditus offerentes a ſe reſpuant, an verò ipſarum, imo inferiorum Principum aulas, crebrius inuiſere ſoleant. Quod facere non deberent, niſi quatenus Chriſtiana charitas, aut pietas poſtularet.

S. Victor Eremita. 7 Eiuſdem Inſtituti cum prænominatis videtur fuiſſe S. Victor Eremita, de quo Marcus Maximus *in Chronicon circa ann.* 460. hæc: *Per hæc tempora florebat in Boetica in Territorio Aralacenſi S. Victor Eremita, vir egregie Sanctus: de quo memoriæ proditum eſt, ab vtero matris ſuæ dæmonibus fuiſſe formidabilem.*

Ann.

Ann. Chriſt. 461. 462. 463. Hilari Rom. Pontif. 1. 2. & 3. Leonis Imper. 5. 6. & 7. Seueri 1. 2. & 3.

1 ANNO Chriſti Redemptoris 461. duo Catholicæ Religionis fulcra de medio ſublata ſunt. Alterum, S. Leo, Papa, verè, & iure *Magnus* appellatus, illi ſuccedente Hilaro Sardo: alterum, Maiorianus Imperator, qui a Seuero illius in Imperio Occidentis ſucceſſore fraudulenter Dertonæ in Hiſpania interfectus eſt; cauſam tribuens quod Ricimero Arriano militum Magiſtro creato, valde, multumque fiderit. Huiuſmodi enim Catholicorum cum hæreticis conuentiones ſimiles fœtus edere ſunt ſolitæ. Notent hæc Chriſtiani Principes, & illud Diui Cypriani *in epiſtola ad Cornel.* vbi ſic: *Nulla cum talibus commercia, nulla conuiuia, nulla colloquia miſceantur; ſimuſque ab illis tam ſeparati, quam ſunt illi ab Eccleſia.* Geſta in Eccleſia.

2 Ad propria pergentes, nec extranea S. Leoni Papæ, cuius obitus hoc tempore accidit, placet pro Monachorum ædificatione, & vt vel inuiti agnoſcant, quam terribile ſit onus animarum regendarum, Epiſcopale præſertim, quod plurimi infatigabiliter ambiunt, hic apponere caſum ſtupendum, quem in libro *Pratum ſpirituale* nuncupatum, qui eſt 10. inter Vitas Patrum *cap.* 149. ſic ſcribit eius author Ioannes Moſchus, alijs Sophronius. *Cum deſcendiſſet Abbas Amos Ieroſolymam, & Patriarcha ordinatus eſſet, venerunt omnes Monaſteriorum Eremi Abbates, vt adorarent eum, inter quos adfui, & ego cum Abbate meo. Cœpitque Patriarcha dicere patribus: Orate pro me, Patres: magnum enim onus, & intolerabile mihi iniunctum eſt, ſacerdotijque dignitas me terret immodice. Petri enim, & Pauli, & ſimilium eſt regere rationales animas: ego autem infelix peccator ſum. Plus autem quam cætera timeo ordinationum ſarcinam: nam inueni ſcriptum, quia beatiſſimus, & æqualis Angelis Papa Leo, qui Romanorum Eccleſiæ præfuit, per quadraginta dies perſeuerauit ad ſepulchrum Apoſtoli Petri, vigilijs & orationibus inſiſtens, petenſque ab Apoſtolo, vt pro ſe apud Deum intercederet, vt dimitterentur ſibi peccata ſua. Impletiſque diebus quadraginta, apparuit ei Apoſtolus Petrus, dicens: Oraui pro te, & dimiſſa ſunt tibi omnia peccata tua, præter quam impoſitionis manuum: hoc enim ſolum abs te requiretur, ſiue bene, ſiue fortaſſis aliter id egeris.* Hæc penſitent dignitatum amatores, quibus animarum cura annectitur. Hoc tamen quod dicitur de dimiſſione peccatorum præter manuum impoſitionem, ſano modo intelligi debet, quoad pœnam videlicet, non quoad culpam, quia iſto modo vnum peccatum non remittitur ſine alio, vt Theologi docent. Caſus ſtupendus.

3 Vocat nos etiam Daniel ille Monachus, Simeonis Stylitæ alter veluti Eliſeus, ipſius ſpiritus hæres, & columnam illius æmulator aſcen-

dens,

Daniel Stylita. dens, de quo in præcedentibus dicere cœpimus. Eius acta ex Simeone Metaphraſte apud Surium *die vndecima Decembris*, talia ſunt, in Epitomem redacta. Natus eſt in Meſopotamia; Daniel diuina prouidentia vocatur; duodennis Monachus efficitur, tondetur, & Monaſticum induit habitum. Cum autem cum Præfecto ſui Monaſterij Antiochiam perrexiſſet, & ad locum vbi magnus ille Simeon Stylites ſupra columnam ſtabat, aduenisſet, ac ad eum aſcendiſſet, ab eo benedictionem, & prædictionem hanc accepit: *Eſto fortis, fili, & confirmetur cor tuum. Multos enim, & difficiles labores propter Chriſtum es ſuſcepturus*. Redijt poſtea ad proprium Monaſterium; inde Conſtantinopolim, conſulente per viſum Simeone; commoratur in loco, vbi ſciebat ſpiritus malignos habitare, vt inſtar Antonij, quem æmulari ſtudebat, eos profligaret, prout fecit. Hinc inuidia, & accuſatio contra eum ad Antiſtitem Conſtantinopolitanum: ſed de ijs omnibus, & alijs Satanæ inſectationibus liberauit eum Dominus. Multis præterea diuinis reuelationibus decoratus, ac cuculla ipſius Simeonis per Sergium Monachum illi allata donatus, columnam Simeonis aſcendit, ſic Deum exorans: *Gloria tibi, Chriſte Deus, quod me talibus bonis, & tali vitæ inſtituto es dignatus. Sed tu ſcis, o Domine, quod te ſolo fretus hanc aſcendo columnam, & hoc certamen ſubeo. Suſcipe meum propoſitum, confirma me ad curſum, cœptum meum abſolue*. Inde perſecutio contra illum oborta, ita vt e columna vix detraheretur, ſed Deus Sanctorum protector eum miraculosè defendit. Multis præterea claret miraculis, in confirmationem ſanè egregiæ viri ſanctitatis. Hæc, & alia in hiſtoria relata, eò libentius a nobis adducta, quod ipſius author Simeonem *Eliam* vocet, Danielem verò *Eliſeum*, quo indigitari videtur vtrumque ſectatorem fuiſſe Eliani Inſtituti. Si hoc alijs non placeat, oſtendant, cuius Inſtituti aſſeclas eos putent, Baſilianine, an alterius.

Principius. 4 Poſteriori Synodo Arauſicanæ hoc tempore habitæ adfuiſſe creditur Eucherius Lugdunenſis, de quo ſuperius *circa ann.* 440. actum. Item Cæſarius Arelatenſis, de quo ſimiliter *ſub ann.* 452. dictum. Damnantur ergo Pelagianorum reliquiæ ab ijs Monachiſmi luminaribus. Baronius, & eius Aſſeclæ *ſub ann.* 463. Qui eis etiam coniungit Principium Sueſſionenſem Epiſcopum, & Lirinenſis Inſulæ aliquandiu Colonum. Hos porro omnes, & ſimiles alios Lirinenſes Aſcetas inter Eliæ æmulatores cenſemus, propter ſæpius in ſuperioribus inculcata, & quia nullum aliud nuperum Inſtitutum Monaſticum amplexatos tunc fuiſſe dignoſcitur, donec Benedictinam normam acceptarunt, quod poſt plures annos ab hoc tempore contigit.

Ann.

Ann. Chriſt.464. 465. & 466. Hilari Rom. Pontif. 4. 5. 6. Leonis Imper. 8. 9. 10. Seueri 4. & 5.

1 TVM Hiſpania, tum Gallia, hoc tempore ab Euarico Gothorum Rege premebantur. Iſidorus *in Chronic. Gothor.* Seueri Imperatoris obitus contingit. Caſſiodorus *in ipſo.* Leo autem Imperator adeo veneratus eſt Danielem Stylitam, de quo in ſuperioribus, vt ad ipſius pedes proſtratus (rarum Chriſtianæ pietatis exemplum) ipſos veluti ſacrum aliquod tangeret, & cum donarijs decoraret. Ipſe viciſſim Conſtantinopolitanæ vrbis incendium, tum ipſi, tum Gennadio Patriarchæ prædixit: fuit autem adeo ingens, vt fere vniuerſam contriuerit Ciuitatem. Ceſſauit porro tempore ab eodem Daniele deſignato. Sic Deus amicos ſuos decorare ſolet. Acta Danielis apud Surium *die* 11. *Decemb.* vbi & alia. Huius temporis caſus.

2 Clarus erat eo tempore vnus Marcellus Monachus, & Monaſterij *Acæmetarum*, ſeu non dormientium Abbas, vel Archimandrita. Cuius vitæ compendium ex ea quam Metaphraſtes ſcripſit, & habet Surius *die* 29. *Decembr.* tale eſt. Apamienſis patria fuit; Antiochiæ litteris operam dedit; ſuis bonis in pauperes collatis, venit Epheſum. Diu laborabat in ſcribendo, noctu vero orando. Byzantium inde veniens in *Acæmetarum* Cœnobio habitum Monachi induit, humilitati, ſi quis alius, ſtuduit; item patientiæ ſuos tolerando obtrectatores, qui nunquam deſunt piè viuentibus in Chriſto. Fratrum ſuſcepit Præfecturam; & quo plus fugit ſæculi gloriam, eo magis fit celebrior. Miris, & miraculis pluribus enitens, fœliciter tandem e vita migrat ad Dominum. Exemplum piorum Monachorum, prout hæc, & alia, de quibus in ſequentibus, oſtendunt. Marcellus Monachus, & Archimandrita.

3 In hac porro Marcelli hiſtoria a Metaphraſte ſcripta, & a Surio relata, plures, ipſique inſignes referuntur Monachi. Videlicet, Alexander, a quo Marcellus monachiſmum ſuſcepit; Ioannes, & Iacobus; Sergius, & Eliſeus; Gaudioſus, & Thalaſius; item Lucianus; quos commemoraſſe oportuit, non ſolum vt noſtræ Monaſticæ hiſtoriæ filo ſatisfiat; ſed & quia plures ex illis ex eo Monaſterio *Acæmetarum*, ſeu non dormientium erant. Sic compellato, quia in illo (ſicut in alijs, quæ ab eo id acceperunt) iugis erat & continua nullo ſomno interpolata Dei laus, & glorificatio. Vt vel hinc Monachi diſcant, tam ſanctum, & perennem Dei cultum, & Deo gratiſſimum, & Religionum augmento, ac perfectioni aptiſſimum eſſe; & a veritatis tramite declinare, qui ipſi aduerſantur. De hoc autem *Acæmetarum* Cœnobio nonnulla Benedictus Haeftenus *in diſquiſit. Monaſtic. lib.* 1. *diſquiſit.* 9. & 10. ex Metaphraſte, Nicephoro, & alijs, vbi etiam quod obſeruarent propriam Regulam; & ſe dubitare an obſeruarent etiam Baſilianam. Sed, Monachi clari Acæmetæ.

ſi pro-

ſi propriam Regulam habebant, vt quid egerent Baſiliana? Merito ergo inter Monachos Inſtituti communis, & ante D. Baſilium in Oriente vigentes hi Aſcæmetæ cenſendi; & non inter Baſilianos, vt putant aliqui huius S. Inſtituti ſtudioſiores. De hoc autem Alexandro, plura, recteque concinnata habet Bollandus *in Actis Sanctor. tom. 1. 15. Ianuarij.* Vbi etiam de Ioanne Calybita viro clariſſimo, qui inter Acœmetas numeratur.

Alij in Galliis. 4 Alij etiam illuſtriſſimi Monachi in partibus Occidentalibus Galliarum hoc tempore florebant. Ex illo præſertim celeberrimo Lirinenſi Monaſterio. Scilicet Sanctus Maximus Regienſis Epiſcopus ad eam dignitatem euectus poſt deceſſum S. Proſperi ex Abbate eiuſdem Monaſterij. Item Fauſtus ex eodem Monaſterio etiam aſſumptus. An verò hunc ſplendorem propter errores Semipelagianorum amiſerit, alibi dicetur. Quod autem Fauſtus iſte Regienſis ad Benedictinum Inſtitutum non pertineat aptè oſtendit Baronius *tom. 6. ſub ann.* 494. §. *At vero* dicens: *Quid ad eundem* (id eſt S. Benedictum) *pertinet Fauſtus Regienſis Epiſcopus, qui eodem cum Cæſario vixit tempore?* Carpit in hoc doctiſſimum Trithemium, qui in ſuo *de Viris illuſtrib. Ordin. S. Benedicti libro*. hunc Fauſtum Benedictinæ familiæ adſcribit, occaſionem præbens alijs iunioribus, vt idem facerent tam inconſultè.

Ailbeus, ſeu Alueus. 5 Florebat circa hoc tempus S. Ailbeus, ſiue Alueus Mumonienſium Cœnobiarcha, Hiberniæ Inſulæ alter Patritius. Fuit autem ante S. Patritij prædicationem a noſtro illo Palladio, de quo *ſub ann.* 429. actum, ad fidem conuerſus; in Gallia ſub S. Hilario Arelatenſi Epiſcopo in Monachatu, & litteris educatus, Romæ ordinatus; & in patriam miſſus eiuſdem Patritij Coadiutor extitit, toti Mumoniæ Præfectus, & factus Archiepiſcopus Imlilenſis. Vnde dicitur Cœnobiorum, & Sanctorum Mumoniæ Pater: ad ipſorum namque petitionem Regulam Monaſticam ſcripſit, quæ metro Hibernico eſt digeſta, & refertur ab Haeſteno *ſupra diſquiſ.* 16. En iam lector, legiſlatores alios præter Baſilium, Auguſtinum, poſt ipſos in Orbe extitiſſe. Quod ſæpius inculcandum pro intento noſtro, & dictis *in Appar. cap. 1.*

Mochteus, ſiue Maccæus. 6 Prope idem etiam tempus Mochteus, ſiue Maccæus, cognomento Bacciarius, natione Brittannus, S. Patritij diſcipulus, & in prædicatione apud Hibernos ſtrenuus Coadiutor, Pater erat Monachorum, ipſiſque legiſlator, & Regulæ conditor; vtique propriæ, non Baſiliani, Auguſtiniani, aut Benedictini Inſtituti. Vitæ Religioſæ norma ipſe effectus (quod vtinam omnes Monachorum Præſides æmulari curarent) *Ipſe ante illos præibat in iuſtitia, & ſanctitate coram Deo.* Item *præibat omnes, & aliorum nemo illum poterat ad tam ardua ſequi.* Hæc ex ipſius vita, Iocellino *in Vit. S. Patritij cap.* 13. & 135. & alijs pluribus Haeſtenus *in diſquiſit. Monaſtic. lib. 1. Tract. 5. diſquiſit.* 17. De ipſo etiam Balæus, Pitſeus, Geſnerus, Poſſeuinus, & alij ſub nomine *Bacciarius*.

Ad

7 Ad hoc tempus, annum videlicet Chriſti 465. referri debet feliciſſimus tranſitus magni illius Archimandritæ Euthymij, Laurarum Palæſtinæ, quæ antiquæ erant Prophetici Ordinis habitacula, prout ex dictis in ſuperioribus in propatulo eſt, Coloni, & propagatoris eximij. Cuius laudes, virtutes heroicas, & geſta inſignia Cyrillus Monachus ipſius diſcipulus diligenter collegit, & extant apud Surium *tom.* 1. *pro die* 20. *Ianuarij*, & Bollandum in Actis Sanctorum *pro eadem die*. Non gratis, nec ſine fundamento inter Eliæ æmulatores hunc Euthymium a nobis recenſeri poſſe, quæ diximus *ſub ann.*419. *num* 4. & 5. ſufficienter oſtendunt: Eo præſertim, quod Lauræ illæ veluti Eſſeni Monachatus ſcholæ fuerunt, prout etiam comprobant, quæ *ſub ann.*435. exarata reliquimus. Plurima porro, quæ de ipſo referuntur, alij relinquentes, ea quæ veluti pro teſtamento ſuis Sodalibus morti vicinus reliquit, charitatem, humilitatem, & diuinarum laudum celebritatem, eis communem hic apponimus, ipſius Chronologi Cyrilli verbis. *Patres mei, & fratres dilecti in Domino, & filij, ego quidem iam poſtremam viam meorum patrum ingredior; vos autem oportet veſtrum in me amorem in cuſtodiendis præceptis oſtendere: ex quibus præcipue eſt charitas, quæ eſt vinculum virtutum perfectionis. Quod enim ſal pani, hoc eſt charitas virtutibus. Nec ſine ea fieri poteſt, vt ſe virtus recte gerat: quandoquidem vniuerſa virtus per charitatem, & humilitatem firma, & ſtabilis cognoſcitur. Nam humilitas quidem nouit eum qui ea vtitur ad ſummum recte factorum extollere: Charitas vero, & firmiter continet, nec ſinit vt cadat ab illa altitudine. Eſt autem Charitas maior humilitate; quod quidem manifeſtum eſt ex ipſo exemplo Domini, & opificis. Nam propter ſuam in nos charitatem ſeipſum ſua ſponte humiliauit, & factus eſt ſicut nos. Oportet ergo ei perpetuo confiteri, & hymnos offerre. Nam hæc quidem omnes, vt ſemel dicam, homines honeſtum eſt exercere. Nos autem præ cæteris, & propter pacta conuenta cum eo inita, & quod ab omni perturbatione liberi, & a negocijs quæ ad victum comparandum pertinent minime diuulſam, & diſtractam vitam noſtram agamus, & ſoli nobis ipſis ſeorſum attendamus. Et corpora, & animas, o fratres, ſemper caſtas conſeruare oportet, & conſueta in ſynaxi glorificatio, & quæ nobis deſuper tradita eſt regula conſeruanda eſt a vobis omni diligentia.* Si porro quiſquam tanti Monachorum Patriarchæ corporis effigiem animi indicem, ſcire deſiderat, audiat eundem authorem ſic dicentem; *Habitu quidem erat minime fictus, et mitiſſimus, adſpectu autem teres et albus, valdeque lætus, et iucundus ad videndum, omnino canus propter ætatem, paulo breuior, denſa barba, et vſque ad zonam promiſſa, membris ſanus, et integer, vt cui non digitus, non vnguis, non dens, non parua, nec magna pars abeſſet corporis.* Ipſius apotheoſim habeat lector ex Martyrologio Rom. *pro* 20. *Ianuarij*. Pro quo etiam legendus Bollandus relatus, & idem Cyrillus in vita S. Sabæ.

Obitus S. Euthymij.

Ann. Chriſt. 467. vſque ad 470. Hilari Rom. Pontific. 7. Simplicij 1. 2. & 3. Leonis Imp. 11. vſque ad 14. Anthemij 1. 2. 3. & 4.

Caſus huius temporis.

1 OCCIDENTALE Imperium hoc tempore nactus eſt Anthemius. Hilarus vero Summus Pontifex cæleſtia Regna, ſucceſſorem habens Simplicium. Sic ex Euagrio, Nicephoro, & alijs noui Chronologi.

Monaſteria Romæ extructa.

2 Ex Anaſtaſio verò Bibliothecario habemus pro noſtra Monaſtica hiſtoria, quod Hilarus Papa *fecit Monaſteria ad S. Laurentium, & balneum, & Prætorium S. Laurentio*. Item: *Ad lunam vero Monaſterium in Vrbe conſtruxit*. An virorum, an fœminarum, incertum, nec Baronius, Ciaconius, aut alij id commemorant. Cuius etiam Inſtituti? Baſiliani Ordinis zelatores ſibi aſcribent; noſtri, antiquo Eliano; quod, vt dicitur, intentionem ſuam fundatam habeant ſuper Monachorum vetuſtorum poſſeſſionem, ſi aliud non probetur.

Simplicius Papa.

3 Spectat & ad eandem hiſtoriam, quod S. Simplicius Papa, hoc tempore, præter plures Eccleſias in Vrbe ædificatas, Tiburi patria ſua inſigni Ciuitate non procul Roma ſita, Eccleſiam aliam *S. Petri* titulo egregiam extruxerit; quæ fœlici ſorte noſtris Carmelitis temporibus ſequentibus, vt ſuo loco notabimus, ceſſit; cuius veteris ædificij maieſtas non mediocrem excitat deuotionem. Eo etiam venerabilis valde quod corpus S. Zotici Martyris ſub Ara maxima in vrna marmorea conditum ſeruauerit. Hæc, quæ ex monumentis eius Monaſterij accepimus habeat lector ex Vghelio *in Tiburtinis Epiſcop. 1. volum. Ital. Sacr.* ac ex Franciſco Martio Canonico Tiburtino *in hiſto. eiuſd. Ciuit.*

Marcelli viſiones.

4 Clarus erat cæleſtibus viſionibus Marcellus Archimandrita Monaſterij Acæmetarum, de quo ſuperioribus annis actum; prout ex Actis eius apud Surium *die 29. Decembris* habet lector. Et inter illas, quod Leo Imperator pugnando ſuperaturus eſſet Aſparem Arrianum ipſius inimicum, prout euentus comprobauit. Ipſi porro repræſentati in viſu ſunt, Leo Imperator ſub Leonis ſpecie, Aſpar verò ſub draconis. En quomodo ſuis amicis per ſimilium reuelationum manifeſtationem Deus futura propalare ſoleat. Quod dictum contra parum pios aliquos, qui ſimilia in Diuis aſpernari ſolent.

Monachi celebres.

5 Commendantur, & in hac Marcelli hiſtoria plures alij celebres Monachi. Vnus *Macedonius* appellatus, qui *vitæ puriſſimæ, & propheticæ* fuiſſe dicitur: quo Propheticum Inſtitutum ſectatum fuiſſe adumbratur. Alter Sergius Abbas circa fluuium Euphratem, qui meruit videre duos quoſdam veſte candidos, forma vero coruſcantes, Angelos ſcilicet, qui Marcellum orantem humo tollebant, & ſubleuabant. Alter Eliſeus etiam Abbas Monaſterij, quod erat in Deſſa, qui virtutes S. Marcelli, &

li; & formam corporis, etiam abſens, a Deo diſcere potuit. Petrus, Lucianus, & Thalaſius eius diſcipuli. Gaudiolus Præſes Monaſterij ad Pontum Euxinum, qui plenus diuino ſpiritu, & gratijs commendatur.

Ann. Chriſt. 471. vſque ad 474. Simplicij Rom. Pontif. 4. 5. 6. 7. Leonis Imperat. 15. 16. 17. & 18. Anthemij 5. 6. Olibrij, Glycerij, & Zenonis 1.

1 VEXABANT hoc tempore Gothi Arrianorum labe infecti Chriſtianitatem totam. Ricimerus nempe Romæ: in Hiſpania, & Gallia Euaricus Rex; in Africa Gensericus. Quo etiam, circa annum videlicet 474. Leonis Imperatoris vita finem habuit; ſuccedente Zenone hæreſum fautore, & improbo homine; in hoc tamen laudabili, quod miſericors, & eleemoſynarius eſſet. Occiſo etiam Anthemio Imperatore, ſucceſſit Olibrius, & poſt eum Glycerius, & Glycerio Nepos. Sic noui Chronologi antiquiorum inhærentes veſtigijs.

2 Pro noſtra Monaſtica hiſtoria occurrit, quod cum Leo Imperator ante ſui obitum cognouiſſet Monachos quoſdam Eutychiana fœditate infectos a Monaſterijs exeuntes de Eccleſiæ dogmatibus diſceptaſſe, & ſimplicem populum a veritate auertiſſe, contra illos ſanctionem fecit, iubens ne poteſtatem haberent a Monaſterijs exeundi, aut in Antiochia, alijſue Ciuitatibus verſandi, niſi Apocriſariorum, ſeu Procuratorum munere fungerentur; ijque cauerent ne de Religione, aut dogmatibus diſceptarent, aut conciliabulis præeſſent, populum ſimplicem a veritate auertentes. Hæc autem eo ſancita creduntur, quod e Religioſiſſimo Acæmetarum Monaſterio (quis hoc crederet) monſtrum quoddam, ſicut Iudas ex Apoſtolis, exierat, nempe Petrus Cnapheus cognomento Fullo, qui Eutychiani erroris dogmatizator erat. Sic ex Theodoro *lect. Collectar. lib. 1.* & Alexandro *in ſerm. de S. Barnaba apud Surium tom. 3.* infert Baronius, & qui eum ſequuntur *ſub ann.* 471. Fuit nebulo iſte e Monaſterio expulſus (vt vel hinc eliciamus ipſius prauitatem ſanctis alijs Monachis nullum præiudicium attuliſſe) & vagus per Ciuitates. Antiochiam appulſus, contra Martyrium eius Ciuitatis Antiſtitem multa machinatus, fauente Zenone Imperatore, tandem illum e propria Sede ſub prætextu expugnandi Apollinariſtas, & Neſtorianos eiecit. Martyrius idcirco Patriarchatui renuncians hæc in publica Eccleſia proclamauit. *Clero immorigero, populo rebelli, & Eccleſiæ contaminatæ renuntio, ſeruata interim mihi ſacerdotij dignitate.* Cnapheus ergo Sedem Epiſcopalem inuaſit, ſed ab Imperatore in exilium ablegatus fuga elapſus exilium euaſit. Theodorus, & Alexander *ſupra*, & Liberatus Diaconus *in Breuiar. cap.* 18. Cum vero Martyrius iſte propter defenſionem Chalcedonenſis

De Monaſtica hiſtoria.

Synodi hæc paſſus fuerit, augetur dubium, de quo *ſub ann.*458. actum, an ſcilicet fuerit idem cum eo Martyrio Timothei e Carmeli alumnis diſcipulo a Capraſio Antiochiam miſſi, vt Eutychianis obſiſteret, iuxta dicta ex Boſtio, & Palæonydoro *ſub ann.*448. Rei tamen deciſio nobis incomperta.

S. Sabas. 3 S. Sabas fulgentiſſimum ſydus Monaſtici firmamenti, & totius Eccleſiæ, hoc æuo fuit. Patria fuit Cappadox, natus in vico Mutalaſca; a conſanguineis autem non bene habitus, omnibus relictis, ſe ipſum tradidit Monaſterio, quod vocabatur *Flauianæ*, viginti ſtadijs a Mutalaſca diſtito. Ibi gulæ compeſcendæ, ventris curationi contemnendæ, otio vitando, vigilijs ſectandis, incumbebat. En Monachi inſignia. Petita poſt hæc Abbatis ſui licentia ad loca ſancta perrexit; vbi primum in Monaſterio Ieroſolymitano S. Paſarionis per aliquod tempus vixit. Alia de ipſo in ſequentibus, & multo plura apud Cyrillum in vita S. Sabæ, quæ extat in Surio *tom.6. pro die* 5. *Decembris*, in quibus tepidi Monachi confuſionem, & feruidi magiſterium reperient. Quæ nobis vel commemoranda fuerunt, quia, etſi hic clariſſimus Sabas ex Baſilij Monachis reputari poſſet, quia in partibus Cappadociæ, vbi Baſilius ſui Inſtituti primordia auſpicatus fuit, Monachiſmo ſe tradidit; quia tamen poſtea Euthymij, & aliorum, qui Palæſtinæ Lauras colebant, ſcholam ſecutus fuit, cum illi vetus illud Elianum, & Eſſenum anachoretiſmum ſecuti fuerint, prout ſæpius inculcatum, idem videtur de hoc Saba exiſtimandum, ſaltem dum clariora Baſiliani Inſtituti ſectatores non protulerint. Vnde noſtro Inſtituto eum accenſet de exteris Scriptoribus Ægidius Gelenus in Opere de *Coloniæ Agrippinæ magnitudine lib.*3. *Syntagm.*43.

Fauſtus, Lupus, & Sidonius. 4 Circa hæc etiam tempora Fauſtus ex Abbate Lirinenſi creatus fuit Epiſcopus Regienſis, de quo, & erroribus, quibus eius libri ſcatent, alibi dicetur. Item Lupus ex eodem Cœnobio Trecenſis Epiſcopus, de quo *ſub ann.*426. dictum, & Sidonius *lib.*6. *epiſt.*1. Item ipſe Sidonius ex eodem pariter Conuentu Auernenſis Epiſcopus factus. Quos omnes inſignes viros fuiſſe, vel ex ipſo Sidonio in ſuis Epiſtolis elicitur. Sanè; ſicut olim e Monaſterijs ad Eccleſiarum Præſulatus vocabantur Baſilius, Epiphanius, Nazianzenus, Cyrillus & alij ſanctiſſimi Epiſcopi; ſic poſtea ex illo clariſſimo Lirinenſi Muſæo celebres iſti prodierunt. Neque enim fas olim iudicatum fuit Epiſcopos ex Principum aulis, aut ſæcularibus mercimonijs ad tantum faſtigium euehi; neque ex ipſis Monaſterijs eos quos ambitio, & non pietas euocabat. Qualiter verò (quod etiam hoc noſtro æuo non ſemel accidit) multa obijcerentur contra Monachos illos, qui ad Epiſcopalem dignitatem euehebantur, ex eiuſdem Sidonij elegantiſſimis verbis, quæ propterea *ſub ann.*472. §. *Si quemquam* Baronius tranſcripſit, hic damus. *Si quemquam nominauero Monachorum, quam illum Paulis, Antonijs, Hilarionibus, Macarijs conferendum, ſectatæ*

anacho-

anachoreſeos prærogatiua comitetur: aures illico meas incondito tumultu circumſtrepitas ignobilium pumilionum murmur euerberat conquerentium: Hic qui nominatur (inquiunt) non Epiſcopi, ſed potius Abbatis complet officium, & intercedere magis pro animabus apud cæleſtem Iudicem poteſt, quam pro corporibus apud terrenum Iudicem. Sed quis non exacerbeſcit, cum videat ſordidari virtutum ſinceritatem criminatione vitiorum? ſi eligimus humilem, vocatur abiectus; ſi proferimus erectum, ſuperbire cenſetur; ſi minus inſtitutum, propter imperitiam creditur irridendus; ſi aliquatenus doctum, propter ſcientiam clamatur inflatus; ſi ſeuerum, tanquam crudelis horretur; ſi indulgentem, facilitate culpatur; ſi ſimplicem, deſpicitur vt brutus; ſi acrem, vitatur vt callidus; ſi diligentem, ſuperſtitioſus decernitur; ſi remiſſum, negligens iudicatur; ſi ſolertem, cupidus; ſi quietum, pronuntiatur ignauus; ſi abſtemium producimus, auarus accipitur; ſi eum qui prandendo paſcat, edacitatis impetitur; ſi eum qui paſcendo ieiunet, vanitatis arguitur. Libertatem pro improbitate condemnant; verecundiam pro ruſticitate faſtidiunt; rigidos ob auſteritatem non habent caros; blando apud eos communione vileſcunt. Ac ſi apud eos vtrolibet genere viuatur, ſemper hi tamen bonarum partium mores, pungentibus linguis maledicorum, veluti bicipitibus hamis inuncabuntur.

5 Adaptantur ad amuſim etiam huic tempori ea, quæ noſter Boſtius *lib.1. Specul. hiſtor. cap.10.* ſcripſit: *Anno Domini 471. vt in Chronicis Græcorum legitur, Saracenis Ægyptum, & Syriam incurſantibus, Sanctimoniales in Bethlehem, verſus Romam nauigant cum cæteris clauſtralibus Terræ ſanctæ Virginibus.* Quæ propriiſſima noſtræ hiſtoriæ ſunt, cum Bethlehemiticæ iſte Virgines Deo ſacræ Elianæ fuerint, vt ex multis, quæ præcedenti tomo adduximus, elici valet. Sanctimoniales Bethlehemiticæ Romā pergunt.

Ann. Chriſt. 475. 476. & 477. Simplicij Rom. Pontif. 8. 9. & 10. Zenonis Imper. 2. 3. & 4. Auguſtuli 1. Odoacri Reg. 1. & 2.

1 ORESTES magiſter militum Nepotis Imperatoris contra ipſum rebellans filium ſuum Momilium *Auguſtulum* nuncupatum Imperatorem acclamari fecit. Sanè vt Romanum Imperium ab Auguſto inchoatum in Auguſtulo deficeret; ſiquidem Odoacer Erulorum Rex in Regem Italiæ inauguratus fuit, Arrianus quidem. Zeno etiam Imperator Baſiliſcum tyrannum inuaſorem paſſus eſt, hæreticum quoque, & Chalcedonenſis Synodi hoſtem iuratum. Vita functus hoc tempore fuit Genſericus Vvandalorum, Hunerico ipſi ſuccedente. Hæc de communi hiſtoria veteres, & noui Scriptores. Geſta in Orbe.

2 Ex noſtra verò occurrit ille Timotheus in Alexandrinum Patriar- Timotheus.

 cha-

chatum intruſus, & ex Monachis vnus, iuxta dicta in ſuperioribus; qui cum a ſuis Eutychianis exilij liberationem obtinuiſſet, reuerſus eſt Alexandriam, & ibi Timotheum alium Catholicum ſubrogatum Antiſtitem explodens, Conſtantinopolim adnauigauit, veluti triumphans. Sed cum quæreret Baſilicam aliquam, quam occuparet, non ſolum Clerici, ſed & Monachorum Archimandritæ conſtantiſsimè reſtitere, ad Summum etiam Eccleſiæ Paſtorem Simplicium Papam per Epiphanium virum delectum legationem mittentes. Qui litteras ad Zenonem Imperatorem ea de cauſa ſcripſit, illi notificans Monachorum ſcripta, Timothei ſcelera, & eiuſdem Imperatoris prædeceſſorum geſta, vt illis permotus Eccleſiæ negotijs fauere non prætermitteret. Item ad Acacium Conſtantinopolitanum Antiſtitem ferè eadem de re; & ad præfatos presbyteros, & Archimandritas. Hæc & ſimilia apud litteras Simplicij Papæ reperiet lector. Eliciat quæſo ex illis, quod non ſemel animaduerti datur, quod ſi quandoque vnus, vel alius ex Monaſtica ſchola aduerſarius fidei oſtenditur, pro illo vno mille alij Monachi eam propugnant, ſicut contigit in caſu iſto Timothei ſcelerati Monachi, cui tamen quamplures alij eiuſdem Inſtituti opponebantur. Hæc ex vetuſtioribus noui Chronologi.

Daniel Stylita.

3 Inter iſtos ſanctos Monachos valde eminebat Daniel ille, de quo in ſuperioribus, quod velut alter Eliſeus Eliæ, ipſe Simeoni Stylitæ in vitæ prodigioſæ ratione ſucceſſerat. Is enim Zenoni Imperatori ſicut alter Daniel Nabuchodonoſori, ab Imperio repulſam, & herbarum paſtum veridicè prænunciauit. Ab Acacio etiam Conſtantinopolitano vocatus pro fidei defenſione, Zenonem aduerſarium ſic obiurgauit: *Diſrumpet Deus regnum tuum.* E columna igitur deſcendit, & Conſtantinopolim adijt, Deo ſic iubente; vt miraculis corruſcans Catholicæ veritatis propugnator fieret glorioſior. Hæc & alia de ipſo in ipſius vita apud Surium 11. Decembris, Nicephorum, & Theodorum lectorem.

Martyrius, & Elias.

4 Clari quoque erant duo alij montis Nitriæ quondam Anachoretę, nomen vni Martyrius, natione Cappadox; alteri Elias, qui erat Arabs. Hi ad S. Euthymium, de quo in ſuperioribus, venientes, & apud ipſum diuerſantes, ſanctæ ipſius conuerſationis conſortes effecti fuerunt. Ex quibus Martyrius in Sede Ieroſolymitana ſucceſsit, & cum vellet ſtudia hæreticorum in ea Ciuitate nefandiſsima Theodoſij Opera diſſeminata penitus eradicare, ad Zenonem Imperatorem Legationem per Phidum Diaconum miſit; ſed is in itinere ab Euthymio per viſionem præuentus, iuſſus eſt ab eo Ieroſolymam redire, & Cœnobium ædificare. De his Cyrillus Monachus in vita S. Euthymij apud Surium, & Bollandum die 20. Ianuarij, nobis vel conciſim notanda, quia hiſtoriam Monaſticam noſtram, & ſanctitatem eximiam clariſsimi Monachi Euthymij redolent.

Ann.

Ann. Chriſt 478. vſque ad 482. Simplicij Rom. Pontif. 11. vſque ad 15. Zenonis Imperat. 5. vſque ad 9.

1 QVINQVENNIVM hoc nullam vidit mutationem in Pontificatu Romano Simplicij, Imperio Zenonis, aut Regno Odoacri. Contigit tamen in ipſo, vt cum Theodoricus Gothus Triarij filius bellum inferre Zenoni Auguſto decreuiſſet, iamque omnia depopulatus ad quartum lapidem Conſtantinopoli diſtantem perueniſſet, ipſa quoque vrbe mox potiturus: coniuratione ſuorum in ſe detecta, a cœpto deſtitit, indeque in Illyricum parans iter, dum quadam die in caſtris equum indomitum agitaret, haſtæ ſuſpenſæ ab equo decuſſæ vulnere in latere accepto, paucos poſt dies obijt. Hæc Marcellinus, & Euagrius: ex quibus Neotherici Chronologi. Huius quinquennij geſta.

2 Extat, quoad nos attinet, memoria celebris hoc tempore S. Abrahæ Monachorum Patris, eorum videlicet qui Lirinenſe Cœnobium pro Regularis diſciplinæ ſtudio muſæum habebant. Fuit is fide, & operibus veteri Patriarchæ ſimilis valde. Namque circa Euphratem natus pro Chriſto quinquennij carcerem ſuſtinuit; inde ereptus Occiduas partes peruenit; Monaſterium rexit; mirifque virtutibus, & ſignis claruit. De eo Sidonius, Gregorius Turonenſis, & Martyrologium Romanum die 15. Iunij. S. Abraham.

3 Contigit & hoc tempore obitus S. Lupi Trecenſis Epiſcopi, de quo *ſub ann.* 426. *&* 471. aliqua diximus, eo quod diſcipulus S. Honorati fuerit, quem Eliadibus noſtris aggregandum fore *ſub ann.* 421. *nu.* 4. *&* 5. haud leuiter oſtendimus. Vnde in ipſius Lupi hiſtoria apud Surium 29. Iulij ſic cernitur: *Euangelicæ perfectionis feruens deſiderio, eximiæ claritudinis, & virtutis virum B. Honoratum alacri animo ſtatuit inuiſere. Erat is Abbas primæ habitationis Lirinenſis Monaſterij. Vbi ad eum peruenit, eius Inſtitutioni ceruicem vltro ſubdens, Dominicæ ſeruitutis ſuaue iugum manſuetiſſimis humeris accepit.* In Monachatu ſui exemplar Monachis reliquit; *Omnigenis ieiunijs, & vigilijs ſeſe afficiens.* In Epiſcopatu vero ſic Eccleſiarum Prælatus: *Ciuibus ſuis viam ſalutis ſemper concionibus ſacris explicabat, & imperitos populi diuina lectione inſtruebat. Porro Clerum quoque ſuum, gratia praeunte, habenis iuſtitiæ ſtrenuè moderabatur.* Eius vitæ ratio talis fuit: *Annis plus minus viginti lectuli quietem neſciens, in tabula cubauit. Veſtis eius perpetuo cilicium fuit. Præter illud vnius tunicæ vſu ſemper contentus, in orationibus alternis noctibus peruigil perdurabat. Biduanis ieiunijs defatigato corpuſculo, libidinis incentiua proſternens, fletibus ora, ſemper in futura intentus, indefeſſè irrigabat. Iugi etiam diſtrictione, & ſeueritate ſabbatum omne non niſi panis hordea-* S. Lupi obitus.

cei eſu tranſmittebat. Hæc & alia ex ipſius hiſtoria lector ruminanda reperiet.

Petrus Cnapheus. 4 E conuerſo Petrus ille Fullo Monachiſmi viperina proles, de quo in ſuperioribus, enormem hæreſim *Theopaſchitarum* dictam, promulgabat, qua non vnam tantum perſonam Trinitatis Deificæ paſſam eſſe dicebat, ſed totam Trinitatem. Quid non faceret ambitioſus Monachus e Monaſterio, tanquam corpus mortuum e ſepulchro egrediens? Pro hoc errore impugnando pugiles aſtant Prateolus, Sanderus, & alij, qui contra hæreticos ſcripſerunt.

Ann. Chriſt. 483. 484. & 485. Felicis Rom. Pontif. 1. 2. & 3. Zenonis Imperat. 10. 11. & 12. Odoacri Reg. 8. 9. & 10.

Geſta huius temporis. 1 SOLVIT naturæ debitum anno 483. Simplicius Papa principio menſis Martij, & poſt dies ſex creatus eſt Felix patria Romanus. Sic ex Anaſtaſio *de Roman. Pontific.* poſteriores. Qui quamprimum Zenonem Imperatorem, & Acacium Conſtantinopolitanum Antiſtitem pro fidei defenſione cohortatus eſt; & Petrum Fullonem Cnapheum dictum, & Pſeudo-Monachum damnauit. Perſecutio etiam in Eccleſia Africana ab Hunerico Vvandalorum Rege promota, in qua, quoad noſtra ſpectat, ſacræ Virgines, plurima, etiam contra iura verecundiæ, & pudoris, paſſæ ſunt. Victor *de perſecut. Vvandalic. lib.* 2. ſic de his: *Præcepit deinde ſacras Virgines congregari, dirigens Vvandalos cum ſuæ gentis obſtetricibus ad inſpiciendum, & contrectandum contra iura verecundiæ verecunda pudoris, vbi nec matres aderant, nec aliqua matronarum. Quas cremantes graui ſuſpendio, atque ingentia pondera pedibus colligantes, laminas ferri ignitas dorſo, ventri, mamellis & lateribus apponebant quibus inter ſupplicia dicebatur: Dicite quomodo Epiſcopi vobiſcum concumbunt, & Clerici veſtri? Quarum acerbitate pœnarum plurimas tunc ſcimus extinctas: aliæ quæ remanſerunt, cutibus areſcentibus factæ ſunt curuæ.*

Acæmetarũ egregium facinus. 2 Extat & egregium facinus omni memoria dignum illorum Monachorum, quos in Conſtantinopolitana ditione *Acæmetas* vocatos fuiſſe in ſuperioribus diximus. Cum enim duo Epiſcopi Vitalis, atque Miſenus Apoſtolicæ Sedis Legati Conſtantinopolim perueniſſent, ibique malè habiti a Zenone Imperatore, vt pote tenti, exuti, & carceri mancipati, poſtea ab Acacio Patriarcha ſeducti, cum eodem Acacio, & alijs hæreticis communicaſſent; Monachi ea de re Felicem Papam per litteras monuerunt, nuncijs ad hoc delegatis; Vitalem, & Miſenum coarguerunt; fidei, ac Summi Pontificis cauſam tuendam ſuſcipientes. Inter eos autem vnus Cyrillus, & alius Simeon ſingulariter referuntur.

Eua-

Euagrius *lib.3. cap.20. & 21.* & ex ipſo poſteriores alij. Hæc porro libentius referimus quo huiuſmodi geſta propria Monachorum eſſe exiſtimamus. Præſertim cum ex Baronio *ſub ann.* 484. §. *Quod vero audiamus, perſeuerauit & in poſterum eiuſmodi in Monachis vna cum S. Romana Eccleſia in fide Catholica defendenda conſtantia, digna quidem laude.* Perſeuerauit & tunc zelus Monachorum pro Papæ authoritate contra Acacium; ſiquidem vnius illorum induſtria actum eſt, vt libellus damnationis contra ipſum e Roma miſſus, quemque recipere renuerat, in eius pallio ſuſpenderetur, vt vel ſic ignorantiam allegare nequiret. Liberatus Diaconus *in Breuiar. cap.*18.

3 Fuerunt etiam Monachi alij eo loco, & tempore, authoritatis Apoſtolicæ, & fidei Catholicæ contra Acacium ſtrenui propugnatores. Vocabantur hi *Dij* a *Dio* Archimandrita ſic cognominati. Ex quibus aliquot eam ob cauſam dira paſſos, occiſos nonnullos, vulneratos alios, & alios carceri mancipatos ex Nicephoro *lib.16. cap.* 17. & Martyrologijs *pro die* 8. *Februarij* habetur. Vbi Baronius *in Notis* animaduertit hos Monachos fuiſſe Monaſterij *Acœmetarum*, & illum *Dium*, a quo ipſi cognominati, ſanctitate fuiſſe celebrem, ac ipſius Natalem diem celebrare Græcos 19. *Iulij*. Alia in Liberato Diacono *in Breuiar. cap.*18. habet lector de rectis factis Monachorum contra Eccleſiæ rebelles. Et in Euagrio *lib.3. cap.22.* de exturbatis aliquibus ipſorum e ſuis Monaſterijs ſimilem ob cauſam. Monachi Dij cognominati.

4 Referri & ad hoc tempus poteſt paſſio ſeptem Martyrum Monachorum, quæ ſub Hunerico Vvandalorum Rege apud Carthaginem Africæ contigit, quam Victor Epiſcopus Vitenſis in fine tertij libri *de perſecutione Africana* affert. Eos enim Monachos fuiſſe deſcribit, & ex territorio Capſenſis Ciuitatis, ac ſepultos in Monaſterio Biguæ continuo Baſilicæ, quæ dicitur Celebrinæ. Quia tamen in illis Africæ, & Carthaginenſis Vrbis partibus florebat hoc tempore Auguſtinianus Monachatus, idcirco credibilius eſt Monachos iſtos, & Monaſteria a Victore relata, quorum aliquot a perſecutoribus Catholicorum Mauris conceſſa dicit, Auguſtiniani Ordinis extitiſſe. Nihilominus vel referri a nobis id decuit, cum Auguſtinus, iuxta dicta tomo præcedenti, ex Eliana familia commilitones acceperit, & res ipſa pietatem Monaſticam, & Monachorum inſtructionem redoleat. Ij porro ſeptem Monachi, ipſomet Victore referente erant, Liberatus Abbas, Bonifacius Diaconus, Seruus ſubdiaconus, Ruſticus ſubdiaconus, Rogatus Monachus, Septimus Monachus, & Maximus Monachus. Septem Martyres Monachi.

5 Geſta tamen S. Sabæ, cum ipſe nihil commune cum Auguſtiniani Monachiſmi aſſeclis habeat, potius cum Palæſtinis, & Laurarum Caritionis, & aliorum Monachorum antiquiſſimorum colonus, propriora noſtræ hiſtoriæ ſunt. Hæc verò ex Cyrillo in vita eiuſdem Sabæ apud Surium *die* 5. *Decembris* huic tempori congrua excerpſimus. Calumnijs S.Sabę geſta.

quorundam imperfectorum Monachorum impetitur; nunquam enim viris ſanctis perſecutio defuit. A Deo tamen protectus maiori honore, Presbyteratu ſcilicet, honoratur a Salluſtio Ieroſolymorum Antiſtite, apud quem accuſabatur. Sic enim Deus Optimus ex prauorum nequitia bonorum haurit exaltationem.

Ann. Chriſt. 486. vſque ad 490. Felicis Rom. Pontif. 4. 5. 6. 7. & 8. Zenonis Imper. 15. vſque ad 17. Odocri Reg. 11. vſque ad 15.

Geſta huius temporis. 1 TOTO hoc quinquennio durauit Zenonis Imperium; & cum ipſo Eccleſiæ Orientalis turbata facies, propter Eutychianæ, & Neſtorianæ hæreſum dolendam propagationem. Licet, Deo ſapientiſſimè prouidente, Petri Fullonis Pſeudo-Monachi, & improbi Chriſtiani, ac Acacij Conſtantinopolitani mortes feliciores Catholicæ Eccleſiæ profectus afferre poſſent. Gennadius, Theodorus lector, Nicephorus, & alij, quos vt duces Neotherici ſequuntur.

Monachi illuſtres. 2 De Monachorum egregijs factis occurrunt primo miracula S. Seuerini iam demortui meritis a Deo patrata. Deinde S. Antonij eiuſdem Seuerini diſcipuli ſanctitas, donum Prophetiæ, & in Monaſtica diſciplina miræ exercitationes, vt propterea in ſuo Lirinenſi Monaſterio fine ſancto quieuerit. *S. Antonius.* Sic Baronius ex Eugippio, & Ennodio *ſub ann.* 488. Notans etiam hoc Lirinenſe Cœnobium ad Monachos S. Benedicti peruenisse, quod valde notandum lectori erit, vt inde eliciat quod etſi temporis curſu plura vetuſti Monachiſmi Cœnobia ad Inſtituta S. Baſilij, S. Auguſtini, & S. Benedicti declinauerint, non ex eo inferri in primæua ſui origine Eliani, & Eſſeni Inſtituti propagines non extitiſſe. Obijt etiam ſanctiſsimè magnus ille Daniel Stylita, de quo in ſuperioribus; ætate octogenarius, ad verecundiam delicatè viuentium Monachorum, eo fine vt vitam prolongare poſsint; miraculis clariſsimus, ad inſtructionem etiam noſtram, vt vel ſemel agnoſcamus pœnitentialem vitam permaximè Deo placitam eſſe, & dignam quod talibus prodigijs ab ipſo decoretur. Alia miranda ipſius lector in Actis eiuſdem apud Surium *die* 11. *Decembris*.

S. Fulgentius 3 Occurrit circa id tempus memoria S. Fulgentij Ruſpenſis Epiſcopi, qui ſub perſecutione Vvandalica hoc tempore vigente, ſanctitate fulgebat. Is primo, felicitate Monachorum Deo iugiter ſeruientium comperta, ad eorum conſectandam vitam animum induxit. Monachatum induit; matri renuenti conſtanter reſtitit; abſtinentiæ ſic deditus fuit, vt inediæ magnitudo corporis cutem ſiccatam vlceribus fœdaret. Abbas deinde Monaſterij effectus, Arrianorum perſecutione fugam cum Monachis capere cogitur, & poſt varia diſcrimina, ærumnas, & labores

pro

pro Chriſto perpeſſa, ad Ruſpenſem Epiſcopatum euehitur. In hoc munere Monachum non exuit, ſed profeſſionis ſuæ integritatem ſeruauit; nunquam pretioſis veſtibus ornatus, lautè cibatus, carnibus nutritus, aut vino, dum eſſet ſanus, vſus. Alia egregia ipſius geſta habet Surius *prima die Ianuarij*, nobis vel indicanda, quia ſiue locum, in quo habitabat Monachatum gerens, ſiue veſtes, quibus induebatur, ſiue profectionem ipſius in Ægyptum, de quibus ibi fit ſermo, inſpiciamus, commune vetuſtorum Elianorum Inſtitutum, non ſpeciale huius, vel illius Inſtitutoris, ſectatum fuiſſe conſpiciemus. Ex ipſo non prætermittendum, quod in Inſula Sardinia, ad quam reportatus fuerat, iuxta Calarim, vt videtur, Monaſterium extruxerit; & quod diceret illos eſſe veros Monachos, *qui mortificatis voluntatibus ſuis parati eſſent nihil velle, nihil nolle, ſed Abbatis tantummodo conſilia, vel præcepta ſeruare*. Illud etiam ibi habetur: *Lectionis ſtudium non habentes minus diligebat, nec honore maximo dignos iudicabat*. Quæ notent, obſecro, Monachi otioſi ſtudijs non vacantes.

4 Clarus etiam inter Monachos erat Claudianus Mamerci Epiſcopi Viennenſis germanus, librorum deſcriptor, probitate, & ſanctis operibus plenus, & propterea valde a Sidonio Apollinari commendatus; quem Monachum appellamus, ac perinde a noſtra hiſtoria non alienum quia de ipſo idem Sidonius in Epitaphio ipſius dixit. Claudianus Monachus.

Quam totam Monachus virente in æuo
Secreta bibit inſtitutione.

De ipſo is Sidonius *lib.*4.*epiſt.*3. *&* 11. & alij.

5 Erat & alius ſub hoc tempore Monachus, Leontius nomine, vir doctiſſimus in ſacra Scriptura, quam, vt Suidas *verbo Leontius* refert, *prophetica gratia* declarabat. Quod ad memoriam nobis reuocat propheticum Inſtitutum, cuius aſſecla ipſe videtur fuiſſe, & non alterius noui, aut ſpecialis. Multos habuit ſectatores: & contra Zenonem Imperatorem parum æquum in Chriſti Eccleſiam, ſcripſit; inter alia eum carpens quod capillos tingeret, & faciem fucaret, de quo & Monachi meritò Imperatorem etiam notabant. Hæc ex Suida *ſupra*, a Baronio accepta *ſub ann.*490. §. *Cum autem*. Leontius Monachus.

Ann. Chriſt. 491. 492. & 493. Felicis Rom. Pontif. 9. Gelaſij 1. & 2. Anaſtaſij Imperat. 1. 2. & 3. Odoacr. Reg. 16. & 17. & Theodoric. 1.

Principum mutationes. 1 HVIVS temporis variæ fuerunt mutationes. Primò enim poſt Felicis Papæ obitum Gelaſius ſucceſſit. Secundò, Zenone Imperatore infeliciter mortuo (viuus enim ſepulturæ traditus creditur) Anaſtaſius creatur. Tertiò, Odoacer Italiæ Rex a Theodorico interemptus ipſi Regnum reliquit. De his Euagrius, Cedrenus, Zonaras, Procopius, Marcellinus, & alij, quibus adhærent Iuniores.

S. Ioannes Silentiarius, & alij Monachi. 2 Vocant nos propriora de S. Ioanne Silentiario appellato, qui hoc tempore Monachatum egregijs virtutibus illuſtrabat. Hic enim veſtigia ſecutus Ieremiæ, Petri, & Pauli genere Armeniorum, ac profeſſione Monachorum, ad Lauram S. Sabæ venit, Epiſcopatu relicto in Armenia, cuiuſdam ſtellæ lucis ductu, quæ ſignum Crucis habebat. Cum ipſo multa didicit, multa geſsit, pluraque in exemplum futurorum ſæculorum ſpiritualium fructuum germina produxit, ad inſtructionem fidelium, vt vel inde agnoſcant tantam eſſe Monaſtici ſtatus perfectionis dulcedinem, vt ad eam libandam etiam Eccleſiæ Paſtores quandoque, & debitis circunſtantijs obſeruatis, deſcendere queant. De hoc celebri Ioanne, & alijs, qui cum ipſo viuebant Monachis, Cyrillus Monachus *in Vit. S. Sabæ* apud Surium *tom.6.* Lippomanum etiam *to.6.* Baronium, & qui eum compendiant *ſub ann.*491. Refertur autem a nobis veluti conſors Inſtituti Monaſtici S. Sabæ, quod an Elianum fuerit *ſub ann.*471. diximus.

S. Patritij obitus. 3 Refertur etiam ad idem tempus obitus S. Patritij Hiberni, de quo *ſub ann.*432. dicere cœpimus; de pellucidiſsimo veluti Monaſticæ perfectionis ſpeculo. Ita enim ex Mariano Scoto elicit Baronius *ſub ann.*491. *in fine*. Licet Ioannes Pitſeus *in lib. de Illuſtrib. Brittanniæ Scriptorib. n.*41. anno ſalutis humanæ 490. obitum eiuſdem, cum eſſet annorum 122. referat. Id certius, ſanctiſsimum hunc Dei virum miraculorum gloria clarum bonis operibus plenum patriam decoraſſe. De quo Probus Hybernus, Proſper Aquitanus, Beda, & Acta S. Vvinuualoci Abbatis apud Surium die 3. Martij clamant.

Plures SS. Monachi. 4 Ex hiſtorijs etiam SS. Euthymij, & Sabæ a Cyrillo Monacho deſcriptis plures ſancti Monachi innoteſcunt, quorum geſta hiſtoriam noſtram illuſtrant. Eo magis quod illi propagines erant vineæ Elianæ in Cœnobijs illis Terræ Sanctæ cognominatis *Lauræ* ab antiquioribus Baſilio Monachis conſtructis. Marcianus. Vnus erat Marcianus a Patriarcha Ieroſolymitano Sallustio Præfectus conſtitutus ad comprimendam Lazari, &

Ana-

Anaſtaſij malæ notæ Monachorum impudentiam, qua ad mundanas curas, & pecuniæ emolumenta conuerſi erant. Item Sabas, & Theodoſius, ex quibus, eodem Salluſtio procurante, Præfecti conſtituti Monaſteriorum, quæ erant circa Sanctam Ciuitatem; ita vt Theodoſius ijs præeſſet, quæ collegialiter viuebant, Sabas verò ijs, qui anachoreticè. Vt hinc lector agnoſcat qualiter dilucidè hi Monachi monſtrabant ſe ex Eſſenorum ſchola prodijſſe, in qua duplicatus hic Monaſticæ exercitationis modus vigebat, iuxta dicta ſuperioribus tomis, maximè ex Philonis ſententia. Propterea inter noſtræ familiæ alumnos eos recenſent non ſolum Ordinis Scriptores, ſed & Ægidius Gelenus Canonicus Colonienſis in Opere *de Coloniæ Agrippinæ magnitudine lib.* 3. *Syntagm.* 43. §.1. De hoc autem Theodoſio non pauca habet lector apud Bollandum in *Actis Sanctor. tom.* 1. *pro die* 11. *Ianuarij*, eum conſulat. Maximè celebratur Elias Arabs genere, qui cum Martyrio, de quo *ſub ann.* 475. actum, ex Ægypto, & monte Nitriæ vetuſta Eſſenorum Monachorum Sede, ad S. Euthymium venerat, & ſicut ipſe Martyrius in Epiſcopalem Ieroſolymorum Cathedram ob virtutum merita aſcendit. De hoc Elia ſic Baronius *ſub ann.*492. habet: *Magna planè Dei prouidentia factum eſt, vt e monaſteriorum latebris in ſedem illam ſublimem eueheretur Elias, qui in ſpiritu Eliæ aduerſante Achab Eccleſiæ Dei, poſſet arguere, & prophetas Baal confodere verbi gladio. Conſtat autem eundem S. Eliam conſectatum eſſe idem vitæ genus cum eſt factus Epiſcopus, quod excoluerat antea Monachus, & nunquam bibiſſe vinum, vt Polychronius teſtatur apud Sophronium. Subdit verò hæc idem Cyrillus de eodem Elia: vbi factus eſt Ieroſolymorum Epiſcopus, ſtatim omni ſtudio contendit, vt circa ſe congregaret bonos Monachos Sanctæ Reſurrectionis circa Turrim Dauid diſperſos in aliquibus cellis. Monaſterium quidem certè conſtruit apud Epiſcopatum, & cellas ædificat ad illos excipiendos, & vnicuique eorum, qui conueniebant, abundè ſuppeditabat ea quæ erant neceſſaria. Cum hi ergo omnes Monachi, illic congregarentur, diuiniſſimus Sabas rurſus emens multas cellas, in quibus illi prius habitabant, adiecit eas ad illos hoſpitio recipiendos, qui veniebant ad Lauram. Hæc ipſe, qui & de hymno Triſagio hæc paulo inferius habet: Quoniam autem quidam ſequentes inanem vocem Petri cognomento Fullonis, qui eadem ſentiens quæ Eutyches, cum Antiochenam Sedem impiè inuaſiſſet, ſæpe fuit expulſus a ſacris veſtibulis, angelico Terſancti hymno inſerebant.* Qui propter nos fuit crucifixus; *diuinus Sabas adulterinam hanc tollens nouitatem, aliam quidem Sacrorum hymnorum conſequentiam (quandoquidem ſciebant eum rectè proſequi Armenos) permiſit eis ſolita voce canere: ſolum verò hymnum Triſagium ſanxit canere lingua Græca: hoc quoque præterea præcipiens, vt die quidem Sabbati in Templo Speluncæ, diebus autem Dominicis fierent Synaxes in templo Deiparæ, in alijs autem Eccleſijs, & Dominicis, & inſignioribus feſtis magnis ſolemnibus a veſpera vſque ad manè producerent vigilias. Hæc Cyrillus.* Hæc quoquè Baronius relatus. A nobis

Sabas, & Theodoſius.

Elias.

notata

notata propter ea quæ ſæpius diximus de huiuſmodi *Lauris* Euthymij, Sabæ, & aliorum, qui S. Charitonis exempla ſecuti eas inhabitabant.

Ann. Chriſt. 494. 495. & 496. Gelaſij Rom. Pontif. 3. 4. & 5. Anaſtaſij Imper. 4. 5. & 6. Theodorici Reg. 2. 3. & 4.

1 HVIC tempori præter Gelaſij Papæ obitum, & ſucceſſionem Anaſtaſij in Pontificatu Romano, vix alia de extera hiſtoria pro noſtra adaptari debent. Vnum tamen valde inſigne pro ipſa ſupereſt memoria æterna dignum. Hoc nempe tempore, anno videlicet 494. clariſſimum illum Occidentalium quamplurimorum Monachorum Patriarcham, re & nomine Benedictum, Nurſiæ nobili genere ortum, & Romæ liberalibus artibus nauantem, Vrbe relicta, eremum petijſſe, ſublimioris, & Monaſticæ vitæ inſtituta ſectaturum; prout geſſit in loco, qui *Sublacus* dicitur, iuxta Simbruinos montes in altiſſima ſpelunca, in qua per triennium deliteſcens, ab vno ſolo Romano Monacho vitæ neceſſaria capiebat. Sic ex D. Gregorio Magno *lib. 2. Dialogor.* Marco Monacho, Sigeberto, Berthario Abbate, Rainaldo Monacho, & pluribus alijs tam eximij, & celeberrimi viri vitæ Scriptoribus deſumunt Baronius, & alij poſteriores. A nobis porro enucleanda, quia Sol iſte Occidentalis, ad hæreſum, quibus Orbis totus hoc tempore obnubilabatur, tenebras expellendas, a Deo datus, alij Orientali Soli, *Eliæ* nempe, qui vel ipſo nomine *Sol* fuit, Monaſticæ claritudinis ab eo mutuatæ debitor fuit. Prout ea, quæ in ſequentibus dicemus clarè illuſtrabunt.

S. Benedict.

2 Perprius tamen propulſanda quorundam imperita ſuppoſitio, qua credere videntur hunc clariſſimum Benedictum primum omnium hominum fuiſſe, qui Monaſticum Inſtitutum in Eccleſiam inuexit. Sed quis placidè iſtos audiet, cum vel apices eorum, quæ in ſuperioribus ſcripta ſunt, eos redarguant? Anne Therapeutes, Eſſeni, Antoniani, Hilarioniſtæ, Baſiliani, & prope innumeri alij, quos ſuis locis recenſuimus, a Monachiſmo exules, & ablegati fuerunt? Parcius, & modeſtius alij loquuntur dicentes inter Occidentales Monachos ipſum vexilliferum, & Anteſignanum compellandum. Sed nec iſtis parcendum; ſi enim velint dumtaxat magnum Benedictum Monachiſmi Occidentalis præclariſſimum propugnatorem, & legiſlatorem extitiſſe, manus dandæ, & veritati cedendum. Sin verò contendant ante ipſum nullos verè Monachos in Occiduis partibus extitiſſe, cæci ſunt, cum non videant Monachorum millia Hiſpaniam, Galliam, Brittanniam, & Italiam ante Nurſinum hunc Patriarcham aſpexiſſe. Plura de hoc in tomo præcedenti lector habere poterit, & ex iſto, vel ſoli Lirinenſes Monachi, & Cœnobiarchæ,

Non primus omnium Monachorum.

biarchæ, qui ex celeberrimo eo Lycæo euocati ſupremas in Gallijs Sedes Eccleſiarum obtinuerunt, quos recenſuimus, veritatem hanc conſpicuè demonſtrant. Quid plura? Monachus ille Romanus nomine, qui Diuo Benedicto Achates fidelis, & adminiſter vocatur, & Monaſterium, in quo ſub Theodaco, ſeu Deodato Patre viuebat; imo & Eremita ille *Marcius*, vel *Martinus* appellatus, quem ſanctus Patriarcha in Caſſino reperit, quando illuc aduenit, luce meridiana clarius denotant ante ipſum Benedictum Monachos alios extitiſſe, ex quorum numero ij eſſent. His etiam opponitur Antonius Gallonius *in Apologet. contra Bellotum pagin. mihi* 5. ſic dicens: *Statim occurrit, quod ſit correctione maxime dignum, dum S. Benedictum nominas omnium Monachorum parentem: quia nec dicere poſſis, omnium, Orientales aduerſantur Monachi, qui alijs ſe parentibus ortos, Antonio, Pachomio, atque Baſilio gloriantur, cuius ſe eſſe filium idem Sanctiſſimus Benedictus in ſuis Regulis profitetur. Sed vt nec poſſis referre quod dicis, ad omnes Occidentales Monachos; repugnant ij quos S. Ambroſius, Hilarius, Martinus, Caſſianus, Honoratus, Cæſarius, & alij inſtituiſſe reperiuntur in Gallijs: vt dicere prætermittamus de Monachis Hiſpanis, & Africanis, ijs videlicet, qui ante S. Benedictum excoluere vitam monaſticam; quorum ipſe nullo modo dici pater poſſit, & auctor, quorum ingens fuiſſe numerus reperitur: adeo vt laciniosa laudatio iſta tua ſit veritatis fibula conſtringenda, contrahendaque & ſuis limitibus coartanda; nimirum vt S. Benedictus pater dici debeat Monachorum, illorum dumtaxat, qui ſub ipſius Regulæ Inſtituto Monaſticam vitam exercuerunt.* Quod & latè etiam proſequitur in reſponſione ad Monachum Benedictinum *pag.* 84. Quia tamen longiorem hoc diſcuſſionem exigit, de iſto Romano diligentius nunc diſquirendum; ex quo etiam plura pro noſtra hiſtoria, & veritate ipſa comprobanda haurire poſſumus.

3 Ergo de hoc Romano, & geſtis eius circa Benedictum puerum 14. annorum hoc tempore, vt creditur, permaximæ authoritatis Chronologus D. Gregorius verè Magnus *lib.* 2. *Dialogor. cap.* 1. ſic habet poſt relatum miraculum de capiſterio fracto, & Benedicti precibus reſtituto. *Benedictus plus appetens mala mundi perpeti quam laudes, & pro Deo laboribus fatigari, quam vitæ huius fauore extolli, nutricem ſuam occultè fugiens, deſerti loci ſeceſſum petijt, cui* Sublacus *vocabulum eſt, qui ab Romana Vrbe* 40. *fere milibus diſtans, frigidas, atque perſpicuas emanat aquas. Quæ illic videlicet aquarum abundantia in extenſo prius loco colligitur, ad extremum verò in amnem deriuatur. Quo dum fugiens pergeret, Monachus quidam Romanus nomine, hunc euntem reperit, quo tenderet requiſiuit. Cuius cum deſiderium cognouiſſet, & ſecretum tenuit, & adiutorium impendit, eique ſanctæ conuerſationis habitum tradidit, & in quantum licuit miniſtrauit. Vir autem Dei ad eundem locum perueniens in arctiſſimum ſpecum ſe tradidit, & tribus annis, excepto Romano Monacho, hominibus ibi incognitus manſit. Qui videlicet Romanus non longè in Monaſterio ſub Theodaci Patris Regula* Romanus.

degebat. Sed piè eiuſdem Patris ſui oculis furabatur horas, & quem ſibi ad manducandum ſurripere poterat, diebus certis, Benedicto, panem ferebat. Ad eundem verò ſpecum e Romani cella iter non erat, quia excelſa deſuper rupes eminebat, ſed ex eadem rupe in longiſſimo ſune Romanus deponere panem conſueuerat; in qua etiam reſti paruum tintinnabulum inſeruit, vt ad eius ſonum vir Dei cognoſceret quando Romanus ſibi panem præberet, quem exigens acciperet. Sed antiquus hoſtis vnius charitati inuidens, alterius refectioni; cum quadam die ſubmitti panem conſpiceret, iactauit lapidem, & tintinnabulum fregit: Romanus tamen modis congruentibus miniſtrare non deſijt.

4 Ex ijs porro ab eximio hiſtorico Gregorio de Benedicto puero narratis, quæ etiam a Conſtantino, Valentiniano, Simplicio, & Honorato Monachis, & eiuſdem Benedicti diſcipulis accepiſſe refert, primò eliciat lector id quod ſuperius dicebamus de Monachis, & Monaſterio non longe a Sublaco ditìtis; quibus proculdubio poſitio illorum qui primum Occidentis Monachum compellant Benedictum eneruabitur. Habeat etiam id quod ſupra tactum, de pio miniſterio Romani circa puerum in arctiſsimo illo ſpecu recluſum, Ex illis porro: *Eique ſanctæ conuerſationis habitum tradidit*, prudens quiſque ſibi perſuadere quibit in Monaſtica diſciplina tunc primum Romanum Benedicto magiſterium præſtitiſſe. Quid enim aliud *ſanctæ conuerſationis habitum* denotare poterit? Refragatur Alphonſus a S. Victore in ſuo Sole Occidentali *prælud. 6. cap. 1. §. 2.* verbum *conuerſationis*, & verbum *habitum* ad alia retorquens. Cæterum, etſi in latiſsimo, tum ſacrarum, tum humanarum litterarum campo, amplior his verbis ſignificatio ſæpe adaptetur, vt idem probat Alphonſus; in ſimplici tamen, & hiſtorica narratione, & circa ſubiectam materiam, quæ tota eſt de Monachis, & a Monacho authore Gregorio ex Monachorum teſtimonijs deprompta, fas non eſt ad extraneas vſurpati vocabuli acceptiones declinare, ſed cum communi omnium (prout idem fatetur) ſenſu acquieſcere hiſce verbis patenter exprimi Romanum recenti alumno Benedicto Monaſticam tradidiſſe veſtem, qualem forſan Romanus ipſe, alijque Sodales in eo Monaſterio geſtabant; vel eam ſaltem, quæ Anachoreticæ vitæ in rupibus abruptis gerendæ conueniebat; prout elicitur ex Græco Zachariæ textu ibi: *ſanctum Monachorum ſchema*; &, quod magni ponderis eſt, ex Imagine in Capella quadam eiuſdem Sublacenſis Cœnobij, quod modo extat, ſita, in qua, prout ex valde fide digno teſtimonio accipio, cernitur idem S. Benedictus a ſuo Magiſtro Romano veſtem Monachalem recipere. Sic quoque pio fugiendi ſæculi deſiderio, quo nouus tyro flagrabat, & viuendi methodo, quæ in ea regionis parte vigebat *adiutorium impendit*, prout Gregorius loquitur; aptius ſanè, & impenſius. An ſciente Abbate Theodaco, vel ignaro potius? Credibilius primum, vel ob obedientiæ perfectionem, quæ quidquam ſine Antiſtitis aſſenſu gerere vetat. Quod enim Gregorius dicat *ſecretum tenuit*, ad exteros dumtaxat,

Romanus S. Benedicti Magiſter.

non

non ad Superiorem referendum videtur. Fatendum tamen pia induſtria eiuſdem Abbatis fugatis conſpectibus ſæpius delitеſcentem iuuenem inuiſiſſe, & quem propriæ ſuſtentationi furabatur panem ei miniſtraſſe. Hoc enim indicant Gregoriana illa: *Piè eiuſdem Patris ſui oculis furabatur horas, & quem ſibi ad manducandum ſurripere poterat, diebus certis, Benedicto panem ferebat*. Poſſumus in rei maiorem firmitatem teſtem præcelſæ authoritatis D. Thomam afferre, qui 2.2. *quæſt*.187. *art*.4. vt probaret Religioſos poſſe de eleemoſynis viuere affert in argumento *Sed contra* quod *B. Benedictus tribus annis in ſpecu permanens, de ijs quæ a Romano Monacho miniſtrabantur, refectus eſt*; vnde concludit: *Ergo Religioſi licitè poſſunt de eleemoſynis viuere*. Quod argumentum laneum ſanè eſſet, & indignum tanto Doctore, niſi ipſe ſupponeret quod tribus iſtis annis B. Benedictus verè Religioſus eſſet; ac perinde quod e Romani fonte Monachatum, & Monachatus teſſeram, habitum nempe hauſiſſet. Hinc meritò communiter Doctores Romanum Benedicti magiſtrum compellant, & inſtructorem.

5 Operoſius tamen inueſtigandum quis hic Romanus, & cuius Inſtituti Monachus fuerit. Et pro primo quæſito habemus eum Natione Gallum, patria Lugdunenſem, & a primæua ætate Eremiticæ vitæ cultorem, ac pro deuotione S. Palæſtinæ locorum, eam peragrando viſitaſſe. Sic ex Bergomenſi Coria noſter *lib.9. cap.*16. At pro ſecundi antagoniſtas habebimus. Etenim Baſiliani Monachiſmi ſtudioſi plures eum ſibi accenſent. Sed quo fundamento? Vix alio, niſi communi illo, cui ſæpius adhærent, quod omnes poſt Baſilij ætatem Monachi eiuſdem Baſilij proles fuerint. Quam tamen debile, & arundineum fulcrum hoc ſit, ea quæ *in Appar. cap.*2. adduximus ad oculum monſtrant. Eſto enim Magnus Baſilius pluribus Monachiſmi ſectatoribus ducatum præſtiterit; pluribus tamen, quampluribus forſan omnino extraneus eſt. Id porro de præſenti Romano dici poſſe ſuadent verba illa magni Gregorij relata: *Qui videlicet Romanus non longè in Monaſterio ſub Theodaci Patris Regula degebat*. Congruentius etenim diceret ſub *Baſilij Regula*, ſi Monaſterium illud Baſilianum fuiſſet. Vnde prudenter Prudentius a Sandoual Pompeiopolitanus Epiſcopus *in lib. fundat. Caſtellæ Ordin. S. Benedicti fol.*3. de Romano loquens eum ex eremitis Sublacenſis Montanæ appellat; etſi poſtea, vt vulgari opinioni ſatisfaceret, dicat ſub diſiunctiua: *vel ex Regula noſtri P. S. Baſilij*. Sec cur reſtrictim ad ſolius Baſilij Regulam? Nonne ante, & poſt Baſilium, Regularia Inſtituta Charitonis, Antonij, Pachomij, & plurium, quos *to*.2. recenſuimus, vigebant? Cur non ex Auguſtini ſchola, aut ex ea, ſub qua Lirinenſes Monachi in Gallijs, & alij in Hiſpanijs florebant, Monachi iſti Sublacenſes eſſe poſſent? Congruentius ſanè veritatem ex noſtro Arnoldo Boſtio vetuſtiori ijs, cum quibus diſputamus, authore, haurire liceat. Is autem *lib.* 5. *Oper. hiſtor. cap.*73. prout etiam attulimus ſupra *ſub ann.*448. de Capra- Romanus Monachus.

T 2 ſio

ſio Carmeli Archimandrita loquens dicit: *Liberatum cum Felice ad Africam mittens, S. Timotheum Monaſterio Carmelitarum præfecit in Nigra Montana prope Antiochiam, vt illud contra Eutychianos defenderet. Is itaque S. Timotheus plures etiam habuit optimos diſcipulos, quos eadem de cauſa hinc inde diſperſit. Ad Italiam namque miſit Simplicium, & S. Romanum Conſtantinopolim, qui tandem inde pulſus per Eutychianos ſeceſſit Romam, & inde in deſertum, cui Sublacus vocabulum eſt, vbi tribus annis S. Benedictum pauit, Patrem Monachorum S. Benedicti, vt dictum eſt ſupra cap.* 10. *primi libri*. Eo autem *cap.* 10. ſic ad intentum: *Inſuper & S. Romanus Eremita quondam Montis Carmeli de Conſtantinopoli cum pleriſque alijs Catholicis Monachis, ſanctiſque viris expulſus eſt, qui veniens Romam ſeceſſit in deſertum, cui Sublacus vocabulum eſt, qui a Romana Vrbe quadraginta fere milliaribus diſtans frigidas, & perſpicuas habuit aquas emanantes; ibique cum ſuis ſocijs ædificans Monaſterium per plures annos ſub obſeruantia in ſancta conuerſatione deſudauit. Tandem aliquibus tranſactis, ſcilicet circa annum* 485.) corrige 495.) *cum S. Benedictus, &c.* Refert poſtea illa, quæ ex D. Gregorio nos ſupra retulimus. Quæ porrò dixerat, *in Chronicis Græcorum* legi notat; eaque ſibi mutuata acceperunt, Palæonydorus *lib.*2. *cap.*6. Coria *lib.*9. *cap.* 16. Thomas de Ieſu *lib.* 1. *antiquit. cap.*12. Caſanate *in Paradiſ. Carmel. decor. ſtat.*3. *ætat.*7. *cap.*37. & alij: etſi quia limpidas Boſtij aquas non biberunt, vera cum falſis admixta cæteris propinarunt. Clarè etiam in peruetuſto Ordinis Kalendario Mechlinienſi pridie Kalend. Martij, ſic habetur: *Romani Abbatis Carmelitæ, qui dedit habitum S. Benedicto.*

Romani vita. 6 Ex ijs ergo, vt ad intentum regrediamur, facilè lector ſynopſim vitæ S. Romani habere quibit. Poſtquam enim deuotionis ergò Syriam inuiſit, Carmeli iuga ſubijt; inde Antiochiæ ſub Timotheo degens Conſtantinopolim mittitur, hinc Romæ peregrinatur, & in Sublacenſi regione Monaſterium extruit, vbi hoc tempore S. Benedicti magiſterium fœliciter gerere potuit. Merito ergo authores relati ipſum *Carmeli* Elianis accenſent; prout facit peruetuſtum Ordinis Kalendarium relatum. De ipſo alia Benedictini Patres in ſuis hiſtorijs, & ſignanter Antonius de Yepes *ſub ann. Chriſt.* 546. Benedictus Haeftenus *in Commentar. Vitæ S. Benedicti cap.* 1. *nu.* 15. dicentes poſtea in Gallia recepiſſe Regulam S. Benedicti. Ipſius quoque vitam affert Ioannes a Boſco in Bibliotheca Floriacenſi a Giliberto Monacho ſcriptam, prout cum alijs refert idem Haeftenus *ſupra num.* 12. Quæ omnia pro temporum, & annorum, quos vixit, diuerſitate accipienda, dummodo ea quæ ex Boſtio antiquo & graui authore adduximus, ſuo robore ſubſiſtant.

Adeodatus. 7 De Adeodato Abbate (alijs *Deodato*, ſeu *Theodaco*) ſub cuius *Regula*, vt inquit D. Gregorius relatus, *Romanus degebat*, præter alia, hoc peculiarem ingerit dubietatem, quænam hæc Regula fuerit. Ad quam breuiter concedendum, non fuiſſe aliquam ex communibus illis pluribus

Mona-

Monachis, Baſilianis nempe, & Auguſtinianis; prout ex Antonio de Yepes *in ſuo Chronico anno Chriſti* 494. & Simone Milletio *in Annotat. ad Dialog. S. Gregorij* tuetur Haeftenus *lib. 2. diſquiſit. Monaſtic. Tract. 1.* contra Ludouicum Mirandam, Antonium Galonium, & quoſdam alios. Vnde neceſſariò dicendum vel eam Regulam fuiſſe ſpecialiter ab ipſo Adeodato compilatam, vel ſaltem deſumptam ab ea, quam Ioannes Ieroſolymitanus ſuo Capraſio, & Carmelitarum Ordini in Carmelo Florenti iamptidem *ſub ann.* 412. tradiderat, prout ex Palæonydoro *lib. 2. cap.* 6. Coria *lib. 1. cap.* 17. & *lib. 9. cap.* 16. & Authoribus ſuperius relatis re, ctius colligitur. Cum enim D. Gregorius qui huius Regulæ meminit non Baſilij, aut Auguſtini fuiſſe commemoret, ſed communi nomine *Regulam* compellet, vel dicendum eam ab eodem Adeodato ſignanter conſcriptam fuiſſe (cum ea ætate paſſim Abbates ſuis Monachis particulares concinnarent Regulas, vt per diſcurſum huius Tomi ſatis comprobatur) vel illam Ioannis fuiſſe, quam Romanus Adeodati ſubditus ex Carmelo, vt ex Boſtio relato habetur, Italiam veniens ſecum traxerat. In re dubia, & incomperta latus campus opinandi cuicunque in propatulo eſt; ſi tamen ea quæ diximus, ſua probabilitate potiantur. Cui etiam alia, de quibus in ſequentibus ſermo erit, ſuffragari poterunt.

Ann. Chriſt. 497. & 948. Anaſtaſij Rom. Pontif. 1. 2. Anaſtaſij Imperat. 7. & 8. Theodoric. Reg. 5. & 6.

1 HOC biennio computatur Papatus Anaſtaſij, quem non ſatis integrum in Catholica fide aliqui autumant, eo quod communicauerit cum Photino Diacono Accaciano; licet in hoc ab alijs excuſetur. De quo Baronius, & Sectatores ipſius. Id maximè pro diuina prouidentia commendandum, vt ſi Anaſtaſius non bene conſtans in fide Rector fuerit, iure optimo a Deo ſit cito de medio ſublatus. Sicut quod pro hoc tempore refertur de quodam Arriano Epiſcopo, qui cum in balneis publicè Trinitatem negaret, tribus fulminibus ictus conciderit; & quod cum alius Arrianus Epiſcopus, *Barbas* nomine, quemdam baptizare vellet his verbis: *Baptizat te Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu ſancto*, aqua nuſquam comparuerit. Coriolanus *in Breuiario ſub his annis*. Geſta huius temporis.

2 Commemorat etiam Baronius (quod propius ad noſtram Monaſticam hiſtoriam attinet) hoc tempore innotuiſſe in Palæſtina magnum illum Ioannem Anachoretam Silentiarium cognomento, de quo *ſub an.* 491. dictum ſub Monachali habitu Epiſcopi dignitatem occultaſſe. Eam porro reuelare coactus eſt, cum Sabas eius Pater vellet quod in presbyterum initiaretur ab Elia Ieroſolymorum Antiſtite. Poſtea nihilo- Ioannes Silentiarius.

minus ſilentio eam celauit, vt propterea Silentiarij cognomen adeptus fuerit. Legat lector Cyrillum Monachum eius geſta cum alijs Euthymij, & Sabę ſcribentem, ac nouerit Monachos iſtos lucernas monachiſmi fuiſſe, & inter eos hunc Ioannem, Epiſcopatum, quem alij remiſque velisque quæritant, humiliter in Monachalem tunicam commutaſſe, ad iſtorum confuſionem.

Launomarus. 3 Poſt hoc tempus, etſi annus certus ignoretur, natalis fuit S. Launomari Abbatis Curbionenſis in Gallijs. Cuius memoria nobis recolenda, quia Monachus, Pater, & legislator Monachorum fuit eo tempore quo ſolum aſceticum Elianum, vel Eſſenum pro exemplo habere potuit. Circa *ann.* 495. id accidiſſe Sigebertus *in Chronico* adſtruit; non niſi circa 600. Bollandus *in Act. Sanctor. pro die* 19. *Ianuarij* comprobare videtur; nos media via incedentes huic tempori ipſius ortum adiudicamus, huiuſmodi Chronologicam diſquiſitionem alijs relinquentes. Vtut res hæc fuerit, anonymus author eius vitæ, a pueritia ferme ait fuiſſe liberalem in egenos, benignum, ieiunijs deditum; & poſt hoc tempus litteris, & virtute inſtructum ad Sacerdotij gradum aſcendiſſe. Deinde eremum petijt *ſicut quondam Elias Propheta in ſpelunca ſolitudinis habitans poſtquam Dominum tranſeuntem vidit, & commotionem agitantem montes, & petras igne liquefacientem, nec tamen in his Dominum eſſe teſtatus eſt; in ſibilo auræ tenuis, id eſt contemplationis ſubtilitate ſuper ſe eleuatus hunc raptum ſentire potuit*. Ita Author vitæ ipſius. Proſequitur: *Ex hinc celebre factum eſt nomen beati viri, & cæperunt ad eum confluere multi eius exemplis, & doctrina renouari cupientes in nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt. Nec multum tempus fluxerat, & ecce in figuram Monaſterij habitacula locauerunt in medio vaſtæ eremi, atque condenſæ, vbi per famulum ſuum Omnipotens Deus plurima geſſit miracula*. En Monachum, & Monachorum inſtitutorem tempore, quo, vt diximus, pro prototypo ſuæ monaſticæ diſciplinæ vix ſolum Eliam habere poterat. Vel cedant alium. De hoc puncto Bollandus relatus *in prologomen. Vitæ ipſius num.*6. poſt relatum Trithemium qui hunc Launomarum Patribus Benedictinis adſcribere videtur ſic habet: *Quanquam fortaſſis addubitare quis poſſit, num, principio ſaltem, in Benedictina ſtatuta conceſſerit, iiſque ſe ac ſuos obligarit. Marchantius ſcribit VVlfradam, & Crenulphum voluiſſe Ebritnogili collocari Monachos Ordinis S. Launomari. Et vixdum innotuerat, necdum certè propagatus latè erat Ordo S. Benedicti, cum Monachicam ille aggreſſus eſt vitam: vigebant alia in Gallijs inſtituta Aſcetarum. Potuit tamen deinceps S. Benedicti Regulam, diſcretione præcipuam, amplecti, eamque ſuis præſcribere. Antonius Yepes in Chronic. Benedictinis Centur.* 1. *ad ann.*167. *illius res geſtas narrat, nec qui alumnus Ordinis fuerit docet. Bleſis ad Ligerim Cœnobium eſt S. Launomari Benedictinum nobile, & opulentum*. Hæc ſcite & prudenter a Bollando animaduerſa hac de cauſa retulimus, vt id quod ſæpius inculcauimus, quod videlicet poſt Baſilij, Auguſtini, &

Benedicti regularia dogmata alij fuerint Monachorum legislatores, clarius innoteſcat. Hic enim Launomarus, ſi, prout Sigebertus de ipſo putat, ſub ann. 495. florebat cum eo tempore Monachos, & Monaſterium inſtituiſſet, vtique ſequitur Baſilij, & Auguſtini Regulis relictis ſuam propriam illis dediſſe, vt proprerea, Marchantio teſte, monachi Ordinis S. Lauromari dici poſſent. Si verò ad annum 650. Chriſti peruenit, vt Bollandus putat, cum iam S. Benedictus ſuam Regulam promulgaſſet, ſiquidem ea relicta Lauromarus ſpecialem ſuis alumnis tradidit, pariter etiam conſectarium eſt, alios legislatores Monachorum præter S. Benedictum poſt ipſum claruiſſe; quod nos latius, & manifeſtius *cap. 1. Apparat.* huius Tomi comprobauimus, & ſæpius repetere cogimur.

Ann. Chriſt. 499. vſque ad 503. Symmachi Rom. Pontif. 1. vſque ad 5. Anaſtaſij Imper. 9. vſque ad 13. Theodor. Reg. 7. vſque ad 11.

1. ECCLESIÆ clauum hoc tempore tenet Symmachus natione Sardus, patre Fortunato natus, legitimè electus, imo receptus a Theodorico Rege contra Laurentium Romanum in ſchiſmate excitato a fautoribus Anaſtaſij Imperatoris. Hinc Symmachus Concilium Romanum indicit pro reprimendo ambitu in electione Romanorum Pontificum. Multa præterea paſſus, criminationes etiam, etſi ab illis abſolutus fuerit. De ijs, & quibuſdam Synodis propterea celebratis Baronius, Spondanus, Gordonus, Coriolanus, & alij poſt vetuſtiores. Huius temporis geſta.

2. Quod noſtram propius tangit hiſtoriam id eſt, quod huius Symmachi pietate, in magnis, quas paſſus eſt a ſchiſmaticis, & criminatoribus, anguſtijs, actum fuit, vt noua Baſilica ſub titulo & nomine SS. Syl- Eccleſia S. Silueſtri, & Martini in Vrbe. ueſtri, & Martini Romæ extrueretur contigua illi, quam S. Syluester prius extruxerat, iuxta dicta Tomo præcedenti *ſub ann. 313. num. 5.* Qua verò de cauſa id geſtum, & alijs concernentibus ex Breui quadam Chronica elucidatione eiuſdem Eccleſiæ, nunc Ordinis noſtri, apud noſtros reſeruata, ſic habetur in §. 5. eiuſdem. *Anno 500. Pontificatus Symmachi Papæ ſecundo; Imperij Anaſtaſij Auguſti decimo, idem Symmachus zelo Dei motus, & S. Sylueſtri deuotione, videns, & dolens quod prima Eccleſia prædicta a S. Sylueſtro erecta, quæ per annos 177. frequentata erat, iam eſſet ſubterranea, & decliuis, difficilis, & incommoda fidelium ſolitæ frequentationi, iuxta ipſam immediatè integram, & intactam permanentem, aliam ſecundam in eodem loco conſtruxit, & in plano ædificauit, quam exornauit donis pluimis argenti, & auri, ipſamque conſecrauit ſub nomine, & titulo SS. Sylueſtri, & Martini Epiſcopi Turonenſis, cuius deuotione etiam flagrabat. Et ex tunc hæc Eccleſia SS. Sylueſtri, & Martini Epiſcopi Turonenſis*

nenſis nomen accepit, non vero S. Martini Papæ: hoc quippe erat impoſſibile, quia S.Martinus Epiſcopus octogeſimum annum primum agens mortuus eſt anno 402. S. verò Martinus Papa floruit viuens anno 644. ſub Conſtante Imperatore longe poſt Symmachum Papam 144. annis. Hæc ibi. De quibus etiam Anaſtaſius Bibliothecarius *in Vita Symmachi*, Baronius *in Annotat. ad Martyrolog. Roman. die 31. Decembris*, Ciaconius *de Vit. Pontific. in Symmacho*, & Reuerendiſſ. Ioannes Antonius Philippinus Ordinis nunc Generalis Præſul *in ſpeciali Tractatu de hac Eccleſia SS. Sylueſtri & Martini cap.10.*

Magnificẽtia huius Baſilicæ. 3 Quanta porrò magnificentia hæc Baſilica a Symmacho extructa fuerit, huc vſque conſpicitur. In tres namque diuiſa naues, 24. marmoreis columnis, ac capitellis Corinthij ordinis ornata apparet. *Inſuper ſuper altare ciborium argenteum fecit, quod penſat libras centum viginti: arcus argenteos duodecim, qui penſant ſinguli libras decem; & confeſſionem argenteam, quæ penſat libras quindecim.* Sic Ciaconius ex Bibliothecario, & Baronio *ſub ann.*514. quæ etiam habet Philippinus noſter. Cuius zelo inſignis hæc Baſilica, magis, ac magis in dies tecti deauratione, ſtatuarum erectione, pulcherrimarumque Iconum affixione apprimè, & egregiè decoratur inter Vrbis Baſilicas.

Iacobus Anachoreta. 3 Occurrit ſub hoc tempore memoria cuiuſdam Iacobi Syri Anachoretæ, de quo mira Procopius *de Bell. Perſi. lib.1.* ex quo Baronius cum ſuis Compendiatoribus *ſub ann.* 502. Hic in Meſopotamia ad Tigrim fluuium in vico ab Amida Ciuitate vnius diei itinere diſtante, in breui ſpatio, cancellis interſeratis incluſus vixit, miraculis clarus. Ex eo autem Monachi accipere poſſunt ſolitariæ vitæ amorem, ieiunij auſteritatem; ſiquidem *tantum ex ſeminibus victitabat; non quotidie, ſed interuallo dierum multorum*, diuitiarum ſpretum, & proximorum beneficentiam. Accidit etiam, vt cum Amida validum Romanorum præſidium a Cabade Perſarum Rege, poſt ſex menſium obſidionem captum eſſet, & Iacobus iſte a quibuſdam Perſis ſagittis impeteretur, diuino portento manus eorum, arcuſque immobiles viſi ſunt conſiſtere: cumque ad tantum miraculum ipſe Perſarum Rex accurriſſet, Iacobus eius annuens precibus ſolo verbo barbaris priſtinum membrorum vſum reſtituit. Hoc claruit miraculo ſanctus hic Monachus quo non clareſcere meruerunt Monachi alij, quorum proditione, vt Marcellinus ſcribit, ſeu ignauia, vt Procopius, Ciuitas illa capta eſt. Bellorum enim tempus proborum Monachorum ab improbis diſcretionem oſtendit, experientia quoque atteſtante. De iſto Iacobo præter authores relatos meminerunt Martyrologium Romanum 6. Auguſti, Philippus Ferrarius *in Topographia verbo Palæſtina*, & Ioannes Bollandus *in Actis Sanctorum* pro die 28. Ianuarij, occaſione alterius Iacobi Porphyrionitæ Carmelitæ noſtri, cuius feſtum eo die cadit, & de quo *ſub ann.*535. copioſius agemus.

Ann.

Ann. Chriſt. 504. vſque ad 513. Symmachi Rom. Pontif. 6. vſque ad 15. Anaſtaſij Imper. 14. vſque ad 23. Theodoric. Reg. 12. vſque ad 21.

1 TOTO hoc decennio, quo Symmachi Pontificium durauit, imperante Anaſtaſio, & Theodorico Regnante, noſtræ Monaſticæ hiſtoriæ curſus poſtulare videbatur, vt B. Fulgentij Epiſcopi geſta vel ſub compendio referremus. Alijs tamen id relinquimus. Ille etenim, etſi, iuxta dicta *ſub ann.* 486. Elianum ſaperet Inſtitutum; eo quoque quod Ægyptiorum Monachorum viuendi normam æmulari voluerit, nihilominus B. Auguſtini Monachatum profeſſus exiſtimari poteſt. De ipſius autem geſtis, Monachis conſortibus, Monaſterijs, quæ vel erexit, vel coluit, apud Surium 1. *die Ianuarij* plura comperiet lector, ſicut apud Baronium *ſub ann.* 504. Quod etiam dictum de Proba Romana, & Galla vidua, ac Benedicta eius amica, quas vel indicare operæpretium fuit, quia antiquum illud Monachorum Inſtitutum, nón nuperum aliud quadantenus redoluiſſe videntur. De ipſis autem Baronius ſupra. S. Fulgentius

2 Maximè celebrandus venit ob præclara eius geſta Cæſarius Arelatenſis Antiſtes, de quo *ſub ann.* 452. dicere cœpimus, vti non extero, aut alieno Propheticæ, & Elianæ peruetuſti noſtri Inſtituti ſcholæ. Præfuit autem Concilio Agathenſi; recedentes ab Eccleſia reuocauit:. exulare coactus eſt ab Alarico Rege; miraculis tamen clarens ab exilio reuocatur, & cum honore ſuſcipitur, ac Arelatem reuertitur. Detruditur præterea in carcerem; ſed inde, ſicut Daniel ex lacu leonum, eripitur. Sed quidni faceret Deus cum eo qui charitate feruens vaſa etiam argentea pro pauperibus vendebat? Mirum quoque non ſit quod apud Theodoricum in veneratione fuerit, Romano Pontifici carus, & cunctis celebris; prout Acta eius ex Cypriano apud Surium *die* 27. *Auguſti* a Baronio *ſub his annis* narrata referunt. En, Monachi ſancti, veſtri Inſtituti exemplar, in illo vobis propoſitum. Nam caducis rebus vacare vobis alienum prorſus eſſe debet. Cæſarius.

3 Commendandus etiam venit S. Maxentius Abbas huius temporis apud Gallos Monachorum Pater, illorum vtique, qui nec Baſilium, nec minus Benedictum pro Anteſignano agnoſcebant, ac proinde cum alijs Prophetici Collegij aſſeclis coniungendi. Huius viri ſanctitas, miraculis a Deo decorata, iuxta diuinæ prouidentiæ ſtylum, fuit. Et inter ipſa eo, quod Gregorius Turonenſis *hiſtor. Francor. lib.* 2. *cap.* 37. ſic enarrat. *In occurſum hoſtium quaſi pacem rogaturus pergit intrepidus. Vnus autem eorum euaginato gladio, vt in caput eius libraret, manus ad aurem directa diriguit, gladiuſque retrorſum ruit. At ille ad pedes Beati viri veniam depoſcens ſternitur. Quod videntes reliqui, cum timore maximo ad* S. Maxentius Abbas.

exercitum redierunt, timentes ne & ipſi pariter interirent. Non ſic quamſæpe contigit, quin potius vidimus, ſeu audiuimus Religioſorum perplures hoſtium gladio miſerè perijſſe; forſan cauſa in promptu eſt, quia Maxentij ſanctitatis æmulatores non erant.

Cæſaria ſanctimonialis. 4 Item nec obliuioni tradenda Sanctimonialis Cæſaria, relati Cæſarij ſoror, Maſſilienſis Monaſterij cultrix, imo propterea a nobis commemoranda. Etenim hoc Virginum Maſſiliæ Collegium illud videtur eſſe quod Ioannes Caſſianus ea in Vrbe erexit, iuxta Eliani Inſtituti Ægypti, & Palæſtinæ normam, prout ex ipſo diximus *ſub ann*. 421. Fuit hæc ſancta fœmina non imparis ſanctitatis cum germano Cæſario; Arelatenſis etiam Cœnobij ab ipſo conſtructi Præfecta; Cæſarij regula quoque imbuta (vt vel hinc diſcamus Baſilianam non fuiſſe) & admirabili ſanctitudine clara. Hæc ex Cypriano *in Vita Cæſarij*, Venantio *lib*. 8. *Carmin*. hauſit Baronius *ſub ann*. 508. Apud quem etiam de teſtamento Cæſarij, in quo præfati Monaſterij, & Sororis Cæſariæ mentionem habet, & eidem legat *Mantum maiorem, quem de cannabe fecit* ipſa. Ex quo conconijciat lector veſtibus albis vſos fuiſſe tum Cæſarium, tum Cæſariam, Eſſenorum ritu.

Radegundis 5 Commemoratur etiam ab eodem Venantio alia eiuſdem Regulæ, & Inſtituti Sanctimonialis Radegundis, quæ Chriſti amore ſuccenſa Cæſarij Monaſticas Inſtitutiones lambebat. Qua loquendi phraſi ſanctam hanc fœminam perfectam obſeruatricem ipſarum fuiſſe indigitat.

Lirinenſe Cœnobium. 6 Notat, & Baronius has Cæſarij Inſtitutiones cum ipſo Lirinenſi Cœnobio vſui poſtea Monachorum S. Benedicti ceſſiſſe. Ex quo ſimiliter pro noſtra hiſtoria eliciat lector, plura ex Cœnobijs vetuſti Prophetici Ordinis, tum ad Baſilianorum, tum Benedictinorum Monachorum manus ſæpius curſu temporis perueniſſe, quæ in primo ſuæ fundationis limine nullatenus ad ipſos attinebant. Quod in cauſa fuit, vt qui rem non ſatis perſpectam habuere, Monachos illius primi Inſtituti aſſeclas poſteriori ipſorum adiudicauerint. Nos tamen diligentius hiſtoriæ veritatem indagantes, vnicuique quod ſuum eſt, tribuere contendimus. Pro tempore ſcilicet anteriori Eliadibus, pro ſubſequenti vero Baſilianis, aut Benedictinis.

Monachi Palæſtini. 7 Interim Palæſtini Monachi Monaſteriorum, quæ *Lauræ* vocabantur Coloni, a Barbarorum ſub Alamundaro Saracenorum Rege incurſibus terrores paſſi, Ioannem illum Silentiarium in ſuperioribus nominatum ad ſe trahere curarunt. Refugit ipſe diuinæ ſe committens prouidentiæ; quæ ſicut nunquam deſeruit ſperantes in ſe, ſic neque clariſſimum hunc Ioannem: leone miſſo pro fortiſſimo ſui veluti ſatellitio, qui incurſantes compeſcuit, & innocentem cuſtodiuit, in rarum ſanè Dei benignitatis in veros Monachiſmi ſectatores exemplum. Poſt quæ magni illius Sabæ Abbatis ſuaſu, qui nouam Lauram Nicopoli conſtituerat, ad eam deducitur, vbi in cellula clauſus ignotus manſit omnibus,

bus, nec habitus vt Epiſcopus. O ſingulare humilitatis ſpeculum! Eius tamen Epiſcopalis dignitas prodita eſt ab Angelo annis ſequentibus. Metaphraſtes, & Cyrillus in eius vita apud Suriũm *die* 13. *Maij*. Alia etiam paſſi ijdem Palæſtini Monachi a barbaris ſolitudinem depopulantibus, vt aliqui martyrio donati fuerint. Sed quam pius in Sabam, & eius ſocium Deus monſtratus ſit, ex portentoſo caſu, qui tunc contigit euincitur. Cum enim procax quidam Agarenus illis inſultaret, a terra veluti Dathan abſorptus, alijs terroris, Monachis autem perfectioris vitæ ſectandæ amoris, cum propter tantum miraculum liberati fuerint, exemplum præbuit. Baronius *ſub ann.* 509. ex Cyrillo.

8. Turbabat hoc tempore Eccleſiam Seuerus hæreticus ex Mago, & Monacho, vt propterea quibuſdam alijs Monachis plauſibilis eſſet, licet ab alijs verè Monachiſmi profeſſoribus, profligaretur, Conſtantinopoli. Anaſtaſius, Euagrius, Theodotus, Baronius, & alij *ſub his annis*. Iungit Cedrenus Monachum, & Monialem hæretica labe infectos miſerè periiſſe, ac condignè tanto ſceleri. Non ſic S. Sabas, & alij Eremi habitatores, qui pro fide Catholica decertantes ad Imperatorem Anaſtaſium ea de cauſa legati miſſi, a Deo, & ipſo, honorari meruerunt. Meruerunt ſanè, quia Monachis proprium hoc videtur, vt aulas, etiam Imperatorias, fugiant, niſi cum Dei cauſa, & Eccleſiæ obſequium agitur. Sed quo honore proſecuti? Iuſſit omnes ſedere. En pietas in Imperatore non rectè Catholico. Quidni faciant idem Orthodoxi? Ipſorum annuit priuatis poſtulationibus. Sabæ verbis inclinatur, & ipſius cauſa Eliæ Ieroſolymitano Antiſtiti reconciliatur. Hæc & alia Cyrillus *in Saba*, vbi tanquam Generalis Præfectus Monachorum contra Eccleſiæ hoſtes depingitur. — *Seuerus hæreticus, & Monachus.*

9 Accedit & ad noſtram hiſtoriam Flauianus Antiochenus Antiſtes, quod ipſe etiam Monaſticam vitam in Cœnobio exercuerit, & pro ipſo vindicando, Monachi, qui Cælesyriam accolebant, conſurrexerint: quos vel Carmeli cultores, vel prope ipſum Carmelum aſcetas ſuſpicari licet; cum mons hic ſacer ad eam Syriæ partem ſpectet. Fuit hic Patriarcha acer Catholicæ fidei pugil. Multa propterea ab hæreticis paſſus. Sed illis conſentire renuens, ab ipſis damnatur; etſi fauore Imperatoris in ſua Sede remanſit. Poſtea tamen a Seuero illo hæretico, de quo ſupra, pulſus eſt. Euagrius *lib.* 3. — *Flauianus Antiochenus Patriarcha.*

10 Accedit quoque Iulianus Boſtrenſis Epiſcopus Monachatus profeſſor ſub magno Theodoſio Cœnobiarcha, de quo *ſub ann.* 491. dicere cœpimus. Is tantæ ſanctitatis prædicatur, vt venenatum potum ebibens, ſigno Crucis ter facto, & inuocatione SS. Trinitatis, illæſus permanſerit. Cyrillus *in Vita Theodoſij*, Pratum Spirituale *cap.* 94. — *Iulianus Boſtrenſis.*

11 Quamuis etiam nonnulli eiuſdem Monachiſmi aſſeclæ Seueriani dogmatis ſectatores eſſent, prout ex Prato Spirituali hauriet facilè lector; nihilominus Sabas ille ſuperius nominatus, egregius Caſtrorum — *Sabas.*

Dei

Dei propugnator, adeo mira ſanctitate, & prodigijs enitebat, vt in ſuis Lauris abundanti annona gauderet, quo tempore, ſiccitate, locuſta, & plagis Regio afflicta erat; vt ſatis Deus ſapientiſſimus prouiſor hoc facto oſtenderet; vel vnum ſanctum Monachum poſſe ob vitæ ſanctitatem, plurimorum peccata recompenſando veluti ſupplere, ipſius Dei clementia præſertim cooperante. Rem habet lector ex Cyrillo relato *in Saba vita*.

Gildas Albanius.

12 Addendus huiuſmodi monaſtici cæli clariſsimis aſtris Sanctus Gildas Albanius, Sancti Patritij, de quo *ſub ann.* 432. diximus, aliquando diſcipulus, & in Inſtituto vitæ aſſecla. Etenim, vt Ioannes Pitſeus *de Illuſtrib. Brittanniæ Scriptorib. ætat.* 6. *num.* 43. ſcribit: *Rediens in Patriam vna cum multiplici doctrina copioſam retulit librorum ſuppellectilem, & vt liberius Deo, diuinarumque rerum contemplationi vacare poſſet, in ſolitudinem exiuit, vbi ſe ieiunijs, orationibus, vigilijs, cilicijs quotidiè macerabat. Multi autem fama virtutum eius moti, vndique ad eum confluebant, vt ab eo morum grauitatem, & religionis ſinceritatem ſimul cum bonis litteris addiſcerent. Omnes enim optima quæque, & verbo docebat, & facto*. Eadem fermè Ioannes Balæus *de Scriptorib. Brittanniæ in Gilda*, de eo ſubiungens non ſolum quod fuerit diſcipulus magni Patritij, & eremi ſolitaria quæreret loca, ſed, ad noſtræ hiſtoriæ intentum, quod eſſet *ſolitudinum cultor Eliæ exemplo*. Alia apud ipſos. Quibus iungendus Clemens Reynerus *in ſuo de Apoſtolatu Benedictinorum in Angliam, Tract.* 1. *ſect.* 1. §. 18. vbi eum cum Columba, Brendano, & alijs, Monachis Ægyptienſibus, Eliæ æmulatoribus annumerare videtur. Iungamus & iſta ex Iuliano Petri *in ſuis aduerſarijs num.* 146. *Multa memoria eſt apud Hiſpanos Sancti Gildæ Monachi cognomento Sapientis; cuius epiſtolæ penes me ſunt, & vaticinium euerſionis Hiſpaniæ. Natus anno* 454. *obijt* 27. *Ianuarij; anno* 543. *vixit ferè* 90. *annos. Nactus eſt S. Brigidam. Eius corpus repertum eodem anno* 15. *idus Maij prima die Rogationum*. At dices, hæc non de Gilda Albanio, ſed de alio Gilda *Badonico* dicto accipienda. Cæterum, quia Ioannes Bollandus *in Actis Sanctorum pro die* 29. *Ianuarij*, in vita S. Gildæ Sapientis *in prologomen. num.* 13. vtrumque Gildam vnicum eſſe credit, nos in re non noſtra haud curioſi, eidem adſtipulamur; & ipſius memoriam facimus, quia Monachus, non alterius Inſtituti, niſi illius vetuſtiſsimi Ægyptij, & Eſſeni in Banchorenſi Monaſterio, vt Pitſeus ait, fuit. Plura de illo idem Bollandus ex multis alijs, doctè.

Ann.

Ann. Chriſt. 514. vſque ad 523. Hormiſdæ Rom. Pontif. 1. vſque ad 10. Imper. Anaſtaſij 24. vſque ad 28. Iuſtini 1. vſque ad 6.

1 HOC decennio, e viuis ſublato Symmacho, ſuccedit Hormiſda in Romano Pontificatu; ſicut demortuo fulminis ictu Anaſtaſio Imperatori ſuccedit Iuſtinus. Moritur & Ariadne impia Auguſta. Floret Proclus Philoſophus, Coniector, Anaſtaſij amicus, author cuiuſdam ſpeculi, quo aduſta eſt claſſis hoſtilis Vitaliani Imperatori infeſta: Zonara namque teſte, ſpeculum fabricauit ex ære, idque e regione hoſtilium nauium ſuſpendit, in quod, cum radij ſolares impegiſſent, ignis erupit, qui inſtar fulminis, claſſiarios, ipſorumque naues combuſſit. An id naturali Matheſi, an verò Diabolica arte contigerit, dubium ingerit quod Proclus iſte, velut alter Porphyrius, impuram, & contumelioſam linguam contra Chriſtianos exacuerit. Hæc ex antiquioribus Baronius, Spondanus, Gordonus, & noui aliquot hauſerunt. Geſta huius temporis.

2 Ad noſtra accedentes, ne pius lector offenſionem hauriat ex dictis a nobis in præcedentibus de Monachis aliquot noſtri Seueriani dogmatis fautoribus, audiat ex Bibliothecario Anaſtaſio *in ſuo Chronico* Monachòs hæreſis labe infectos hoc tempore palinodiam recantaſſe, ac quatuor libros conſcripſiſſe pro S. Chalcedonenſis Synodi defenſione, ac Seueri deteſtatione; proteſtantes ſe mortem promptè laturos pro Orthodoxa fide. Ex quibus iam iam ipſos veros Monachos agnoſci neceſſe eſt. In horum numero erant 350. ab hæreticis occiſi, & alij vulnerati, qui in relatione Archimandritarum, & Monachorum ſecundæ Syriæ ad Hormiſdam miſſa inter Epiſtolas eiuſdem recenſentur. Ad quos propterea Papa litteras conſolatione, & admonitione plenas, a quinta Synodo poſtea recitatas, ſcripſit. Monachi ad bonam frugem redacti.

3 Sed quid non facerent Aſcetæ iſti ſub Duce eximio Saba, de quo in præcedentibus? Clariſſimus enim erat ſanctitatis prodigijs, tum pluuiam, velut alter Elias in *Lauris* commorantibus in ſumma aquæ penuria impetrans; tum ſuis aſſeclis Monaſticæ vitæ ſpeculum effectus. Cyrillus *in Sabæ vita*. Sabæ mirabilia.

4 Elias porrò ille Ieroſolymitanus Antiſtes commemoratus in ſuperioribus, vtpote re & nomine Elianus, a Deò illuminatus eſt hoc tempore de Anaſtaſij Imperatoris infelici obitu, & de ſuo, ac Flauiani Antiocheni Patriarchæ conſortis in exilio ob fidei Catholicæ tuitionem, feliciori tranſitu. Huiuſmodi namque cæleſtibus conſolationibus ſolet in terris verorum Monachorum ſanctitas abundare, in perennium bonorum beatitudinis pignus. Rem habet pius lector ex Prato ſpirituali *c.* 35. & Cyrillo Monacho *in Vita S. Sabæ*. Eliæ Ieroſolymitani viſio, & tranſitus.

Ioannes III. Ieroſolymit. 5 Succeſsit Eliæ in Ieroſolymitano Antiſtitatu Ioannes quidam Tertius appellatus, qui quibuſdam dubitandi anſam præbere poteſt, an is eſſet Ioannes ille a noſtris in ſuperioribus ſæpius inculcatus pro authore libri *de Inſtitutione primorum Monachorum ad Capraſium Montis Carmeli Monachum*. Cæterum nos habemus pro nobis ſentientes D. Cyrillum Conſtantinopolitanum, & plures alios hiſtoricos Ordinis, qui Ioannem eius libri authorem commemorant eum, qui ſub Arcadio, & Honorio Synchronologus fuit D. Hieronymo, & Epiphanio. De hoc autem poſteriori Onuphrius, Genebrardus, Baronius, Spondanus, Gordonus, & alij.

Anaſtaſia. 6 Clara erat inter Monaſtici ſtatus prophetides Anaſtaſia quædam, cuius extant ad Pontificem Hormiſdam litteræ, & huius ad ipſam. Quę poſt obitum viri ſui Pompeij, abdicato ſeculo, ſeceſsit in Palæſtinam, ibique in monte Olilueti (antiqua Elianorum Sede) vitam excoluit monaſticam, & egregia enituit ſanctitate. Cyrillus *in Vita Sabæ*, Spondanus *ſub ann.* 519.

Synodus Cõſtantinopolit. 7 Celebratur hoc tempore Conſtantinopoli Synodus, in qua die 16. menſis Iulij, conuenientibus Imperatore, Auguſta, Patriarcha, Epiſcopis, & populis, inter repetitas acclamationes addiderunt. *Reliquias Macedonij reſtitue. Iuſtine Auguſte tu vincis. Eos qui ſunt in exilio propter fidem, reſtitue. Exhumentur oſſa Neſtorianorum. Exhumentur oſſa Eutychianorum. Manichæos eijce foras. Seuerum Iudam eijce foras. Duos Stephanos eijce. Euphemium, & Macedonium Eccleſiæ reſtitue. Synodica Romana modo valeant. Falſos teſtes Macedonij eijce foras. Quatuor Synodos Diptychis. Leonem Epiſcopum Romanum Diptychis. Sancta Maria Dei Genitrix eſt.* Hæc porrò a nobis eo animo adducta, ex Coriolano *in Breuiar. ſub ann.* 518. vt ex illis conijciat lector nouam aliam cauſam, ob quam Carmelitana familia eiuſdem Beatiſsimæ Dei Matris alumna deuotiſsima, Commemorationis ſolemnis eiuſdem Virginis Feſtum ea 16. die Iulij colat. Hac forſan acclamatione ducta quod illa die ipſa Beatiſſ. Virgo *Dei Genitrix* in hac Synodo ſit ſolemniter conclamata.

Monachi Scythæ. 8 Fluctuabant tamen hoc tempore aliqui Monachi Scythæ ſequentes Leontium Monachum eiuſdem nationis; aliquo modo Eutychianis fauentes, etſi Neſtorianis aduerſantes; quinimo Africanos ad ſuum ſenſum trahere volentes. Summi autem Paſtoris vigilantia repreſsi ſunt, contradicente tamen vno illorum Ioanne Maxentio. De quibus moderni Chronologi. Nos verò ea notanda rati ſumus, vt nimiam curioſitatem, & animoſam ſuperbiam a veris Monachis omnino ablegandam fore inculcemus.

Elesbaan Rex Æthiopum Monachus. 9 Decorauit tamen Monachatum Ethiopum Rex Elesbaan, qui Chriſtianus effectus, & impium Dunaam crudelem Chriſtianorum carnificem interficiens, apud Homeritas propagati Chriſtianiſmi author fuit. Hic poſtea cum diadema regium Ieroſolymam miſiſſet, ipſe indutus

dutus cilicio in vnum montem ad Monaſterium quoddam pergens in exigua domuncula clauſus regulam ſuſcepit Monaſticam, nihil mundanum poſſidens præter ſolam ſtoream, & poculum ad aquam bibendum. Hiſtoriam pijſsimam, vbi ſimul de Monachis, & Monialibus pro Chriſto mala tolerantibus multa reperiet lector, habet Surius 24. Octobris in vita S. Martyris Arethæ ex Metaphraſte extracta.

10 Circa hoc tempus, iuxta Coriolanum, & alios; vel ſaltem paulo poſt, magnus ille Occidentalium Monachorum Patriarcha Benedictus ſuo celeberrimo Inſtituto initium dedit. Qualiter id geſtum, D. Gregorio Papæ, Marco Monacho, Adalberto Floriacenſi, Annonio Monacho, Berthario Caſsinenſi, Rainaldo item Caſsinenſi, Leoni Hoſtienſi, & multis alijs huius clariſsimæ familiæ ſcriptoribus relinquimus. Vnum tamen quod noſtram ſpecialius hiſtoriam tangit prætermittere fas non eſt. Videlicet, primos ſui Inſtituti Monachos ex illis fuiſſe, qui antiquum, & peruulgatum Elianum, & Propheticum ſectabantur; eique adhæſiſſe veluti palmites palmæ, & hederam muro, pro fulcro nempe, & firmiſsimo ſuſtentaculo. Rem ſic aggredimur. Benedictus, prout tactum *ſub ann.* 494. teſte D. Gregorio Magno 2. *Dialogor. cap.* 1. in ſpelunca illa iuxta Sublacum *tribus annis* anachoreticam vitam egit. Idemque teſtatur Papa Zacharias in Bulla quadam apud Leonem Hoſtienſem *in Appendice*, & colligitur ex Petro Damiano *lib.* 6. *epiſt.* 12. S. Brigitta *lib.* 3. *Reuelat. cap.* 20. Adone, & Aymonio *in ſermone S. Benedicti*. Hanc verò eremiticam vitam iuxta Inſtitutum Eliani Ordinis fuiſſe teſtatur idem Aymonius dicens: *In conuerſatione eremi a pueritia, Eliæ, vel Baptiſtæ Ioanni coæquatur*. Vnde ipſum in multis comparat Eliæ. Eliæ ergo æmulator extitit in vita Eremitica. Idem etiam dicendum de vita Cœnobitica. Cum enim eam ſectaretur ad imitationem illius, quam cernebat in Monaſterio Theodati, cui Abbas, & Superior ſuffectus eſt, eodem Gregorio *ſupra cap.* 3. id teſtante, & iuxta diſciplinam Romani Monachi illius Magiſtri, a quo habitum ſuſceperat; ſanè cum illi Elianum redolerent Inſtitutum, iuxta dicta relato loco, proculdubio idem cenſendum de illis Monachis, quos veluti cooperatores ſibi aſciuerat. Teſtatur hoc eximius author Baptiſta Mantuanus *in Parthenic. Marian. lib.* 2. vbi de Carmelo noſtro ſic canit. S.Benedictus.

Quidquid habent alij montes pietatis ab iſto
Ducitur, hac vna plures e vite racemi
Diffuſi latè terras, atque æquora complent.
Hinc Carthuſiacis æterna ſilentia clauſtris,
Hinc varias Benedictus oues collegit....

Idem teſtatur etiam Arnoldus Boſtius Gandenſis *in Specul. hiſtor. lib.* 1. *cap.* 10. primis illis capitis verbis: *Porro S. Benedicti Religio a Religione*

Monachorum Carmelitarum, tanquam riuus a fonte deriuatur. Teſtantur id etiam alij, hos ſecuti. Colligitur id quoque ex eo quod S. Benedictus Regulam S. Baſilij, quæ conformiter ad Orientalia, & Eliana Inſtituta edita erat; quin & Collationes Patrum Caſſiani, & eorum leges, ab eodem fonte fluentes commendauit in ſua Regula *cap. vlt.* & illas veluti exemplaria, & protótypos aſpexit, vt probat eruditè Franciſcus Vaquierus Ciſtercienſis *in Apolog. ad Regul. S. Benedicti*; & confirmat noſter Coria *in Chron. Carmelit. lib.* 9. *cap.* 16. nec diſſentiunt Ludouicus Miranda *in Man. Prælator. tom.* 1. *quæſt.* 4. *ar.* 1. Ioannes Picus *in Prologo ad Opera S. Macharij*, & Michael Medina *lib.* 4. *de Sacror. homin. continentia controu.* 6. & alij. Maxime id confirmat quod Nicolaus Harſpfildus Archidiaconus Cantuarienſis *dialog.* 5. *cap.* 18. quem refert, & commendat quaſi Chriſti Martyrem Clemens Reynerus *de Apoſtolatu Benedictinor. in Angliam, Tract.* 1. §. 22. S. Benedictum inter Apoſtolicos Monachos, ac Eſſenos Alexandrinos cum Antonio, & ſimilibus recenſet. Meritò ergo inter Eliani Inſtituti æmulatores eximium Eccleſiæ luminare S. Benedictum; etſi non inter Carmeli Monachos, aut ſucceſſores, recenſere fas erit. Quod & nobis glorioſiſſimum, & Benedictinæ familiæ toti Orbi innumeris titulis clariſſimæ, nullatenus iniurioſum eſſe poterit.

S. Brigida Virgo.

11. Erat circa hoc tempus in Hiberniæ partibus percelebris quædam virgo, Brigida nomine, Kildarienſis in Lagenia, quæ Monaſticam vitam exercens adeo opinione virtutum vigebat, vt ad ipſam innumerabiles vtriuſque ſexus populi confluerent: quibus & ipſam Regulam tradidit obſeruandam in Cœnobijs, Monialium præſertim. Quarum tanta multitudo erat, vt Ioannes de Bruxella *in Venator. Canonic. Regular.* non dubitauerit dicere tredecim millium Monacharum Abbatiſſam fuiſſe. Sed cuius Inſtituti (lectorem appello) non Baſiliani, nec Auguſtiniani, quia hoc ſpontaneè aſſeritur: non Benedictini; quia vix ortum in mundo, & non niſi poſt plures annos Oceani maris oras cognouit: reſtat ergo vt iure dicamus illius fuiſſe, quod per longa curricula temporum Orientales primum, deinde Occidentales plagas perluſtrans, a Palæſtinis, & Ægyptijs Eſſenis, ſeu Eliſenis ortum, totum Orbem repleuerat. Video Gabrielem Pennotum *lib.* 3. *hiſtor. Canonicor. Regular. cap.* 49. contendere Sanctimoniales iſtas Canonicas, ſeu Canoniſſas Regulares fuiſſe, eo quod pallio albo vſæ credantur, ſicut earum legiſlatrix Brigida. Cæterum diligens hic author innumeros Monachos, & Moniales illorum temporum Canonicos, & Canoniſſas credere ſolet, leuidenſi fundamento: quale eſt hoc de veſte candida. Potius enim ex eo inferre deberet Eſſenatus Chriſtiani cultrices has Virgines extitiſſe; cum Eſſeni veſte alba vſi deſcribantur, vt diximus *to.* 1. *ſub anno Mundi* 3545. *num.* 29. & *tom.* 2. *ſæpius*. De hac porro egregia virgine, etiam ſub Sanctæ nomine, agunt Sigebertus, Capgrauius, Marianus Scotus, Cogitoſus

ſus author vitæ ipſius, Pennotus *ſupra*, & alij apud Haeſtenum *lib.1. diſquiſit. Monaſt. Tract.6. diſquiſit.3.*

12 Occaſione autem huius celebris virginis Birgidæ, & Regulæ ab ipſa compilatæ, commemorandus occurrit S. Kieranus, ſeu Queranus Cluanenſis Abbas, & eius Monaſterij extructor, quem commemorant Martyrologia Romanum; Vſuardi, & aliorum *ſub 9. die Septembris*, & de quo etiam dubitat Haeſtenus *ſupra diſquiſit.11.* an etiam propriæ Regulæ concinnator fuerit Monachis ſuis diſcipulis. Sed cuius ſcholæ Monaſticæ alumnus, conijciat lector ex ſæpius repetitis, ſi clariora veritatis monumenta non ſuppetant. S. Kieranus, ſeu Queranus.

13 Huius etiam temporis gloria fuit S. Vincentius Legionenſis in Hiſpania celebris Martyr, & Monachus, de quo Marcus Maximus *in Chronicon ad ann.*514. hæc. *Vincentius Abbas Legionenſis, ex Ordine poſt S. Benedicti, quem accepit antequam pateretur martyrium, floret. Patitur vero anno 546.* Eſto autem difficile creditu ſit, tam cito Ordinem Benedictinum ſuſcepiſſe, aut in Hiſpaniam inuectum; tamen quod ſi Monachus, & Abbas ante ſuſceptionem erat, prout M. Maximus ſcribit, quod Monachatus Prophetici aſſecla fuerit, pro certo haberi debet, & propterea ipſius memoria noſtris Annalibus inſeri. Eſto Benedictini PP. ſine vlla temporis differentia ſuæ Sacræ familiæ adiungant, vt Vvion *in Martyrol. Monaſt.11. Martij, & 2. Septembr.* cum tamen vix S. Patriarcha Benedictus Monaſticen in Italia inſtituere cœperit. Ergo circa hoc M. Maximi teſtimonium audiendus Gabriel Pennotus *in Hiſtor. Canon. Regular. lib.1. cap.53. num.2.* vbi ſic. Hæc clauſula; *Ex Ordine poſt D. Benedicti, quem accepit antequam pateretur, ſine dubio ab aliquo ſtudioſo de induſtria poſita fuit: nam nomen Ordinis S. Benedicti, tunc temporis in vſu non erat, & forte illius Inſtitutum Hiſpanorum Regiones vſque ad annum 646. non penetrauerat, aut ſaltem nullo teſtimonio idoneo id probatur, & hoc omnino certum, D. Benedictum ante ann.525. vel circa, Monachos non congreganiſſe.* Inferius inter ann.540.& 550.hæc idem Maximus habet: *Reliquiæ S. Vincentij Legionenſis Abbatis, & Martyris Ouetum allatæ anno Dom.531. mirificis miraculis celebrantur.* Error hic apparet manifeſtus: ſi enim pro anno 546. Martyrium paſſus eſt, quo pacto quindecim antea annis ipſius reliquiæ in veneratione eſſe potuere? S. Vincentius Legionenſis.

14 Pari etiam iure de S. Victoriano Abbate memoria recolenda hoc loco, cum de ipſo in additionibus ad M. Maximum hæc habeantur. *Anno Dom.520. venit in Hiſpaniam de receſſibus Italiæ progrediens S. Victorianus, & in Monaſterio Aſſanij in Celtiberia Hiſpaniæ conſtitit, vitam ibidem eremiticam primum inſtituit, & poſt crebreſcente fama virtutum, ac miraculorum, S. Benedicti cucullum iam ſenior induit; plurima per Hiſpanias Monaſteria fundat, more Benedictinorum nobilium filios, & in ijs S. Gaudioſum moribus, & doctrinis luculenter imbuit. Plenus dierum, & meritorum 12. Ianuarij moritur. Viuus, & mortuus plurimis miraculis claret.* S. Victoria[nus]

Obiit autem anno ſeptimo. Cum enim antequam *S. Benedicti cucullum iam ſenior* induerit in *Monaſterio Aſſanij in Celtiberia Hiſpaniæ* vitam eremiticam inſtituerit, procul dubio, ſaltem in annis prioribus, tum ipſe, tum Monachi eius Monaſterij antiquiorum Monachorum ritum ſectati fuerunt. Qui antiquus ritus Eſſenorum ſapit Inſtitutum in puerorum inſtitutione, vt ſæpius notauimus, maximè *tom.* 1. *ſub ann.* 3988. *nu.* 8. & *ſub ann.* 4053. *num.* 13. ac *tom.* 2. *in Appar. cap.* 2. *nu.* 8.

Ann. Chriſt. 524. 525. & 526. Ioannis I. Rom. Pontif. 1. 2. & 3. Iuſtini Imperat. 7. 8. & 9. Theodorici Reg. 32. 33. & 34.

Acta in Orbe.

1 EX communibus hoc tempore in Eccleſia geſtis illud præcipuum, quod Ioannes huius nominis primus, natione Hetruſcus in Hormiſdæ Papæ locum ſubrogatus fuerit. Theodoricus autem impius Italiæ Rex poſt occiſos clariſſimos viros Symmachum, & Seuerinum Boetium, manus in Ioannem Papam inijciens, carceri tradit, vbi mortem ſanctè ſubijt, meritus propterea vt Menologijs, Martyrologijſque pro die 27. vel 28. Maij aſcriptus ſit. At e contra Theodoricus ſacrilegus, paucis poſt diebus, prodigiosè obit, in infernum vt putatur detruſus. Procopius, Paulus Diaconus, & ex ipſis Baronius, & Neotherici.

Zoſimæ, & Mariæ Ægyptiacæ hiſtoria.

2 Circa hoc tempus, iuxta plurium ſapientum calculum, quos ſectantur Baronius, Heribertus Roſuuedius, Spondanus, & alij, pia illa Zoſimæ Abbatis, & Mariæ Ægyptiacæ dictæ hiſtoria contigit, noſtris iure annectenda Annalibus, compendio etſi ſolito, propter notanda in ſequentibus. Hic ergo Zoſimas, alijs Sozimus, & alijs Zoſimus, Monachus fuit in Monaſterio Palæſtinorum, vt vel hinc elici valeat ex Elianis illis fuiſſe, qui *Lauras* Palæſtinæ colebant, de quibus in præcedentibus ſæpius diximus, Elianis aggregari debere. Perfectus valde Monachiſmi exercitator ab incunabulis ipſis deſcribitur. Frequenter pſallere, & meditari opus eius. Tentatus tamen ſuæ perfectionis ſuperbia, alterius non egere magiſterio ſibi propoſuit. Monetur idcirco diuinitus monaſterium relinquere. Petit ad aliud prope Iordanem ſitum. Vt vel hinc quoque hauriamus Eſſenorum Cœtum hoc Cœnobium fuiſſe, qui parentis Eliſei exemplo, ſacri huius fluminis fluenta frequentabant. Monaſterij inſuper mores id oſtentant: cibum namque habebant, & potum, panem, & aquam; eorundem Eſſenorum inſtar, quibus hæc parſimonia familiaris; prout ſcripſimus *tom.* 2. *in Appar. cap.* 1. *nu.* 18. & 19. & c. 2. *n.* 15. Solitudinem hi Monachi in quadrageſima incolebant, iuxta eorundem quoque Eſſenorum ritum, qui ſolitudinum frequentatores noſcebantur, vt ſæpius in præcedentibus tomis annotauimus. Zoſimas

igitur

igitur Monaſterij legem obſeruans in deſertum Iordanis ſe contulit. Ibi ſpectrum ſibi occurrens aſpicit. Inſequitur. Mariam Ægyptiacam fugientem agnoſcit. Phantaſma eſſe credens ab ipſa corripitur. Nudam ſe fœmina clamat, vt propterea facie in terga verſus Abbas pallium (agnoſce hic Eliæ tegumentum) illi proiecerit. Audijt tunc Mariam loquentem, miratur in aera ſubleuatam, precatur, vt ſuæ vitæ rationem ſibi propalare dignetur. Talis porrò fuit, ipſamet narrante. Patria, Ægyptiaca, colonia Alexandrina, vbi virginitatem perdidit, & inſatiabiliter vitio libidinis ſubiugata iacuit: eo maiori admiratione, quod non cupiditatis æſtu, ſed laſciuiæ furore ſuccenſa luxuriæ in ſterquilinio volutabatur. Videns quoſdam Hieroſolymam nauigare,corpus pro naulo offerens, cum ipſis naui ſe tradit, libidini ſuæ vacans. Hieroſolymam deinde aſcendit, vbi quoque inceſtare non deſtitit. Cum autem S. Exaltationis Crucis feſtum veniret, iuuenum illaqueans animas, & ipſa in atrium templi peruenit. Sed non admittitur, diuinitus repulſa. Intelligens tamen ob ſcelera patrata ab aſpectu S. Crucis arceri, compungitur; virginem Mariam implorat; vitam corrigere proponit; & ſic Deiparæ ſuffragio liberè Templum ingreditur. Vbi, pauimento oſculato, gratias agens Dei Matri, hæc audijt: *Iordanem ſi tranſieris bonam inuenies requiem*. Nec mora: ſe namque Reginæ Orbis per quam humano generi ſalus aduenit, commendans, de atrio Templi egreſſa, & feſtinanter ambulans, verſus Iordanem perrexit, tribus panibus pro annona contenta, nummis totidem a quodam acceptis, comparatis. Annis ergo 47. (res ſanè ſolius Dei potentiæ digna) in ſolitudine egit, tribus illis dumtaxat victitans panibus, & herbis ſilueſtribus, nec hominem, nec feras intuens, æſtu, & algore cruciata; & quod magis, præteriti luxus conflictata, non ſuperata cogitationibus. Sed non mirum, quæ promptum Mariæ Virginis fideiuſſoris ſubſidium merebatur obtinere. Viua & ſuperſtes celari petit, & viuifica Sacramenta a Zoſima, qui ea, anno tranſacto, ad ipſam defert. Suſcepit illa, & poſtea modicum lenticulæ. Iterum reuertitur ſenex ad propria, & ſequenti etiam anno Mariam ſuam quærens corpus eius exanime reperit cum hac ſcriptura: *Sepeli Abba Zoſima miſeræ Mariæ corpuſculum*. Tentans autem id facere, nec potens, leonem vidit, qui iuxta ſenis ſermonem vnguibus foueam fecit, quæ pro ſepeliendo Sanctæ corpuſculo ſufficeret. Reuerſus poſt hæc ad Cœnobium impleuit annos centum, & migrauit ad Dominum, ſatis ſuperque a Deo monitus quod fœmina virum in perfectione excederet. Ad eum namque finem eam ipſi oſtendit, miraculis, ac ſpiritu Prophetiæ corruſcantem, & ſanctiſſimæ vitæ portentoſum veluti ſpeculum. De ea Sophronius Ieroſolymitanus Epiſcopus *lib.* 1. *Vit. Patr.* Nicephorus *hiſtor. lib.* 7. *cap.* 5. Secunda Synodus Nicæna *action.* 4. Damaſcenus *Orat.* 3. *de Imaginibus*. Hildebrandus Cenomanenſ. apud Genricum *de viris Illuſtribus capit.* 8. Bonad. Santon. *lib.* 3. *Monad.* 29. Martyrologia,

gia, & Menologia pro 1. vel 2. die Aprilis, & ex noſtris aliqui infra referendi.

Maria hæc an noſtris accenſenda.

3 Dixi autem ſuperius, hiſtoriam hanc Annalibus noſtris iure annectandam, ne dum propter Zoſimam ipſum, qui inter Elianos, propter dicta, computandus videtur; ſed & quia Mariam iſtam Ægyptiacam nonnulli Carmelo noſtro accenſent, quod pro aliquo tempore eò ab Angelo ducta pœnitentialem vitam ibi geſſerit. Sic Caſanate *in Parad. ſtat. 3. ætat. 7. cap. 31.* referens ſe ad alios ex noſtris. Hinc minus modeſti quam eorum ſtatum decebat quidam alij hanc Mariam ſibi autumaſſe viſi ſunt eam, quam noſter Ordo pro titulari colit Patrona. Quorum placita ſigillatim a nobis expendenda. Et primò, illud noſtrorum de incolatu huius Mariæ Ægyptiacæ in Carmelo nullum pro ſe authoritatis fulcrum obtinet. Si enim ipſius hiſtoriam a Sophronio primitus deſcriptam, & ab alijs poſterioribus mutuatam cernamus, potius contrarium omnino conſpicitur. Ipſa etenim ſuæ vitæ geſta Zoſimæ referens dicit ſe quadraginta ſeptem annis in ſolitudine Iordanis egiſſe, nec hominem, aut beſtiam eō tempore vidiſſe. Non ergo Carmeli antra inuiſere potuit, in quibus homines & beſtias cernere potuiſſet. Illuc ab Angelo aductam fuiſſe dicunt, ſed non probant; nec aliud pro ipſorum dicto afferri poteſt teſtimonium, niſi quod Nicolaus de Luca Ordinis Procurator Generalis in libello ſupplici ad Vrbanum VI. per manus Bartholomęi Cardinalis S. Marcelli oblato, referat calumnias quorundam, quos *iniquitatis filios*, & *alumnos*, ac *ſpiritu inuidiæ*, & *malitiæ agitatos* vocat, dicentium fratres noſtros non dicendos *Beatiſſimæ Genitricis Dei, ſed potius cuiuſdam Mariæ hæreticæ inhabitantis Montem Carmeli per Angelum conuerſæ*. Hæc autem nihil tangunt Mariam Ægyptiacam; cum ipſa a nullo *hæretica*, ſed impudica meretrix appelletur; nec fuerit ab Angelo conuerſa, ſed potius a Deipara ipſa, cuius fauore atrium templi, etſi prius repulſam paſſa, ingredi meruit, & cœlitus admoneri de ſeceſſu trans Iordanem. Vnde ergo locus huius Mariæ in Carmelo? Deinde, placitum illorum, qui hanc Mariam noſtram titularem Patronam eſſe effutire non ſunt veriti, in ſequentibus, dum de hiſtoria Ordinis circa annum 1374. agetur, facile exſibilabitur. Pro nobis ſolum nunc loquatur homo alias maledicentiæ ſpiritu totus refertus, Ioannes Balæus, qui *in Catalogo Scriptorum Brittanniæ Centur. 6. in Ioanne Hornebio in append.* inquit, eos, qui Ægyptiacæ meretricis Mariæ Fratres Carmelitas aſſeruerunt hæreticos adiudicatos eſſe. Sanè, quidquid de cenſura hac ſit, cum aliquale pro ipſa ſubſiſtat fundamenum, propter plurima Summorum Pontificum diplomata, qui titulo *Mariæ Dei Genitricis* Ordinem inſigniri ſæpius declarant, Ioannes de Donelhico Cancellarius Cantabrigienſis, de anno 1374. publicum reſcriptum contra æmulorum temeritatem ſub pœnis, & cenſuris promulgauit. Alia ſub eo tempore ad intentum. Conſulat interim lector Ioannem Pitſeum *de Scriptor. Angliæ*, dum lo-

quitur

quitur de Ioanne Hornebio, & Ioanne Stocho, ibique conſpiciet quæ nos, ob quorundam reuerentiam, ſcienter prætermittimus.

Maria Tharſenſis.

4 Spectat tamen ad præſens, & noſtram Chronologiam, Maria altera, etiam meretrix, quæ Tharſis morabatur, & duorum Monachorum opera ad bonam frugem redacta, & in Monaſterium Ægenſis Ciuitatis ingreſſa deſcribitur a Ioanne Moſcho *in Prato Spiritual. cap.* 31. & alijs poſt ipſum. Dicit autem eam iam anum vidiſſe, & magnæ prudentiæ fœminam fuiſſe. Potens enim eſt Deus *de lapidibus ſuſcitare filios*.

Zoſimas alius prope Carmelum.

5 Maximè quoque Annalium iſtorum ſeries expoſtulat Zoſimæ alterius ſanctiſſimi Anachoretæ geſta recenſere. Eò quoque quod cum natione Phœnix, cui Prouinciæ Carmelus annectitur, & in Cæſarea Palæſtinæ eidem Monti proxima Vrbe commoratus fuerit, anachoreſim cum Elianis Carmelæis egiſſe valde ſuſpicari poſſumus. Miraculis illuſtribus reſplenduit; etenim leonem, qui ipſius aſellum deuorauerat, in ſarcinis ferendis aſini miniſterium ſubire coegit. Terræmotum magnum Antiochiam inuadentem, & magna ex parte euertentem ex Cæſarea præcognouit eo momento, quo Antiochiæ contigit. Alia de ipſo Euagrius, & Nicephorus, ac ex illis Baronius, Spondanus, & moderni.

Theodoſius.

6 Reuelatus eſt idem Antiochenſis terræmotus Theodoſio Cœnobiarchæ, de quo in ſuperioribus actum; antequam eueniret, prout Cyrillus eius Chronologus ſcribit apud Surium *die* 11. *Ianuarij*.

Ioannes Cuzibita.

7 Illuſtris quoque eo tempore erat Ioannes Cuzibita ex Monacho *Lauræ* Cuziba ad Iordanem Cæſarienſis creatus Epiſcopus, qui miris virtutibus ſplenduit, quas Pratum Spirituale, Euagrius, & Baronius referunt. Nec nos illas vel in genere omiſiſſe fas fuit, cum iſtæ *Lauræ* Iordanis ex illis videantur, quas Chariton ante D.Baſilij Inſtitutiones, quin ante Antonij Monaſteria, Eliani Inſtituti ſcholas erexit, iuxta ea, quæ in præcedenti Tomo ſcripſimus, & in præſenti ſæpius inculcauimus.

Ann. Chriſt. 527. vſque ad 530. Felicis Rom. Pontif. 1. vſque ad 4. Iuſtiniani Imper. 1. vſque ad 4.

Geſta huius temporis.

1 HIS annis Pontificatus Papæ Felicis Iuſtinus Imperator Iuſtinianum ſororis filium ſucceſſorem deſignauit, & paulo poſt diem clauſit vltimum. Cyclo Paſchali initium dedit, iuxta quoſdam, (alijs aliter opinantibus) Dionyſius cognomento *Exiguus* Abbas Romanus. Conſtitutiones Iuſtiniani Codicis lucem primo viderunt. De his Marcellinus, Euagrius, Baronius, & alij.

Dionyſius Exiguus.

2 Occurrit pro hoc tempore ex monaſticæ vitæ profeſſoribus magnus vnus, etſi *Exiguus* cognominatus, Dionyſius, eo quod hoc titulo,

humi-

humilitatis ergò, ſeipſum appellare ſolitus eſſet. Fuit natione Scytha, profeſſione Monachus, in vtraque lingua doctiſſimus, atque ſacrarum litterarum peritiſſimus. Ipſi debet Eccleſia, quod in Cyclo ſuo anni non per Olympiades, aut Conſules, vel Indictiones, aut a Diocletiano, vt olim, ſed a Chriſto Domino, vt par erat, quia ipſe fuit ſæculorum renouator, numerari cœpti ſunt. De ipſo Caſſiodorus, Beda, Genebrardus, Baronius, Poſſeuinus cum alijs. Annalibus noſtris attexendus videtur; etſi enim Trithemius *in lib. de Vir. Illuſtrib. S. Benedicti* ipſum Benedictinis accenſeat; quia tamen hoc tempore S. Benedictus vix Caſſinum peruenerat, aut Monachorum Dux eſſe cœperat, Dionyſius iſte antiquioris Inſtituti ſectator videtur, & Trithemium, alioquin doctiſſimum, a ſe ipſo declinaſſe, dum eum ſuis annumerat, prout & alios, videlicet Cæſarium Arelatenſem, Fauſtum Regienſem, Caſſiodorum, & Eugippium, non maiori fide, vt notat ipſum reprehendens Baronius *ſub ann.* 494. quem ſequitur Spondanus *ibid.* Idem dicerent contra Vvionem *lib.5. ligni vitæ cap.96.* vbi de hoc Dionyſio agit.

Theodoſius. 3 Theodoſij etiam Cœnobiarchæ, de quo in ſuperioribus, ſanctitas hoc tempore a Deo clarior monſtrabatur. Cum enim Cericus quidam Romanorum Dux contra hoſtes dimicaturus auxilium a Deo poſtulare vellet, Ieroſolymam adiens Theodoſium conuenit, & ab eo cilicium quo induebatur pro armatura accipiens, glorioſam reportauit victoriam, videns etiam Theodoſium in prælio præeuntem, & quid faceret monentem. Cyrillus *in Vit. Theodoſij* apud Surium *die 11. Ianuarij.* Notent hic Monachi plus pro Dei obtinendo auxilio valere cilicia, quam nitidas veſtes, & politiores, ſeu pretioſiores habitus.

Sabę geſta. 4 Alia ex eodem Cyrillo *in Vita S. Sabæ*, apud Surium *die 5. Decembris* habemus de ipſo, cum Iuſtiniano Imperatore geſta. Legatus ad ipſum miſſus pro Chriſtianorum iuuamine, honorifice recipitur, beneuolentia magna tractatur, multiſque donis gratioſè decoratur. Illud præ cæteris admiratione dignum, & in confuſionem noſtrorum Monachorum, quod cum hora tertia adueniret, in qua ſecundum Eccleſiæ vſum, quem Sabas ſectabatur, diuinis laudibus vacandum erat, relicto Imperatore, grauibuſque negotijs, quæ cum illo tractabat, ad ſacras illas preces Deo ſeorſum peragendas ſecedebat. Monitus etiam a diſcipulo Ieremia, cur ſic ſe cum Imperatore gereret, ingenuè reſpondit dignam Sabæ ſententiam: *Ipſe facit quod ei conuenit, & nos omnino id quod debemus.* Ab Imperatore deinde multa gratioſè obtinuit pro Eccleſiarum reparatione, *Lauræ* defenſione, & Chriſtianorum tuitione. Eiuſdem quoque Sabæ induſtria noua Laura, *Ieremiæ* vocata, condita fuit, pro Ieremia eius diſcipulo.

Theophanes Monachus iuxta Carmelum. 5 Propius ad hiſtoriam noſtram ſpectare credimus illam, quam de Theophane Monacho refert Pratum Spirituale Ioannis Moſchi *cap.26.* Fuit etenim Theophanes iſte in partibus *Dora* Monachiſmi profeſſor;

Dora

Dora autem Ciuitas fuit in Carmeli circuitu poſita, iuxta ea, quæ ex Ioſepho, & D. Hieronymo diximus *tom.* 1. horum Annalium *circa annum Mundi.* 3912. *num.* 2. Ille ad Cyriacum magni nominis Monachum hoc tempore in Laura Calamonis iuxta Iordanem agentem pro ſuæ conſcientiæ negotijs communicandis venit. Ab ipſo ergo ædificatus cum illo permanſurum dixit, niſi in propria regione cum Neſtorianis communicationem haberet. Quæ cum audiſſet ſenior *afflictus de perditione fratris, corripiebat eum, & orabat, vt recederet ab hac peſſima, & perniciosa hæreſi, accederetque ad ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, dicens non eſſe aliam ſalutis ſpem, niſi rectè ſentiamus, & credamus, vt re-vera eſt, ſanctam Mariam Dei Genitricem eſſe. Dixit autem frater ille Seni: Profectò, Domine pater, omnes hæreſes ſic dicunt, niſi nobiſcum communices, ſaluus eſſe non poteris. Quid ergo faciam infelix, neſcio. Deprecare igitur Dominum, vt reipſa me certum faciat, quænam ſit vera fides. Senex autem cum gaudio fratris verba ſuſcepit, dixitque illi: Sede in ſpelunca mecum, & omnino ſpem in Deo habeto, quia reuelabit tibi ipſius benignitas, quæ ſit vera fides. Dimiſſoque fratre in ſpelunca ſua egreſſus eſt ſenior prope mare mortuum, orans Deum pro fratre. Circa autem horam nonam diei ſequentis aſpexit frater quemdam aſtantem ſibi aſpectu terribilem, ac dicentem: Veni & vide veritatem: aſſumenſque eum duxit in locum tenebroſum, ac fœtidum ignes euaporantem: atque in ipſis ignibus vidit Neſtorium, Eutychen, Apollinarem, Dioſcorum, Seuerum, Arium, Origenem, & alios quoſdam. Dixitque illi is qui apparuerat: Locus iſte præparatus eſt hæreticis, & blaſphemantibus, & his qui illorum dogmata ſequuntur. Si ergo placet tibi locus, perſiſte in tuo dogmate: ſi autem ſupplicium iſtud experiri non vis, accede ad Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, quam te ſenex docet. Dico enim tibi, quia ſi omnes virtutes homo operetur, nec rectè credat, in hoc loco cruciabitur. Atque in hoc verbo venit frater in ſemetipſum, & redeunti ſeni narrauit omnia quæ viderat, acceſſitque ad communionem Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ. Remanſit autem cum ſene, impletiſque quatuor cum illo annis, dormiuit in pace.* Puduerat huius Concarmelitæ noſtri miſeriam referre; ſed iam non piget, cum ex narratis innoteſcat, ipſum ex quadam veluti ſimplicitate Neſtorianis adhæſiſſe, ſed poſtea a Deo illuminatum Eccleſiæ pacem dediſſe, ac in ipſius gremio in Domino piè quieuiſſe.

6. Hic porro in hac hiſtoria Cyriacus, qui alias Quiriacus, cognominatus, maximi nominis Anachoreta fuit; in Lauris illis antiquitus a Carithone cultis, & erectis, & poſtea ab Euthymio, Saba, Theotiſto, & alijs amplificatis; prout ex vita ipſius a Metaphraſte deſcripta; & a Surio ſuis operibus *pro* 29. *Septembris* inſerta, habetur. Notet hæc lector, vt videat quam hiſtoricæ veritati conformiter horum Patrum geſta noſtris Annalibus adiungimus; cum Carithon ille harum Laurarum primus adinuentor Eliani Inſtituti puri aſſecla fuerit, iuxta dicta a nobis Quiriacus.

Tomo

Tomo ſecundo præcedenti, vbi de ipſo, & Lauris ab ipſo inchoatis ſermonem habuimus. Si cauſam porro lectorquærat, cur hæc Cœnobia Lauræ vocarentur, dubij ſolutionem audiat ex Bollando *in Actis Sanctorum tom.*1. *in Vit. S. Theodoſij pro* 11. *Ianuarij* §. 4. vbi ſic: *Lauram hoc fere tempore vocabant Monachorum manſiones, ſeu cellas, quas, additis proprijs nominibus diſcernebant, vt Lauram S. Euthymij, S. Sabæ, Pharan, &c. Origo eius videtur repetenda a Fluuio* Laura, *qui regioni vicinæ, quam præterfluit, & Monaſterijs in ea ædificatis nomen dedit.*

Congellus. 7 Ad idem tempus refertur Congellus natione Brittannus, temperantiæ, & caſtimoniæ laude clariſſimus; qui corpus ſuum quotidianis ieiunijs, vigilijs, ſtudijs, orationibus, lacrymis, & cilicijs macerabat. Eius hiſtoria noſtris Annalibus, vel curſim addenda, quia Monachiſmi Ægyptij propagator eximius in Brittannia fuit, ac per conſequens Eliani, & Eſſeni, cuius Inſtituti Ægyptius Monachiſmus extitit. Ita ſupponit Nicolaus Harpsfildus Archidiaconus Cantuarienſis *Dialog.* 5. *contra Centuriatores cap* 18. quem ad hoc intentum cum laude refert Clemens Reynerus *de Apoſtolatu Benedictinorum in Angliam, Tract.*1. §. 22. De hoc etiam Congello ſic ſcribit Ioannes Balæus illius Patriæ (vtinam Religionis non deſertor) ſcriptor *in lib. de Scriptor. Brittan. Centur.*1. ſic dicens: *Ab iſto Monachiſmus Ægyptius a Pelagio introductus ſub ſpecie Religionis* (fallitur, & fallit mendax hæreticus) *in Brittannia radices, vires, & incrementa largiſſima cœpit, ad alias Europæ Prouincias plantaria tranſmittens. Bannochorenſe enim Chriſtianorum Philoſophorum Collegium, quod a Lucij Regis tempore tercentos circiter, & quinquaginta durauerat annos, in Monachorum ſub Apoſtolici Ordinis titulo Cœnobium permutauit, ex illius Præpoſito anno Chriſti* 530. *primus Abbas effectus. In vita Malachiæ Hybernenſis Archiepiſcopi Bernardus Clarauallenſis hunc locum tradit primorum extitiſſe per Europam Monaſteriorum caput, & multa generauiſſe Monachorum millia.* Hæc Balæus, quibus ſimilia Piſeus *de Illuſtribus Brittanniæ Scriptor. ætat.* 6. *num.*46. In quibus, præter dicta *Tomo præcedenti ſub anno Chriſti* 180. de hoc celeberrimo Bannochorenſi, ſeu Banchorenſi Cœnobio (quibus conformia tradit Beda *lib.*2. *Hiſtor. cap.*2. dicens: *In quo tantus fertur fuiſſe numerus Monachorum, vt cum in ſeptem portiones eſſet cum præpoſitis ſibi Rectoribus Monaſterium diuiſum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet.*) Vlterius expendendum, qualiter tum Congellus iſte, & multitudo iſta Monachorum huius Cœnobij, non ſub Baſilij, aut Benedicti vexillo, ſed ſub antiquiori Apoſtolico, & Prophetico militarent, prout expreſsè notat ipſe Balæus *in Dionoto Abonio*, & *Nennio Bannochorenſi*, & dicemus inferius, cum de S. Columbano *ſub ann.* 560. agetur. Vnde Benedictus Haeftenus *in diſquiſit. Monaſtic. lib.*1. *Tract.*6. *diſquiſit.*9. etſi ſuo Benedictino Ordini, iure meritoque addictiſſimus, æquiſſimè deſerit Vvionem, Menardum, & Yepes hunc Congellum Benedictinis accenſentes. Eo quod ſacerrimus ipſorum

rum Ordo Brittanniam non vidit ante annum 590. vel circiter. Quod probat ex Petro Diacono, Stengelio, Vvione, & Yepes: maximè ex Clemente Reynero, qui agens de Apoſtolatu Benedictinorum in Angliam, *Tract.1. ſect.2.* §.18. ait (quod noſtræ hiſtoriæ, & dictis, ac dicendis in illa maximè fauet) *ante Auguſtini aduentum in Angliam, Monachos Brittanniæ; & Scotiæ, ſiue Hiberniæ more Ægyptienſium Monachorum vitam inſtituiſſe*. Et *pag.*130. expreſſius dicente *Regulam S. Benedicti* non tunc ſuſcepiſſe. Alia de nomine huius Congelli, & Regula ab ipſo deſcripta habet Haeftenus *ſupra*. Et de ipſius geſtis doctus Vvion *in lign. Vitæ lib.5. c.11.* vbi incautè aliqua de Monachatu huius Congelli ſub Benedicti Regula; cum enim ea non intrauerit in Angliam ante ann. 590. quo iure Congellus iſte, & innumeri ipſius diſcipuli, qui ante id tempus vixere, Benedictini eſſe potuere?

Ann. Chriſt. 531. Bonifacij II. Rom. Pontif. 1. Iuſtiniani Imperat. 5.

1 ANNVS iſte, qui vnicus fuit Pontificatus Bonifacij II. vix aliud de Eccleſiaſtica hiſtoria affert, niſi quod Bonifacius eo tempore, collecta Synodo Romæ in Baſilica S.Petri, Vigilium Diaconum, hoc ambitioſè quærentem, ſucceſſorem ſibi delegerit. Et quod hoc veluti ſingulare tam poſtea ab ipſo Bonifacio, quam ab alijs improbatum, & reſciſum fuerit, imò ab ipſo Deo, ſiquidem ad aliorum exemplum cum ex hac vita ſubtraxerit paulo poſt, ſuccedente illi Ioanne huius nominis ſecundo. Anaſtaſius, Baronius, Gordonus, & alij. Si verò curioſius a me inquirat lector, an hoc Bonifacij factum Papam ſibi ſucceſſorem eligentis iure legitimum ſuſtineri potuerit; cum res Theologo iuridica, vel iuridico Theologa ſit, nos qui Hiſtoricam perſonam agimus, Doctorum trutinæ relinquendam cenſemus. Quam doctè, & diligenter, hinc inde authoribus, & fundamentis relatis, nouiſſimè tractat P. Diana 10. *par. Reſolut. Mor. Tract.*5. & *in Addition. pag.*497. Huius anni geſta.

2 Ex hiſtoria porrò noſtra Monaſtica obitus occurrit magni illius Sabæ Cœnobiarchæ Laurarum Palæſtinæ, a principio per Elianos, & Prophetici Ordinis alumnos cultarum. Is porrò talis fuit, prout Cyrillus eius vitæ Chronologus apud Surium *pro* 5. *die Decembris*, narrat. Venit Sabas ad maximam ſuam Lauram poſt geſta in præcedentibus narrata. Morbus eum tunc inuaſit, diuinaque reuelatio de tranſitu monuit; vt ipſe idcirco curam fratri cuidam Melitæ agnominato tradiderit. Obijt tandem 94. annos natus, vt vel hinc agnoſci poſſit pœnitentialem vitam longæuitate a Deo donari poſſe. Honorifica ergo ſepultura decoratus, a multis etiam in neceſſitatibus inuocatus, miraculiſque clareſcens, Deo Sabæ obitus.

viuit in æternum, in veritatis Monaſticæ ſingulare exemplum. Fulcrum porro Monachorum fuiſſe ea quæ poſt ipſius tranſitum contigere demonſtrant. Etenim quorumdam malę frugis hominum opera Nonni aſſeclarum incurſiones in Orthodoxorum Monaſteria, ipſam quoque maximam S. Sabæ Lauram, factæ ſunt: ſed Dei patrocinio, & Sabæ interceſsione, miraculosè ad tempus repreſſi, poſtea iterum nocere permiſſi; tandem diuina vltione puniti fuerunt, & Laura ipſa ſub Conone Archimandrita erecta, & veluti renouata ſurrexit. Maximè poſt Byzantinam Synodum quintam, ſub qua eiuſdem Sabæ Lauræ a grauibus hæreſibus, & temporis iniquitate reſpirarunt. Hæc latius Cyrillus ſuperius relatus, nobis neceſſaria pro dicendis in ſequentibus. De præfato autem Conone, vel alijs (ſi nomen fallit) eiuſdem nomenclaturæ, plura habet lector in Prato Spirituali *cap.*3. 22. 28. & 42. Quo vltimo loco expreſsè commemoratur ſub titulo Præpoſiti Lauræ S. Sabæ.

Conon.

Inuentio S. Antonij.

3 Commemoratur etiam ſub hoc anno a Mariano Scoto, (licet Sigebertus anno 529. & Cuſpinianus anno 541. rem tribuant) inuentio ſacri corporis D. Antonij Abbatis, diuina reuelatione facta; & eiuſdem translatio ad Alexandriam, vbi in Eccleſia S. Ioannis Baptiſtæ humatum fuit. Sic Martyrologia, Romanum, Bedæ, Vſuardi, & Adonis. Etſi enim, iuxta dicta *tom.*2. *ſub ann.*356. *num.*3. ipſius corpus, eodem ſic præcipiente, ignoto in loco conditum eſſet, Deus tamen iuſtiſsimus tanti Eliotarum Patriarchæ memoriam diu latere non permiſit, nec a nobis decuit prætermitti rei geſtæ vel compendium. Cui addendum, quod Arelate in Gallijs, dum Romam anno 1625. venirem, ipſius ſacras reliquias piè veneratus fui. Dicebatur enim eo loco ſacrum ipſius corpus reconditum eſſe.

Leontius Abbas.

4 Ad hoc tempus referendus Abbas Leontius, qui Monaſterium Lauræ incoluit, & Cœnobij S. Theodoſij Antiſtes extitit. Hac a Deo decorari meruit viſione, vt Angelum cerneret ſtantem ad dextrum altaris cornu, qui iugiter ibi aſsiſtebat. Pratum Spirituale *cap.*4. Narratur ibidem etiam *cap.*10. de alio Angelo, qui ſimiliter cuſtos erat cuiuſdam altaris, quod fecerat Abbas Barnabas. Quæ eò retulimus, vt nouerint ſancti Monachi Dei Angelos excubias facere ſuper eorum Eccleſias, & altaria; ſanè vt ad illa non niſi debita animi puritate accedere præſumant.

Barnabas.

5 Ad Septentrionales porro Brittannicas Inſulas regrediendo, occurrit commemorandus Congelli, de quo in præcedentibus egimus, ſingularis amicus, Cœnigenus, ab aliquibus Sanctus appellatus, & nobiliſſimi Grandolorchenſis in Lagenia Cœnobij primus parens, & variorum Cœnobiorum in ea Regione fundator. De quo veriſimile eſſe Regulas ipſis tradidiſſe habet Haeftenus *in diſquiſit. Monaſtic. lib.*1. *Tract.*6. *diſquiſit.*13. ex Patritio Flemingo Minorita Hiberno. Quem eatenus attulimus, vt aboleamus vulgi opinionem, poſt S. Baſilium, Auguſtinum, & Be-

Cœnigenus.

& Benedictum nullum alium legislatorem Monachorum agnoſcentis: cum tamen *in Apparat. cap.* 1. oppoſitum veluti ad oculum demonſtratum maneat.

6 Accenſendus quoque huic tempori videtur S. Mochua S. Congelli (niſi Congalli nominis ſimilitudo fallit) alumnus. Cuius vitam egregiam celebrant Philippus Oſulleuanus, & ex ipſo Ioannes Bollandus *in Actis Sanctor. tom.* 1. *pro* 1. *die Ianuarij.* Cum enim hic Mochua Congelli Monachatus conſors fuerit, ſiquidem Congellus antiquiſſimi Eliani Inſtituti collega fuit, vt ex dictis in ſuperioribus non latet, idem de hoc Mochua cenſendum. Plura miracula ab eo, Dei gratia, patrata, ibi cernet lector. S. Mochua.

Ann. Chriſt. 532. 533. & 534. Ioannis II. Rom. Pontif. 1. 2. & 3. Iuſtiniani Imper. 6. 7. & 8.

1 TRIENNALIS iſte Ioannis II. Papatus nactus eſt Iuſtinianum Imperatorem pium, & deuotum erga Eccleſiæ Catholicæ exaltationem; hæreticorum, de quibus infra dicetur, repreſſionem; & Eccleſiarum, ſeu Templorum Diuis, & Diuorum Reginæ Dei Matri, cui ſtudioſiſſimus fuit, extructionem. Deus quoque vicem rependens victorijs contra Vvandalos, & alios Imperij hoſtes eum decorabat, vt nouerint Principes, pietatem eſſe ipſorum Principatuum præcipuum ſundamentum; ſicut impietatem manifeſtam ruinam. Procopius, Liberatus, Anaſtaſius, & moderni poſt ipſos. Iuſtiniani geſta.

2 At occurrit, cum verecundia noſtra, improbus vnus Monachus Nonnus Palæſtinus, Eccleſiam totam ſuis erroribus perturbans; imo & Monachis, ac Monaſterijs ipſis infeſtus, iuxta ea, quæ de ipſo *ſub an.* 531. dicere cœpimus. Hic ſauente ipſi Leontio Byzantino, ei impietate haud impare, Origenis errores ab Orco ſuſcitando, ingentem Eccleſiæ Catholicæ cladem ſuſcitauit, in ipſis quoque Lauris, quæ erant pietatis, & veræ Religionis gymnaſia. Dei tamen benignitate actum eſt, vt plures Monachi earumdem Laurarum incolæ pro veritate Catholica decertantes hos & alios impietatis miniſtros ſuperare poſſent. Rem habet lector ex Cyrillo Monacho *in Vita S. Sabæ* 5. *Decembris* apud Surium, & ex Metaphraſte *in Vita S. Quiriaci Anachoretæ* apud eundem Surium 29. *Septembris*. Qualiter etiam Accœmetæ Monachi, de quorum Cœnobio *ſub ann.* 494. aliqua diximus, horum errorum fuligine male tincti fuerint, latè Baronius, & eius ſectatores *hoc tempore*. Nos autem, his relictis, quia ſiccam, & aridam hiſtoriam continent, ad piam aliam, quæ hac tempeſtate contigit, de Maria quadam olim pſaltria, poſtea rigidiſſima pœnitenti, & Eremicola, cum illis qui Elianum eo loco ſapiebant Nonnus Palæſtinus.

Inſtitutum, greſſum faciamus, pro animæ noſtræ ſpirituali profectu. Rem Metaphraſtes in Vita S. Quiriaci relata, & inter geſta ipſius ſic refert.

3 [In ſolitudinem aliquando venienti huius Sancti diſcipulo cum condiſcipulo ſuo Paramono, apparet circa myricas agreſtes ſtans quoddam ſpectrum hominis. Illi autem exiſtimantes id quod videbatur eſſe vnum ex Anachoretis (eo enim tempore multi hanc habitabant ſolitudinem) ad eum ſtatim ſunt conuerſi. Cum autem iam propè fuiſſent, & nuſquam eſſet, quod apparuerat, illi exiſtimantes eſſe malignum ſpiritum, precati ſunt; & cum precationi *Amen* ſubiunxiſſent, ſpectant huc, & illuc, & quædam ſubterranea eis apparet ſpelunca. Quod quidem cum rurſus exiſtimaſſent ſignum eſſe dexterum, & eſſe aliquem Dei ſeruum, qui apparuerat, rogabant vt eos impertiret benedictione, & pace. Vix tandem ergo vox intrinſecus reſonuit ex ſpelunca, dicens: Quid ex me vultis? Sum enim fœmina. Sed quò proficiſcimini? rogauit. Illi autem, ad Anachoretam dixerunt, Quiriacum. Sed dic nobis quomodo voceris, & quonam modo ſis hic: & quanam de cauſa huc acceſſeris. Illa autem. Nunc quidem abite, inquit, dicam autem redeuntibus. Cum illi autem inſtarent, & ne tantillum quidem dicerent ſe eſſe abſceſſuros, niſi de beata illa prius audiſſent. Nomen quidem mihi eſt Maria. Cum autem eſſem pſaltria, inquit, ſcio me multis præbuiſſe cauſam offenſionis. Deum itaque rogaui, & ſuppliciter obſecraui, vt ipſa liberarer a laqueis diaboli. Aliquando autem corde contrita & in anima diuino igne accenſa, deſcendi ad ſanctum Siloe: & cum hoc vas aqua impleſſem, quod adhuc apud me manet, lupinis in ſporta acceptis, huc acceſſi. Nihil autem horum eſt diminutum vſque in hodiernum diem. Sed nec ab illo tempore vidi hominem, neque vllum ſum alloquuta. Vos igitur nunc abite, & reuertentes me viſitate. Illi his auditis, recedunt: & cum ad beatum veniſſent Quiriacum, ei omnia renunciant. Ille, vt par erat, fuit admiratus: & vt eam viſitarent, ipſe quoque reuertentibus mandauit diſcipulis. Cum itaque in reditu veniſſent in ſpeluncam, & aditum de more pulſaſſent, nemo autem eis reſponderet interius, ingreſſi inueniunt eam iam conſummatam, & corpus iacens in ſpelunca. Cum itaque aſcendiſſent in Lauram *Sucam*, & ea accepiſſent, quæ erant eis vſui ad eam ſepeliendam, redeunt in ſpeluncam, & cum ea, quæ de more fiunt beatæ peregiſſent, domum ei faciunt ſepulchrum, in ipſa ſpelunca depoſitis reliquijs.] Hæc audiamus, & miremur Deum etiam in ſanctis fragilioris ſexus totum mirabilem.

Maria pſaltria Anachoreta.

Ann.

Ann. Chriſt. 535. & 536. Agapeti Rom. Pontif. 1. & 2. Iuſtiniani Imper. 9. & 10.

1 POST obitum Ioannis Papæ ſubrogatur Agapetus Romanus, his duobus annis Pontificatum gerens. Cogitur a Theodato Gothorum Rege legationem ad Imperatorem ſuſcipere pro concilianda pace; quam tamen, barbaro Rege voluntatem mutante, non obtinuit, etſi Conſtantinopolim peruenerit. Id tamen conſecutus eſt quod Deus in hac miſſione intenderat, vt imperaret imperantibus, reprehenderet Iuſtinianum non rectè in veritate ambulantem, impediret electionem Anthimi hæretici in Conſtantinopolitanum Antiſtitem ob mortem Epiphanij Epiſcopi, & alia egregia faceret, de quibus Anaſtaſius, Liberatus, Theophanes, Zonaras, & alij antiquiores, quibus adhærent Baronius, Gordonus, Coriolanus, & alij ipſius aſſeclæ; apud quos etiam de eius obitu, antequam in Italiam reuerteretur. Agapeti Papæ geſta.

2 De Monachiſmi progreſſu hoc tempore habemus, quod Theodoſius Epiſcopus Alexandrinus hereticus Seuerianus Conſtantinopoli agens, cum omnino ſubſcribere renuiſſet Concilio Chalcedonenſi, in exilium ab Imperatore pulſus eſt; ibidemque Conſtantinopoli ordinatus in locum eius Paulus vnus ex Abbatibus Tabennenſibus Ægypti, fide orthodoxus: procurante hæc omnia Pelagio, qui Conſtantinopoli fuit Apocriſarius Romanorum Pontificum, Agapeti primùm, inde Siluerij, ac demum Vigilij. Venerat autem Conſtantinopolim hic Paulus ſpretus a quibuſdam e ſuis Monachis: ſemper enim Satanæ aditus patuit etiam ad ſanctiſſimorum Monachorum Cœnobia, a Deo permiſſus propter ſanctitatis, & ſanctorum exercitium. De ijs Liberatus *in Breuiario*. Ex quo Neotherici. Ea porro nobis notanda fuerunt propter dicta Tomo præcedenti de S. Pachomio huius Tabennenſis Congregationis inſtitutore, & ipſa ſub Prophetici Ordinis vmbra erecta. Paulus Monachus Tabennenſis.

3 Erat per id tempus in Palæſtinæ partibus, ac in *Laura* noua Abbas, & Presbyter Polychronius, prout ex Prato Spirituali *cap.* 5. *&* 6. habet lector. Vbi etiam ipſe aliqua refert de *Laura Turrium* Iordanis, & de quodam ex fratribus, qui mortem ſibi euenturam poſt tres dies agnouit, & de alio, qui ſimiliter de ſuo obitu poſt duos dies conſcius factus eſt: ſicut & de alio, qui in Monaſterio Hiericuntino requieuerat, quod cum ferretur ad *Lauram Turrium* pro ſepultura ſtella ſupra defuncti caput quaſi comes itineris apparere non deſtitit, donec ipſum ſepulturæ traderent. Huiuſmodi enim beneuolentiæ teſſeris pij, & ſancti religioſi a Deo decorari ſolent. Polychronius Abbas.

4 Circa hoc tempus celebris valde vita, miraculis, & morte fuit Iacobus Eremita montis Carmeli; verſus eam partem, quæ *Porphyriam* Iacobus Porphyronita Carmelita.

X 3 Ciui-

Ciuitatem, ſeu Oppidum vulgo *Caiphas*, anachoreticam, ſeu ſolitariam vitam agens. Quem Metaphraſtes, Lipomanus, Surius, & Ioannes Bollandus *in Actis Sanctorum pro die* 28. *Ianuarij* referunt. Hoc ſexto ſæculo claruiſſe teſtatur idem Bollandus, etſi annum certum ipſius vitæ, vel mortis, nec ipſe, nec alij, quos viderimus, animaduertant. Conijcimus tamen hoc tempore vixiſſe, quia Iuſtiniani Imperatoris pietas in Chriſtianos occaſionem ſubminiſtrabat, vt Iacobus iſte, & alij Anachoretæ ſecurius in ſolitudinibus degere poſſent. Aliam coniecturam in ſequentibus afferemus. Huius porro noſtri Iacobi vitam ſic narrare incipit Metaphraſtes, ex quo alij mutuare potuerunt. *Fuit quidam vir qui ſolitarium in locum ſeceſſit prope Oppidum Porphyrionem. Erat viro illi nomen Iacobus: hic cum breuis huius vitæ vanitati renuntiaſſet in ſpelunca quadam quindecim annos habitauit. Tantus autem in virtutis exercitatione progreſſus fecit, tamque inſignis, & Deo gratus extitit, vt & gratia contra dæmones dignus effectus fuerit, multaſque alias curationes, Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti nomine hominibus attulerit. Cum omnes igitur eius hominis vitam admirarentur, ad eum concurrebant, quorum pleriſque erant ex impiorum Samaritarum ſuperſtitione. Illos cum ad ſe venientes diuinus ille vir adnimaduerteret, ex diuinarum litterarum lectione ipſos multùm erudiendo ad veram fidem conuertebat.* Alia quæ ad vitam ipſius ſpectant in ſequentibus adiungemus pro tempore quo eueniſſe prudenter iudicari poteſt; prout faciemus ſub anno 550.

Notanda. 5 Modo autem circa prædicta nonnulla animaduertenda. Primò equidem, Oppidum illud *Porphyrionem* appellatum, ad cui vicinum ſolitarium locum Iacobus iſte ſeceſſit, eſſe Ciuitatem illam *Caipham* dictam, & in decliuio Carmeli poſitam, prout manifeſte conſtat ex ijs, qui Topographiam Vrbium, & Oppidorum deſcribunt. Quibus etiam adhæret Iacobus de Vitriaco clariſſimus author *in hiſtor. Ieroſolym. c.* 22. Vbi inquit *Caipham etiam, quæ alio nomine dicitur Porphyria, in littore maris ſub prima parte Carmeli montis ſitam, ab Accon quaſi milliaribus quatuor diſtantem.* Adhæret etiam iſtis Ioannes Bollandus *ſupra in Annotat. ad Vitam huius S. Iacobi.* Vbi ſic habet. *Eſt autem Stephano lib. de Vrbibus* Πορφυρεὼν πόλις Φοινίκης, *Vrbs Phœniciæ admodum antiqua, cuius meminit Polybius lib.* 5. *de bello agens Antiochi Magni. Epiſcopalis fuit ſub Metropolita Cæſareæ Palæſtinæ, vt habetur lib.* 2. *Notitiæ Epiſcopatuum Miræi, vbi tamen* Porphyrion *ſcripta. VVilelmo Tyrio lib.* 9. *belli Sacri cap.* 14. *& lib.* 10. *cap.* 6. & 10. *& alibi* Caiphas *appellatur. Tyrium ſequuntur Adrichomius in Tribu Iſſachar cap.* 17. *Quareſimius & alij; qui tamen falluntur dum a Caipha Pontifice extructam ſcribunt; reſtaurata ab eo eſt fortaſſis. Iuxta mare ad Carmeli montis radices parte aquilonari ſitam tradunt.* De hac etiam Ciuitate Calepinus hæc: *Porphyreon Porphyreonis Phœnicis Oppidum apud Stephanum, cuius incolæ Porphyreonei dicuntur, & Porphyreonitæ.* Dicta autem hæc Ciuitas *Porphyreon*, non tam a *Porphyrione*

aue apud Plinium *lib.* 10. *cap.* 46. & Ælianum *lib.* 14. *cap.* 35. quam ex eo quod *Porphyra* Græcè eſt Latinè *Purpura*, & Carmelus *Purpuram* etiam, ſeu *Coccinum* denotat: vnde *Cantic.* 7. illud *Caput tuum, vt Carmelus* ſic Aben Ezra, & Pagninus vertunt *Caput tuum rubrum eſt, ſicut Coccinum*; & Carmelus 2. *Paralipom.* 3. vertitur *Coccinum*. Cum ergo Ciuitas, ſeu Oppidum *Porphyrionem* appellatum teneamus *Caipham* eſſe, & Caiphas ipſius Carmeli radici adiaceat, rectè hic Iacobus qui *in ſolitarium locum ſeceſſit prope Oppidum Porphyrionem* in Carmelo ipſo Anachoreſim egiſſe comprobatur, prout idem Bollandus diſertis verbis aſtruit loco relato, & indicat in Vita S. Cyrilli Alexandrini §. 2. *num.* 14. Secundò, etiam illud *Cum breuis huius vitæ vanitati renuntiaſſet*: conſequenter etiam denotabit in aliquo eorum Monaſteriorum, quæ eidem Carmelo, & loco, vbi Iacobus ſedebat, proxima erant, & de quibus nos in ſequentibus agemus, nomen dediſſe. Tertiò, quidni etiam dicamus quod ſpelunca illa, in qua *quindecim annis habitauit* Iacobus, fuerit ipſamet Eliæ ſpelunca mundo celebris, quæ in eodem Carmelo ſita erat, aliqualiter ad Caipham, ſeu Porphyrionem reſpiciens? prout notauimus *tom.* 1. *ſub ann.* 3154. *num.* 13. Vbi etiam teſtimonium attulimus Brocardi Dominicani *in itinerario, ſeu deſcript. Terræ Sanctæ par.* 1. *cap.* 8. §. 2. ſic dicentis: *Ex Caipha ad leucam vnam via quæ ducit ad Caſtrum peregrinorum per aſcenſum montis Carmeli fere dimidia leuca eſt ſpelunca Eliæ*. En iam, lector, ſpeluncam Eliæ prope, & ſupra *Caipham*, rectè dici poſſe fuiſſe *locum* illum *ſolitarium prope Oppidum Porphyrionem*, in quem Iacobus *ſeceſſit*. Quartò, id quod notatur de *Samaritarum ſuperſtitione* coniecturam affert, vt etiam notauit Bollandus ad exiſtimandum hiſtoriam hanc Iacobi huic tempori attribui poſſe, quo iſtud hominum genus infectum erat Chriſtianis. Legendi Procopius *de ædificijs Iuſtiniani Imperatoris lib.* 5. & Cyrillus Monachus *in Vita S. Sabæ Abbatis*.

6 In eo tamen quod diximus de huiuſmodi *Porphyrione* Oppido quod ſit *Caiphas* Carmelo adhærens Ciuitas, contrarium habemus Benedictum Gononum *in vita huius Sancti notat.* 1. dum inquit *Porphyrionem* eſſe Oppidum in parte Arabiæ, quæ Ægypto contermina eſt. Sed aliqualis nominum ſimilitudo hunc authorem errare fecit. Aliud enim eſt *Porphyrite*, aliud *Porphyrion*: etenim *Porphyrite* eſt in ea parte Arabiæ, vt Stephanus, quem affert, aſſerit; *Porphyrion* autem, vt idem Stephanus ſupra relatus ait, eſt *Vrbs Phœniciæ*, in qua eſt Carmelus. Vnde Calephinus, quem legiſſe videtur Gononus vtrumque Oppidum diſtinxit: dicit enim de *Porphyrione*, ſeu, vt ipſe loquitur *Porphyreon*, quod ſit *Phœnicis Oppidum*; de *Porphyrite* autem infra: *Oppidum eſt in ea parte Arabiæ*. Male ergo confunditur *Porphyrion* Vrbs Phœniciæ, quæ eſt eadem, ac *Caiphas*, cum *Porphyrite* Arabica. Proinde *Porphyrio* vocatur *Eremus vaſtiſſima* apud Caſſianum *lib.* 10. *Inſtitut. cap.* 24. & *in lib.* 4. *de Vit. Patr. cap.* 40. per quam congruè intelligimus Carmelum

Oppoſitio in Zenone euacuatur.

Por-

Porphyrioni, ſeu *Caiphæ* conterminum: *Porphyrite* autem vocatur *locus* in *lib. 5. Vit. Patr. libell. 18. num. 19.* & prout inde colligi poteſt, non longe a Tabennenſi Monaſterio, quod erat in Ægypto. *Locus* etiam vocatur apud Palladium *in lib. 8. Vit. Patr. cap. 77.* Alia in ſequentibus de hoc noſtro Iacobo.

Ann. Chriſt. 537. 538. & 539. Siluerij Rom. Pontif. 1. 2. & 3. Iuſtiniani Imper. 11. 12. & 13.

Huius temporis geſta.

1 POST obitum Agapeti Papæ Silverius Romæ eligitur, Hormiſdæ quondam Papæ filius. Cuius tempore Beliſarius Iuſtiniani Imperatoris Dux poſt VVandalos in Africa ſuperatos, Carthaginem occupatam, Siciliam obtinet, Neapolim capit, & a Romanis in Vrbem recipitur, accedente quoque Etruria. Imperante etiam Theodora Imperatrice hæretica Siluerium prætextu quod faueret Gothis mittit in Græciam, & Vigilium ſubſtituit: ſed, volente Imperatore, in Italiam reuertitur Siluerius; a Beliſario tamen traditus Vigilio relegatur in Inſulam Palmariam, vbi inædia confectus, obijt. Anaſtaſius, Procopius, Liberatus, Baronius, & alij.

Siluerius Monachus.

2 Sanctum hunc Siluerium Papam noſtri Ordinis Monachiſmo aggregat Ægidius Gelenius Coloniæ Canonicus, & hiſtoriographus in opere *de Coloniæ Agrippinæ magnitudine lib. 3. Syntagm. 43. §. 1. de Ordine Carmelitar.* Etſi autem ipſe nullum pro hac parte fundamentum adducat, induci in eam potuit, quod poſt Papatus expoliationem coactus ſit habitum Monaſticum induere, prout ex Anaſtaſio ſectantur Baronius, Ciaconius, Spondanus, & alij, & ante ipſos Trithemius *de viris Illuſtribus Ordinis S. Benedicti lib. 3. cap. 20.* vbi expreſſis verbis fatetur Benedictinum Ordinem non fuiſſe profeſſum, quia ipſius Inſtitutione anterior fuit. Alterius ergo Inſtituti a Benedictino Monachatum geſſiſſe neceſſe dicere eſt. Quia tamen aliqui apud relatum Trithemium Monachum ante Papatum fuiſſe contendunt; & idcirco credi fas ſit cum Papæ inſignibus exutus fuit, Monachali veſte indutum, eo quod ipſam primitus gerebat; ideo rem ſub ſapientiorum trutina linquimus, hæc non prætermittentes, quia noſtris propria, donec maiora eluceſcant.

Palæſtini Monachi.

3 Interim, vt ad noſtros Palæſtinæ Monachos regrediamur; illi, qui ex Theodoſij Cœnobiarchæ ſchola erant, Conſtantinopolim cum Pelagio S. R. Eccleſiæ Diacono, & Apocriſario aduenientes, ſecum detulere capitula e libris Origenis excerpta, quæ peterent damnari vna cum ipſo auctore Origene. Quapropter (vt decebat rem tantam, cuius cauſa per multa ſecula vniuerſus Chriſtianus exagitatus eſt orbis) Occidentalibus ſimul conuenientibus cum Orientalibus, nempe pro illis Apoſtolicæ Sedis Apocriſario Pelagio, & pro iſtis Menna Epiſcopo Conſtantinopolitano

tanè, & ipſo vicem agente Romani Pontificis vna cum alijs orthodoxis Epiſcopis, qui hoc tempore reperti ſunt Conſtantinopoli; magnum actum eſt de Origene iudicium. Cui nec defuit Maieſtas Imperatoris, quippe qui cum videret omnes in idipſum conſpirare, vt cum erroribus ſuis auctor etiam damnaretur, iuſſit ea de re ſententiam ſcribi aduerſus ipſius errores, atque blaſphemias, petitas ex delirijs Paganorum, & Manichæorum, aliaſque quamplurimas ab ipſo additas, quibus Ario, alijſque hæreticis materiam præbuit ſuarum ipſorum impietatum. Horum omnium teſtis eſt Liberatus *in ſuo Breuiario*, aſſentientibus alijs poſterioribus. Ea porrò a nobis notari debuerunt, quia egregium hoc Monachorum facinus, vt ipſis procurantibus Origeniani errores damnarentur, proprium ipſorum autumamus. Monachi etenim Eccleſiæ pugiles, & propugnatores eſſe debent, non rebus vanis inhiare. Qualiter etiam Pelagius iſte Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus cum Epiſcopis Antiocheno, Hieroſolymitano, Epheſino, & alijs, Paulum illum ex noſtra Tabennenſi Congregatione, iuxta dicta in præcedentibus, ad Alexandrinam Sedem euectum, ob aliqua incautè ab eo geſta depoſuerit, ex eodem Liberato, & alijs modernis poſt ipſum habeat lector. Et plura circa errores Origenis relati, & an in illis excuſabilis vtcumque ſit, apud noſtrum Petrum Vvaſtelium *tom.* 2. *Vindiciarum Ioannis Iieroſolymit.*

4 Inter mala plura, quæ hoc tempore, Deo vindice, ob ſacrilegam irreuerentiam in Siluerium Papam commiſſam, Chriſtianitati acciderunt; ciuitatum videlicet expugnationes ab Hunnorum exercitu; diriſſimam Italiæ famem, vt maxima pars hominum inedia interierit; & ampliſſimæ Ciuitatis Mediolanenſis a Gothis cladis immiſſæ, de quibus Procopius, Theophanes, & alij, maxime numeranda rebellio Goſroe Perſarum Regis a Romano Imperio, quæ maxima ipſi detrimenta, & noſtro Eliano in Syriæ partibus habitanti Ordini tribulationes adduxit. Eam ad noſtrum intentum Arnoldus Boſtius *lib.* 5. *ſuæ hiſtoriæ cap.* 78. ſic deſcribit. *Anno Domini* 537. *Coſdroe huius nominis primus cœpit regnare apud Perſas, & hic ſequenti anno cum valida manu Syriam intrans cepit Hieruſalem Ciuitatem Sanctam: deinde anno ſequenti veniens ante Antiochiam in multitudine graui expugnauit eam. Dictum enim eſt priuſquam Eccleſia Orientalis in præteritis annis ab hæreticis Neſtorianis, & Eutychianis penè fuit eliſa, & pulueribus hæreticorum cooperta, iacebat ſqualida, & informis, nunc verò a nefandis Perſis apparet quaſi extincta, quia Religioſi, & Catholici viri, vel in ſpeluncis abſcondebantur, aut a Perſis occidebantur. Tota ergo Hieroſolymitana Eccleſia deſtruitur, nec manet aliquis locus incontaminatus, ſolis eremi cultoribus exceptis, qui in Monte Carmeli, & circa Iordanem, & in eremo Quarentenæ, nec non & in Montanis Nigris Domino ſeruiebant, & fidem rectam obſeruabant.* Paulo aliter Ioannes Palæonydorus *lib.* 2. *cap.* 9. loquens de tempore quo S. Benedictus in Europæ partibus ſuam Monaſticam Religionem inſtituebat: *Quibus* Coſroe Perſ.

tempo-

temporibus Chriſtiana Religio plures ab infidelibus, maxime a Coſdroa Rege Perſarum Tyranno ſuſtinuit perſecutiones, anno quippe Domini 537. *Syriam intrans, Hieruſalem cepit, & ſequenti anno Antiochiam expugnauit. Tunc Carmelitæ pluribus hinc inde Ordinis ſui Monaſterijs deuaſtatis, tantummodo in Eremis Carmeli, Iordanis, Montis Nerorum, & Quarentena, ac paucis alijs ſolitudinibus loca retinuerunt, multis tunc in Monaſterijs noſtris martyrio coronatis.* Similia etiam alij Ordinis hiſtorici, etſi in aliquibus circunſtantijs diſcordes. Pro quibus lector animaduertat, hunc Coſdroem diuerſum eſſe ab alio poſteriori eius nepote eiuſdem nominis, qui etiam Syriam vaſtauit, Ieroſolymam cepit, Crucem Domini captiuam abduxit, & plura mala Monachis noſtris (inter quos S. Anaſtaſium interemit) ſuo tempore inflixit, vt ex dicendis conſtabit.

Ann. Chriſt. 540. vſque ad 544. Vigilij Rom. Pontif. 1. vſque ad 5. Iuſtiniani Imperat. 14. vſque ad 18.

Huius temporis geſta. 1 HOC tempore, poſt pretioſam mortem S. Siluerij Papæ, Vigilius, qui primo intruſus, & excommunicatus a Silucrio erat, in verum Pontificem electus, & in alium virum mutatus, conſtanter deinde Theodoræ Imperatrici, & Belliſario pro fide ſe oppoſuit. Totilas interim in Regem ab Oſtrogothis eligitur, ſub quo Hetruriam, Neapolim, & Campaniam recipiunt; qui Florentiam inuadit, Tiburem obſidet, Bruſſios, & Lucanos ſubigit. De his Liberatus, Anaſtaſius, Procopius, a quibus Neotherici Annaliſtæ.

Coſdroæ inuaſio. 2 Ad hoc tempus referunt Baronius, & eius aſſeclæ, Coſdroæ inuaſionem in Syriam, Antiochiæ euerſionem, & Eccleſiarum ipſius combuſtionem; a quibus parum abſunt ea, quæ *ſub ann.* 537. diximus ex Boſtio, Palæonydoro, & alijs. Id nobis magis compertum, quod illi ex noſtris, qui Montana Nigra circa Antiochiam colebant, ſicut nec alij, qui Carmelum, aut ſimilia deſerta loca, a Coſdroa ſuis manſionibus expoliati non fuerunt: contentus enim barbarus diuitijs in Ciuitate repertis, de eremicolis, & eremitorijs parum curabat. Recolat lector, quæ diximus *ſub ann.* 106. de huius Cœnobij Montanæ Nigræ apud Antiochiam fundatione per S. Ignatium Antiochenum Epiſcopum; & ſi coniungat cum eo quod Baronius autumat de translatione corporis ipſius hoc tempore, iudicare poterit opera Monachorum illorum factam fuiſſe. Quomodo autem cohæreat hæc translatio ad Romam facta cum eo quod dicit Boſtius ibi relatus de conditione corporis S. Ignatij in Ordine Ciſtercienſium, cum tamen Romæ colatur in Eccleſia S. Clementis, iuxta locum, vbi paſſus eſt, alij videbunt. Id magis compertum quod Iuſtinianus

nianus Imperator incenſam a Coſdroa Antiochiam reſtituit, non ſolum munitiorem, ſed & magnificentiorem Eccleſijs, xenodochijs, alijſque ædificijs cum publicis, tum priuatis, eam reddens. Sic ex Procopio *lib. 2. in fin.* Ex quo elici poteſt damna Monachis illata Coſdroe inuaſione, Iuſtiniani pietate reſarcita fuiſſe.

3. Manebant ergò pro hoc tempore, prout patet ex dictis *ſub an. 537. num.4.* ex Boſtio, Palæonydoro, & alijs Hiſtoricis Ordinis, Carmelitæ noſtri, non obſtante Coſroes inuaſionibus, in Eremis; *Carmeli* ſcilicet, *circa Iordanem*, in *Quarentena*, & in *Montana Nigra*, ſub Dei, & Deiparæ Matris protectione, quæ ſola illos a barbarorum incurſionibus liberos reddere poterat. Quæ porro agerent antiquitas aboleuit. Carmelitæ huius temporis.

4. Circa hoc tempus illuſtris in Monachatu erat Ioannes ille a piiſſimo libro triginta graduum a ſe edito *Climacus* cognominatus: *Climax* enim Græcè Latinè eſt *ſcala*. In eo autem ad ſimilitudinem triginta annorum vitæ Chriſti Domini Monachis, & Religioſis ſcalam ad perfectionem vitæ conſequendæ proponit. Propterea enim ad Ioannem Abbatem Montis Sinai, cuius Monaſterij alumnus ipſe erat, librum nuncupauit. Plenus is eſt ſpirituali doctrina, etſi a quibuſdam dum de hominis ſpiritualis mortificati impaſſibilitate agit reprehenſus. Sed animaduertiſſe non videntur, quod etſi ea impaſſibilitas, quæ hominem in hac vita impeccabilem reddat, a bonis Theologis meritò reſpuatur, non tamen illa, quæ denotat quandam pacati animi quietem, & a prauis paſſionibus veluti immunem, quem ſtatum Philoſophi appellant *heroicæ virtutis*, & ad quem cum Dei gratia ſolent perfecti peruenire; prout *ſub ann.424.* tactum eſt. Liber ergo ſanctitatis ſui authoris viua imago erit, prout notat Baronius *in annotat. ad Martyrolog. Roman.30. Martij*. Ex vita autem ipſius, quam Daniel Monachus ſcripſit, & habetur in principio ſui libri, ac apud Surium, & alios, hæc hauſimus pro noſtra ædificatione. *Cum per ætatem corpoream ſedecim ferme eſſet annorum, ſeipſum obtulit Chriſto ſacrificium gratum, atque acceptabile Monaſticæ vitæ iugo colla ſubijciens in Monte Syna eo puro conſilio, vt ipſa viſibilis loci commoratione admonitus ad inuiſibilem Deum facilius dirigeretur, & aptius perduceretur. Atque peregrinationem vt intellectualium adoleſcentularum magiſtram in primis adamauit, per quam turpi & noxia confidentia omni reiecta, humilitate honeſtiſſima aſſumpta, dæmonem illum, a quo nonnunquam, vt nobis ipſis placeamus, nobiſque confidamus inducimur, a ſe penitus eliminans, ab ipſo quoque cordis aditu reiecit. Inclinans verò ceruicem, & confidens in Domino, ac ei qui ſe ſuſceperat patri veluti optimo cuidam gubernatori ſe totum mittens, altiſſimos atque ſæuiſſimos vitæ præſentis fluctus ſine periculo traijciebat. Adeo verò profectò mundo, proprijſque voluntatibus mortuus erat, vt inexpertem rationis, ac voluntatis animam quandam habere videretur, atque proprietate naturali omninò liberatam. Idque cum ante hanc cæleſtem ſimplicitatem mundanæ ſapientiæ non fuerit imperitus, ſane* Ioannes Climacus.

mira-

mirabilius eſt. Philoſophiæ enim tumor a Chriſti humilitate, vt plurima alia, longe remotus eſt. Decem igitur & nouem annis ita conuerſatus eſt, ac beatæ ſubiectionis exemplar omnibus factus, cum is qui ſe exercuerat ſenior ſanctus migraſſet ad Chriſtum, & ipſe ad vitæ ſolitariæ ſtudium egreditur, illius orationibus, vt armis potentiſſimis fretus ad deſtructionem munitionum Sathanæ. Quinto autem ab Eccleſia lapide palæſtræ ſuæ domicilium conſtituit, loco cui Tholas nomen eſt. Ibique quadraginta annos ſumma animi magnanimitate, & alacritate tranſegit; ardentiſſimo amore, ac diuinæ charitatis igne ſemper æſtuans. Et infra, quod valde notandum religioſis, pro ſingularitatis vitio fugiendo: *Edebat quidem ex omnibus quæ ſibi per profeſſionis ſuæ votum edere licebat, ſed modicè omnino, vt & ex hoc faſtum atque elationis cornu ſapientiſſime deijceret.* Maximè vero ſequentia: *Curſus eius omnis perpetua erat oratio, amorque incomparabilis ad Deum, hunc enim die, noctuque mundiſſimo caſtitatis ſpeculo intuens, ſatietatem vllam capere nolebat; imò verò (vt magis propriè eloquar) non poterat.* Dixerat autem in præcedentibus pro noſtra quoque inſtructione notandum: *Ante ſomnum verò, vt plurimum orationibus vacans, libellos etiam conſcribere ſolitus erat, quo ſolo opere acediæ languorem a ſe fugabat.* Hunc porrò Sanctum virum noſtris Eliadibus accenſendum, tum quæ ſæpius inculcauimus, tum patria vbi ipſius Monaſterium, ſubindicant; quò vix alij Monachi acceſſum vnquam habuerunt. Quod eo fidius concluditur, ſi cum Trithemio *de Scriptorib. Eccleſiaſt.* Poſſeuino *in apparat.* poſt Einſengrineum dicamus, ipſum floruiſſe circa annum Chriſti 340. Eo namque tempore nec Baſiliani, nec Benedictini Patres in Orbe Chriſtiano erant. Etſi autem cum Baronio *ſupra*, Bellarmino, *de Scriptorib. Eccleſiaſt.* & Caſſanate noſtro *in Paradiſo Carmelit. decor. ſtat.* 3. *ætat.* 7. *cap.* 38. credamus non niſi circa tempus præſens claruiſſe, propter dicta tamen Eliadibus, vt diximus, accenſendum putamus, prout & Caſſanate ſupra exiſtimat, dicens: *Damus Carmelitam ex generali Ordinis acceptione voce, & ſcripto.* Nos verò non Carmelitam dicimus, ſed Elianum, quia non tam ſucceſſione in Carmelo, quam imitatione in *Synai* Monaſticen geſſiſſe autumamus.

Antiquum monumentũ cuiuſdam campanæ.

5 Huic quoque tempori adſcribendum vetuſtum quoddam monumentum cuiuſdam campanæ inſignibus noſtri Carmelitici Ordinis, & nomine Prioris ſub quo formata fuit, notatæ ex relatione R. P. Gregorij Nazianzeni noſtrorum Patrum Diſcalceatorum Galliæ egregij alumni, qui in libro Adoptionis filiorum Deiparæ gallicè conſcripto *cap.* 34. *par.* 1. hæc habet latinitati ſic reddita: *Aliqui mihi teſtimonium perhibuerunt ſe vidiſſe in vno Conuentu prope Ciuitatem Burdegalenſem vnam campanam antiquiſſimam inſignibus Ordinis Carmelitarum, & nomine Prioris ſub cuius moderamine fuit efformata notatam: itaut facta ſupputatione annorum iuxta numeros in ea inſcriptos concluſum fuerit mille & centum annos ab eius efformatione fluxiſſe. Qui ipſum proprijs viderunt oculis mihique rem retulerunt*

lerunt fide digni ſunt; aſſeruntque eam campanam magni fieri ab incolis illius Regionis; qui per eius ſonitum ad deuotionem excitantur; communique fama fertur eam fuiſſe olim a Monte Carmelo allatam. Id autem a ratione & fide alienum haud videri debet, cum Gallia multis Terræ Sanctæ antiquitatibus diues ſit, vtpote quæ ſit quaſi hæres ad illius reliquias, & ſpolia recipienda. Huic tempori rem accenſeri debere conſtabit retrograda ſupputatione numeranti annos a 1641. quo liber eſt impreſſus.

Ann. Chriſt. 545. vſque ad 549. Vigilij Rom. Pontif. 6. vſque ad 10. Iuſtiniani Imperat. 19. vſque ad 23.

SVB hoc quinquennio, Coſdroas in ſuperioribus relatus, cum Edeſſam Syriæ Vrbem, & Sacram Chriſti Imaginem ibi exiſtentem, & ab eodem Saluatore ad Abagarum Regem miſſam bellicis machinis aggrederetur, ignominioſam repulſam, quod contra Deum ipſum bellum ageret, pati coactus receſſit. Totila ex aduerſo Romam quorumdam proditione capit, militum prædæ tradit, muros diruit, & ad Lucanos primum, deinde ad Calabros expugnandos pergit. A Beliſſario tamen vtcunque reſtaurata Vrbs. Procopius, Euagrius, & alij Scriptores poſt ipſos. Huius quinquennij geſta

2 Vigilij etiam Papæ geſta calumniam patiebantur. Cum enim hoc tempore controuerſia orta eſſet circa tria Capitula Concilij Calcedonenſis, quæ propterea vocabatur *Trium Capitulorum*, & pro ea decidenda Vigilius Conſtantinopolim ab Imperatore vocatus fuiſſet, ipſaque Capitula damnaſſet, Ruſticus, & Sebaſtianus S. R. E. Diaconi vna cum alijs contra eundem Vigilium ſchiſma conflarunt, operantibus Felice Gillitano Abbate, & Lampridio Monacho. Rem geſtam late Baronius, & alij poſt ipſum referunt. Quam omnino prætermittere fas non fuit, vel indicando. Vigilij geſta.

3 Geſta quoque Barſanuphij ſanctiſſimi Anachoretæ, illius Inſtitutum æmulantis, quod vetuſtos Prophetas antiquæ legis ſectatos fuiſſe conſtat, huic tempori adſcribit Euagrius, ex quo iuniores alij acceperunt. Teſtatur autem vixiſſe prope Vrbem Gazam in Palæſtina, & genere fuiſſe Ægyptium. Hic per quinquaginta annos, & amplius in ædicula quadam incluſus, neque a quoquam viſus eſt, neque quidquam alimenti, vel aliarum rerum in terra cepit. Multis etiam claruiſſe miraculis de ipſo refertur. Sed quod maius miraculum, quam vitæ ipſius ratio, quam deſcripſimus? Quid portentioſius? Barſanuphius Anachoreta.

4 Celebris etiam erat hoc tempore Abbas Myrogenes hydropicus in Monaſterio Turrium, quod erat verſus Iordanem, antiqua ſane Eliæ, Eliſei, & filiorum Prophetarum manſio. Hic ob nimiam vitæ auſteritatem hydropicus effectus, dicebat illis ſenibus, qui ad eum viſitandum Myrogenes Hydropicus.

conueniebant: *Orate pro me, patres, ne interior homo hydropicus fiat; ego enim, vt in hac infirmitate diutius durem, Deum oro*. Pratum Spirituale *cap.*8. Vbi etiam de eo quod cum Euſtochius Ieroſolymitanus Antiſtes ad eum neceſſaria mitteret, ille nihil eorum acciperet, ſolum ab eo petens: *Ora pro me, pater, vt liberer ab æterno cruciatu*. Talis erat Elianorum huius æui de æternis exiſtimatio. Hoc *Turrium* Cœnobium vocatur *Laura Turrium* in eodem Prato Spirituali *cap.*11. vbi etiam de Laura *Pharan*, quod notatione dignum cenſemus, quia huiuſmodi *Lauræ* ſeminaria Eliotarum ſemper fuere, vt millies dicimus.

Simeon Salus.

5 Celeberrimus item fuit Simeon dictus *Salus*, id eſt, ſtultus, qui mundanam ſapientiam temnens, cum Ioanne ſocio à Nicone inſigni Monacho tonſura Monaſtica, & Monachali habitu in eiſdem Palæſtinæ partibus accipere meruit. Veniens poſt hæc ad Emeſinorum Vrbem Simeon, & ſtultum ſe ſimulans, multa paſſus eſt, cum is ipſius ſcopus eſſet, vt animas lucrifaceret Deo, & miracula quæ faciebat abſconderet. Vitam mirabilem, & Dei ſolius potentiæ effectum, habeat lector ex Leontio Epiſcopo Neapolis in Cypro apud Metaphraſtem, & Surium 1. *die Iulij*, & cantet cum Regio Vate: *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis*. Ruminet etiam iſta, quæ in ea hiſtoria leguntur, vt fatuum ſe mundo oſtenderet, dum in eam Ciuitatem ingrederetur. *Modus autem quo Ciuitatem ingreſſus eſt fuit huiuſmodi. Cum inueniſſet vir inſignis in ſterquilinio quod erat extra Ciuitatem, canem mortuum, ſoluta quam habebat ex fune, zonula, eiuſque pede alligato eum trahebat currens, & per portam ingrediens prope locum, vbi eſt ſchola puerorum. Cum ergo eum vidiſſent pueri, cœperunt clamare: Abbas ſtultus: & aggreſſi ſunt poſt eum currere, & ei colaphos impingere. Poſtridie autem eius diei, cum eſſet dies Dominicus, accepit nuces, & ingreſſus eſt in Eccleſiam in principio Officij, amputans & extinguens candelas. Poſtquam verò vt eum educerent, accurriſſent, aſcendit in ambonem, & illinc nucibus lapidabat mulieres. Cum autem eum multo labore eduxiſſent, dum egrederetur ſubuertit libros placentariorum qui etiam ei plagas vſque ad mortem intulere. Poſtquam ſe vidit ita confractum, dixit apud ſe: Humilis & abiecte Simeon, reuera ſic non viues in horum manibus vna hora*. Hæc eſt vna ex illis iuſtorum adinuentionibus, de quibus *Iſai.*3. dicitur: *Dicite iuſto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet*.

Aurelianus, ſeu Aurelius Arelatenſis.

6 Circa idem quoque tempus Aurelianus (alijs Aurelius) Arelatenſis Antiſtes duo Monaſteria, virorum vnum, alterum fœminarum apud Arelaten, Childeberto Francorum Rege opitulante, conſtruxit, quibus Regulam tradidit, quam *in Appar. cap.*1. *num.*17. commemorauimus. Quod & hic repetendum cenſuimus, vt quod non ſemel a nobis dictum eſt de multiplicitate legiſlatorum Regularium, etiam poſt tempora Sancti Patris Benedicti, clarius innoteſcat.

Ann.

Ann. Chriſt. 550. vſque ad 554. Vigilij Rom. Pontif. 11. vſque ad 15. Iuſtiniani Imper. 24. vſque ad 28.

1 CAPIVNT rurſus Vrbem Gothi Iſaurorum proditione, Romanis cæſis, ijs exceptis, qui in Eccleſias ſe receperant. Romano item Imperio nouæ clades adiunctæ ob improuiſam mortem Germani inſignis Ductoris. Imperatoria etiam claſſis in oſtijs Adriatici maris naufragium fecit. Sed Deus vltionum Totilam malorum cauſam a Narſete ſemihomine (Eunuchus enim erat) occidi, & ſuperari fecit. Sed quid non faceret Narſetes, qui Dei Genitricem protectricem ob deuotionem habebat? Quinta interim Synodus circa res Vigilij Papæ congregatur. De his Procopius, Euagrius, ex quibus Baronius, & moderni Scriptores. Geſta huius temporis.

2 Vocant nos egregia geſta Eutychij celebris Monachi, & poſtmodum Conſtantinopolitani Patriarchæ, circa hoc tempus. Ea porro habentur ex Euſtachio presbytero ipſius contemporaneo, Simeone Metaphraſte, & Surio 2. *tom. pro die 6. Aprilis*. Magnus hic vir e regione Phrygum oriundus erat, & in Oppido quod cæleſti præſagio *Diuinus Pagus* dicitur, natus, ex Syneſia matre, & Alexandro patre. Auguſtopoli educatus litteras, & bonos mores miro profectu hauſit. Cum autem ad Lazichenorum Epiſcopatum vocaretur, ſe totum ſolitariæ vitæ tradidit, Monachi veſtem induens, & re, atque habitu philoſophiam Monaſticam amplectens. Inter Eliani Inſtituti, non Baſiliani, aut alterius nuperi, æmulatores cenſendum, quæ in vita ipſius deſcribuntur ſatis denotant. Dicitur enim ibi: *Imitatus eſt Eliam Thesbytem, & Ioannem Baptiſtam, qui exercitationis viam imitari volentibus oſtendentes, ſolitudinem primi coluerunt. Quanquam magnus Eutychius non ſolitudinem, non Carmelum, ſed Amaſeorum metropolim elegit, vbi deſiderio ſuo ſatisfaceret: in hac enim ciuitate ſanctum eſt Monaſterium, quod ſanctiſſimi quondam Epiſcopi Meletius, & Vranius, & Seleucus ex ædificandum curarunt.* Ex quibus non ſolum colligitur intentum, ſi expendantur illa *Imitatus eſt Eliam, & Ioannem Baptiſtam*, ſed etiam, ſi dicatur hunc Meletium fuiſſe illum eiuſdem nominis, de quo egimus *to. 2. ſub ann.* 354. & 381. Hinc Eutychius in eadem hiſtoria vocatur *quaſi ſecundus quidam Elias*. In eo igitur Monaſterio, quod ipſe, vt in eius hiſtoria legitur, tum ædificijs, tum cultu diuino, tum prouentibus amplificauit, Monachalem vitam gerens *totius Monachorum cœtus* (inquit hiſtoria) *in ea Metropoli gubernandi Prouinciam cepit*. Sed cum eius Vrbis Epiſcopus ad Synodum, de qua in ſuperioribus egimus, vocaretur, nec poſſet eo ob infirmam valetudinem accedere, negotium Eutychio committit: qui propterea Conſtantinopolim venit; vbi, in demortui Menæ Patriarchæ locum ſubrogatur ætatis ſuæ anno quadrageſimo. Cum autem Imperator S. Eutychij geſta.

ab hæreticis deceptus male ſentire de fide Catholica noſceretur, Eutychius condeſcendere nolens a ſua Sede expellitur, & in quodam Monaſterio prope Chalcedonem collocatur. Inde exul ad ſuum Amaſeæ Cœnobium deportatus miraculis claruit multis, donec tandem Imperatoribus annuentibus, Conſtantinopolim reuocari meruit.

Apollinaris. 3 Eiuſdem Aſcetici, & Monaſtici exercitij conſors videtur Apollinaris Abbas (ſic cognominatur in Prato Spirituali *cap.* 193.) huius temporis Monachus a Iuſtiniano Imperatore Alexandrinus Antiſtes creatus, poſt Zoili depoſitionem. Fuit eximiæ charitatis dono decoratus, prout egregium factum ipſius in eodem Prato relatum comprobat. Item Religioſorum amator, & promotor, quemadmodum in eo libro *cap.* 124. narratur, vbi habetur quod tres Sinaitas Monachos ab Abbate ſuo, & Alexandriam miſſos tenuerit, & Epiſcopos ordinauerit, vnum Heliopoleos, alium Leontopoleos, & tertium Babylonis. Hæc porrò pietatis ſigna ſunt, ſicut e contra erga Monachos auerſio, & ſuperciliosa æmulatio, qualis in quibuſdam cernitur, pietatem non ſapiunt.

Iacobus Porphyrio Carmelita. 4 Sub hoc tempore vel circiter contigiſſe credimus celebre illud factum noſtri Iacobi Porphyrionis circa Carmelum eremitæ, iuxta dicta ſuperius circa annum 535 prout ex Metaphraſte referunt Lippomanus, Surius, Bollandus, & alij his verbis: [Sed qui humano generi inde vſque a principio aduerſari cœpit diabolus, & ijs præcipue, qui Chriſto ſeruiunt, cum ex multa illius hominis virtute ac perfecta vita ſe fugari videret: aggreſſus eſt eum perſequi, & ex ijs locis quæ ſupra diximus expellere. Cum enim in vnum quempiam Samaritam ingreſſus fuiſſet ex eorum numero qui ab initio veritatem ipſam auerſabantur, fecit vt ille vniuerſos ad ſe pertinentes amicos, conſanguineos, ac ſeruos ad inſidias ſancto illi viro ſtruendas in vnum colligeret: quo eum ita irretitum poſſet e regionibus illis propulſare. Omnes igitur cum ad ſacerdotij ſui diuerſorium conueniſſent, & multa eſſent machinati, vna omnium ſententia hæc fuit, vt impudentem atque inhoneſtam mulierculam ad ſe accerſerent, cui viginti aureos nummos darent, totidemque alios ſe illi daturos promitterent, ſi ipſa Dei ſeruum Iacobum illecebris ſuis corrumpere poſſet, vt anſam aliquam arripientes, eum virum cum dedecore e ſua regione fugarent. His promiſſis, mulier illa inducta multam noctem obſeruans ad ipſum adijt, ac ianuam pulſans eum rogabat, vt ipſam intromitteret. Cumque ille moraretur, & diutius id ſe facturum recuſaret, illa nihilominus impudenter ianuam pulſare pergebat, & multis precibus eum obſecrare, vt ipſam admitteret. Cum igitur ille ianuam pateſeciſſet, & eam vidiſſet, ſpectrum aliquod cernere ſibi viſus eſt, ſeque crucis ſigno muniens, ianuam ipſam cum impetu clauſit, atque in cellam reuerſus ad orientem ſolem ſe conuertit, & Deum attente precatus eſt. Non multo autem tempore poſtea, cum media nox præterijſſet, non deſinebat mulier illa pulſare ianuam, quin etiam magna

voce

voce: Miſerere, inquit, mei tu, qui Dei ſeruus es: aperi mihi ianuam, ne ante cellam tuam ferarum cibus efficiar. Cum iuſtus ille vir hæc conſideraret, & ferarum multitudinem, quæ erat in illis locis animaduerteret, ianuam ipſam inuitus (vt ita dicam) patefecit, eique dixit: Vnde huc veniſti? Quem quæris? Et vnde es? Cui mulier: E Monaſterio, inquit, hoc propinquo ego ſum, meque Monaſterij Præſes ad ferendas benedictiones in hoc Caſtellum miſit, ac dum reuerterer in Monaſterium hoc in loco nox me oppreſſit. Rogo igitur te, diuine vir, vt miſerearis mei, & apud te accipiar, ne ferarum preda efficiar. His igitur verbis ille commotus, eam ad ſe introduxit, panemque & aquam illi appoſuit, & interiorem cellam ingreſſus ſeipſum illic incluſit, muliere in exteriore cella derelicta. Illa verò cum cibum ſumpſiſſet, voluit pauliſper quieſcere. Poſtea cœpit vociferari, & cum lamentis ad ianuam ſe deijcere, virumque ſanctum implorare. Ille verò e feneſtra proſpiciens, eamque videns anguſtijs & multo dolore compreſſam, dubitabat quidnam ei diceret, aut faceret. Tunc illa: Precór te, inquit, vt me reſpicias & ſigno Crucis munias quoniam dolore cordis opprimor. His ille auditis exijt, & ſtatim igne multo accenſo prope mulierem ſedit, ac ſiniſtra manu igni admota, dextera ſacrum oleum ſumpſit, & eam calefacere cœpit propriæ manus calore, neque deſinebat eius pectus Crucis ſignò munire. Illa igitur impudentiæ ſtimulis impulſa, cum irretire eum vellet, & in turpem libidinem concitare; rogo, inquit, te diutius cor meum vngas, vt dolor qui me comprimit iam deſinat. Ille, quæ eius erat ſimplicitas! mulieri credens, quæque ad eam curandam pertinebant attendens, ſimulque fraudem praui dæmonis ſciens, ac metuens ne forte ex multa in eam commiſeratione ſempiternam infirmitatem ſibi afferret, duabus vel tribus horis conſtanter ſiniſtram manum in ignem iniectam detinuit, ita vt digitorum compages combuſtæ deciderint. Hoc ille faciebat contra diabolicas machinas militans, vt propter intolerabilem illum dolorem ex ignis flamma proficiſcentem, nulla peſſima cogitatio in eius animum irreperet. Quod cum admirabiliter ab eo fieri mulier videret, & ipſa reſipiſceret (totam enim ſancti viri manum fere igne conſumptam videbat) lacrymans, atque ingemiſcens ad ſancti viri pedes ſe deiecit, & ſuis manibus proprium pectus pulſans clamabat: Hei mihi miſeræ & excæcatæ! hei mihi quod diaboli domicilium facta ſum? Hæc cum Sanctus vir audiret, atque obſtupeſceret: Surge, inquit, mulier. Hoc dixit, & admodum feſtinanter e ſolo illam erexit, & attentas preces ad Deum mittens: Nuntia, inquit, mulier quod hoc ſit. Vixque ad ſe reuerſa quo pacto res ſe habebat ſingulatim expoſuit, aperiens quas praui Samaritæ, vel diabolus potius aduerſus iuſtum virum inſidias machinatus fuerat. Qua re audita, Dei ſeruus magnopere ingemuit, cumque Dei gloriam celebraſſet, & lacrymas multas emittens Deo gratias egiſſet, illam catechiſmo inſtruxit, eique benedictiones imparti-

tus miſit ad ſanctiſſimum Alexandrum Epiſcopum. Mulier verò cum ad Eccleſiam veniſſet, vnamquamque rem ordine Deo ipſi primum, deinde & Sanctiſſimo viro confeſſa eſt: qui & ipſe cum plurimum eam inſtruxiſſet, eorumque malorum quæ commiſerat valde pœnitentem videret, immortalitatis lauacrum ei dedit, & mulierem quidem ipſam ad virginum Monaſterium miſit; omnem verò populum religioſum & Chriſti amatorem Clerum cum congregaſſet, ex vrbe, & regione illa omnes Samaritas expulit, & poſtea Dei ſeruum Iacobum adijt, eumque vt bonus pater multum confirmauit. Ita verò & mulier ſupradicta per pœnitentiam Christo ſe ipſam obtulit, vt & cara Deo eſſet, & aduerſus dæmones gratiam acciperet.]

In his notanda lectori, qualiter in ea parte in qua Iacobus iſte Eremita morabatur, vicinum erat Monaſterium virorum, ex quo meretrix iſta diſceſſiſſe aiebat; nec longe aliud virginum Monaſterium, ad quod Alexander Epiſcopus eam tranſmiſit poſt actæ vitæ pœnitentiam. Quæ ad noſtri Carmeli Monachatum ſpectare dicta *ſub ann. 535.* haud incongruè ſuadent. Veritas vndique etſi certior, ac clarior appareret, ſi cuius vrbis Epiſcopus Alexander iſte in hac hiſtoria notatus, noſceretur.

Notanda.

Ann. Chriſt. 555. vſque ad 559. Pelagij Rom. Pontif. 1. vſque ad 5. Iuſtiniani Imper. 29. vſque ad 34.

1 VIGILIVS Papa in Italiam veniens Syracuſis in Sicilia calculi morbo diem obijt, Dei iuſto iudicio in Inſula defunctus, qui ſuum prædeceſſorem Siluerium in Inſula quoque animam exhalare fecerat. Succeſſore potitus eſt Pelagio Romano, qui propter ſuſpicionem illatæ mortis Vigilio, coactus eſt ab eo crimine ſe purgare. Anaſtaſius Bibliothecarius, Baronius, & Chronologi alij. Interim Franci cum Alemannis Italiam inuadunt; Romani profligantur a Perſis; & vice verſa Perſæ a Romanis apud Colchos; ac Hunni inuaſores Imperij a Beliſario. Agathias, Euagrius, & recentiores poſt illos.

Summorum Pontificum ſucceſſio.

2 De Monaſterio S. Symphoriani in Gallijs vnus inter alios Monachos Abbas erat Germanus Pariſienſis Epiſcopus, miraculis inſigniter clarus, prout teſtantur geſta ipſius per Fortunatum Pictauienſem Epiſcopum deſcripta apud Surium *tom. 3. 28. Maij*. Quæ hic vel leuiter indicanda fuere, quia Monaſterium hoc, illiuſque Monachi antiquum illud Elianum Inſtitutum, non Baſilianum, aut aliud, imitatione redolere videntur. Præſertim, cum D. Maurus a S. Benedicto in Gallias pro ſuo Benedictino Inſtituto propagando non dum id facere cœpiſſet.

S. Germanus.

3 Caſſiodorus vir præclariſſimus, Senator egregius, & Præfecturis innumeris apud ipſos Gothorum in Italia Reges florentiſſimè decoratus,

Caſſiodorus.

hoc

hoc tempore Monachatum illuſtrabat, ipſo aſſumpto in Monaſterio a ſe conſtructo, quod Viuarienſe, ſeu Caſtellenſe in extrema parte Calabriæ dicebatur. Hic quamplurimis voluminibus conſcriptis Eccleſiam, & ſeipſum poſteritati valde commendauit; cum nec in decrepita ſenectute ſupra annos 93. ætatis labores in rebus diuinis intermiſerit, ſegnitiem & otium Monachorum quorumdam opere condemnans, ac tandem in Monaſterio ſuo ſancto fine quieſcens. Hæc de tanto viro tetigiſſe non piguit; eo quoque, quod quamuis Trithemius *in 2. lib. de Illuſtr. vir. Ordinis S. Benedicti*, quem alij eiuſdem Sacri Inſtituti amplectuntur, ſuæ familiæ adiudicent, nihilominus Sixtus Senenſis, Baronius, Bellarminus, Poſſeuinus, Gualterus, Spondanus; & innumeri alij, imo & ipſe Trithemius *in lib. de Scriptor. Eccl.* Monachum dumtaxat, & Abbatem compellant; quo innui datur vetuſtum illud aliud Monachorum genus, Elianum, & Propheticum, non nuperum illud S. Benedicti pullulare tunc cœptum æmulatum fuiſſe. Pudet valde in grauiſſima familia virorum illuſtriſſimorum copia fœcundiſſima hunc næuum notare, vt alienos fœtus tanquam proprios quandoque ſibi adoptet. Quod notauit Baronius *ſub ann.* 494. dicens. *At verò cum innumerorum pene ſanctiſſimorum, atq; etiam doctiſſimorum Patrum Patriarcha Benedictus fuerit fœcundiſsimus propagator: perperam mea ſententia illi faciunt, qui ei, quos non genuit, alienos partus ſupponunt: qui, inquam, nimio eius Ordinis ſub quo profitentur, amore, nonnullos fama illuſtres viros, qui etiam ante S. Benedicti tempora floruerunt, eiuſdem fuiſſe regulæ profeſſores imprudenter & inconſultè nimis affirmant. Etenim non fœcundis, ſed ſterilibus ſupponi aliena ſoboles conſueuit. Præſtitit hoc inter alios Trithemius, auctorque ceteris poſterioribus fuit id ipſum faciendi. Quid, rogo, cum S. Benedicto S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, qui antequam naſceretur ille, erat Antiſtes, vt ſuperius demonſtratum eſt? Quid ad eumdem pertinet Fauſtus Regienſis Epiſcopus, qui eodem cum S. Cæſario vixit tempore? Quid inſuper ad S. Benedictum Eugibius Abbas, qui antequam ipſe S. Benedictus ſumeret Monaſticum habitum, iam S. Seuerini diſcipulus, & Monachus erat, vt ipſe de ſe teſtatur? Sed quid inſuper Caſiodorum pro animi arbitrio ſub eiuſdem S. Benedicti Regulis Monachum referunt, cum agens ipſe de Monachis a ſe collectis in Commentario de diuinis lectionibus, nec vllam quidem (cum in eo argumento verſatur) S. Benedicti, vel regularum ipſius habuerit mentionem? Quæ certè ante omnia ipſis ſuis Monachis ob oculos ponendæ erant. Quid præterea Orientales ſub Inſtitutis S. Baſilij militantes Monachi ad S. Benedictum pertinent?* Et poſt alia. *Dolui, fateor, conſiderans veritatis candorem non illuſtrari, ſed obſcurari ab his, qui nullum habentes delectum, quoſcunque repererunt doctrina, vel ſanctitate claros vitæ Monaſticæ alumnos, eoſdem ſub S. Benedicti Regula conſtituunt profeſſores; cum tamen iam ante tempora S. Benedicti conſtet etiam in omnibus Occidentalis Eccleſiæ Prouincijs viguiſſe diuerſa genera Monachorum; vt quæ ſæpe ſuperius dicta ſunt, certiſsimam fidem faciunt.*

Non

Non eſt noſtrum modò de ſingulis agere; quos prudentiſſimus indagator, adhibita temporis ratione, alterius potius Inſtituti quam S. Benedicti Monachos fuiſſe cognoſcet: cum tamen illud glorioſè prædicare liceat, coaleſcente nobili planta, maioribus incrementis in dies magis magiſque dilatatum eſſe eumdem Ordinem Monachorum S. Benedicti, progreſſuque temporis complures alios extitiſſe in Occidente Monachorum ordines ſub eiuſdem Sancti Regulis militantes. Hæc porrò quæ etiam approbat Suarez 4. *to. de Rel. Tract. 9. lib. 2. c. 2. n.* 10. ideo hic adiunximus, quia ſæpius pro dicendis neceſſaria erunt, & quia ad intentum præſens ſufficienter conuincunt Caſſiodorum, non Benedictinis, ſed antiquioribus Monachiſmi profeſſoribus, Elianis videlicet, æmulatorem, accenſeri debere. Nec mirum credamus hunc Caſſiodorum Eliano Monaſtico Inſtituto veteri imitatione addictũ fuiſſe, qui pro ipſius commendatione plura repererat in hiſtoria *Tripartita* (ſic vocatur) a ſe in Compendium redacta ex Theodoreto, Sozomeno, & Socrate, vt patebit legenti ipſam & quæ nos ex ea Tomis præcedentibus hauſimus. Hinc Gallonius *in Apologet. contra Bellotum pag.* 57. vocat *mendacium* quod Trithemius, & ipſe Bellotus dixerant de Monachatu Benedictino Caſſiodori, & de Monaſterio Claſſenſi iuxta Rauennam ſub S. Benedicti ferula ædificato. Nos tamen ab huiuſmodi mordaci abſtinentes loquendi modo, ſolum dicimus *inconſultè* grauiſſimos hos Benedictinos Patres ſuæ innumeris titulis clariſſimæ familiæ arrogare Caſſiodorum, & alios relatos.

Ann. Chriſt. 560. vſque ad 565. Ioannis III. Rom. Pontif. 1. vſque ad 6. Iuſtiniani Imper. 34. vſque ad 39.

Geſta horum annorum.

1 Ob Pelagij Papæ Sedis vacationem Ioannes huius nominis Tertius patria Romanus ſubrogatus eſt, teſte Anaſtaſio, quem iuniores ſequuntur. Iuſtinianus quoque Imperator, dum hæreſim *Incorruptibilium* nuncupatam, eo quod Chriſtum Seruatorem paſſionibus non obnoxium putarent, imbibiſſet; eamque edicto ſcripto proponendam decreuiſſet; & in Epiſcopos orthodoxos perſecutionem excitaſſet, iuſto Dei iudicio mala morte ſublatus eſt, in exemplum Principum, qui rerum Eccleſiaſticarum iudicia ſibi arrogare præſumunt, prout ipſe fecit. De quibus Euagrius, Theophanes, Cedrenus, & alij. Sicut de Beliſarij egregij Imperialis Ducis miſeria, quæ eo peruenit, vt ſecundum aliquos, ob rebellionis ſuſpicionem excæcatus, & cunctis bonis expoliatus, vas ligneum manu geſtans plebi in ſtadio publico alta voce clamans diceret: *Date obulum Beliſario Imperatori*. O rerum humanarum caducitas!

Anaſtaſius Sinaita.

2 Imperatori autem Iuſtiniano tam turpiter erranti vnus ſeſe oppoſuit Anaſtaſius Sinaita poſt Domnum Epiſcopum Antiochenum in ea Eccle-

Eccleſia ſucceſſor. Cuius eximij Patris, & Antiſtitis hiſtoria a nobis percurrenda; quod antequam illi Eccleſiæ præficeretur Monachus fuit in Sina monte, & propterea *Sinaita* vocatus: Monachus equidem eius Inſtituti Monachorum, qui D. Baſilium, Auguſtinum, & Benedictum præceſſerant, ac perinde purè Elianorum æmulator. Quod enim Baſilianus quidam, quem Caſanate noſter *in Paradiſ. ſtat.* 3. *etat.* 7. *cap.* 39. reijcit, ſuis adſcripſerit, tam facilè refellitur quam aſſeritur. Oſtendere namque illi opus erat, quod Sinaitæ Monachi ante Baſilium eum Montem colentes, etiam Baſiliani eſſent, cum Anaſtaſius eorum Inſtitutum ſectaretur. Nos interim alia de hoc magno Sinaita in ſequentibus.

3 Refertur ad hoc tempus celeberrimus vnus S. Columbanus Abbas, nobis vel indicandus, quia Monachorum vetuſtorum etiam æmulator extitit, in partibus Hiberniæ, vnde ortus. Non Baſilianorum, quia illi nec nominati ibi tunc erant: non Benedictinorum, quia ipſi non niſi poſt annum 590. & eo amplius Angliam viderunt, vt dicemus infra. Et ita Antonius Gallonius *in Apolog. contra Bellotum p. mihi* 29. neruoſe probat Columbanum Sacræ Benedictinæ ſcholæ alumnum non fuiſſe. Item eum a Benedictina ablegat familia Patritius Flemingus apud Benedictum Haeſtenum *in diſquiſit. Monaſt. lib.* 1. *Tract.* 7. *diſquiſit.* 1. *in fin.* contra plures oppoſitum autumantes, quibus tamen Haeſtenus ipſe, etſi Benedictinus, adhærere non audet. Nec etiam Canonicorum Regularium Auguſtinienſium, quia nec ipſi Angliam vſque ad annum Chriſti 636. appulerunt. Vtrumque habet Author Catalogi *Scriptor. Brittan. Centur.* 1. *in Benedicto Biſcopio*, ſic in appendice dicens: *Nota quod Monachi Benedictini in Angliam cum Auguſtino Archiepiſcopo Cantuarienſi primum intrarunt ann. Domini* 596. *& Canonici Regulares cum Birino Archiepiſcopo Dorceſtrenſi ann. Chriſti* 636. Potrò hunc Columbanum Monachiſmi antiquioris Baſiliano, & Benedictino aſſeclam fuiſſe, ſatis euincitur ex eius vita per venerabilem Bedam, & Ionam Abbatem ei fere coæuum apud Surium *tom.* 6. 21. *Nouembris*, & Gononum *de vit. Patr. Occident. lib.* 1. deſcripta. Ibi enim dicitur Monachum fuiſſe Monaſterij Banchorenſis, quo tempore Commogellus, ſeu Congellus, eius Monaſterij Abbas erat. Hunc enim Congellum in eo Banchorenſi Cœnobio non ſub S. Baſilij; aut Benedicti Regula vixiſſe diximus ſupra *ſub ann.* 527. & teſtatur idem Balæus ſupra *in Dionoto Auonio*, qui etiam huius Monaſterij Cœnobiarcha fuit, dicens: *Non illic ad Baſilij, aut Benedicti præſcriptam vitæ methodum, &c. viuebant*, Monachi ſcilicet. Non igitur audiendus egregius Abbas Trithemius *in lib.* 2. *de Illuſtrib. vir. Ord. S. Benedicti c.* 5. cum hunc Columbanum Benedictinis PP. aſcribit, & alijs poſterioribus nempe Antonio Yepes, Vvioni, Genebrardo, Reynero, & alijs in eo hallucinandi anſam præbet. Vnde propterea eundem Trithemium *furem*, & *expilatorem* vocat Gallonius *in Apolog. contra Bellotum pag. mihi* 31. Acri quidem cenſura, nec tanto authore digna; quamuis hunc

S. Columbanus.

næuum adiudicandi ſibi extraneam prolem in Trithemio notauerit Baronius *ſub ann.* 496. & nos etſi inuiti dum de Cæſario, Caſſiodoro, & alijs ſcripſimus. De Columbani porro geſtis, miraculis, virtutibus, ac fundationibus Cœnobiorum, Luxouienſis primum, Fontanenſis, & Palatij deinde; Bobienſis poſtea in Italia, vbi paulo poſt animam Creatori dedit, Beda, Ionas relatus, Vincentius, Antoninus, Petrus de Natalibus, Sigebertus, Hermannus Contractus, Cratepolius, Sigonius, & alij. Maximè de duplici Regula ab ipſo conſcripta doctè, & disertè Haeftenus relatus; & Gallonius, qui propterea *pag.* 29. & 30. falſitatis conuincit Bellotum exiſtimantem, exurgente S. Benedicto, cæteras Monachorum Regulas obliteratas, & abolitas fuiſſe; quod ex his Regulis Columbani liquido conſtet poſt S. Benedictum alios Regularum Monaſterienſium egregios compilatores viguiſſe; prout & nos latè oſtendimus *in Appar. cap.* 1. & in ſpecie notabimus circa Regulam huius magni Columbani traditam Bobienſi Cœnobio, *ſub ann.* 606. Idque ex eodem Iona ipſius Chronologo *cap.* 10. eius vitæ clarè elicitur, dum ibidem dicitur: *His ergo in locis cum Monachos inſtituiſſet, ipſe viciſſim illis aderat, canonemque ſiue Regulam, quam ſequerentur, plenus Spiritu Sancto condidit.* Non igitur ab alijs acceptam tradidit. Prout etiam ex Regula tradita Monaſterio *Palatium* dicto elicitur ex *cap.* 14. illius hiſtoriæ. Quæ ſi legantur, coniunganturque cum ijs quæ dicuntur *cap.* 9. & 13. ipſius vitæ, pro comperto habebitur fruſtra laborare eos qui oppoſitum contendunt.

Luxouienſe Cœnobium.

4 Quia verò omnes præfati Luxouienſis Cœnobij in Burgundia ab ipſo inſtituti Monachi procul dubio non aliam vitæ rationem egerunt, per multum ſanè tempus, donec Benedictina Inſtituta amplexati ſunt, quam ipſe eorum Magiſter opere, & ſermone docuerat, ideo non incongruè cuncti ad primæuam priſcorum Vatum imitationem reſtituendi, ac proinde de illis, vel ſummatim, agendum. Porro, quantum ex hiſtoria ipſius Columbani a Iona Monacho deſcripta, & apud Surium, *tom.* 6. *pro die* 21. *Nouembr.* regiſtrata, imo inter opera Venerabilis Bedæ inſerta, elicitur, vnus fuit Euſtaſius, ſeu Euſtachius, primus eiuſdem Luxouienſis Cœnobij poſt Columbanum Præfectus, de quo *ſub ann.* 614. dicetur. Et Attala, de quo etiam *ibidem*, & plures alij Monachi, qui inuitis iſtorum Euſtaſij, & Attalæ referuntur a Iona earum authore, quæ etiam apud Bedam habentur. Item Agitus Resbacenſis, Faro Meldenſis, Philibertus Gemmeticenſis, quos de Regula, & ſchola S. Columbani fuiſſe teſtatur Ordericus Vitalis *lib.* 8. *hiſtor. Eccleſiaſt.* Etſi non explicet an in hoc Luxouienſi Cœnobio, an in Bobienſi floruerint. De hoc tamen Philiberto Luxouienſis alumnum fuiſſe ex hiſtoria S. Aichadri referenda elicitur. Vvalbertum quoque Meldenſem Epiſcopum ex Abbate Luxouienſi, & diſcipulo S. Columbani affert Vvion *in Martyrolog. Monaſtic. die* 2. *Maij*, ſuis aſcribens. Ipſos æmulari ſtuduit facinoroſus

ille

ille Ebroinus S. Leodegarij interſector, qui etiam Monachum egit in hoc Luxouienſi Cœnobio, prout ex hiſtoria S. Aichadri Abbatis Gimeſienſis apud Surium *pro die 15. Septembr.* habetur. Sed inter egregios S. Columbani diſcipulos iure computandus S. Deicola Luxouienſis quoque Monachus, eiuſdem Columbani Inſtituti etiam aſſecla, etſi aliud ſentiant Trithemius *de Vir. Illuſtrib. Ordin. S. Benedicti lib. 3. cap. 61.* & Vvion *in Martyrolog. Monaſtic. 18. Ianuarij* dum eum ſuæ ſacræ Religioni accenſent.

5 Ad hoc etiam tempus, Æram videlicet 600. & annum Chriſti 562. referenda veniunt quæ M. Maximus Cæſaraguſtanus *in ſuo Chronico* dixit de Agalienſis Monaſterij apud Toletum inclytam Hiſpaniæ Vrbem fundatione, videlicet: *Idem Rex Athanagildus in planitie ſuburbij Toletani ædificat Monaſterium Ordinis S. Benedicti in honorem S. Iuliani apud Auernos paſſi, dictum Agalienſe ab Agallia villula propinqua, quod diſtat minus quam 250. ab Eccleſia Prætorienſi SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, inter Occidentem, & Septentrionem ſitum, vbi conſtituit primum Abbatem Euphemium Monachum natione Græcum ex Italia vocatum, qui poſt fuit ad Eccleſiæ Toletanæ Sedem vocatus.* Quæ vocant nos vt aliqua de hoc Agalienſi Cœnobio celeberrimo, & de Ordinis noſtri hiſtoria, dicamus. Et primò, clariſſimum hoc Monachorum Collegium, illud eſt, de quo *tom. 2. ſub ann. 40. nu. 12.* diximus ex teſtimonio Luitprandi in ſuis fragmentis *fragment. 101.* erectum fuiſſe in eo loco, in quo olim S. Elpidius (ex Carmeli Eremicolis vnus, prout conſtat ex eodem Luitprando *ibid. & fragment. 256.* ac alijs authoribus eo loci relatis) Monaſterium quoddam fundauerat. Sic enim *eo fragmento* 101. dicitur: *S. Elpidius, quem S. Iacobus præfecit Toletanis primum Antiſtitem, Carmelita Monachus fuit, & in prima Petri Concione conuerſus ad fidem, cum ſocijs multis venit in Hiſpaniam, & Toleti fundauit Monaſterium Virginum, & Monachorum, vbi poſtea fuit Agalienſe, quod fuerat B. Virgini* (S. Leocadiæ videlicet) *cura, Monialium harum matri.* Quicunque ergo hic locus fuerit, in quo Agalienſe Monaſterium hoc tempore conditum fuit, de quo plura, & diligenter Thomas Tamaius de Vargas Regius Hiſtoriographus *in Notis ad Chron. Luitprandi pag. 44. & 45.* ex alijs, illud ex relato Luitprandi monumento habemus, quod extructum fuerit in eo, in quo Elpidius Cœnobium aliud extruxerat, dum viueret, & Toletanam Sedem teneret. Etſi autem Marcus Maximus in teſtimonio relato hoc Agalienſe Cœnobium in honorem S. Iuliani Martyris apud Auernos paſſi conditum dicat, & Ioannes Bollandus *in Actis Sanctor. tom. 1. pro die 9. Ianuarij* Iuliano Antiochenſi Martyri atticulatum autumet; nihilominus credibilius apparet in honorem potius S. Elpidij, qui etiam Iulianus appellabatur, prout dixi *tom. 2. ſub ann. 36. num. 9.* dicatum fuiſſe. Niſi forſan exiſtimauerit Maximus S. Iulianum Elpidium apud Auernos paſſum fuiſſe, & non apud Cherſoneſum; vel Cherſoneſum cum Auernis confuderit.

Agalienſe Cœnobium.

fuderit. Quis enim credet potius Fuſtano alij extero, & vix Toleti cognito, quam Iuliano proprio Antiſtiti, & Martyri nuncupatum fuiſſe? Maximè cum in eodem ſitu hoc Agalienſe Cœnobium conderetur, in quo aliud idem Iulianus Elpidius olim condiderat, prout ex Luitprando vidimus. Sicque tenet Franciſcus Portocarrero Ieſuita *in Vita S. Idelphonſi cap.* 8. *fol.* 21. ac ex eo noſter Emmanuel Romanus *in Elucidat. antiquit. Ord. Carmelit. fol.* 109. & colligitur ex fragmentis Luitprandi eiuſdem *num.* 96. vbi dum loquitur de hoc Monaſterio inquit: *In honorem S. Iuliani Toletani Pontificis ſacrum fuit*. Quis enim eſt iſte Iulianus Toletanus Pontifex pro eo tempore celebris niſi *Iulianus Elpidius*? Alius enim S. Iulianus Toletanus Antiſtes fuit hoc tempore poſterior; ſucceſſit enim Quirico D. Illefonſi ſucceſſori, & obijt *ſub ann.* 691. iuxta Baronium *in Notis ad Martyrologium Rom.* 8. *Martij*, quando de hoc Iuliano fit memoria.

Cuius Inſtituti. 6 Ex his porrò non leui coniectura ducti ſuſpicari aliqui poterunt hoc ab Athanagildo Rege conſtructum Cœnobium illius Inſtituti fuiſſe quod à primæuæ Eccleſiæ tempore S. Elpidius Toletum vexerat; Propheticum videlicet, & Elianum ex Carmeli ſpelæis eò adductum, prout ſatis clarè expreſſit Luitprandus *fragment. illo* 101. adducto, & *fragment.* 100. dum dixit: *Sunt qui putant, quod & ego credo, S. Leocadiam fuiſſe Monialem Ordinis Carmelitarum, quem Ordinem Monachi Carmelitani ad fidem Chriſti conuerſi in Hiſpaniam intulerunt, ex quibus fuit Elpidius Primus Toletanus Præſul a S. Iacobo conſtitutus*. Ac *fragment.* 256. dum inquit: *Mihi valdè probabile eſt, & legitur in Orientis hiſtorijs, Elpidium, & reliquos Epiſcopos, quos traxerat S. Iacobus in Hiſpania, & ab ipſo S. Iacobo baptizatos, fuiſſe de numero Carmelitarum, qui in Hiſpaniam, & alias Regiones Monachatum introduxerant. Iſtos vocat Euſebius lib.* 2. *capit.* 3. *Prophetici Ordinis*. Si enim Monaſterium hoc Agalienſe nuncupatum in eo loco ab Athanagildo extructum fuit, vbi primitus fuerat aliud a B. Elpidio conſtructum, quemadmodum hoc ex Elianis, quos ſecum Elpidius e Carmelo duxerat, conſtatum fuit; ſic ſuſpicari licet de illo Athanagildico, quod veluti illius Elpidiani appendix erat. Idem dici poteſt ex eo quod Iulianus Petri in deſcriptione de Eremiterijs Hiſpanis *num.* 8. referat etiam Eremiterium Agalienſe, ſubiungatque: *Vbi Rex Athanagildus ædificauit celeberrimum Monaſterium, &c.* Ex quo notatur locum in quo Athanagildus hoc Monaſterium extruxit Eremiterium primitus fuiſſe. Si autem Eremiterium fuit, Eremitæ igitur ibi erant, qui non alij eſſent niſi quos ex Carmeli Eremo ſecum aduexerat Elpidius. Deinde, ſi Monaſterium hoc primitus ſub cura fuit (quoad Moniales intellige) ſanctæ Virgini Leocadiæ, vt Luitprandus fatetur *fragment.* 101. & ipſa Leocadia Carmelæi Ordinis proles extitit, eodem Luitprando teſte *fragment.* 100. vel mediocri iudicio præditis occurret ſuſpicio, quod eidem Ordini adiudicatum fuerit. Augeturque ſuſpicio ex titulo

Sancti

Sancti Iuliani, cui Agalienſe Cœnobium ſacratum extitit: ſi enim Iulianus iſte Elpidius noſter erat, ergo & Monachiſmus talis Cœnobij etiam Elpidianus, ſeu Elianus. Ad quæ etiam deſeruient quæ in ſequentibus de Monaſterio SS. Coſmæ, & Damiani, ac de Diuo Illefonſo, qui in vtroque vixit, dicemus. Nec dictis obuiat Maximus, dum hoc Agalienſe Monaſterium *Ordinis Sancti Benedicti* appellat, quod & alij amplectuntur. Id enim (ea controuerſia omiſſa, an iſte Marci Maximi liber apocryphus, vel a Magdeburgenſibus, aut ſaltem ab ſtudioſo aliquo Sancti Benedicti alumno vitiatus ſit; de qua Pennotus *in hiſt. Canonic. Regular. lib. 1. cap. 52. 53. & 54.*) referendum eſt ad tempus, quo Maximus ſcribebat: tunc enim ad Benedictinam familiam Cœnobium iſtud, ſicut & innumera propè alia Europæ, iam tranſierat; non ad tempus fundationis ipſius. Niſi potius arrideat dicere hoc Cœnobium *Ordinis S. Benedicti* a Maximo appellari, quia aliqui eius Ordinis Monachi ex Italia nuper aduenientes cum vetuſtioris Inſtituti Eliani profeſſoribus ſimul in ipſo regulariter conuiuebant. Pariter etiam nec dictis obſtare poterunt, quæ idem Pennotus *ſupra lib. 2. cap. 31.* affert pro hoc Cœnobio Canonicis Auguſtinianis tribuendo; leuiora enim videri poſſunt, quam quæ nos aſſerimus, nec ipſis derogare.

7 Ex quibus etiam conſtat non incongruè, ſed probabili coniectura eidem quoque noſtro Inſtituto acceſeri poſſe Euſemium, ſeu Euſemianum Exuperium, Adelphium, Auratium, Helladium, Ioannem Bacclarienſem, & alios eiuſdem Agalienſis Cœnobij Abbates cognominatos, qui etſi communiter ſacerrimi Ordinis Benedictini proles cenſeantur, a noſtro tamen Inſtituto, imitatione ſanè, non abhorruiſſe, quæ diximus, & in ſequentibus dicemus haud leuiter indigitant. Intelligenda porro illa pro tempore quo Benedictinum Inſtitutum Hiſpaniæ oras non viderat, vel non adeo firmatum in illis partibus erat, vt hoc, & alia Hiſpanienſia Cœnobia implere poſſet. **Abbates Agalienſes.**

8 Audiat præterea lector, quæ in fragmentis relatis Luitprandi *nu. 91.* refert de celeberrimo iſto Agalienſi Cœnobio: *Monaſterium Agalienſe ad Septentrionem ſuburbij Toletani poſitum ab Athanagildo Rege Gothorum conditum præter Karadinenſe omnium Hiſpaniarum Monaſteriorum, & Galliæ Narbonenſis dici poteſt Pater, litteris, religione, fama, bibliotheca, frequentia Monachorum, & virorum illuſtrium, vbi erat inſignis litterarum Academia, & totius Regni nobilitas ſapientia, & moribus bonis imbuebatur: hinc velut ex equo Troiano prodierunt Abbates alijs Monaſterijs, & præclariſſimi Præſules multis Eccleſijs Hiſpaniæ.* Merito proinde pro tam inſigni Monachatus Lycæo vindicando laborare debuimus, quatenus in re obſcura licuit. **Cœnobium Agalienſe.**

Ann. Chriſt. 566. vſque ad 572. Ioannis III. Rom. Pontif. 7. vſque ad 13. Iuſtiniani Imper. 1. vſque ad 7.

Geſta in Orbe. 1 SEPTENNIVM hoc Imperatoris Iuſtini initium fuit; non ſatis pro ipſo honorificum; morum enim prauitate, & in nobiles ſæuitia nomen ſuum fœdauit. Longobardi interim influunt in Italiam, Mediolanum capiunt, & omnia vſque ad Tuſciam inuadere tentant. Eorum quoque Rex Alboinus, capta Ticinenſi Vrbe poſt obſidionem trium annorum ab ipſius vxore necatur. Euagrius, Paulus Diaconus, Theophanes, & poſt illos Baronius, & recentiores.

Anaſtaſius. 2 Ex noſtra Monachorum antiqui Eliani Inſtituti æmulatorum hiſtoria emergit Anaſtaſius Sinaita in ſuperioribus commemoratus; qui poſt vndecim annorum legitimam Sedis Antiochenæ poſſeſſionem, calumnioſè accuſatus, ab Imperatore in exilium miſſus eſt, prout ex Nicephoro, Euagrio, & alijs habetur.

Gregorius Sinaita. 3 In Anaſtaſij locum ſubrogatus eſt Monachus alius eiuſdem Montis Sinai Therapeuta, Gregorius nomine, quem Euagrius ſummopere commendat ab excellenti virtute, prudentia, liberalitate, ſeueritate, & manſuetudine. Ex quibus apparet eum minimè fuiſſe violenter in Sedem intruſum; ſed legitimè electum; cum Anaſtaſius fuiſſet in Synodo ab Epiſcopis, etſi non iuſte, aliqua tamen ſpecie prætenſa iuſtitiæ, legitimè condemnatus. Cæterum idem Anaſtaſius poſt annos viginti quatuor, quibus ſedit Gregorius, Mauritij Imperatoris tempore iterum Sedi ſuæ reſtitutus fuit. Hæc Spondanus ex Baronio; nobis notanda, quia hic Gregorius Anaſtaſij commilito in Schola Sinai Elianæ æmulatrice erat.

Coſmas Abbas. 4 Ad eandem ſpectat Abbas Coſmas Eunuchus Lauræ *Pharan*, quam ſub Eliotarum ditione fuiſſe, ea quæ in ſuperiori Tomo, cum de Carithone harum Laurarum primo extructore diximus, abundè corroborant. Fuit hic Coſmas miraculorum patrator; & tam acerbus hæreticorum hoſtis, vt cum in Eccleſia quadam vbi hæreticus Epiſcopus quidam ſepultus erat, ipſius reliquiæ conditæ quoque manerent, ſingulis noctibus clamare audiebatur, ac dicere ad Epiſcopum: *Noli me tangere hæretice, ne appropinques mihi, inimice Sanctæ Dei Catholicæ Eccleſiæ.* Draconem illæſus, etſi miræ magnitudinis beſtia eſſet, pertranſiſſe ſcribitur. Tantoq; ſtudio erga Sanctos Patres, & Doctores fuiſſe, vt diceret authori Prati Spiritualis: *Cum inueneris aliquid ex opuſculis S. Athanaſij, nec habueris chartas ad ſcribendum in veſtimentis tuis ſcribe illud.* A veſpere vſque ad manè ſtabat pſallens, & legens, orto autem ſole ſedebat legens in Sanctis Euangelijs vſque ad collectam. Tales, mi lector, fuerunt Anteſignani noſtri. Hæc porrò ex Prato Spirituali *cap.* 40. hauriuntur.

Monaſteria, & Monachi in Brittannia. 5 Eiuſdem etiam Inſtituti eſſe videtur Monaſterium, quod in Ciuitate Elguenſi ædificauit Kentigernus Epiſc. confeſſor, & doctor, de quo Pitſeus *de Illuſt. Britt. Script. æt. 6. n.* 54. ex Capgrauio, & Lelando ſcripſit, aiens;

In ſua Ciuitate Elguenſi Monaſterium ædificauit, Eccleſiam adiunxit, multos Monachos illuc introduxit, Epiſcopatum erexit, & vel ipſe primus ibidem Epiſcopus fuit, vel in Scotiam diſcedens Aſſappum diſcipulum ſuum primum illic Epiſcopum conſtituit. Habuit autem in illo Monaſterio doctiſſimos Monachos diſcipulos ſuos numero 365. & totidem etiam Monachos illiteratos alijs vilioribus officijs deputatos. Item aliud, in quo Samſon Demeta natione Brittannus Monaſticam etiam vitam geſſit, & Præfecturam; vt tradit idem Pitſeus *ſupra num.* 55. (Samſon.) Aliud quoque S. Amphibali martyris nuncupatum, in quo Amphibalus iunior Abbatem geſſit, prout idem author *num.* 56. deſcribit. (Amphibalus.) Aliud præterea a Cadoco Ventolugio tribus circiter milliaribus a fonte Guaino poſitum, quod *Lancaruanam* nominatum fuit, eodem Pitſeo *ſupra num.* 57. teſtante. Erat autem huius Caruannenſis Cœnobij Præſul Brandanus quidam Religioſus Chriſti confeſſor, vir ſanctiſſimus, & multorum Monachorum Pater, qui per Scotiam, & Hiberniam plurima Monaſteria conſtituit, vbi & Monaſticam diſciplinam accuratè obſeruauit, & ab alijs obſeruari ſtuduit. (Brandanus.) Vnde Regulam ipſis conſcripſit, de qua in Apparatu *cap.* 1. *num.* 17. diximus, vbi alia de ipſo. Diſcipulum habuit Machutem, ſiue Maclouium, cuius vitam a Ioanne Boſco editam habet Bibliotheca Floriacenſis. (Machutes, ſeu Macloiuius.) Vtrumque cum alijs ipſius Brandani diſcipulis antiqui æmulatoribus Inſtituti adijcimus, propter ſæpius dicta: etſi videamus grauiſſimum Authorem Trithemium *lib. 3. de Viris Illuſtrib. Ordinis S. Benedicti*, & eius aſſeclam Arnoldum Vvionem *in ligno vitæ lib. 2. cap.* 37. inter ipſos eos recenſere; fulcro innixos ſolito, quo cunctos Monachos, qui poſt S. Benedictum extitere, Benedictinos autumant. In quo acriter reprehenduntur a Baronio, Gallonio, & alijs, & deſeruntur ab Haeſteno accuratiorio authore eiuſdem inclyti Inſtituti. Imo a Clemente Reynero eiuſdem commilitone, dum *in lib. de Apoſtolatu Benedictinorum in Anglia* §. 12. & 18. fatetur hæc Monaſteria Brittanniæ, & Scotiæ prius Ægyptiaci, & Palæſtini Monachatum egiſſe, & ab ipſo Carmelitanum deriuari. Prout latius *in Apparat. cap.* 1. *nu.* 24. & 25. notauimus, & noſtri Ordinis ſtudioſi diligenter notare debent.

Ann. Chriſt. 573. vſque ad 577. Benedicti I. Rom. Pontif. 1. vſque ad 5. Iuſtini Imper. 8. vſque ad 12.

1 OCCVPAT hoc quinquennium Papatus Benedicti Primi, qui & Bonoſus. (Geſta in Orbe.) Quo tempore nouæ clades Imperij, partim Imperatoris ſocordia; partim præcipitatione; phreneſi quoque illi ſuperueniente: vt propterea Tiberius collega adſcitus fuerit, & Cæſar appellatus. Longobardi etiam, tum Gallias, tum Italiam vexabant. Euagrius, Cedrenus, Gregorius Turonenſis, Paulus Diaconus, & noui alij Chronologi poſt ipſos.

Menas.

2 In hac porrò Longobardorum irruptione Italica degebat in Samnij Prouincia vir quidam Menas nomine, qui vita, ac moribus vetuſtorum Monachorum æmulator apparebat; ſolitariam enim vitam agebat, & eius ſtudium fuit, *nihil in hoc mundo habere, nihil quærere; & omnes qui ad ſe charitatis cauſa veniebant, ad æternæ vitæ deſideria accendere. Si quando autem quorundam culpas agnoſceret, nunquam ab increpatione parcere, ſed amoris igne ſuccenſus ſtudebat in eis vehementer per linguam ſæuire*. Hæc pro futurorum Monachorum Inſtitutione notat D. Gregorius *lib.* 3. *Dialogor. cap.* 26. Vbi etiam alia, de ſignis ſanctitatis, quibus effulgebat, quibuſque Deus demonſtrabat quantum huius viri anima ipſi placeret.

S. Gregorius Turonenſis.

3 Quo etiam tempore S. Gregorius Turonenſis Antiſtes Eccleſiam illuſtrabat in Gallijs; & poſt Euphronium Epiſcopum eam Cathedram aſcendebat. Vir fuit æque Sanctus, ac nobilis; & S. Martini deuotiſſimus, vt idcirco meruerit ipſius precibus a grauiſſimo, deſperatoque morbo liberari. Multa ſigna fecit: etſi illa ſub obtentu Sanctorum, quorum reliquias perinde ferebat, a ſuis meritis excludere niteretur. Humilitate, & charitate eximiè præeminebat, erga inimicos etiam. Monachus item fuit, vt ex eius vita, Trithemio, & alijs habetur. Sed quibus Monachis accenſendus moleſta hic quæſtio occurrit. Etenim is Trithemius *de Viris Illuſtribus Ordin. S. Benedicti lib.* 3. *cap.* 51. *& lib.* 4. *cap.* 45. & Vvion *in Martyrolog. Monaſtic. Nouembr.* 17. ſanctiſſimi huius Ordinis ſtudioſi Benedictinis accenſent. Sed quo iure, nec ipſi oſtendunt, nec, vt credo, tueri poſſunt; cum nec authores eius vitæ apud Surium *tom.* 6. *die* 17. *Nouembris*, nec Petrus de Natalibus *lib.* 10. *cap.* 72. Baronius, aut alij (quos viderim) id dixerint. Abſit ergo contentio, ſed vincat veritas hiſtoriæ. Monachatum ſui deuotiſsimi Martini proculdubio egit, qui illius Inſtituti imitator fuit, quod antiqui Prophetę obſeruabant, iuxta dicta Tomo præcedenti. De hoc Gregorio Beda, Venantius Fortunatus ipſi coæuus, Surius, Petrus, Baronius relati, & alij; qui ſimul meminerunt de ipſo, quod cum D. Gregorio Papæ aliquando adſtaret, & Papa eum aſpiciens miraretur quod paruæ eſſet ſtaturæ, id præcognouerit Turonenſis, & protulerit illud Pſalmi: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*.

Hoſpitius.

4 Eiuſdem porro Inſtituti ſectator videtur Hoſpitius quidam magnæ abſtinentiæ vir, & multorum Monachorum Pater, de quo mira idem Gregorius Turonenſis *lib.* 6. *hiſtor. cap.* 6. *&* 7. & inter alia hæc: *Conſtrictus catenis ad purum corpus ferreis, induto deſuper cilicio, nihil aliud quam purum panem ſumpſit cum paucis dactylis. In diebus autem Quadrageſimæ de radicibus herbarum Ægyptiarum, quibus eremitæ vtuntur, exhibentibus ſibi negotiatoribus, alebatur. Et primum quidem ius, in quo cocta erant, hauriens, ipſas ſumebat in poſterum*. Vnde nec mirum quod ſubiungat: *Magnas enim per eum Dominus virtutes dignatus eſt operari*. Eas poſtea recenſet, & alij poſt ipſum.

Item

4 Item & illi Monachi Monaſterij *Latta* nuncupati, in Galliis quoque, qui, eodem Turonenſi teſte *lib.4.cap.48.* cum hoſtium cuneus Monaſterium inuadere tentaſſet, & fluuium, qui propinquus eſt tranſire diſponeret, clamauerunt dicentes, *nolite o barbari, nolite huc tranſire, B. enim Martini eſt iſtud Monaſterium*. Proſequitur Gregorius: *Hæc audientes eorum multi compuncti in timore regreſſi ſunt. Viginti tamen ex ipſis, qui non metuebant Dominum, neque beatum Confeſſorem honorabant, aſcendentes nauem illuc tranſgrediuntur, & inimico ſtimulante Monachos cædunt, Monaſteria euertunt, reſque diripiunt. De quibus facientes ſarcinas naui imponunt, ingreſſique fluuium protinus vibrante carina huc illucque feruntur. Cumque amiſſo auxilio remorum haſtilibus lancearum in fundum aluei defixis remeare conarentur, nauis ſub pedibus eorum dehiſcit, & vniuſcuiuſque ferrum quod contra ſe tenebat pectori defigitur, tranſuerberatique cuncti a proprijs iaculis interimuntur. Vnus tamen ex ipſis, qui eos increpabat ne iſta committerent remanſit illæſus. Quod ſi hoc quis fortuitu eueniſſe iudicat, cernat vnum inſontem plurimis euaſiſſe de noxijs. Quibus interfectis, Monachi, ipſos, & res ſuas ex alueo detrahentes, illos ſepelientes res domui reſtituunt.* Monaſteriũ Latta.

5 An iſtis annumerari debeat Munio Oniez in Hiſpania ex inſigni latrone inſignis Anachoreta, vt propterea inuentor eſſe meruerit deuotiſſimæ Imaginis B. Virginis Valuaneræ nuncupatæ, & ſanctitatis ſignis elucere, ſub dubio relinquimus. Nec enim omnes qui anachoreticam vitam quomodocumque ſectati ſunt noſtris annumeramus, ſed illos dumtaxat quos Eliæ, & prophetici Ordinis imitatores ſpecialiter credimus, quod in iſto Munione non conſpicimus. Illius ergo memoria ſolum nobis deſeruiat, vt qui peccando ſimiles ei fuimus, pœnitendo etiam haud diſſimiles reperiamur. Habetur in magno honore, & reuerentia celebris hic Anachoreta apud Hiſpanos, prout de ipſo ſcribunt Antonius Yepes *in Chronic. Ordin. S. Benedicti*, & Benedictus Gononus *de Vit. Patr. Occident. lib. 1.* ac *in Chronic. Sanctiſſ. Deiparæ an. Chriſt.* 574. De Munione Oniez.

Ann. Chriſt. 578. vſque ad 581. Pelagij II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 4. Iuſtini Imperat. 13. & Tiberij 1. vſque ad 3.

1 HIS annis Pontificatum geſſit Pelagius II. & finem habuit Imperium Iuſtini, etſi, ſecundum alios iam pridem defunctus fuerit, quod ipſis relinquimus diſcutiendum. Longobardi interim incurſionibus vacabant, & Perſæ cum ſuo Coſdroa a Romanis ſuperati dicuntur. Gregorius Turonenſis, Euagrius, Agathias, Baronius, & alij. Orbis geſta.

2 De hiſtoria autem communi Monaſtica emergit vnus hoc tempore D.Gregorius

 ſplen-

ſplendidiſsimum iubar D. Gregorius poſtea Papa, & Eccleſiæ Doctor clariſſimus. Fuit ipſius atauus Felix Romanus Pontifex Tertius, non Quartus, vt Ioannes Diaconus putauit. Patrem autem eius Gordianum, matrem Siluiam vocatam eſſe; eoſdemque pietatis cultores, omnes æque conſentiunt: ſed excelluiſſe Siluiam ſanctitate, Eccleſiaſticæ tabulæ fidem faciunt. Habuiſſe quoque duas patris ſui ſorores Tarſillam, & Æmilianam Virgines Deo dicatas; & Gordianam, moribus etſi diſſimilem alijs ſororibus. Ipſum verò exultum fuiſſe bonis litteris, tum ex ipſius ſcriptis, tum aliorum teſtificatione manifeſtum ſatis eſt. Sed & iuris ſcientiam apprimè calluiſſe, ipſe ſuis poſtea litteris declarauit. Sicut & quod inter Senatores militauerit, Præfecturamque Vrbanam, hoc eodem tempore geſſerit, ex ipſomet conſtat; cum tamen iam antea intus anhelare cœpiſſet ad ſolitudinem, & Monaſticen, quam ritè profeſſus eſt; etſi prius adhuc laicus exiſtens, ſex Monaſteria in Sicilia, ſeptimum Romæ erexerit in Regione Montis Cœlij ad cliuium Scauri. Hæc ferme ex ipſiuſmet Gregorij, & alterius Turonenſis ſcriptis hauriunt Baronius, Ciaconius, Spondanus, Odoricus, & alij, cum innumeris Scriptoribus S. Ordinis Benedictini.

An Benedictinus?

2 Eſt tamen non leuis, nec parum moleſta quæſtio, an magnus hic Eccleſiæ Præſul, & Doctor Gregorius inter eiuſdem Benedictinę clariſſimę familiæ alumnos accenſeri debeat. Grauis quidem, propter grauiſſimos vtriuſque partis antagoniſtas hinc inde exiſtentes; moleſta autem, quia vix res ſine aliquorum iniuria decidi poteſt. Veritatem nihilominus præ oculis habentes, ac ea expendentes, quæ pro affirmante ſententia afferunt Ioannes Diaconus, D. Antoninus, D. Vincentius Ferrerius, Aymonius, Cardinalis Turrecremata, Platus, Illeſcas, Ioannes Brizius, Villegas, Ioannes Boſcus, Arnoldus Vvion, & alij plures; & pro negante Baronius, Galonius, Ciaconius, Spondanus, Odericus, cum alijs quoque; media via incedendum in ea exiſtimamus, vt ſcilicet D. Gregorius in principio ſui Monachiſmi ſub Regula, rituque viuendi antiquorum Monachorum Orientis vixerit; cæterum poſtmodum, euulgata magis D. Benedicti ſanctitate, ſolemniſſimaque ipſius Regula, eam amplexatus fuerit, & qua potuit Monachis alijs tradendam curauerit. Hoc ſanè pro comperto erit animaduertenti ſimilem mutationem in quamplurimis Occiduarum partium Cœnobijs contigiſſe, quæ, vt ſæpius in hoc Tomo inculcamus, relicta anteriori vitæ Regularis methodo, poſt Benedictinam incedere ſelegerint. Prout de celeberrimo illo in Gallijs Monaſterio Lirinenſi vocato animaduertunt hiſtorici; & inter alios notat ex D. Antonino Suarez *tom.4. de Relig. Tract.9. lib.2. cap.2. num.7.* etſi excedant in hoc quod in omnibus generaliter Monachis, & Cœnobijs hanc mutationem contigiſſe credant, quod nullatenus cum veritate hiſtorica cohæret, vt late oſtendimus *in Appar. cap.1.* Porrò D. Gregorium in principio ſuæ Monaſticæ exercitationis antiquorum Orientalium Mona-

Monachorum ritum, ac normam, non verò nuperum Benedictinum arripuiſſe, ex eo claré elici videtur quod habet idem Gregorius *lib. 1. Dialog. cap. 4.* iuncto *cap. 20. lib. 4.* vbi ſic inquit: *Vita venerabilis Valentinus, qui poſt in hac Romana Vrbe mihi, ſicut noſti, meoque Monaſterio præfuit, prius in Valeriæ prouincia ſuum Monaſterium rexit.* Ex quibus verbis intelligimus Gregorium hunc Valentinum vocaſſe, eique Monaſterium ſuum, & ſeipſum ſubiecſſe: ergo quam Regulam, & Religionem Valentinus profitebatur, eandem Gregorius profeſſus eſt. At Valentinus non videtur fuiſſe diſcipulus S. Benedicti, ſed S. Equitij, quem D. Gregorius ait multorum Monaſteriorum patrem in Prouincia Valeriæ extitiſſe. Eumque vel æqualem, vel ſeniorem D. Benedicto eum exiſtimaſſe conſtat ex eis, quæ de ipſius vita inquit: *Hanc Albinus Reatinæ Antiſtes Eccleſiæ cognouit, & adhuc ſuperſunt multi, qui ſcire potuerunt.* Et inferius ait; quo tempore Longobardi prouinciam Valeriæ vexare cœperunt, Equitium iam defunctum fuiſſe. Ad hæc, cum antiquiores Scriptores, qui antę Ioannem Diaconum, ferę per 300. annos D. Gregorio poſteriorem, vixerunt, vt Gregorius Turonenſis, Ildephonſus Toletanus, Beda, & Paulus Diaconus, de S. Gregorio pluribus egerint, & nihil de Monachatu ipſius ſub Benedicti ferula dixerint (quod maximè dixiſſe oporteret Paulum Diaconum, qui eiuſdem Ordinis Sancti Benedicti ſtudioſiſsimus, ac Monachus erat) profectò veluti morali demonſtratione conuincitur D. Gregorium in principio ſaltem ſuæ Monaſticæ conuerſationis alios vetuſtiores anteſignanos æmulari voluiſſe. Quod notat Galonius *in ſuo Apologet. contra Bellotum pag. mihi* 28. rem, vt autumo, exactè concludens, & obiectis a Belloto integrè ſatisfaciens. Expendunt etiam alij quod etſi ſæpiſsimè idem Gregorius de D. Benedicto, eiuſque geſtis longiſsimam diſcuſsionem egerit, nunquam tamen eum ſui Monachiſmi anteſignanum, ducem, aut patrem nuncupauit; eſto aliquando *patrem*, ſicut *virum Dei*, *venerabilem*, & ſimilibus epithetis deuotionis erga ipſum cauſa, compellauerit. Cæterum, temporis curſu, animaduerſo etiam quod S. Benedictus non ſolum ſanctitate eximius, ſed legibus Monaſticis traditis clariſsimus, in Italiæ partibus maximè, eſſet, credibile ſatis eſſe ipſius Regulam amplexari voluiſſę Gregorium, eamque ſui Monaſterij Monachis obſeruandam obtuliſſe, colligo ex Suarez *ſupra num. 9.* Quod mihi pergratum eſt, vt vel ſic huius clariſsimæ PP. Benedictinorum familiæ (quæ dubio procul ſplendidiſsimum totius Eccleſiæ iubar ſemper fuit) traditioni contrarius non videar; ſed gratus animo potius; cum ex illa plures prodierint Authores, qui de noſtra paupercula Carmelitana optimè meriti ſint, ſpecialiter Abbas Spanhemenſis Ioannes Trithemius, & Carolus Ferdinandus, qui libros ſub hoc titulo *de laudibus Carmelitarum* ediderunt, hiſtorias texentes noſtras, & proprias, etſi glorioſiſsimas, veluti prætermittentes.

3 Sed noua hinc oritur concertatio de iſto Equitio, eiuſque diſcipulis Equitius.

pulis

pulis Valentino, & alijs; cuinam videlicet Monaſtico Inſtituto accenſendi. Et ſanè Benedictinos non fuiſſe, latè, & eruditè probant Baronius, Spondanus, & Gallonius *in reſponſ. ad Monachum Benedictin.* ex D. Gregorij verbis. Et quia grauis author Trithemius hunc Valentinum ſuis Benedictinis annumerauerat, ſic, & acrius quam decebat inſurgit contra eum Gallonius *pag.*90. dictæ Reſponſionis: *Mendax ergo Trithemius recens author, qui inter Benedictinos Abbates numerat Valentium iſtum. Sed peculiare ipſi, quotquot legerit vſquam Monachos, etiam ex illis, quos conſtat ante S. Benedictum vixiſſe, mox inter Benedictinos annumerare.* Abſtinendo tamen ab huiuſmodi immodeſtè prolatis, ſolum dicimus, non rectè Trithemium, & eius aſſeclam Vvionem *in Martyrolog. Monaſtic.* exiſtimaſſe Equitium & eius diſcipulos ſub D. Benedicti Regula ipſis poſteriori vixiſſe. Hinc Baſiliani PP. æquiori mente credent Baſilianæ ſcholæ accenſendos. Sed quia vnicum iſtorum fulcrum eſt, quod putent poſt Baſilij Inſtitutiones Monaſticas omnes alias ipſo anteriores abſorptas, & obliteratas fuiſſe, quod fundamentum merè futile eſſe, ex ijs quæ *cap.*1. *Apparatus* ſcripſimus, demonſtratum manet; idcircò, donec aliud maioris momenti motiuum afferant, relinquendi ſunt, & pro poſſeſſione antiqua Monaſtici Inſtituti per ſæcula etiam aliquot ante D. Baſilium, iudicandum; ac cenſendum, Equitium iſtum, ipſiuſque commilitones non aliud vitæ genus in Valeria Prouincia imitatos fuiſſe, quam Antonium, Amonem, Pachomium, Serapionem, & alios in Ægypto, Nitria, & Thebaide; Hilarionem, Euthymium, Sabam, & Theodoſium in Palæſtina; imò ipſum Baſilium in Ponto, & Cappadocia, ipſo quoque Eliæ monte, antequam legifer ſuorum fieret. Hæc enim ex dictis, & ſæpius inculcatis hoc Tomo, & præcedentibus, liquidò conſtant.

S. Leander. 4 Similis moleſta concertatio occurrit hoc tempore, de S. Leandro Hiſpalenſi Archiepiſcopo celeberrimo. Sacrum enim hunc Antiſtitem ad Præſulatum e Monaſterio extractum fuiſſe ex eius legenda, Marco Maximo *Æra* 597. & alijs hiſtorijs paſſim habetur. Vt propterea, cum Monachum ipſum audiant Trithemius, Vvion, & alij poſt ipſum S. Benedictinæ Religionis Scriptores, ſuis annumerent; ſicut & Baſiliani Patres, ac Auguſtiniani Canonici, idem tentabunt. Cæterum, non iſtis eo tempore Sacris Monachorum Inſtitutis, ſed (imitatione videlicet) veteri illi Vatum, quod Propheticum, Elianum, & Eſſenum ſæpius compellamus, accenſendum ſatis oſtendit ipſius Leandri, & S. Iſidori fratris, ac Florentiæ Virginis ſororis epitaphium in Cruce exaratum opere Ildefonſi Toletani, ex vetuſtiſsimo manuſcripto Codice litteris Gothicis Pariſijs aſſeruato apud Nicolaum Fabrum, quod referunt Michael Muñozius *in Propugnaculo Eliæ lib.*2. *tit.*2. *cap.*4. *art.*3. Caſanate *in Paradiſ. Carmelit. decor. ſtat.*3. *ætat.*8. *cap.*40. & ante ipſos Conſtantinus Caietanus *in Sacris concertationibus*, & Rodericus Carus *in Notis ad M. Maximum anno*

no 636. Quos ſequitur Ioannes Bollandus *in Actis Sanctor. tom.* 1. 14. *Ianuarij in Vita S. Fulgentij*. Verſus porro tales ſunt.

Crux hæc alma gerit Sanctorum corpora fratrum,
Leandri, Iſidoriquè priorum ex Ordine Vatum.
Tertia Florentina Deo vota perennis,
Et poſita conſors, ſic digna quieſcit, &c.

Leander ergo, Iſidorus, & Florentina ex *Ordine Vatum*, id eſt, Prophetarum, non ex Baſiliano, Auguſtinienſi, aut Benedictino, æmulatores fuerunt; prout & dicemus *ſub ann.* 618. Confirmat intentum ipſius Iſidori teſtimonium *lib. 2. de Offic. cap.* 16. vbi de primo Inſtitutore Monaſticæ conuerſationis, quam ipſe, & Leander frater, ac Florentina ſoror profitebantur loquens, dicit: *Vnde autem ad Monachos ſtudium defluxerit paupertatis? Vel quis huius conuerſationis extiterit auctor, cuius iſti habitum imitantur? Quantum enim, inquam, pertinet ad auctoritatem veterum Scripturarum huius propoſiti Principes Elias, & diſcipulus eius Eliſeus fuerunt, ſiue alij Prophetæ, qui habitabant in ſolitudine, vrbibuſque relictis, faciebant ſibi caſulas prope fluenta Iordanis. Huius deinde propoſiti in Euangelio Ioannes auctor extitit, qui eremum ſolus incoluit, locuſta tantùm, & agreſti melle nutritus. Iam deinde progeniti ſunt conuerſationis huius nobiliſſimi Principes Paulus, Antonius, Hilarion, Macarius, cæterique fratres.* Idem de Eremitis agens: *Secundum genus eſt Eremitarum, qui procul ab hominibus recedentes deſerta loca, & ſolitudines vaſtas ſequi, atque habitare perhibentur, ad imitationem ſcilicet Eliæ, & Ioannis Baptiſtæ, qui eremi receſſus penetrarunt.* En iam qualiter Iſidorus dum profeſſionis Monaſticæ, cuius cum ſuis fratribus aſſecla erat, authores quærit, neque minimam SS. Baſilij, Auguſtini, aut Benedicti, ſed ſolum Eliæ, Eliſei, filiorum Prophetarum, Pauli, Antonij, Hilarionis, Macarij; aliorumque Patrum Ægypti, & Syriæ mentionem habet. Hinc ſcitè & prudenter Arnoldus Vvion inſignium Monachorum ſuæ Benedictinæ ſcholæ diligentiſsimus inueſtigator *in ligno Vit. lib.* 2. *c.* 24. dum de hoc Iſidoro agit, non audet ipſum eis annumerare, ſed errare timens ſolum ait: *Iſidorus, &c. (vt aiunt) noſtri Ordinis Benedictini Monachus.* Rectius id de ipſius germano antiquiori, Leandro, dicturus. Accedit quod iuxta clariſſimæ eruditionis viri Thomæ Tamayo de Vargas Regis Catholici hiſtoriographi notationem ad Luitprandi Chronicon *pag. mihi* 47. etiam tempore D. Ildefonſi Toletani Antiſtitis, qui multis annis inferior fuit Leandro, & Iſidoro *exigua Benedictini Ordinis notitia in Hiſpania fuit*. Qui ergo fieri potuit vt Leander, & fratres eius Benedictinam Regulam ſequerentur? Imo (quod valde notandum) Benedictus Haeftenus Benedictinæ familiæ egregius alumnus, & diligens Chronologus *in diſquiſit. Monaſtic. lib.* 10. *Tract.* 6. *diſquiſit.* 3. de S. Iſidori Leandri fratris Regula

hæc

hæc habet: *Ad Regulam S. Iſidori Hiſpalenſis reſponſione opus non eſt, cum omnia eius decreta Regulæ S. Benedicti non ſint conformia.* Vnde ergo Leander, & Iſidorus Benedictini euadere potuerunt? Hinc illos noſtris Eliæ imitatoribus annumerant non ſolum ex domeſticis Muñozius, & Caſſanate relati, ſed & Franciſcus Freyre inter Minimos celebris Acclamator *in Concione de S. Andrea Feſulano habita ann.* 1630.

De eodem S. Leandro. 5 Ergo Sanctus hic Pater Leander in Monachatu omni virtutum, & diſciplinarum cultu accuratiſſime inſtructus; ac caſtiſſimæ vitæ integritate, & morum grauitate maximè venerabilis: in Pontificatu verò cura, & ſollicitudine commiſſam ſibi plebem ab omni hæreticorum labe tunc temporis per Viſegothos Principes Arrianos Hiſpaniam fœdante, incolumem ſeruare ſatagebat. Diuinum cultum auxit: Monachis, & ſacris Virginibus ſui Inſtituti aſſeclis præcepta dedit: & pro fidei cauſis Legatus Conſtantinopolim miſſus Sancto Gregorio, tunc Romani Pontificis Apocriſario neceſſitudine, & familiaritate valde coniunctus, in cauſa fuit, vt Morales in Iob Commentarios conſcripſerit. Eius ſermonibus Hermenegildus Leouigildi Regis filius conuerſus, fidem glorioſo ſanguinis teſtimonio confirmauit; & Recaredus Hermenegildi frater (cuius pater curam commiſerat Leandro) Rex piiſſimus, & Catholicæ fidei propagator egregius euaſit. Demum octogenario maior ad Dominum migrauit. Hæc, quæ Monachis pro exemplo erunt, cum alijs ex D. Gregorio, D. Iſidoro, Beda, Vſuardo, Adone, Baronio, Truxillo, & pleriſque hauriat lector. De ipſius autem fratre Iſidoro, & ſorore Florentia in ſequentibus dicetur.

Fulgentius Aſtigitanus. 6 Commemorandus alter Leandri, & Iſidori frater, Fulgentius videlicet Aſtigitanus, deinde Carthaginenſis Antiſtes, quem Muñozius ſupra commemorat, eiuſdemque Prophetici Inſtituti æmulatorē fuiſſe pro certo ſupponit; etſi in Epitaphio ab ipſo relato in *Ordine Vatum* non cenſeatur. Eius vitam late refert Bollandus *in Actis Sanctorum tom. 1. pro die 14. Ianuarij*, carpens in Annotationibus Conſtantinum Caietanum, qui hunc Fulgentium *Religionis Benedictinæ iubar lucidiſſimum* appellauit: & Prudentium Sandouallium, qui hoc etiam dixit de S. Leandro: *ſed nullo* (inquit Bollandus) *vetuſti ſcriptoris teſtimonio id confirmat.* Notet hæc lector pro ijs, quæ de S. Leandro diximus.

Monaſterij Hiſpalenſe. 7 Quia verò curioſus aliquis in dubium reuocabit, cuiuſnam Conuentus Hiſpalenſis S. Leander, Iſidorus, aut Fulgentius, Monachi alumni eſſe potuere; reſponſum damus, ex dictis tum Tomo præcedenti, tum in iſto, in ſequentibus nempe; a tempore S. Iacobi Apoſtoli diſcipulorum, vnum ex illis, Elpidium cum aſſeclis, Monachiſmum in Hiſpaniæ oras inuexiſſe. Sic enim ex Luitprandi fragmentis, alijſque hiſtoricis Tomo præcedenti *ſub ann. 36. & 40.* adductis liquidum eſt, liqueſcet etiam ex dicendis infra *ſub ann. 590. & 626.* Quia ergo vnus ex

S. Pius; ijs Elpidij ſocijs, & Iacobi Apoſtoli alumnis erat S. Pius Primus Hiſpalenſis

lenſis Antiſtes, ideo ab hoc Antiſtite ſeminatum in Hiſpalenſi Vrbe Monachatum, ſicut Toleti ab Elpidio, aptè exiſtimari poteſt. Ruminandum ea de re proponimus pio lectori illud Luitprandi fragmento 171. *Magna pars eorum, qui diſperſi in perſecutione S. Stephani ad varias partes traiecerant, & ad Hiſpaniam plurimi venerant, erat ex Monachis Montis Carmeli, prædicationibus Chriſti, & Apoſtolorum ad fidem conuerſis; in quibus Elpidius, & ſocij Pontifices a S. Iacobo creati, & poſt Martyres effecti.* Qui porro fuerint iſti ſocij ex Flauio Dextro *circa ann.* 37. ſic damus: *Multos etiam diſcipulos, præcipuos autem numero duodecim, more Apoſtolico, in Hiſpaniam ſecum portat* (ſcilicet S. Iacobus Apoſtolus) *Epiſcopos Baſilium, Pium, Athanaſium, Maximum, Chryſogonum.* Et poſt alia. *Ex his Baſilius ſucceſſit Petro Bracarenſi; Athanaſius fuit primus Epiſcopus Cæſaraguſtanus; Pius Hiſpalenſis.* Et infra immediatè; *Alios etiam S. Iacobus creauit Epiſcopos; alterum Baſilium, qui primus fuit Carthaginis Spartanæ Præſul; Eugenius Valentiæ; Agathadorus Tarraconenſis; Elpidius Toletanus.* Eliciat mecum proinde lector prudens hunc Pium Hiſpalenſem ſocium Elpidij fuiſſe. Si ergo, prout ex fragmento 171. eiuſdem Luitprandi habetur, Elpidius, & Socij ex Carmeli Montis Monachis fuerunt, quidni Elianum Carmeli Monachiſmum Hiſpali plantauerunt? Quidni etiam Aſceterium aliquod Carmeli ſpelæis ſimile erexerint? Auget intentum, quod ex antiquo monumento, Imagine videlicet Deiparæ cum fratre Ordinis genuflexo, inter rudera Cœnobij, quod noſtri Carmelitæ hoc tempore poſſident, reperta; vetuſtiſſima ſcilicet, etiam ante inuaſionem Hiſpaniæ ab Arabibus factam, vt creditur, huius antiquitatis haud leue indicium deſumitur; prout ex Ioanne de la Plata noſtri Ordinis diligenti hiſtoriographo *in defenſorio antiquitat. Ordin. fol. mihi* 38. Caſanate *in Paradiſ. Carmelitic. decor. ſtat.* 3. *ætat.* 10. *cap.* 65. *in Annotat.* & Alſonſo Morgado *in libro de las grandezas de Seuilla*, eliciet lector. De hoc autem Pio Hiſpalenſi Antiſtite, plures, nec ignobiles authores, ſpeciatim Pelagius Ouetenſis Epiſcopus, Ambroſius Morales, Ioannes Mariana, & alij apud Franciſcum Biuarium in Annotationibus ad Flauium Dextrum *ſub ann. Chriſt.* 37. agunt.

Ann. Chriſt. 582. vſque ad 589. Pelagij Rom. Pontif. 5. vſque ad 12. Tiberij Imperat. 4 & Mauritij 1. vſque ad 7.

1 CHRONOLOGIA Imperatorum ſub hoc tempore incerta; hoc autem modo a nobis recepta cum Baronij Compendiatore Spondano, cauſæ deciſione alijs relicta. Qua tempeſtate Diuus Gregorius Conſtantinopoli agens Apo- *Acta huius temp. ...*

Apoſtolicæ Sedis Apocriſarius, Eutychium Conſtantinopolitanum Antiſtitem ſui erroris circa carnis reſurrectionem compotem fecit. Erat hic Eutychius celebris ille, de quo ſub anno 550. dictum manet, ſed non propterea eius ſanctitati derogatum, vt notat Lippomanus verbis inſertis in vita ipſius apud Surium *die 6. Aprilis*. Leouigildus Arrianorum Rex in Hiſpania Catholicos inſectatur, vt propterea eius filius Hermenegildus pro defenſione Religionis contra patrem arma ſuſciperet; Græcorum tamen proditione derelictus, a patre in carcerem coniectus eſt, vbi Martyr poſtea occubuit. Hæc noui Chronologi ex vtroque Gregorio Turonenſi, & Romano, & alijs vetuſtioribus.

2 De his porrò, quæ Monaſticæ hiſtoriæ noſtræ ſeriem tangunt; ac eorum Monachorum, qui vetuſtiſſimum illud, & fontale Propheticum Inſtitutum amplexati fuiſſe videntur, potius quam riuale aliud & nuperum accenſendus; occurrit primò Ioannes quidam Monachus *Ieiunator* appellatus; qui tamen, etſi propter notam iſtam abſtinentiam aſceticæ vitæ propriam laudibus extolli mereretur, attamen, quia per hypocriſim, & vt popularem captaret auram id geſſiſſe dicitur, a nobis reprobandus. Sicut & quod dum Epiſcopatus Conſtantinopolitanus vacaret, fugam arriperet, ſimulans non niſi coactum eum ſuſcipere velle. Ac maximè, quia homo inaniter ſuperbus nomen ſibi *Patriarchæ Oecumenici* arrogaret. De quibus Sanctus Gregorius ſæpe, & ex ipſo Baronius *ſub ann.* 583. *&* 587. Abſit enim talis ambitioſa ſuperbia a Monachis, quorum propria virtus *humilitas*, & abiectio ſui eſſe debet.

Ioannes Ieiunator.

3 Pro ipſo tamen veluti compenſando ſanctitate eximia cõmune Monachiſmum exaltabant, non ſolum Diuus Gregorius, & Leander relati; Gregorius quidem poſt ſuum reditum Romæ in Monaſterio quod condiderat S. Andreæ dicto ſe includens, & Abbatis munus gerens, donec ad Pontificatum euectus fuit: Leander verò fauens Hermenigildo Catholico contra patrem Arianum, prout ex ipſorum geſtis hauriunt Chronologi. Sed & Theodorus Sicæota Archimandrita, cuius egregiam vitam a Georgio presbytero eius diſcipulo, & poſtea apud Simeonem Metaphraſtem deſcriptam, habet Surius 22. *Aprilis*. Fuit autem ſtudioſiſſimus ieiunij etiam a pueritia, ſilentio, & ſolitudini vacans. Diuitias contemnens, corpus ſuum in ſeruitutem redigebat. Puer domui ſuæ renunciauit, & in Oratorio pijs exercitijs vacare ſtuduit. Diutiſſime in aqua gelida ſtetit. In ſpelunca latitauit biennio. Habitum Monaſticum apud Iordanem in templo Dominæ noſtræ Dei Genitricis, *Chuzoba* vocato (quod procùldubio antiquorum Eliotarum erat, qui locum illum ſemper incoluerunt) flagitauit, & ſuſcepit. Blattam ſororem ſuam virginem inter Moniales Monaſterij, quod *Petrin* appellatur, interim collocans. Duriſſimam vitam cum mira victus parcitate agebat. Multis propterea ſignis reſplenduit. Huiuſmodi namque ſubſidijs Deus ſanctitatem Monachorum decorare ſolet. Epiſcopus interea

Theodorus Sicæota.

rea

rea eligitur, etſi inuitus. Vnde Hieroſolymam petens, & Lauram Sabæ Abbatis inuiſens (hinc collige id quod diximus de imitatione Eliani Inſtituti) noluit ad ſuos redire, vt magis poſſet ſoli Deo vacare. Plura alia pro ſanctis Monachis ex huius Theodori hiſtoria habeat lector.

4 Et inter alia de vno Antiocho inſigni Eremita inſignis quoque abſtinentiæ viro, de quo hæc: *Ad centeſimum annum peruenerat: ſexaginta annorum ſpatio nec vinum, nec oleum, nec aliud eiuſmodi guſtarat: triginta iam annis panem non comederat: oleribus crudis cum ſale, & aceto veſcebatur, & aquam bibebat*. O dignum Monachatus ſpeculum! Antiochus Eremita.

5 Septemtrionalis quoque plaga Scotiæ, & Hibernicarum Inſularum decorabatur hac tempeſtate vno S. Columba (alijs Columbanus, Columcellus dictus) diuerſo tamen ab eo Columbano, de quo *ſub an.* 560. diximus, vt notat Baronius *in Notis ad Martyrolog. Rom.* 9. *Iunij*. Fuit Monaſteriorum plurium (centum quidam dicunt) pater, fundator, ac legislator; Regulam ipſis tradens Monaſticam, præſertim illis, qui in Eremis degebant, quam ex Vvilfrido, & alijs refert Haeftenus *in diſquiſit. Monaſtic. lib.* 1. *Tract.* 6. *diſquiſit.* 8. Quamuis autem Sanctus hic Archimandrita multarum virtutum operibus inclytus, & venerabilis fuerit; præcipuè tamen in eo a Monachis imitandus, quod fidei Catholicæ egregius propagator extiterit in tranſmontanis partibus Pictorum ad Aquilonem, quorum propterea *Apoſtolus* vocatus fuit. De ipſo plures apud Baronium, & Haeftenum relatos, ac Vvionem *in Martyrolog. Monaſtic. die* 9. *Iunij*. Eum ſuæ familiæ accenſentem more ſolito, & huic perdocto authori familiarem. Melius ſapit Reynerus eiuſdem Inſtituti aſſecla, dum *in lib. de Apoſtolatu Benedictinorum in Angliam, Tract.* 1. *ſect.* 1. §. 18. Ægyptijs Monachis eum adiungit. S. Columba.

6 Huius S. Columbæ auditor circa hæc tempora fuit S. Fintanus Kauſelabenſis Congregationis celebris Monachus, quem caput magni populi futurum ipſe Columba per reuelationem cognouit. Similiter Canicus ipſius Columbæ, & Congelli familiariſſimus, qui multorum etiam Monachorum magiſter, & miraculorum (vt dicitur) patrator fuit. Item Carthagus multorum Monaſteriorum, & duorum millium Monachorum Pater. Quos omnes inter legislatores Monachorum refert Haeftenus *ſupra diſquiſit.* 13. ex Patritio Flemingo Minorita Hiberno, eò a nobis connumeratos, & vt Monaſticæ hiſtoriæ partes ſuas reddamus, ac vt vulgarem & inanem eſſe opinionem eorum, qui præter SS. Baſilium, Auguſtinum, & Benedictum nullos alios Regularum Monachalium authores agnoſcunt, oſtendamus; prout ſæpius clariſſime fecimus. S. Fintanus. Canicus. Carthagus.

7 Ne verò grauiſſimi Benedictinæ familiæ alumni hos, & alios quos recenſuimus ſuis accenſeant Monachis, audiant, quæ Antonius Gallonius *in Reſponſione ad Monachum Benedictinum pag. mihi* 105. grauiter, & ve- Gallonius.

 raciter

raciter dixit: [Sed quam debilis ſit iſta ratio ex ijs quæ ſuperius ſunt dicta, innoteſcit, cum ſcilicet id demonſtratum, complura Monaſteria alterius Ordinis Monachorum ſeruandam poſtea ſuſcepiſſe Regulam S. Benedicti: & adducti ſunt in exemplum Monachi Lirinenſes, qui ſub ſancti Honorati Regulis prius conſtituti, in Benedictinos poſtea tranſiere. Vt autem idem dicamus de Monachis Anglicanis, maiora nos admonent argumenta, illudque in primis, quod toto etiam ſequente ſæculo, quod luculenta hiſtoria proſequutus eſt Beda, cum ab eo frequentiſſima mentio habeatur Monachiſmi in Anglia iugiter propagati, nuſquam tamen de S. Benedicto, vel de Benedictinis Monachis vllus ſermo; imò cum alium S. Benedictum Abbatem ab Anglis coli demonſtret, noſtrum Italum prætermiſit. Extat ipſius Bedæ ſermo de S. Benedicto Abbate Anglicano in eius natali pridie Idus Ianuarij dictus, in quo inter alia de vitæ Monaſticæ Inſtituto ab eo tradito, cum agit de Monaſterio ab ipſo erecto, hæc habet: Iuxta regularem diſciplinam interius exteriuſque conſtituit, non pro captu ſuo decreta nobis ſtatuens, ſed antiquorum ſtatuta certiſſima Monaſteriorum, quæ peregrè didicerat, ſibi, ſuiſque obſeruanda proponens. Et inferius: Nos namque ſumus filij eius, qui nos in hanc Monachiam demum pius prouiſor induxit. Hæc & alia plura Beda. Qui quam male meritus eſſet de ſeniore noſtro Italo S. Benedicto, ſi ab eo fuiſſet primum propagatus in Anglia Monachiſmus, cum nec eius ſaltem nominis tota illa hiſtoria meminiſſet?] Hæc addat lector ad ea quæ *in Appar. cap.* 1. diximus.

Gildas Badonicus.

8 Certo ergo iure inter eiuſmodi Monachiſmi vetuſti Eliani, vel Prophetici æmulatores in partibus illis Anglorum numerandus Gildas Badonicus, de quo Pitſeus *de Script. Britt. ætat.* 6. *n.* 59. circa ann. Chriſt. 583. ait diſcipulum fuiſſe Cadoci viri præſtantiſſimi, quem ſub an. 566. commemorauimus; & in famoſiſſimo Banchorenſi Monaſterio *ſe totum Sacrarum litterarum lectioni, & meditationi* dediſſe, ac propterea *bonum Eccleſiæ valde* promouiſſe. Quod libentius referendum cenſemus, vt Monaſteriorum cultoribus hanc viuendi formam propriam veluti eſſe, non extraneam, vt deſides aliqui autumare ſolent, ſuadeamus.

Monaſterii S. Leocadiæ.

9 Loquens de hoc tempore, anno ſcilicet 588. Iulianus Perez *in Chronic. num.* 274. *&* 284. dicit ab hoc tempore Monaſterium S. Leocadiæ Toleti in ſuburbio Ciuitatis ad partem meridionalem ſitum, Monachorum fuiſſe. Quod etſi pro certo credi poſſit, ſub dubio tamen an illud Patribus Benedictinis, an potius antiquioribus Monachiſmi Eliani imitatoribus, cuius Inſtituti eandem S. Leocadiam exiſtimari diximus Tomo præcedenti, adiudicari debeat.

Ann.

Ann. Chriſt. 590. vſque ad 603. Gregorij Magni Rom. Pontif. 1. vſque ad 14. Mauritij Imper. 8. vſque ad 20. & Phocæ ann. 1.

1 TOTVM hoc tempus Pontificatu D. Gregorij Magni fœliciſſimum ſub vno titulo, ſicut ſub vno Monaſtici Inſtituti egregio Patrono, & Eccleſiæ Doctore, placuit coniungere, ea quæ eiuſdem ſtatus propria ſunt diſquirendo, quæ verò extranea, alijs relinquendo. Inter quæ de numero annorum Imperij Mauritij diſſidium; cum nos Spondani computum, a quo haud valde abeſt Gordonus, ſequamur. S. Gregorij Papatus.

2 Igitur, cum poſt immenſam Tyberis inundationem, & ſerpentium putredinem, lues inguinaria (vulgo peſtis) Vrbem inuaſiſſet; diriſſima equidem, & cœlitus demonſtrata ſagittis delapſis; & propter ipſam Pelagius Papa è vita exceſſiſſet; oculis omnium in Gregorium conuerſis, vt qui cæteris vitæ ſanctitudine, claritudine generis, rerumque peritia præſtaret, totius Cleri conſenſu Summus Pontifex, tot malis medicamen futurus, eligitur. Præſtitit id primò, cum pro lue auertenda, litanias *Septiformes* appellatas, indiceret; in qua proceſſione ipſe Imaginem Sanctam Deiparæ, quæ modo extat in Baſilica S. Mariæ *Maioris* dicta, magna veneratione deferens, meruit, vt cum ad molem Adriani Tyberi adiacentem perueniret, in ſignum reconciliati numinis, Angelus viſus eſſet ſuper ipſam molem nudatum gladium in vaginam recondere. Quod in Caſtello S. Angeli ſuper eam molem extructo, & ſub Parochia S. Mariæ Tranſpontinæ ſito quotidie, vel ex noſtra cellula, vbi hæc ſcribimus, figuratum videmus. De illis idem Gregorius, alter Turonenſis, veteres Rituales libri, & Chronologi Iuniores. D. Gregorij geſta.

3 De Monaſtica propagatione vna Radegundis Regina, hoc tempore ex hac vita ad cæleſtem, ab Angelis ſuſcepta, tranſiens, & Monaſterium ab ipſa erectum, litteræque ab eadem in eiuſdem Cœnobij commendationem & curam ad Epiſcopos, paulo ante obitum ſcriptæ, ſatis teſtantur. De illis Gregorius Turonenſis *lib.9.* & authores vitæ eiuſdem Radegundis apud Surium 13. Auguſti. Contendant meritò illius temporis Monachi, noſtri videlicet, Baſiliani, Auguſtinienſes, & Benedictini pro tanta Moniali, eiuſque alumnis. Nobis enim ſatis dictum in præcedentibus ſufficiet. Et ſatius erit contendere, vt Reginam Monialem, mortificationi, cilicijs, abſtinentiæ, alijſque virtutibus religioſis incumbentem, imitentur. Radegundis.

4 Non ſic autem ſe geſſiſſe videntur duæ aliæ Moniales Regis ſanguinis eiuſdem Monaſterij Pictauis conditi, videlicet Chrodieldis filia Chariberti Regis, & Baſina filia Regis Chilperici, Moniales alumnæ S. Radegundis, quæ malo ſpiritu (ambitionis videtur, quæ eſt peſtis Moniales duę

Religionum) contra Abbatiſſam Leuboram inſurgentes, magnas tragœdias in Monaſterium, Abbatiſſam, aliaſque perſonas excitarunt; quas refert Gregorius oculatus teſtis *lib.* 9. & 10.

Priuilegia Monachorum. 5 Quo etiam tempore D. Gregorius Papa priuilegium conceſsit Monaſterio S. Medardi Sueſsionenſi in Gallia, quo illud illius nationis caput Monaſteriorum conſtituit, & nullius voluit ditioni ſubijci, præterquam Sedis Apoſtolicæ. Confirmans ſanè exemptionis aliud priuilegium à Ioanne Papa Tertio eidem Monaſterio conceſſum, de quo Renatus Chopin *in Monaſticon lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 19. & Aſcanius Tamburinus *de Iure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 15. *quæſit.* 4. Qui etiam addit Monaſterium hoc Ordinis S. Benedicti fuiſſe. Et quidem quod poſtea fuerit facilè admittendum; cum plura Monaſteria antiquioris Monaſtici Inſtituti poſtea Benedictinum ſuſceperint; quod vero anno 559. quo vel circiter ipſe vult Ioannem III. tale priuilegium eidem Monaſterio conceſsiſſe, iam Benedicti normam amplexatum fuerit, difficile creditur, propter ea quæ circa eum annum in ſuperioribus diximus. Quod etiam eodem loco ſcripſit de Monaſterio S. Vincentij Pariſienſis ſub eodem S. Benedicti Ordine circa annum 509. indignum eſt viro docto; cum eo tempore S. Benedictus adoleſcens eſſet, nec aliquis eius alumnus Galliam intraſſet. Erat ergo tunc Monaſterium illud, vtpote à S. Germano Pariſienſi Antiſtite exemptione donatum, eiuſdem Inſtituti ac illud, in quo ipſe Germanus Monachum geſsit. De quo *ſub ann.* 555. dictum manet. Solicitus præterea idem Gregorius de Monachorum quiete, plura de ijs ſcripſit, priuilegiaque conceſsit Monaſterio Claſſenſi ſub Diœceſi Rauennate; ab Epiſcoporum illud opprimentium poteſtate eximens; exemplumque poſterioribus Summis Pontificibus præſtans; vt Monachos à ſimilibus oppreſsionibus, priuilegijs conceſsis, liberarent, prout ſolerter fecerunt, vt ex dicendis in ſequentibus notum erit. Hæc verò ex Epiſtolis eiuſdem Gregorij habet lector; quas ſequitur Baronius. Apud quem etiam *ſub ann.* 601. de Synodo Romæ à Gregorio cum Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis celebrata circa eorumdem Monachorum indemnitatem, & exemptionem ab Epiſcopis.

Anaſtaſius Sinaita. 6 Florebant eo tempore inter Monaſtici antiqui cultores Anaſtaſius Sinaita, de quo *ſub anno* 560. dici cœptum; qui in locum ſui Epiſcopatus reſtitutus eſt, poſtquam viginti tribus annis in exilium pulſus fuerat. Euagrius *lib.* 6. *cap.* 23. D. Gregorius *epiſt.* 37. Maximè verò S. Leander Hiſpalenſis Antiſtes, de quo *ſub anno* 578. nonnulla diximus. Synodum enim, tum Toletanam, tum Hiſpalenſem celebrans, diſciplinam Eccleſiaſticam, vt bonus Paſtor, promouebat. Meruit perinde vt à Gregorio Papa illi mitteretur, prout patet ex Epiſtola ad Regem Recaredum *lib.* 7. *epiſt.* 127. pallium, *quod* (inquit) *& antiquæ conſuetudini, & noſtris moribus, & eius bonitati, atque grauitati debemus.* Vnde ſi dicamus pallium hoc Monachale fuiſſe, & in eo Monachalem theſſeram, & Elianam

S. Leander.

nam Monaſticen per pallium Eliæ diſcipulo Eliſeo relictam deſignatam, nihil contra ius, faſue dicetur, præſertim ſi recolamus ea quæ in loco relato de eodem Leandro dicta manent. Cæterum Archiepiſcopale pallium illud fuiſſe commodius credi poteſt. Florebat item Antiochus Anachoreta, ſeu Eremita, cuius memoriam fecimus *ſub anno* 582. Theodorus quoque Sicæota, cui reuelata eſt a Deo mors Mauritij Imperatoris, quæ hoc tempore contigit, ſub ſigno lucernæ extinctæ, dum ſeruus Dei eſſet in Monaſterio ſuo *Dei Genitricis* appellato. Rem narrat Eleuſius in eius vita apud Surium 22. *Aprilis*. Illuſtris præterea Monachus ille erat, de quo Cedrenus *in Annalibus*, inquit: *ſtrictum gladium tenens a foro vſque ad æneam portam procurrit, omnibus prædicens Imperatorem gladio occiſum iri*. Sic enim Deus prophetiæ ſpiritu decorare ſolet Regulæ ſuæ Monachos ſtudioſos.

Antiochus Anachoreta.

Theodorus Sicæota.

Monachus quidam.

7 Spectat maximè ad hoc tempus celebris miſsio Auguſtini Monachi cum ſocijs etiam Monachis a D. Gregorio in Angliam pro illius Regni conuerſione, quam innumeri Authores commemorant, ſpecialiter Beda *de geſt. Anglor. lib. 1. cap.* 23. Ioannes Diaconus *in Vit. S. Gregorij*; & ipſe D. Gregorius in multis Epiſtolis. A nobis etiam commemoranda, vtpote valde ad Monachiſmum Angliæ, & vicinarum Inſularum ſpectantia. Si tamen primò dicamus, hunc Auguſtinum a Gregorio miſſum, qui propterea vocatur *Anglorum Apoſtolus* fuiſſe virum Sanctum, & Præfectum Monaſterij eiuſdem D. Gregorij, ac Epiſcopum poſtea ordinatum; Regem cum alijs multis conuertiſſe; eam Eccleſiam optimè gubernaſſe, ſignis, & miraculis coruſcaſſe, Concilia celebraſſe, & tandem in illis partibus obijſſe. Sic enim ex antiquioribus inferunt noui Chronologi Baronius, & illius ſectatores. Etſi autem Authorum non vulgarium pars magna, quos ſequitur Vvion *in Martyrolog. Monaſtic. Maij* 26. pro certo ſibi perſuaſum habeat, Auguſtinum hunc, & ſocios Monachos Benedictinæ claſsis alumnos fuiſſe; verum enimuero nec veritati conformem hanc opinionem eſſe, nec ſatis firmo fulcro innixam, oſtendit Gallonius *in Apolog. contra Bellotum pag. mihi* 59. Conſtat enim Bedam relatum *eo cap.* 23. *& ſeqq.* diligentiſsimè horum Monachorum geſta, & Inſtitutum deſcribere, & nihil penitus de Benedictino loqui. Quin potius ex *cap.* 26. conſtat ipſos cœpiſſe *Apoſtolicam primitiuæ Eccleſiæ vitam imitari, orationibus videlicet, aſſiduis vigilijs, ac ieiunijs, &c.* quod ſapit vetus Inſtitutum Propheticum. Item ex *capit.* 27. vbi ad interrogationem Auguſtini D. Gregorio factam de modo quo Epiſcopus ſe gerere deberet cum Clericis, reſpondet ipſi Gregorius, quod cum ipſe *Monaſterij regulis eruditus* eſſet, ſeruare deberet conuerſationem, *quæ initio naſcentis Eccleſiæ fuit patribus noſtris*. Non ergo eam ſpecialem, quam S. Benedictus inſtituerat, & de qua vno verbo dicere poterat Gregorius, vt ſeruaret ſuam, quam didicerat, Benedictinam viuendi normam. Idem colligitur ex ipſo Beda *lib.4. cap.* 27. loquens enim de

Monachi in Angliā miſſi.

Cudberto & Aidano Epiſcopis, & Monachis; etiam dicit, quod iuxta inſtructionem Papæ Gregorij eam conuerſationem obſeruabant, *quæ initio naſcentis Eccleſiæ fuit patribus noſtris*: vbi etiam nec verbulum de Benedictina Inſtitutione, cum tamen occaſio ſe offerebat tunc congrua de ipſa loquendi. Alia ad intentum dabimus in ſequentibus, dum ſermo erit de eiſdem Cudberto, & Aidano Epiſcopis, & Monachis. Hic ſolum prænotandum quod Gabriel Pennotus *in ſua hiſtoria Canonic. Regular. lib. 2. cap. 37.* contendit Auguſtinum hunc, non Benedictinum, ſed Auguſtiniani Canonicalis Ordinis aſſeclam fuiſſe.

8 Veruntamen ſplendidiſſimæ S. Benedicti Religionis hiſtoricis negare nolumus, quin cum hoc Auguſtino Anglorum Apoſtolo aliqui etiam eiuſdem Benedicti Regularis Inſtituti profeſſores in Angliam intrauerint. Expreſsè namq; id fatetur Ioannes ille Balæus eius nationis author, (etſi malæ fidei in rebus ad Eccleſiam ſpectantibus) cuius verba ſuperius *ad anno* 560. retulimus. Eo etiam, quod vt conſtat ex eodem Beda *lib.1. cap.29.* cum Auguſtinus ſcripſiſſet ad D. Gregorium, multam ſibi meſſem eſſe, ſed operarios paucos, ei miſit Gregorius *plures cooperatores*, & verbi Dei miniſtros, in quibus primi, & præcipui erant Mellitus, Iuſtus, Paulinus, Rufinianus, de quibus in ſequentibus idem Beda. Quamuis ergo propterea poſt hoc tempus poſſit dici Benedictinam glorioſam familiam in Angliæ partibus propagari cœptam, quod tamen antea hoc contigerit, nullo fundamento aſſeritur, & puerile valde eſt Monachos illuſtres ante illud illis in Regionibus viuentes ei familiæ aſcribere, prout faciunt aliqui, parum ſcitè ad temporum ſeriem attendentes.

Benedictini in Angliam.

9 Ergo Eluodugus Probus Brittannorum inſignis Doctor ſub Regulari diſciplina in Archicœnobio Banchorenſi ab ipſa prima adoleſcentia iugum Domini portare diſcens, ibique poſtea ob ſingularium virtutum præſtantiam factus omnium Præſes; & Aſaphus Brittannus Elguenſis Monaſterij alumnus, ac vitæ ſanctitate conſpicuus, vt eius virtutes mirificos ſuo tempore protulerint fructus, & ad Epiſcopalem dignitatem eum prouexerint inter Noſtratum Elianorum æmulatores numerandi. Claruerunt enim circa annum 590. prout Pitſeus *de Scrip. Britt. æt. 6. n. 60. & 61.* refert. Idem de S. Kentigerno Aſaphi diſcipulo, & Patre 663. Monachorum iure cenſendum contra Vvionis ſententiam *in Martyrologio Monaſtico* 13. *Ianuarij*.

Eluodugus Probus.

Aſaphus.

Kentigernus.

10 Congruunt eidem tempori, hiſtoriæque noſtræ, quæ Marcus Maximus *in Chronico circa annum* 598. ſcripſit dicens: *Reccaredus Rex hortatu S. Pontificis Adelphij Toleti reædificat Monaſterium SS. Martyrum Coſmæ, & Damiani, ad Septentrionem poſitum, quod Toleto diſtat plus duobus paſſuum millibus*. Et poſt pauca: *Erat autem Toletanum, & antiquitate temporis, & continuis Tagi fluminis inundationibus, ad cuius marginem ædificatum erat, penè collapſum*. Etenim Cœnobium hoc ad Ordinem Propheticũ ſpectaſſe multis ſuaderi poteſt, inter varias Scriptorum opiniones,

M. Maximus.

nes, quas *ſub anno* 649. recenſebimus. Præmittendo primò, illud diuerſum fuiſſe ab Agalienſi, de quo *ſub anno* 560. dictum. Siquidem Agalienſe illud a Rege Athanagildo ædificatum fuit; hoc a Reccaredo reædificatum: illud anno 562. iſtud poſt 36. vel circiter, annos: illud ſub titulo S. Iuliani; ſub SS. Coſmæ, & Damiani iſtud: de illo dicitur fuiſſe *Ordinis S. Benedicti*; non de iſto: diſtabat illud *minus quam* 250. *paſſus ab Eccleſia Prætorienſi*, & *inter Occidentem, & Septentrionem ſitum* erat; hoc verò, de quo in præſenti, erat *ad Septentrionem poſitum*, & a Toleto diſtans *plus duorum paſſuum millibus*. Quod & facilè eliciet lector ſi ſubſcriptiones Abbatum pro ſecundo Toletano Concilio, & Marci Maximi, ac Luitprandi Chronica euoluerit; ibi enim diſtinctas Abbatias horum Cœnobiorum fuiſſe, diuerſoſque Abbates reperiet; ſcilicet Gratindum, Auraſium, & Venantium Monaſterij SS. Coſmæ, & Damiani; Abylam, & Exuperium Agalienſis. Vnde Luitprandus *in Chronic. ſub ann.* 657. expreſſis verbis inquit: *Abbas SS. Coſmæ, & Damiani Monaſterij diuerſi ab Agalienſi S. Iuliani*. Etſi fatendum, etiam hoc SS. Coſmæ, & Damiani Cœnobium, *Agalienſe* appellatum fuiſſe, prout ex Luitprandi Chronico *Æra* 662. *& anno Chriſti* 624. colligi datur; & clarius ex legenda, ſeu Officio S. Ildefonſi Toletani *lect.* 4. vbi dicitur Monachi cucullum ſuſcepiſſe *in Agalienſi Monaſterio, quod Coſmæ tunc erat, & Damiano dicatum*. Vnde in fragmentis Luitprandi *num.* 96. ſic dicitur: *Duobus & amplius paſſuum millibus Toleto Septentrionem verſus in colliculo fuit Monaſterium SS. Coſmæ & Damiani Martyrum, filiatio Agalienſis; eſt ibi fons irriguus in honorem S. Iuliani Toletani Pontificis, cui Agalienſe ſacrum fuit*. Et infra *num.* 99. inquit, quod Monaſterium hoc SS. Coſmæ, & Damiani *apud vulgares Agalienſe minus etiam dici ſolebat*, & ibi vocatur *Colonia* Monaſterij Agalienſis. Idem fatentur Piſa, Tamaius, & alij hiſtorici Toletani, & colligitur ex M. Maximo, ſi rectè inſpiciatur. Iam ergo, quod propius ad nos ſpectat, oſtendere operæpretium eſt, Eliano Ordini adiudicari debere, in hac ſaltem reſtauratione, eſto ſequentibus annis ad Benedictinum Ordinem, ſicut alia quamplura Europæ Cœnobia, tranſierit.

1. Id ſuadent primò, quæ Tomo præcedenti *ſub ann. Chriſti* 40. *nu.* 12. & ſupra *ſub ann.* 560. dum de Agalienſi Cœnobio ageremus, diximus, ex fragmentis Luitprandi eis locis adductis. Si enim, prout ex illis conſtat S. Elpidius Toletanus primus Pontifex ſuos Concarmelitas Monachos Toletum vexit; ijque in Hiſpaniam, Toletum maximè, Monachiſmum induxerunt, fundato præſertim Monaſterio Monachorum, & Virginum vbi poſtea fuit Agalienſe; profectò cum illud primum Elpidianum Cœnobium, Propheticum, & Elianum eſſet, quis ambiget? ſimiliter hoc Sanctorum Coſmæ, & Damiani Cœnobium tale fuiſſe non incongruè ſuſpicari liceret? Corroborat intentum quod Reccaredus Rex S. Iſidori Hiſpalenſis alumnus veluti fuit, prout ex vtriuſque hiſtoria palam

Monaſterii Toletanum SS. Coſmæ, & Damiani.

palam elicitur: hoc ergo Reccaredi pietate innouatum Cœnobium Iſidori Monaſtico Inſtituto, quod non Baſilianum, nec Benedictinum fuiſſe, ſed antiquum Prophetale *ſub annis* 578. *&* 618. ſcripſimus, aſtrictum erat, & Monachi ipſius diſciplinam ſectabantur. Neruoſius præterea id ſuadetur ex eiuſdem inclytæ Toletanæ Vrbis Chronologis, quibus maximè notaeſſent propria monumenta. Ex queis Iulianus Perez, ſeu *Petri*, Archipresbyter S. Iuſtæ, qui ante 500. annos eius Ciuitatis Hiſtoriam compoſuit *in Tractatu de Eremiterijs num.* 15. ſic habet: *Eremiterium Toleti in ſuburbio S. Mariæ de Alſ.... a temporibus antiquiſſimis* 3. *templa Toletanorum, quo venerunt olim Monachi Carmelitæ, & tempore captiuitatis fuit Eccleſia Regis Adefonſi VI. vbi ferè ſemper ſedebat Archipresbyter S. Eccleſiæ Toletanæ ſub patronatu Toletanorum Ficulnorum Portocarrerorum*. In quibus, illud *S. Mariæ de Alſ.* .... ambiget nullus qui Iulianum legerit denotare Eccleſiam S. Mariæ *de Alfizen*, cuius creberrimè is Author in ſuis operibus memoriam agit. Deinde illud 3. *templa Toletanorum quò venerunt olim Monachi Carmelitæ* ſic corrigendum, *tertium Templum Toletanorum*. Nec mirum incurioſi Typographi negligentia *Templa*, pro *Templum*, poſitum fuiſſe. Ita enim idem Iulianus Eccleſiam hanc S. Mariæ de Alfizen tertiam Eccleſiam Toletanorum vocat, dum in ſuo Chronico *ſub ann.* 252. *num.* 74. ſic habet: *Paulatus alias Pribatus Epiſcopus Toletanus ad annum* 280. *iacet cum anteceſſoribus ſuis ad Eccleſiam S. Mariæ, vulgo dicitur nunc Alfizen, quæ tertia fuit Toletanorum Eccleſia; ſecunda verò Prætorienſis S. Leucadiæ virginis, & martyris; prima verò S. Mariæ adhuc viuenti ſacra poſt Cæſaraguſtanam*. Præterea illud *a temporibus antiquiſſimis* prolatum ab Authore 500. annorum antiquitatis, & qui centenario maior ſcribebat, vt in ſuis notatur operibus, manifeſte indicat tempus S. Elpidij primi Toleti Antiſtitis. Ita vt ipſe, qui Carmeli eremis cum ſocijs aſſuetus erat, eremiterium quoque hoc Toleti ipſis, qua fieri poſſet, conſtruxerit *S. Mariæ de Alfizen*, temporibus ſaltem ſequentibus ſic appellatum; & in quo ad præſens Carmelitæ noſtri morantur. Ex quibus iam elicitur intentum. Si enim S. Elpidius eremiterium Toleti erexit, proculdubio ex eremitis Carmeli, quos ſecum duxerat: ergo cum poſtea temporis curſu reædificatum fuit a Reccaredo Rege, hoc SS. Coſmæ, & Damiani, cum antea antiquum Toletanum templum fuiſſet, vt ex M. Maximo vidimus, ſicut in prima ſui conſtructione ex eiſdem Carmeli Monachis compactum erat, vt pote quia ipſi *a temporibus antiquiſſimis*, vt Iulianus dixit, Toletani incolæ erant; profectò ſic in reædificatione ijſdem Monachis fuit conceſſum, vt potè, qui ſemper, & diu ea in Ciuitate manſerant. Quod confirmat Petrus Sanctius S. Eccleſiæ Toletanæ Portionarius in ſua Hiſtoria dicens: *El año de* 719. *fue entregada Toledo alos Moros, ſacando por partido los Chriſtianos, que auian de ſeñalar ſiete Yglefias, en que pudieſſen libremente celebrar, y aſſiſtir a los diuinos Officios, las quales fueron ſeys Parochiales dentro*

dela

dela Ciudad, y vn Monaſterio de Carmelitas, que eſtaua fuera. Latinè ſic: *Anno 719. Mauris traditur Toletum, hoc pacto cum Chriſtianis viro, quod deſignaturi erant ſeptem Eccleſias, in quibus libere celebrare, & aſſiſtere poſſent diuinis Officijs; quæ fuerunt ſex Parochiales intra Vrbem, & quoddam Monaſterium Carmelitarum quod extra erat.* Ex quibus elici valet ſemper in ea Ciuitate hos Carmeli frutices fuiſſe, ex quibus Monaſteria implebantur. Quod nec incongruè quoq; habetur ex Franciſco Ruſpuerta Biacenſi in hiſtoria Eccleſiaſtica Regni Giennenſis iuſſu Eminentiſſ. Cardinalis Moſcoſo ab ipſo diligentiſſimè deſcripta, vbi *ſæcul. 7. cap. 5. fol. 212.* Propheticum Carmelitarum Ordinem fatetur a tempore Nabuchodonoſor in Hiſpania viguiſſe: in Canali Luſitaniæ circa ann. 419. & etiam 393. antea extitiſſe: & ex illis Elpidium Monaſterium Monialium Toleti erexiſſe. Approbat etiam quod de Iuliano Perez ſupra retulimus: ſimulque Sanctos Martyres Fabricium, & Philibertum Monachos Triuulciæ paſſos circa Chriſti annum 308. ac Monachos, & Moniales, de quibus in Concilijs antiquiſſimis Hiſpaniæ, Eliberitano, & Cæſaraguſtano primo fit mentio, pro certo cenſet ad eundem Ordinem Propheticum ſpectaſſe. Accedit quoque hiſce Toletanis Chronologis Ægidius Gelenius Colonienſis Canonicus, & hiſtoriographus, dum in opere de Coloniæ Agrippinæ magnitudine *lib. 3. Syntagm. 43. §. 1.* Carmelitas Ordinis Prophetici aſſeclas, maximè Elpidium, & eius ſocios Monachiſmum ab Apoſtolorum tempore per Hiſpaniam, & alias regiones introduxiſſe; dicit. Denique pro hoc intento videnda ea quæ dicimus infra circa ann. 649. de S. Illefonſo Toletano agentes.

12 Hinc conſequenter, inter Prophetici Ordinis æmulatores, eidem adiudicari poſſe videtur huius SS. Coſmæ, & Damiani Abbates cognominatos; propter fundamenta relata. Inter quos vnus eſt Conantius, vel Venantius, qui Abbas S. Coſmæ, & Damiani vocatur a M. Maximo *in Chronic. ad ann. 600.* & a Iuliano Perez *in Chronic. ad ann. 600. num. 312.* Qui eum vocant Toletanum Epiſcopum. Item Iuſtus ſucceſſor S. Ildefonſi in regimine Monaſterij huius SS. Coſmæ, & Damiani, prout habet Iulianus relatus *ad ann. 666. nu. 337.* Qui etiam ſucceſſor fuit in Toletana Sede Helladij, de quo *ſub ann. 560.* dictum. *Benedictinus Monachus, ex Monaſterio Agalienſi, & Rector Patrimonij*, nuncupatur a Luitprando *in Chronic. ſub ann. 633.* ſed primum de S. Benedicti Monachiſmo, forſan accipiendum, prout alibi diximus, quia Monaſterium illud Benedictinis poſtea ceſſit. Illud *de Monaſterio Agalienſi*, cum Iulianus dicat fuiſſe Monaſterium Sanctorum Coſmæ, & Damiani, manifeſtè comprobat id quod ſupra diximus, quod Monaſterium Sanctorum Coſmæ, &c. etiam Agalienſe dictum fuerit. Item Gratindus, quem huius Cœnobij Sanctorum Coſmæ, & Damiani Abbatem fuiſſe, ac floruiſſe circa anno 675. habet idem Luitprandus. Forſan is erit Gratindus quidam ab eodem Luitprando *ad annum 683.* relatus, qui & dicitur adfuiſſe

Abbates Cœnobij SS. Coſmæ, & Damiani.

Conantius, ſeu Venantius

Iuſtus.

Gratindus.

Con-

Concilio Toletano 13. & fuiſſe Vicarium Argebadoni Eliberritani Epiſcopi abſentis. Hæc porrò ſub dubio dicta ſunto.

Ann. Chriſt. 604. & 605. Sabiniani Rom. Pontif. 1. Phocæ Imperat. 2. & 3.

Summorum Pontificum ſucceſſio.

1 EXPLET biennium hoc mors pretioſa D. Gregorij Papæ, ſubrogatio Sabiniani, obitus illius, ac vacatio Sedis per aliquot menſes. Sic enim ex vetuſtioribus Chronologis hauſerunt Baronius, Spondanus, Gordonus, & alij. Apud quos etiam de hiſtoria illa, communiter fabula reputata, de anima Traiani Imperatoris a pœnis inferni precibus D. Gregorij liberata; ac de conceſſione illa ipſi a Deo facta de liberatione etiam a pœnis Inferni, eorum, qui in circuitu Eccleſiæ S. Andreæ in Cliuo Scauri, ſepelirentur: ſimili namque cenſura reijcitur. Illud magis credibile, quod breuis, & infelix Pontificatus Sabiniani ex eo fuerit, quod ſui prædeceſſoris veſtigia ſecutus non fuerit, triticum pauperibus largiendo, dira vrgente fame; ſed potius illud vendendo, vt propterea a D. Gregorio in viſu reprehenſus, & lethaliter percuſſus in capite fuerit, in exemplum Prælatorum, qui auaritiæ ſtudent. Sigebertus *in Chronic.* & alij poſt ipſum.

Dionotus Auonius.

2 De noſtris priſci Monachiſmi cultoribus in Brittanniæ partibus, qui Eliani Inſtituti, non recentis Benedictini, quod vix earum partium oras conſpexerat, imitatores erant, vnus accenſendus Dionotus Auonius, cuius Pitſeus *in lib. de Illuſtribus Scriptoribus Brittaun. ætat.7.num.64.* ſic meminit. *Dionotus Auonius natione Brittannus vir ſanctitate vita, & eruditione celebris. Virtutum meritis ita exigentibus in celeberrimo Banchorenſi Monaſterio factus eſt, vt ita dicam, Archicœnobiarcha. Nam in eo Cœnobio vni Abbati ſemper parebant ſaltem bis mille, & centum Monachi, vti poſt Bedam, omnes penè hiſtorici noſtri teſtantur.* Plura etiam de illo Ioannes Balæus *in Catalogo Scriptor. Brittann. Centur.* 1. addens ſibi ſolito malignitatis ſpiritu, de illo Bannochorenſi Cœnobio: *Non illic ad Baſilij, aut Benedicti praſcriptam vitæ methodum in ſummo degebant otio deglutientes pauperum ſudores, ſed iuxta D. Pauli doctrinam de manuum ſuarum laboribus in communi viuebant.* Quæ eò a nobis relata ſolum, reiecta debacchantis maledicentia, quia denotant Bannochorenſes Monachos non Baſilianos, nec Benedictinos fuiſſe, ſed alterius primæui Inſtituti, prout ſæpius ſcripſimus.

S. Cudbertus.

3 Idem pari iure dicendum de S. Cudberto Monacho, & Epiſcopo, cuius meminit Beda *lib.4. Hiſtor. Anglor. cap.27. & ſeqq.* Ille enim, vt ex eo *cap.27.* elicitur, eam vitæ formam obſeruabat, quam D. Gregorius Papa Auguſtino a ſe miſſo Apoſtolo in Angliam indixerat, videlicet *quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit patribus noſtris*, Propheticum videlicet.

Quod

Quòd & indigitat Reynerus infra referendus. Vnde Antonius Gallonius *in Apologet.* aduerſus Bellotum *pag. mihi* 65. (quem ſecutus etiam eſt Vvion infra referendus) ipſum reijcit, quod Cudbertum hunc, ex Inſtituto ſanctiſſimi Patris Benedicti faciat. Quod ex eo vlterius comprobat, quia S. Cudbertus linea zona vtebatur, vt expreſsè dicitur in ipſius vita apud Bedam *cap.* 23. cum tamen Benedictini Monachi ex Ioanne Diacono ab eodem Belloto in argumento deducto, præcingerentur zona pellicea. Vrgeri id etiam poteſt, quia zona linea Eſſenatum, ſeu Inſtitutum antiquorum Eſſenorum Alexandriæ a S. Marco Inſtitutorum, redolet: hi enim lineis vtebantur, ſeu albis veſtibus, vt oſtendimus *tom.* 1. *ſub ann.* 3545. *num.* 29. *& tom.* 2. *in Appar. cap.* 3. *num.* 17. Probat vlterius idem intentum Gallonius eo quod Monachi Benedictini, ipſo Belloto conſtanter affirmante, ab ipſo principio Regulæ vti conſueuiſſent veſtimentis nigri coloris, quod & teſtatur Petrus Diaconus in diſputatione ſub Innocentio Papa II. & Lothario Imperatore; & tamen S. Cudbertum cum ſuis vti ſolitum eſſe veſtimentis ex lana, nulla tinctura infecta, ſed naturalis coloris qualiſcunque eſſet, teſtatur vita ipſius Cudberti apud Bedam *cap.* 16. vbi ſic: *Veſtimentis vtebatur communibus: ita temperanter agens, vt horum neque munditijs, neque ſordibus eſſet notabilis: vnde vſq; hodie in eodem Monaſterio exemplo eius obſeruatur, ne quis varij, aut pretioſi coloris habeat indumentum; ſed ea maximè veſtium ſpecie ſint contenti, quam naturalis ouium lana miniſtrat.* Idemque fatetur ex ipſius S. Benedicti præclariſſima ſchola Clemens Reynerus *in lib. de Apoſtolatu Benedict. in Angl. Tract.* 1. *ſect.* 1. §. 18.

4 Idem quoque pari iure aſſerendum de Aidano Sancto alio Monacho, & Epiſcopo ab eodem Beda *d. cap.* 27. 4. *lib. Hiſtor. Anglor.* nominato: de ipſo namque ſimiliter aſſeritur conuerſationem egiſſe *quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris.* Vnde Gallonius relatus pariter inſurgit contra Bellotum, (idem dicito contra Vvionem *in ligno Vitæ lib.* 2. *cap.* 25. & *in Martyrolog. Monaſt. die* 31. *Auguſti.*) quod hunc Aidanum cum Cudberto Benedictinum appellauerit. Alia de ipſo in vita ipſius Cudberti apud Bedam, præſertim *cap.* 4. vbi quomodo ipſe Cudbertus cum paſtoribus poſitus animam S. Aidani Epiſcopi ad cælum ferri ab Angelis aſpexerit. Maximè verò ex *lib.* 3. *cap.* 5. accipiant Religioſi hæc dogmata: *Non aliter quam viuebat cum ſuis, ipſe docebat.* Item: *Nihil huius mundi quærere, nihil amare curabat.* Exercitatio ipſius: *Aut legendis Scripturis, aut pſalmis diſcendis operam dare, hoc erat quotidianum opus illius.* Præcepit etiam ſuis abſtinentiam a vino, & ceruiſia; prout ex Rogerio Houedeno affert Bollandus *in Actis Sanctorum tom.* 1. *in Vita S. Ceolulphi.* Ex quo etiam elicitur Propheticam Monaſticen profeſſum fuiſſe, in qua hæc abſtinentia vigebat. S. Aidanus.

5 Commemorandus etiam veluti eiuſdem Inſtituti aſſecla Eata Abbas Monaſterij *Mailros*, vir manſuetiſſimus vocatus, & de quo nonnulla Eata Abbas.

apud

apud Bedam eo *cap.27.* & in Vita Cudberti ſæpius. In quo etiam relinquendus Pater Vvion relatus, dum eum Benedictinum autumat.

Boiſilus Abbas. 6 Et maximè Boiſilus Abbas eiuſdem Cudberti magiſter, cuius diſcipulatu *ſcientiam ſanctarum Scripturarum, & bonorum operum ſumpſit exempla*. Prout eo *cap.27.* habetur apud Bedam. Vbi etiam appellatur *Prophetici ſpiritus ſacerdos*, quod nobis indigitare poteſt Inſtitutum, quod ipſe, & ſocij amplectebantur. Plura de ipſo in Vita ipſius Cudberti apud eundem Bedam, quæ lectori relinquimus prælibanda, cum nos non Sanctorum vitas deſcribere, ſed hiſtoriam texere Prophetalis Monachiſmi, propoſuerimus. Legendus Vvion ſupra; ſed relinquendus, dum hunc etiam Patrem S. Benedicti alumnum credit. Legendus etiam, nec reijciendus Reynerus in ſuperioribus relatus; qui etſi Benedictinus quoque, veritatis tamen vi coactus plures ex iſtis, quos nonnulli ſub S. Benedicti ferula vixiſſe credunt, antiquiſſimi Monachiſmi Ægyptij, & Palæſtini, cuius ſucceſſores Carmelitas agnoſcit, cultores agnoſcit. Legenda propterea, quæ ex ipſo aſſerimus *in Appar. cap.1. & 2.*

Ann. Chriſt. 606. vſque ad 613. Bonifacij IV. Rom. Pont. 1. vſque ad 7. Phocæ Imper 4. vſque ad 7. & Heraclij I. vſque ad 4.

Geſta in Eccleſia. 1 HOC tempore toto; exceptis aliquot menſibus, in quibus Bonifacius III. Eccleſiæ gubernacula tenebat, eam Sedem obtinuit Bonifacius huius nominis IV. Qui ſtatim domum ſuam in Monaſterium erexit, & Pantheon nobile Vrbis delubrum ab antiquæ Idololatriæ ſordibus expurgatum Dei Genitrici, & omnibus Sanctis conſecrauit. Quorum interceſſione, vt credi poteſt, actum eſt; vt Phocas crudelis Imperator, de medio tolleretur, ſuccedente ipſi Heraclio. Anaſtaſius, Theophanes, Cedrenus, Nicephorus, & alij.

Coſdroes. 2 De hoc autem tempore, & eius hiſtoria noſter Arnoldus Boſtius *lib.5.* ſui operis hiſtorialis *cap.79.* hæc ſcribit: *Anno Domini 609. Bonifacius Papa IV. Pantheon, ideſt Templum omnium Deorum a Phoca Cæſare impetrauit, & in honorem omnium Sanctorum conſecrauit, eiectis prius gentium ſimulacris, ac feſtum omnium Sanctorum inſtituit anno ipſius Phocæ Imperatoris V. Igitur poſtquam idem Phocas ex toto ferme octo annis imperaſſet, ab Heraclio Duce Imperio, ac vita priuatur, qui ei in Imperio ſucceſſit. Porrò huius Heraclij 5. anno permittente Domino flagellari populum ſuum per ſæuitiam paganorum, Coſdras Rex Perſarum multam partem Reipublicæ Romanæ cepit, multaque terrarum Regna ſuo Imperio ſubiugauit, deuaſtauitque Damaſcum, Hieroſolymam, & venerabilia loca, & Eccleſias incendit, ac nonaginta millia virorum, ac mulierum occidit, populorum captiuans*

uans copias vna cum Patriarcha Ieroſolymitano Zacharia. Attamen territus de ſepulchro Domini rediens partem Sanctæ Crucis, quam S. Helena ibidem reliquerat, in Perſidem aſportauit.

3 Circa quæ aliqua prænotanda. Primum quidem, hunc Coſdroam, de quo in præſenti, diuerſum fuiſſe ab alio eiuſdem nominis (cuius nepos erat) de quo *ſub ann.* 537. diximus ſimilem inuaſionem in Syriæ loca feciſſe, prout ex eodem Boſtio, & Palæonydoro ibi comprobauimus. Secundum, in hac etiam inuaſione detrimenta plura inferre potuiſſe Monachis, & Aſcetis Terræ Sanctæ, ac perinde etiam noſtris in illis partibus degentibus, ſicut de priori illa eo loco dictum manet, ſufficienter elici ex illis *Deuaſtauitque Damaſcum, Ieroſolymam, & venerabilia loca.* Hæc etenim *venerabilia loca* proculdubio etiam *aſceteria, eremitoria*, & ſimilia Anachoretarum loca Carmeli, Iordanis, &c. includunt. Tertium, cum Boſtio conſentire Hiſtoricos alios, ſpecialiter Theophanem, & Leontium, ex quibus idem deſumpſere Baronius, & alij ex iunioribus, eadem ferme referentibus, vt etiam in ſequentibus notabimus. Notanda.

4 Vel obiter etiam memoria recolenda inſignis illius Patriarchæ Alexandrini *Ioannes Eleemoſynarius* nuncupati; ad mundi auaritiæ confuſionem a Deo dati, & ſub hoc tempore florentis. Etſi autem plurima de ipſo apud Surium 23. *Ianuarij*, & apud Leontium Cyprium eidem coætaneum, ac Metaphraſtem, ac nouiſsimè apud Ioannem Bollandum *in Actis Sanctorum* 23. *Ianuarij*, qui ſolita eruditione innumera de ipſo ſcribit, habeantur; illis tamen prætermiſsis, ſolum notabiliora in exemplum Prælatorum, & pro noſtra hiſtoria congrua depromemus. Pauperes dominos ſuos vocabat, & per ſingulos dies pluſquam 7500. alebat; ab officialibus ſuis munera accipi interdixit: ac ipſe opertorio pretioſo donatus a ſe abiecit, contentus infimo ſtratu, & vilibus operimentis. Eleemoſynis elargiendis adeo fuit ſingularis, vt iure, meritoque *Eleemoſynarij* cognomento inter tot ſanctiſsimos viros, qui ſimili miſericordiæ operi incubuerunt, dignaretur. Audiant quæ ſequuntur ij qui facilè contemptores, & criminatores in Monachos eſſe conſpiciuntur. *Semper honorabat Monachicum ſchema, & colebat, ac compatiebatur.* Et illud: *Accuſationem qualemcunque ſiue mendacem, ſiue veracem non ſuſcipiebat contra aliquem circumamictum monachico habitu.* Cum autem aliquando contigiſſet vt Monachum quendam verberari iuſſerit, quia fornicarius credebatur, rei falſitate poſtea comperta, eum honorauit, & ex tunc Xenodochium pro Monachis recipiendis extruxit. Dicebat enim de illis: *Quot abſconſos ſeruos habet Deus, & neſcimus nos?* Ex eis vnus erat Monachus ille, quem per iniuriam verberatum diximus. Cum enim ipſi Patriarcha obtuliſſet centum numiſmata, ipſa accipere renuit, hanc dignam ſententiam proferens: *Monachus ſi fidem habet, horum non eget; ſi autem horum eget, fidem non habet.* Duos etiam Monachorum Conuentus aluit, hoc ſolo contentus, vt veſpertina, & nocturna vigilia ipſi impen- Ioannes Eleemoſynarius

deretur: hoc autem faciebat vt ſolliciciores Dei amicos Monachos redderet; prout ex vita ipſius habetur, ex qua etiam plura, ipſaque piiſsima extrahet deuotus lector. Illum noſtris annumerat Caſanate *in Paradiſ. Carmelit. ſtat. 2. ætat. 5. cap. 51.* ex aliquibus Catalogis noſtri Ordinis, etſi res parum comperta ſit. In eo ſaltem corrigendus quod ipſum *an. Chriſt.* 300. claruiſſe notat, cum non niſi poſt ſexcenteſimum floruerit.

Columbanus 5 De S. etiam Columbano, de quo *ſub ann.* 560. actum, plura referunt moderni Scriptores, tanto viro digna, & nobis non extranea, propter ea, quæ eo loco diximus; quæ conſulenda ſimul cum vita ipſius, & Sigonius, Baronius, Spondanus, & Gordonus. Vbi etiam de Bobienſi Monaſterio ab ipſo in Lombardia erecto, quod pro noſtra hiſtoria congruit. Hoc enim Bobienſe Cœnobium iuxta Apenninum, & Fluuium (Bobienſe Monaſterium.) *Bobium* vocatum, non multis a Papia leucis diſſitum regula propria ab ipſo Columbano edita, inſtitutum fuiſſe, etſi poſtea Benedictinam ex parte tantum amplexatum, ſatis clare reperi in Bulla Theodori Papæ pro hoc Monaſterio edita, quam habet Cornelius Margarinus in ſuo Bullario Caſſinenſi *to. 1. Conſtitut. 2.* vbi ſic Pontifex: *In quo Monaſterio Monachi ſub Regula S. memoriæ Benedicti, vel prædicti Reuerendiſſimi Columbani fundatoris loci illius conuerſari videntur.* En iam qualiter vtramque Regulam Benedictinam, & Columbanam Monachi illius Cœnobij Bobienſis obſeruarent anno 643. quo hæc Bulla a Papa Theodoro edita fuit. Quod crederem ſic contigiſſe, vt ex centum & quinquaginta Monachis, qui ibi degebant, vt Pontifex refert, aliqui (ſeniores forſan) Columbani Inſtitutiones, alij vero (forſan iuniores) Benedictinas ſectarentur. Quod valde confirmat id quod diximus *in Appar. cap. 1.* de varijs Regulis Monachorum in Eccleſia obſeruatis, etiam poſtquam S. Patriarcha Benedictus ſuam promulgauit. Huius porro Bobienſis Cœnobij poſt (Attala, & alij Bobienſes Abbates.) S. Columbanum ſucceſſor fuit Attala, poſtea Bertulphus, deinde Bobulenus, quem ſecutus eſt Camugelus: prout ex inſtrumento tranſlationis corporum ipſorum quod aſſeruatur in eodem Bobienſi Cœnobio affert Arnoldus Vvion *in Annotat. ad Martyrolog. Monaſtic. ſub* 31. *die Auguſti.* Quia tamen in dicto Martyrologio, ac inſtrumento fit mentio tam iſtorum, quam aliorum Sanctorum Monachorum, & Sanctimonialium, eiuſdem Cœnobij, quos refert idem Vvion. credens omnes ad ſacrum Benedictinum Ordinem pertinuiſſe; nos qui haud leuiter autumamus (S. Bobienſis Cœnobij.) plures illorum, antiquiores videlicet, qui in eodem Cœnobio ſub S. Columbani primi Inſtitutoris Regula vixerunt vetuſtiſſimi Elianorum Inſtituti æmulatores extitiſſe, eos omnes hic referendos cenſemus ſub dubio tamen quinam ipſorum tales fuerint, qui non. Hæc ergo occaſione tranſlata fuerunt corpora Sanctorum Columbani primi Bobienſis Abbatis, Attalæ ſecundi Abbatis, Bertulphi tertij Abbatis, Bobuleni Abbatis, Camugelli Abbatis. Item SS. Cumiani, Romani, Vulcarij, Siniberti, Alli, Theoperti, Cuniberti, Tuniprandi, Rattaldi, Andreę,

Ioan-

Ioannis, Petri, Leonis, Bladulph, Moronei, Agiboldi, Theodebaldi, Baudacarij, & Leompardi, Monachorum Bobienſium numero 19. & alteriùs cuiuſdam Sancti, cuius nomen præ vetuſtate characteris legi non potuit. In alia etiam arcula, quæ contigua eſt arcæ S. Attalæ Abbatis repoſita ſunt, & tranſlata cum alijs præfatis corpora Sanctarum Petronillæ virginis, Suniuergæ virginis, & Rotradæ virginis. Hæc ex relato Vvione afferimus, dubitantes tamen quinam ex iſtis titulo *Sancti* cognominari queant; rem ſub S. Sedis Apoſtolicæ trutina relinquimus, ipſius ac SS. Congregationum decretis, quæ in hac parte ſunt, colla ſubmittentes.

6 Circa hoc tempus ortus, & geſta peſſimi illius impoſtoris Mahumeti totius Orbis cruentiſſimæ beſtiæ ab aliquibus deſcribuntur. Quia tamen quæ noſter Arnoldus Boſtius *lib.5. cap.81.* de ipſo ſcribit, ſingularia ſunt, & huius Authoris codex rarò inuenitur, ea placuit hic apponere, etſi ſciam, cùm alijs hiſtoricis, ſicut nec ipſos inter ſeſe, non cohærere. Sic ergo Boſtius: *Igitur circa annum Domini 635. mirabilia quedam contigiſſe narrantur. Cometa apparuit, puer quadrupes, & alter duos vertices habens nati ſunt apud Conſtantinopolim. Sanguineæ haſtæ, & lux clariſſima per noctem totam videbantur. Puer naſcitur ſine oculis, & manibus, qui a lumbis infra erat ſicut piſcis. In Nilo apud Ægyptum duo animalia apparuerunt humanæ formæ, vir, & mulier, horribilia aſpectu quaſi per vnum diem. Sol à mane vſque ad meridiem minoratus eſt de tertia parte. Quæ omnia aliquid noui ſolent ſignare. Quidam putant, quod præfigurarunt beſtialem, & monſtruoſam ſectam Sarracenorum, quæ quaſi tertiam partem Chriſtianitatis in breui corrupit, & non longè poſt hæc tempora ſurrexit. Non paucis euolutis annis Macometus propheta falſus Sarracenorum, deceptor Orbis, nuncius Satanæ, præcurſor Antichriſti, complementum hæreſum, ac totius falſitatis prodigium, ſurrexit, & veſaniam ſuam oſtentare incœpit. Fuit enim magus, & mercator viliſſimus, ac epilepticus: habuit etiam originem ab Iſmahelitis, qui dicuntur Sarraceni, in Arabia natus, & cum eſſet mercator pauperrimus diuitem viduam duxit in vxorem, dicens ſe eſſe Meſſiam. Quæ cum doleret, quod epileptico nupſiſſet, ne perciperetur falſitas ſua, dicebat vxori, & alijs ſe ab Archangelo viſitari, cuius claritatem ferre non valens ſic caderet in terram. Factus princeps latronum, ſubtiliter Arabes ſibi attraxit, qui tunc valde ab Heraclio Imperatore grauabantur, & dedit illis legem ſuam dicens ſe eſſe Prophetam ſanctum a Deo miſſum. Inſuper Alcoranus liber ab eo componitur, & a tribus magiſtris ſuis, quibus diabolus auctoritatem & induſtriam miniſtrabat. Primus magiſter erat quidam Iudæus Aſtronomus maximus; ſecundus Ioannes de Antiochia hæreticus; tertius Sergius Arrianus Apoſtata tam a fide, quam a conuerſatione Monaſtica. Hi legem abominabilem confinxerunt reſecantes quicquid arduum erat incredendo, & difficile in operando, concedenteſque omnia, ad quæ mundani homines proni erant, videlicet gulam, luxuriam, rapinam, &c. Vnde factum*

Nefandi Mahumetis geſta.

eſt vt per potentiam, & dolum deciperent in breui maximam multitudinem hominum beſtialium. Et quia lex iſtà nimis inhoneſta, & confuſa erat, quidam humana verecundia permoti plura retractarunt, ac velut expoſitores rationabiliter interpretabantur aliqua nimis mendoſa. Vnde quidam Chriſtiani etiam literati hoc colludio decepti fuerunt, qui hiſtorias transmarinas non viderunt. Quare autem tam infamis homo legiſer factus ſit, & talem tradiderit legem, duplex ratio redditur. Prima, quia Deus non permiſit, vt aliquis bonæ famæ homo a diabolo aſſumeretur, & legem, ſaltem humano modo rationabilem traderet, ſicut nec olim niſi ſerpens permiſſus fuit quando Euam tentauit. Secunda, quia Macometus ſummè arrogans fuit, ideo quicquid deſiderabant carnales conceſſit, iam ſic, iam aliter diſpenſando, & ex hac colliſione doctrinarum variarum, & contrariarum totus liber confuſus eſt, nec aliquo modo concordabilis. Demum idem quaſi coactus reſpondit, quod duodecim millia verba eſſent in Alcorano, quæ mendacium continerent, cætera in veritate perſiſterent. Cum ergo Macometus Rex Arabum factus in Syria regnare cœpiſſet, duobus annis ſequentibus diuerſa bellagerens, Perſas vicit, & gentes alias multas, & ex tunc, quia Sarracenus in Arabia natus fuerat, tranſlatum eſt nomen Imperij à Perſis ad Sarracenos. Igitur cunctis gentibus ſibi ſubiectis legem ſuam prædictam dedit. Et ſic velut alter Ieroboam decem partes abſtulit domui Dauid, id eſt Eccleſiæ Chriſti, quia penè totum mundum decepit. Et niſi Carolus Magnus, & alij quidam Principes, iuuante Deo, cultores eius coercuiſſent, totaliter fidem Chriſti extinxiſſet. Sæpius creuit, & decreuit vſque hodie, finem nouit Deus. Porrò cum tribus annis cum dimidio regnaſſet, eodem anno, quo & Rex Perſarum effectus eſt, moritur circa annum Domini 640. quo mortuo ſucceſſit ei in Regno Sarracenorum, ſeu Arabiæ & Perſarum Ebubeher, ſiue Obter tribus annis, poſt quem Homar 12. annis: Hæc Boſtius.

Alia de Mahumeto.

7 Quia tamen truculentiſſima iſta fera Mahumetes ſua ſæuitia totum ferme Chriſtianum Orbem depaſtus eſt, & quandoque neceſſarium ſit Religioſis noſtris, & alijs qui pro miſſionibus ad terras Mahumetanorum deſtinantur, perfidias, & abſurditates eius ſectæ cognoſcere ad eas impugnandas, idcirco præter adducta ex Boſtio, placuit, hæc luculenta alia, quæ Iacobus de Vitriaco *in hiſtoria Hieroſolymitana cap.*5. de hoc pſeudo-propheta ſcripſit, quibuſdam reſecatis hic adiungere, nec ingrata, vt credo, lectori. Sic autem habet: [Fuit autem *Mahometes* Iſmaelita ex Agar ancilla Abrahæ ex progenie Iſmaelis, hominis ferocis, cuius manus contra omnes, & manus omnium contra ipſum. Licet enim Sarraceni a *Sara*, tanquam ex libera mendaciter, & inaniter ſe nominent Sarracenos, verius tamen Agareni ab *Agar*, quæ concubina fuit Abrahæ debent dici. Cum autem adhuc puer eſſet, & defuncto patre ſuo Abdimeneph, & matre ſua relictus eſſet pauper, & orphanus, ſuſceptus eſt a quodam homine Gentili, & Idololatra, qui nutriuit eum in illo loco Arabiæ, qui dicitur lingua eorum *Salinga*. Poſtquam autem factus eſt ætatis adultæ,

& ad

& ad annos iuueniles peruenit, cum iam proprij corporis exercitio, more pauperum, victum ſibi laborioſe poſſet acquirere, factus eſt mercenarius cuiuſdam mulieris viduæ, cuius aſinum cuſtodiens, a quibuſdam viatoribus, quos ſuper aſinum ad partes Aſiæ deferebat, mercedem recipiebat ad opus dominæ ſuæ, quæ etiam camelos ſuos poſtmodum eius cuſtodiæ commiſit, & ad ciuitates vicinas, & oppida circumſtantia factus negotiator merces deportabat. Cumque pro ſeruitio ſuo, & huiuſmodi negotiatione prædictæ viduæ gratiam, & familiaritatem fuiſſet adeptus, ſeſe inuicem libidinosè concupiſcentes primò occulto, & fornicario concubitu pariter coierunt, poſtea verò mulier illa cum eo publicè matrimonium contraxit, & copioſam pecuniam illi tradidit. Ipſe verò qui ſemper vitam miſeram, & inopem vſque ad dies illos duxerat, ſubito, & quaſi caſu fortuito, & inopinato, ditatus cœpit in oculis ſuis extolli, & apud ſe inaniter gloriari, cogitans intra ſe, & modis omnibus procurans, qualiter ſuper gentes illas, quæ Regem non habebant, & tribus ſuas poſſet dominari, & apud homines illos magnus haberi. Primò igitur congregauit homines pauperes, & inopes, & obligatos ære alieno, viros prophanos, latrones, prædones, homicidas, & raptores, vt eorum auxilio multa pecunia per violentiam, & rapinam congregata, nomen ſibi faceret, & ab omnibus timeretur. Cum autem ex huiuſmodi peruerſis, & deſperatis hominibus, filijs Belial, non modicam multitudinem congregaſſet, poſuit eos iuxta vias publicas in inſidijs, & locis abditis, vt negotiatores cauſa mercimonij de Aſia venientes ſine miſericordia ſpoliarent. Quadam die miſit triginta de latrunculis ſuis, vt mercatores quoſdam per partes illas tranſeuntes ſpoliarent. Alia vice miſit ſexaginta de militibus ſuis, vt ſibi prædam adducerent, qui omnes a quibuſdam in inſidijs poſitis ita ſunt occiſi, vt nec vnus ad dominum ſuum reuerteretur. Miſit tertia vice multos ex ſocijs ad locum quendam, vt multitudinem aſinorum, qui per locum illum tranſire debebant mercibus varijs onerati, raperent; ſed antequam ad locum illum peruenisſent, mercatores cum aſinis die præcedente tranſierant. Hæc autem propheta mendax præuidere non potuit, nec in prædictis caſibus ſibi, vel ſocijs ſuis potuit præcauere. Mentiuntur ergo miſeri Sarraceni, qui eum ſummum Prophetam Domini fuiſſe pernicioſe proteſtantur. Aliquando etiam cum fugiſſet de prælio quodam, multis dentibus confractis vix euaſit. In multis enim prælijs deuictus, & cum exercitu ſuo fugatus nec ſibi, nec ſuis aliquod potuit præſtare ſubſidium. Miſit frequenter ſocios ſuos, vt homines ſibi contradicentes nocte in domibus ſuis iugularent. Vicinos etiam ſuos, quibus inuidebat clam & proditorie trucidari faciebat, & maxime Iudæos, quos plurimum odio habebat. Plerumque autem impij, & facinoroſi eius complices, villas, & caſalia ſubitò ingredientes ex improuiſo homines, paruulos etiam & mulieres paſſim occidebant, & partem prædæ domino ſuo, qui defenſio-

nem, & authoritatem eiș præſtabat, afferebant. A quodam autem prælio dentibus ſuis a dextera parte excuſſis, labro ſuperiori conciſo, & genis confractis, vultu lacerato, & deturpato vix euaſit. Ecce quam decepti ſunt, & craſſis tenebris inuoluti miſeri Sarraceni, qui mendaciter affirmant ipſum ſuper omnes Prophetas ſpiritum Prophetiæ habuiſſe, & decem Angelos ſibi fauentes, & eum cuſtodientes omni tempore ſecum habere. Dicunt etiam, quod antequam Deus a principio cælum & terram creaſſet, nomen Machometi quaſi in conſpectu Dei conſiſtebat, & niſi ipſe Machometus futurus fuiſſet, nec cælum, nec terra, nec Infernus, nec Paradiſus fuiſſet. Ipſe verò, cum ei frequenter malè accidiſſet, & a præliorum conflictu victus, & fugatus cum magna reuerteretur confuſione, ad ſui excuſationem dicebat, quod miſſus erat a Domino non vt miracula faceret, ſicut & alij Prophetæ ante ipſum, ſed vt leges datas Iudæis per Moyſem, & Chriſtianis per Chriſtum, exponeret mundo, & declararet, & eos qui mandata legis malè intelligebant, corrigeret, & inſtrueret. Ita quod ſi quis mandata eius ſuſcipere recuſaret, vel gladio interficeretur, vel pro incredulitatis ſuæ pretio tributum ſoluere cogeretur. Si qui autem credere legi ſuæ renuerent, vel contrarium prædicarent, contra eos prælia ſemper inferrent, & ipſis trucidatis ſi poſſent, vxores eorum, & liberi perpetuæ ſeruituti ſubderentur. Inimicis etiam fidei ſuæ nec fidem, nec promiſſionem obſeruare, ſed eos omnibus modis decipere concedebat. Cum igitur ipſe de ſe fateatur quod gratiam faciendi miracula non haberet, miracula illa quæ de illo Sarraceni gloriantes prædicant, conſtat eſſe falſa, & ipſos deceptos oculis penitus excæcatis veritatem ignorare. Dicunt enim quod lupus quidam in via qua ambulabat aliquando ei obuiam venit, contra quem cum tres digitos Machometus erexiſſet, lupus exterritus confeſtim fugiendo receſſit. Affirmant etiam homines, animales, & bruti, quod bos quidam quandoque cum eo locutus fuiſſet, & quod arbor fici ad eius vocationem, & imperium ad terram inclinata ad eum humiliter acceſſit. Dicunt etiam quod Lunam ad ipſum deſcendentem in ſinu ſuo recepit, & ipſam Lunam in partes ab eo diuiſam iterum coniunxit. Aſſerunt etiam quod cum venenum in carne agnina aliquando ſibi fuiſſet oblatum, agnus locutus ſit ei dicens: In me habeo venenum, caue ne me ſumas in cibum. Socius autem eius qui cum eo in menſa ſedebat ex eo comedit, & vitam veneno amiſit. Ab illo tamen die poſt annos decem, & octo Machometus veneno ſibi occultè dato interijt, nec tamen mortem ſuam pſeudo-Propheta preſciuit. Ipſe autem diuino percuſſus iudicio morbo caduco laborans aliquando in terram cadendo ſpumabat. Prædicta autem vxor eius præ verecundia, & morbi abominatione volebat eum dimittere. Ipſe autem dicebat vxori ſuæ, quod Angelus Domini Gabriel ei loquebatur, ipſum de lege quam dabat hominibus inſtruens, & Dei mandata ad ipſum deferens, ipſe verò præſentiam Numinis corporaliter ſuſtinere

non

non poterat, ſpiritus autem eius quaſi in ecſtaſim raptus Angeli vocem audiebat, & præcepta firmiter retinebat. Mulier autem ſimpliciter credidit, & ſic in matrimonio cum ipſo remanſit. Erat luxurioſus, & libidinis ardore ſuccenſus ſuper omnes homines Orientalis regionis; ex quo tamen in immenſum gloriabatur, iactans ſe ſolum ſupra quadraginta homines ex diuino munere virtutem generatiuam habere, & coeundi ſupereminentem poteſtatem a Deo accepiſſe. Vnde quindecim duxit vxores, exceptis ancillis, & concubinis quas omnes zelotypiæ ſpiritu impulſus ita recluſerat, quod nunquam poterant exire, nec vlli homini alij fas erat eas videre, vel ad eas aliquo modo intrare. Vnde vſque hodie Sarracenorum, & ſere omnium Orientalium mos eſt, quod vxores ſuas ita recludant, vt vix Solis radium videre queant, ab earum etiam colloquijs conſanguineos quantumcunque proximos, prorſus priuantes. Virgines etiam earum ita coram hominibus vultum abſcondunt, & collum & manus quibuſdam linteaminibus velant, quod plerumque aliquis vxorem duxit, nec faciem eius, antequam eam traduceret, agnouit. Quandoque autem contra aliquam earum iurauit iratus, quod ad eam per menſem non intraret, ſed libidinis ſuæ turpitudine deuictus, ſpreto iuramento, ante terminum eidem commiſcebatur. Ab alienorum vxoribus nullatenus homo impudicus abſtinebat, ſed paſſim quaſcumque ſibi placentes habere poterat, adulterio polluebat: ita quod cum propter hoc infamaretur, & a multis accuſaretur, & maximè a ſocijs erroris ſui, & coadiutoribus maleficij reprehenderetur, ipſe, ad ſui excuſationem, & populi indignationem ſedandam legem promulgauit, quæ vſque ad præſentem diem a Sarracenis firmiter obſeruatur, de adulterijs videlicet puniendis: vnde mulier adultera apud eos occiditur. Sibi ſoli tamen dixit eſſe a Domino, Angelo Gabriele nunciante, in priuilegio ſpecialiter conceſſum, quod ad aliorum vxores poſſet accedere, & prophetas, & filios virtutis ad cultum Dei generare. Timens autem ne de adulterij crimine blaſphemaretur, finxit quod charta de cælo miſſa fuiſſet illi a Deo, in quo a Domino mandaretur, vt genti ſuæ legem promulgaret, quatenus ſi quis vxorem repudiauerit, ſi alius eam recipere voluerit, vxor illius ſit qui eam ſuſcepit. Porcus autem ille, & canis immundus in tantum libidinis feruorem exarſit, quòd ipſe alijs conceſſit modum turpitudinis, quo in proprijs vxoribus abutebatur. Ait enim in libro ſuo, quem vocat Alchoranum: Si vxores, vel ancillas habetis, ipſas pro modo veſtro ad voluntatem veſtram parate. Pro quo execrabili verbo ſtatim viuus deberet concremari. Per hoc enim latenter vitium ſodomiticum hoſtis naturæ in populo ſuo introduxit: vnde ipſi ex maxima parte non ſolum in vtroque ſexu, ſed etiam in brutis turpitudinem abuſiuè operantes, facti ſunt ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Hæc autem de peſſima, & abominabili eius vita, parua de magnis, pauca de multis dicta ſufficiant. Subiungit poſtea de eius execrabili

bili lege quatenus cuiuſdam peruerſi Monachi, & alterius Iudæi conſilio eam promulgauit. In qua ſecundum ritum Iudæorum circunciduntur Sarraceni. Carnes autem (inquit) porcinas non comedunt; cuius rationem cum vellet Machometus aſsignare, dicit, quod ex fimo cameli porcus poſt diluuium fuerit procreatus: vnde tanquam ex immunditijs natus, non debet a populo mundo manducari. Similiter piſces non habentes ſquamas, ſecundum conſuetudinem Iudæorum non manducant. In hoc autem cum Chriſtianis conueniunt, quod credunt vnum ſolum Deum omnipotentem, omnium Creatorem. Trinitatem autem non recipiunt. Subiungit infra. Aſſeruit etiam pſeudo-Propheta vera quædam falſis interſerens, quod Moyſes fuit magnus Propheta, ſed Chriſtus maior, & ſummus fuit Prophetarum ante tempora ſua; natus ex Maria, Virgine ante partum, & in partu, & poſt partum, omnium fœminarum ſanctiſsima, conceptus de virtute Dei, abſque ſemine carnalis hominis. Poſtea vero venenum infidelitatis adnectens, aſſerit ipſum fuiſſe purum hominem, ſicut alij Prophetæ, non dij, ſed puri homines fuerunt. Neſciens autem humilitatis virtutem, & Sanctæ Crucis myſterium ignorans, aſſerit cum Manichæis, quod Chriſtus nec verè fuit crucifixus, nec verè paſſus, nec in veritate mortuus, nec ſepultus, nec tertia die reſurrexit, ſed alius quidam homo ſimilis ei pro eo fuit crucifixus: Chriſtus autem ſicut a Deo venit, ita ad Deuum viuus abſque vlla mortis paſſione redijt, & in cælos ad Deum, qui miſerat eum, aſcendit. Aſſignat inferius latiſſimum diſcrimen quod eſt inter Euangelicam legem, & Mahumeticam illecebroſam ſectam. Lex enim (inquit) Euangelica auaritiam, & terrena deſideria deteſtatur, carnales voluptates, & fœdas concupiſcentias, tanquam inimicas animæ prohibet, & execratur. Vnde fluxus carnalis voluptatis reſtringere, & motus illicitos cohibere, & curam carnis in deſiderijs non perficere, & corpus præcipit ſpiritui ſubiugare, terrenis lucris non inhiare, mundana, & tranſitoria omnia contemnere, inimicos diligere, nulli malum pro malo reddere, pro perſecutoribus orare, & multa iubet talia. Et poſtea. Carnales autem, & imprudentes Sarraceni lucra temporalia, & terrena deſideria, & præſentis vitæ delitias, futuram beatitudinem nullatenus credunt impedire. Vnde more pecudum poſt carnis concupiſcentias abeuntes, in luto voluptatis obſcenæ infixi, mortui, & ſepulti, nullis vitijs reſiſtere norunt, ſed carnis paſſionibus miſerabiliter ſubiecti, & ſuppeditati, plerumque non prouocati ab appetitu, credunt eſſe meritorium fœdos appetitus prouocare. Ex quo infert cauſam ob quam abominabilis Mahumeti lex in principio fuerit recepta. Ex quo factum eſt, quod in partibus Orientis, & maximè in calidis Regionibus bruti, & luxurioſi homines, quibus auſteritas Chriſtianæ Religionis intolerabilis, & importabilis videbatur, arctam viam, quæ ducit ad vitam, & anguſtam portam deſerentes, latam, & ſpatioſam viam, quæ ducit ad mortem facilè ſunt ingreſſi.

In-

Inferius etiam: Quoniam ille, homo libidinoſus plures habuit tam vxores quam concubinas, conceſsit, & meritorium prædicauit cuilibet plurimas habere vxores, & tot concubinas quot poſſet procurare, & in neceſſarijs prouidere. Alia prætermittimus breuitati conſulentes, ſed non quæ de Mahumeti morte, & ementita reſurrectione, ſic ſcribit: Cum autem annis 40. miſerabilem vitam Mahumetus protraxiſſet, & morte ſibi imminente, veneno ſe oppreſſum ſenſiſſet, dixit cognatis, & amicis ſuis: Quando me mortuum videritis, corpus meum nolite ſepelire: ſcio enim corpus meum poſt triduum in cælum eſſe deferendum. Cum igitur indignam vitam digna morte terminaſſet, diſcipuli eius,& ſocij non ſolum per triduum, ſed per dies duodecim corpus ſeruauerunt, expectantes vtrum in cælum deferretur. Videntes autem magiſtri ſui dicta prorſus irrita eſſe, & effectu caruiſſe, cum iam intolerabilis eſſet fœtor cadaueris, ipſum corpus aqua non lauantes, ſub terra abſconderunt. Qui autem inter eos prudentiores fuerunt, deprehenſa ſeductoris falſitate, omnia quæcunque dixerat, falſa, & irrita æſtimantes, ab eius lege diſceſſerunt. Cum autem ad exemplum eorum omnes fere alij vellent diſcedere, cognati Mahumeti, & ſocij, qui prius in honore, & reuerentia apud populum habebantur, & occaſione legis multa lucrabantur, mœſti, & confuſi cum multis blanditijs, & promiſſionibus cœperunt omnibus modis ſimplices attrahere, & ad ſectam prædictam animos eorum inclinare.] Hæc Vitriacus S. R. E. inſignis Cardinalis. Cumquo, conſiderans mirabiles progreſſus, quos iſte Antichriſti præcurſor, eiuſq; abominabilis Secta, quæ totam ferme Aſiam, & Africam, & magnam Europæ partem oppreſſit, effecerunt, exclamare ad Deum Chriſtianus populus poteſt. *Iuſtus es Domine, ſi diſputem tecum; verumtamen iuſta loquar ad te. Cur beſtiæ tam crudeli tam laxas habenas conceſſiſti? Quare tanquam potens crapulatus a vino, & tanquam vir potens, qui ſaluare non poteſt, tanto tempore ſiluiſti, conculcante impio, & vaſtante vineam tuam, & tot animarum millia, pro quibus ſanguinem fudiſti, tibi auferente? Cur fortis armatus inimicus noſter tanto tempore in pace cuſtodiuit atrium ſuum, & fortior non ſuperuenit, qui vaſa eius potenter auferret, eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum, & pauperem a diripientibus eum?* Quæ maximè præ cæteris Religioſis, Carmelitani exclamare poſſumus; cum (teſte Baptiſta Mantuano *in Apolog. pro Carmelitis*) olim dum Aſia, & Africa Chriſtum ſapiebant, in regionibus illis, vt in noſtris Annalibus continetur, habuimus ſeptuaginta & amplius Monaſteria, ampla, pulcherrima, atque magnifica: inter quæ erant fere omnia loca, quæ Chriſtus, & mater eius ſua conuerſatione celebrarunt.

Ann.

Ann. Chriſt. 614. vſque ad 617. Deuſdedit Rom. Pontiſ. 1. vſque ad 4. Heraclij Imper. 5. vſque ad 8.

Geſta huius temporis.

1 DEVSDEDIT Romanus hoc quadriennij tempore poſt Bonifacij IV. obitum Pontificatum gerebat; non ſatis iucunde, quia tunc contigit Coſdroæ Perſarum Regis illa inuaſio in S. Ciuitatem, totam Syriam, Zachariam Ieroſolymorum Antiſtitem, & Chriſtianos ibi repertos, ac Sanctiſsimum Chriſti Crucis lignum, quam ex Boſtio noſtro ſuperius *ſub ann. 606.* deſcribere cœpimus, quamque narrant Theophanes, & Chronologi alij: & veluti hiſtoriæ noſtræ propriam, propter damna videlicet, quæ ex ea Monachis noſtris contigere, eam notant ex hiſtoricis Ordinis B. Cyrillus Conſtantinopolitanus in libro, ſeu Epiſtola ad Euſebium *in Specul. Ord. lib. 8. cap. 1.* & Ioannes de Malinis *in Specul. hiſtor. cap. 6.* dicens: *Anno Domini 617. Coſdroas quidam prophanus regnum Perſarum adeptus, Ieroſolymam aduenit, & Eccleſias ſubuertit, atque totam Prouinciam deuaſtauit.* De exteris eandem nonnulli proſequuntur hiſtoriam, ſpecialiter Iacobus de Vitriaco *in hiſtor. Ieroſolymitana cap. 2.* alijque. Ex quibus Leontius in Vita D. Ioannis Eleemoſynarij exactè tradit, qualiter hic Sanctus vir, illos, qui Alexandriam perſecutionem fugientes ſe receperant, ſuſceperit, aluerit, rebuſque neceſſarijs recreauerit.

Antiochus.

2 Maximè quid circa Monachos (quod noſtrum tangit ſcopum) acciderit tunc, ſic narrabat Antiochus Monachus Palæſtinus Abbas Lauræ S. Sabæ, quam Elianorum poſſeſsionem fuiſſe, tum in hoc Tomo, tum in præcedenti ſæpius inculcatum. Hæc ergo teſtis hic ocularis *in præfat. ad Euſtachium Abbatem* dicit; de Perſiæ barbaris loquens, & eorum feritate in Monachos: *In efferaciſſimam verſi rabiem ad vnum membratim beatos illos conciderunt, qui & lætitia incredibili perfuſi, ac proinde alacri vultu omni cum actione gratiarum animas reddiderunt Domino: quippe qui non ita pridem in votis habuerant reſolui, & cum Chriſto eſſe.* Vnde iungit inferius poſt actam memoriam Abbatum Nicomedis, & Modeſti Monachorum illuſtrium: *Viri iuſti tolluntur, & nemo recogitat. A facie iniquitatis ſublatus eſt iuſtus. Erit in pace ſepulchrum eius. Et, animæ iuſtorum in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum. Illi enim ſunt in pace. Et ſpes illorum immortalitate plena. In paucis vexati, in multis bene diſponentur: quia Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos ſe, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit eos, & in tempore viſitationis ipſorum ſplendeſcent, ac reſulgebunt.* Narrat poſt hæc quod eiuſdem Modeſti ſuaſu coactus fuerit in ea Laura per duos propè menſes manſitare, etſi rurſus nouæ barbarorum incurſionis rumore exterriti in aliud Monaſterium Abbatis Anaſtaſij commigrauerit. Commemorat etiam quendam Abbatem Iuſtinum tenacem, & obſeruantem *canonis, & cæterarum conſtitutionum*

Lau-

Laurenſis Cœnobij. Quod notet lector, vt videat Monachos, & Cœnobia iſta non ſub Baſilio, aut Auguſtino, multominus ſub Benedicto militaſſe. Vnde inferius inquit: [Semen eſt hic Sancti Patris noſtri Sabæ. *Inferius ſic:* Numerus proinde Sanctorum Patrum, quos tyrannica ſuſtulit impreſſio eſt 44. Horum memoria Maio menſe celebratur 15. menſis die. Gratia item Chriſti, ſed & ſolerti ſedulitate iam dicti venerandi apprime Patris noſtri Modeſti, cuncta id temporis incoluntur effuſa iſtius eremi Monaſteria. *De illo autem Modeſto hæc ſubiungit:* Modeſtus ſanctitatis eximiæ vir (de quo non ſemel dictum) non eorum modo prouidam gerit curam ſollicitus, quæ per hanc vaſtam eremum ſparſim diſiecta ſunt Monaſteriorum: ſed & moderandæ huic ciuitati, ac vniuerſæ circum finitimæ regioni ſolerter proſpicit, Deo eidem cooperante in omnibus. Hic enim ad viuum nobis exprimit imaginem noui cuiuſpiam Bezeleelis, aut certe Zorobabelis. Gratia etenim plenus Spiritus Sancti, templa Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, quæ quidem barbarico igni conflagrarunt, in ſublime erigit, omni prorſus digna veneratione, puta Ædes Sanctæ Caluariæ, ac ſanctæ Reſurrectionis, domum inſuper dignam omni honore venerandæ Crucis, quæ mater Eccleſiarum eſt. Sed & ſanctæ Aſſumptionis ædem a fundamentis exædificat, adeo vt per hæc læta initia de futuris quoque ſpes ampliſſimas concipiamus, idque vel ob eos maxime qui huc ſperantur venturi ab externis regionibus, ſancta hæc loca vt adorent, vt omnes in commune glorificemus Deum. *Qui porro fuerint ſancti illi Monachi ea tempeſtate trucidati, ex Vaticano codice apud Baronium ſic habemus, eodem Antiocho atteſtante:* Illud tantum dicam, quod re vera homines erant diuini (ſi homines tantum illos oporteat dicere, potius quam Angelos, cum in exercitatione ſpirituali, & Monaſtica vita, & laboribus quos pro pietate ſuſtulerunt a iuuentute ſua, inſenuerint) ſenes quidem venerandi, & canos capillos habebant, ſed mente magis præſtabant, & humilitate, honeſti, modeſti, veridici, irreprehenſibiles, iuſti, pij, ab omni turpitudine, & prauitate alieni, omnibus bonis exornati, & diuino repleti amore: nonnulli ipſorum centum exceſſerunt annos, & quinquaginta ſex in quieta, & monaſtica vita cum peregiſſent, nec e Laura, & Monaſterio vnquam receſſerunt: nonnulli verò neque ad Eccleſiam proceſſerant, nec Ciuitatem amplius viderant, ex quo vitam Monaſticam ſemel fuerant amplexati: varijs etiam virtutibus emicabant, terreſtres ſcilicet Angeli, & cœleſtes homines: quapropter hunc finem ſunt adepti, & victoriæ præmium ſunt conſecuti.] Laudemus ergo viros iſtos glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.

Modeſtus.

3 Aptè quoque pro noſtra hiſtoria notandum, quod homiliæ illæ, quas celebris hic Pater Antiochus ſcripſit, & quæ in ſecundo Tomo Bibliothecæ veterum PP. etſi apud me in Appendice ad eam, cernuntur, numero 130. ab eo elaboratæ fuerunt eo tempore, vt ſuis prodeſſet Monachis

Antiochi homiliæ.

nachis non valentibus loco vno conſiſtere, ſed ob eorumdem barbarorum graſſationes huc atque illuc per loca deſerta ſalutem ſibi quærentibus, vt ſcilicet illi in tanta penuria verbi Dei, ſecum in pera ſua ferrent quem manducarent panem ſpiritualem, ac ne exortes penitus eſſent Monaſticæ vitæ Inſtitutorum. Quod autem iſtud fuerit animi ipſius conſilium, accipe ex ijs quæ ipſe earum exordio eſt præfatus ad Euſtathium *homil. 66.* cuius exhortatione elaborandum opus ſuſceperat. *Tale enim*, inquit, *ſcribendi munus veſtra ſuſcepi exhortatione: quod momentis ſingulis loca, & ciuitates permutare cogimur per hanc Chaldaicæ gentis tempeſtatem, quæ totum pene terrarum Orbem ſua premit tyrannide.* Et paulò poſt: *Non auſus vni vobis peculiariter, ſed in commune omnibus qualemcunque hanc inferre doctrinam.* Hæc hauſimus ex Baronio *ſub anno 614. §. Porrò ſciendum*, vt clarius innoteſcat id quod ſæpius coacti repetimus, quod ſcilicet, etiam poſt Baſilij Inſtitutiones, in illis partibus Syriæ, erant alij Monachorum Inſtitutores ab ipſo nihil pendentes, & antiqui, ac Eliani Monaſtici cultores, in his præſertim Lauris, vbi hi inhabitabant. Quod & hauriet lector, ſi homilias 89. & 112. huius P. Antiochi euoluerit, & ea quæ nos accepimus *tom. 1. in Appar. cap. 5. num. 18.*

Euſtaſius. 4 Erat per id tempus in Monaſterio Luxouienſi in Gallijs a B. Columbano, de quo in ſuperioribus, erecto, Euſtaſius, eiuſdem Columbani ſucceſſor, & veluti alter Eliſeus, ſui Eliæ ſpiritus hæres, & Magiſtri Inſtitutorum obſeruator celebris. Cuius ſubditus erat Agreſtinus ſuperbus Monachus, qui propterea primum prædicationis munus ad gentes ambijt, deinde infructuoſe rem cum geſſiſſet, Aquileiam tranſijt; ſchiſma contra Romanum Pontificem ſcuit; pro eo litteras ad Attalam Bobienſis Cœnobij Patrem miſit; aduerſus Regulam B. Columbani inſurrexit; eiuſque Inſtitutiones ſugillauit. His omnibus opponebatur humilis, & pius Euſtaſius, Agreſtinum ad diuinum iudicium intra vnius anni circulum prouocans. Nec in caſſum, quia intra anni metam a ſeruo percuſſus ſecuri interijt, quin & ipſius ſocij partim a lupo laniati, partim a fulgure ingenti percuſſi obierunt; etſi quendam Amatum pœnitentiam egiſſe humilem ex quodam Epitaphio ſuo ſepulchro impoſito eliciatur. Hæc cum multis alijs Ionas Monachus eius temporis apud Bedam, & ex illis Baronius *ſub ann. 617.* Quibus roborantur, quæ in ſuperioribus diximus de Regula Beati Columbani, etiam poſt tempora D. Benedicti vigente. Cum autem hic Euſtaſius S. Columbani alumnus fuerit, ſimile cum ipſo Inſtitutum ſectatum fuiſſe dicere cogimur; non Benedictinum, prout Trithemius, & Vvion poſt ipſum *in Martyrolog. Monaſt. die 29. Martij, & 12. Octobris* autumant.

Agreſtinus.

Attala. 5 Clarus etiam, & inſignis eo tempore fuit B. Attala relatus, eiuſdem quoque Columbani diſcipulus, Inſtituti, ac Regulæ ſectator. Qui multa etiam paſſus pro defenſione ſeuerioris diſciplinæ, quam a Columbano didicerat. De ipſo, ipſiuſque egregijs virtutibus Ionas in eius vita,

quæ

quæ etiam habetur apud Bedam *tom.* 3. Vbi Abbas Luxonienſis deſcribitur. Cum tamen in Vita S. Euſtaſij apud eoſdem authores Bobienſis Cœnobij *Pater* nuncupetur, & in Vita B. Bertolfi Abbas Bobienſis etiam vocetur. Vtrumque ergo munus obijſſe videtur. De ipſo Vvion *in Martyrolog. Monaſt.* 10. *Martij* Benedictinis PP. hunc Attalam annumerans, Trithemium ſequens, de quorum fundamento ſæpius dictum.

6 Pariter referenda ad idem tempus S. Burgundoſora Abbatiſſa, de qua Ionas, & Beda relati. De ipſa primò habetur in eius Vita: *Beata Burgundoſora Monaſterium, quod Euoricas appellatur, cui ipſa venerabiliter præerat, omni intentione, ac deuotione ſecundum Regulam S. Columbani inſtituit, & ad exemplum SS. PP. præcedentium cum alijs ancillis Dei religioſam vitam inibi duxit.* Vbi iam ergo erit, qui ſolam Benedictinam Regulam hoc tempore in Eccleſia fuiſſe contendat? Vnde liberè Gallonius *in Apologet. contra Bellotum pag. mihi* 31. falſitatis eum conuincit, quod id dixerit. Eo etiam quod ex iſta Burgundoſoræ hiſtoria eliciatur Inſtitutiones aliquas in eo Monaſterio fuiſſe alienas prorſus a S. Benedicti Regula. Mirabiliter geſta ab hac Virgine ex eius vita accipiet lector; nos enim, ea dumtaxat quæ ad hiſtoriam noſtram continuandam ſpectant, tangere debemus. Etſi videamus Vvionem *in Martyrolog. Monaſtic. die* 3. *April.* hanc Diuam Virginem Virginibus Benedictinis aſſociare. S. Burgundoſora.

7 Indigitandus etiam pro hoc eodem tempore S. Arnolfus Epiſcopus Metenſis in Gallijs, tempore Dagoberti Regis, cuius magiſterium geſſerat, ſanctitate florens. Similis enim Inſtituti, ac prænominati a nobis, aſſecla videtur fuiſſe; cum Monachis alijs etiam eremum colens, prout ex eius vita apud Bedam *to.* 3. habetur. Vbi maximè illud; quod relicto Epiſcopatu, pauper effectus, *Veluti nouus Elias ad eremum properat, & inter beſtias, & feras quotidiana meditatione laudes Deo perſonat, aſcitis ſecum aliquantis Monachis, &c.* S. Arnolfus.

Ann. Chriſt. 618. vſque ad 625. Bonifacij V. Rom. Pont. 1. vſque ad 8. Heraclij Imper. 9. vſque ad 16.

1 SVMMO Pontifici *Deuſdedit* ſuccedit hoc tempore Bonifacius V. Neapolitanus. Heraclius autem Imperator ſollicitè & totus erat in paranda expeditione aduerſus Perſas, mutuatas pecunias ab Eccleſijs poſtulans, non prohibente S. Ioanne Eleemoſynario Alexandriæ Antiſtite ob cauſæ pietatem. Vnde exercitum mouit, Conſtantinopoli relicta; legiones ducit in Aſiam, ac in Armenia memorabilem victoriam contra Perſas obtinet, fugato ſuperbo Coſdroa, qui omnem pacis conditionem repudiauerat, niſi fide, & Crucifixo abnegatis Solem Chriſtiani adorarent. Deinde in Perſide quoque ipſa plures contra barbarum Crux Sanctiſſima ibi captiua, victorias, Heraclio medio, reportauit, hoſtem profligauit, & ad ſum- Bonifacius V. Papa.

mam calamitatem redegit. Anaſtaſius, Zonaras, Cedrenus, & alij Græcorum Annales, ex quibus id hauriunt Latini.

S. Anaſtaſius 2 Spectat maximè ad hiſtoriam noſtram S. Anaſtaſius nobilis Perſa, qui in Perſarum exercitu hoc tempore cum Sai Duce militans, ſuos relinquens, Chriſti fidem, & Carmelæam Eliæ Religionem, ac tandem martyrij palmam ſuſcepit. Prius tamen, quam eius geſta deſcribere incipiamus, operæpretium eſt oſtendere ipſum Carmeli vineæ palmitem, & ſobolem extitiſſe. Id autem ſufficienter pijs lectoribus arridebit, ſi attenderint huius Diui Officium Canonicum a tempore antiquo in Ordinis noſtri vſu fuiſſe cum hac Oratione, ſeu Collecta: *Deus in te ſperantium fortitudo, qui Sancto Anaſtaſio Monacho Inſtituta Eliæ profitenti auxilium gratiæ tuæ ad vincula, & verbera cum ſeptuaginta alijs pro Chriſti Religione conſtanter ſuſtinenda præſtitiſti, adeſto propitius inuocationibus noſtris, vt in exequendis mandatis tuis, eorum precibus, & voluntate tibi, & actione placeamus. Per Dominum, &c.* In Kalendarijs etiam cum titulo *Ordinis noſtri* hic Anaſtaſius deſcribebatur, & eum communiter Ordinis hiſtorici noſtris aſcribunt, ſpecialiter Arnoldus Boſtius *in Speculo, ſeu Opere hiſtoriali lib.5. cap.79.* Palæonydorus *lib.2. cap.9.* Coria *lib.9. cap.22.* Petrus Lucius *in Compend. cap.11.* & poſt illos Thomas de Ieſu, Petrus Thomas Sarracenus, Michael de Fonte, Franciſcus a S. Angelo, Emmanuel Romanus, Guadalaxara, Embum, Pintus, & Caſanate. De exteris etiam authoribus ſubſcribunt Ioannes Carthagena *in homil. pro Ordine Carmel.* Laurentius Beyerlinck *in Theatr. Vit. hum. to.6. lib.16. verb. Religioſus, Religio.* Vnde eiuſdem S. Officium pro Carmelitis approbatum eſt a S. Congreg. Rituum ann.1609. ſub Paulo V. & ſub Vrbano VIII. ann.1628. vbi hæc ſpecialis Oratio aliquantulum diuerſa ab ea quæ retulimus, legitur. *Deus in te ſperantium virtus, qui de Carmeli ſolitudine ad ſubeundam martyrij palmam B. Anaſtaſium euocaſti; quæſumus vt ad ſalutarium tolerantiam paſſionum eiuſdem accendamur exemplis. Per Dominum, &c.* Ex quibus, leuis apparebit quorundam Ordinis Baſiliani ſtudioſorum ſententia, quæ ipſi hunc Anaſtaſium aſcribit, nullo alio fundamento nixa, niſi quia ſibi illi perſuaſerunt Monachos cunctos, Orientales præſertim, poſt D. Baſilij Inſtituta, ſub eo vixiſſe; quod in præcedentibus ſæpius oppugnatum eſt; ac leuior Trithemij, viri alioquin eximij, qui Benedictinæ ſcholæ eum annumerat *lib.3. de vir. Illuſtr. Ord. S. Benedicti cap.68.* quem ſequitur Vvion *in lign. vitæ lib.3. in Martyr. Monaſtic.* 22. *Ianuar.* Eodem fulcro nixus, cum tamen vix aliquod fundamentum adduci poteſt, quo vel mediocriter oſtendatur Monaſteria illa, in quibus iuxta Ieroſolymam verſatus eſt Anaſtaſius, aliquid commune cum Benedictinis habuiſſe, vtpote, quia antiquiora illis erant. Rem tangit Ioannes Bollandus *in Act. Sanctor. pro die 22. Ianuar. in Vit. S. Anaſt. §.3. nu.13.* ſic dicens de huiuſcemodi Cœnobijs. *Verùm, an hæc Monaſteria Inſtitutum S. Benedicti aſſumpſerant eo tempore, nullum apud Ioannem Moſchum,*

alioſque

alioſque eius æui Scriptores veſtigium reperimus. Non cenſet inter Benedictinos Anaſtaſium Yepes: cenſent Trithemius, Vvion, Menardus, & Dorganius. Canonicis annumerat Ghinius. Carmelitæ vt ſui Ordinis alumnum Officio duplici colunt. Sane, cum hoc fiat Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nutu, poterat pius, & doctus Bollandus clarius pro Carmelitis ſententiam pronunciare. Eo etiam, quod S. Anaſtaſium Colobio (quod propria teſſera Monachorum vetuſtorum erat, prout *tom.* 2. *in Apparatu cap.* 7. *num.* 16. diximus a quibus Carmelitæ originem trahunt) vſum fuiſſe etiam cum occideretur, Acta ipſius ex veteri Græco manuſcripto Latinè redito apud eundem Bollandum habent.

3 Ad ipſius porro geſta accedentes, quæ quidem, non a Metaphraſte ſcripta, ſed potius deſcripta fuere, & ante ipſum cognita, & approbata a ſecunda Synodo Nicæna, & emendata a Beda, & apud Surium *tom.* 1. *ſub* 22. *Ianuarij*, & Bollandum *ſupra*, talia ſunt, prætermiſſis noſtris hiſtoricis, qui in eis hallucinantur. Anaſtaſius ergo antea *Magundat* dictus, in vico Raſnuni regionis Razech in Perſide natus, filius fuit Bau præſtantiſſimi magi, qui etſi multos in ea arte diſcipulos habuiſſet, maximè tamen curauit vt filius in præſtigijs præſtantiſſimus euaderet. Cum ergo ſanctiſsima Chriſti Crux in Perſidem deportata occultè in illius gentis corda ſalutis operaretur Sacramenta, in vnum adoleſcentem noſtrum mirificè interne perſuadebat, ei ſuadens, vt pia curioſitate ſciſcitaretur citius quidnam Crux illa myſterij contineret. Cumque audiret eam eſſe Crucem, in qua Dei filius pro hominibus crucifixus eſſet, qui & Deus pro illis factus homo, deſiderium paulatim ei innaſcebatur Chriſtianæ fidei ſuſcipiendæ. Ergo cum quodam alio ſuo germano fratre in exercitu Sain Ducis militando, Perſicum exercitum, & fratrem relinquens, ad Chriſtianorum tranſijt partes. Hierapolim venit; ad quendam Perſam Chriſtianum argentarium arte diuertit; inde Ieroſolymam, vbi etiam Eliam quendam Presbyterum, & poſtea Modeſtum eam Sedem ob captiuitatem Zachariæ moderantem, conuenit: hinc baptiſmi lauacro regeneratus, mutato nomine, Anaſtaſius appellari voluit. Poſt octoginta dies, quibus non licebat recens baptizatos egredi, habitum Monaſticum ab Elia poſtulans, ab eo ducitur ad Elianorum Cœnobium S. Anaſtaſij nuncupatum, ad quartum lapidem a ſancta Ciuitate remotum, vbi ab Abbate Iuſtino viro ſpirituali, & Sancti ſpiritus donis illuſtrato illum recepit anno 10. Imperij Heraclij, qui correſpondet anno circiter Chriſti 619.

4 Quodnam porro fuerit hoc Elianorum Cœnobium, in quo Anaſtaſius nomen dedit, diſquiri oportet. Etenim ex noſtris quidam dixerunt fuiſſe Monaſterium illud Ieroſolymitanum, quod erat antiqua Ordinis poſſeſsio, iuxta portam *Auream* dictam, de quo in præcedenti Tomo nonnulla dictum. Rectius tamen, & conformius ad hiſtoriam huius Sancti, quam ex Metaphraſte, & Beda referunt Surius, & Bollandus, Cœnobium S. Anaſtaſij.

 ſentit

ſentit Coria *ſupra* fuiſſe Lauram aliquam ex illis, quæ iuxta S. Ciuitatem ab antiquis temporibus extructæ erant, de quibus plura in ſuperioribus. Addit tamen fuiſſe Lauram S. Sabæ; quod eſt veriſsimum, ſiquidem in Menologio Græcorum expreſsè dicitur: *Factus Monachus in Monaſterio S. Sabæ*. Quod late, & doctè proſequitur Bollandus relatus. Placet & id quod ſubiungit Coria, nempe Anaſtaſium noſtrum antequam Ieroſolymam veniſſet Chalcedonem appuliſſe, & inde Carmeli Anachoretas viſitaſſe, & ab ipſis in fide Chriſtiana, & Monaſtica diſciplina inſtrui cœpiſſe, & poſt Ieroſolymis ipſarum Inſtitutis ſe nuncupaſſe. Fauet ad intentum Collecta illa ſuperius relata, & a S. Rituum Congregatione pro eo approbata, ibi: *Qui de Carmeli ſolitudine ad ſubeundam Martyrij palmam B. Anaſtaſium euocaſti*. Etſi in alio quoque ſenſu, congruentiori forſan, hæc in ſequentibus, explicabimus.

Iuſtinus Abbas. 5 In ea ergo Laura, ſeu Cœnobio, ſub Iuſtini Abbatis diſciplina manens, etſi culinæ, & horti miniſterio incumberet, a fratrum tamen Synaxi nunquam abſuit. In diuinarum ſcripturarum lectione, & vitarum SS. PP. totus erat: ad audiendum mente vigilans, & de ijs, quæ ignorabat alios interrogans. Maximè Martyrum trophæa non ſine lachrymis volutabat, martyrij deſiderium concipiens. Infeſtas propterea paſſus eſt diaboli tentationes, ſuperno tamen ab ipſo auxilio implorato, ſuique magiſtri documentis, ab eis liber euaſit. Sic per ſeptennium in ſuo illo, & noſtro Cœnobio vitam tranſegit, donec a Deo ad Martyrij gloriam euocatus fuit, prout ex dicendis *ſub ann.626.* patefiet.

S. Iſidorus. 6 Interim in Hiſpania S. Iſidorus Hiſpalenſis Antiſtes noſtris annumeratus Annalibus propter ea, quæ *ſub ann.578.* ſcripſimus, Synodis celebrandis, Eccleſiaſticis negotijs promouendis, & Monachis a conſuetudine cum Deo dicatis virginibus remouendis, incumbebat. Rem geſtam ex hiſtoricis Hiſpanicis habet lector, & cauſam coniectandi Monachos, & Moniales iſtas Prophetici Ordinis æmulatores fuiſſe, non alterius recentioris, ſicut de eodem Iſidoro manet probatum relato loco. Quod ex eo non tam coniectari, aut ſuſpicari, quam certò credi poteſt, quod Regula, quam pro ipſis tradidit, veluti epilogus eſt antiquiſsimæ illius Eſſenæ, quam Eſſeni ipſi, & omnes Orientales, Ægyptij maximè, & Palæſtini Monachi obſeruabant. In vtraque enim Melotarum, Præpoſitorum, Decanorum, & ſimilium documentorum mentio habetur, vt notat Muñozius noſter *in Propugnaculo Eliæ lib.2. tit.2. cap.4. art.3. n.5.* Vbi etiam §. *In quo oſtenditur* idem proſequitur ex eiuſdem Iſidori verbis in Regulæ calce. Vnde Benedictus Haeftenus, Benedictinus & ipſe Monachus, *in ſuis diſquiſit. Monaſtic.* prout eo anno 578. annotauimus, conqueri videtur quod S. Iſidorus in ſua Regula conformia Inſtituta cum Benedictina non habeat. Sed quidni? ſi Benedicti alumnus non erat, & vetuſtioris Monachiſmi Prophetici æmulator? Tanti porrò Præſulis vitam S. Braulius Cæſarauguſtanus Epiſcopus, S. Illefonſus Toletanus

eiuſ-

eiuſdem Iſidori diſcipulus, & Monachiſmi collega, & alij plures ſcripſerunt. Ex quibus plurima ipſius encomia hauriet lector. Nos illud, quo Concilium Toletanum 8. *can.* 7. eum celebrauit, hic adiungimus, quod & affert Baronius *in Annotat. ad Martyrolog. Roman.* 4. die Aprilis. *Noſtri ſaeculi Doctor egregius, Eccleſiae Catholicae nouiſſimum decus, praecedentibus aetate poſtremus, doctrinae comparatione non infimus, atque quod maius eſt, ſaeculorum finitorum doctiſſimus cum reuerentia nominandus Iſidorus in libro ſententiarum, &c.* Nec prætermittendum aliud, quod in eius legenda pro 4. Aprilis die habet S. Hiſpalenſis Eccleſia *lect.* 6. officij ipſius, quia ad Antiſtitum, & Monachorum inſtructionem ſpectant. *Quod neceſſarijs Eccleſiae occupationibus ſupererat id totum fere & orationibus, & doctis lucubrationibus impertiebatur, quae multa, eaque praeclara excellentis ingenij monumenta peperit, quibus Eccleſiaſticam diſciplinam multum prouexit, & ſtudia illuſtrauit.* Audiendus præterea Muñozius ſupra relatus S. *Seueriano* vbi hæc de Iſidoro, & alijs fratribus. *Seueriano Duce, inter Hiſpanos nobiliſſimo, Carthaginiſque Spartariae Domino; & Turtura, alias Theodora, illuſtris generis foemina orti ſunt Leander maior natu Hiſpalitanus Praeſul; Fulgentius Aſtigitanus, deinde Carthaginenſis Antiſtes; Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, & Florentina Abbatiſſa Monaſteriorum* 40. *Aſtigijs ad oram maximè amnis Singilis, vulgò Xenil. Primum fuiſſe in Hiſpalenſe Coenobio Monaſticis inſtructum diſciplinis tradit M. Maximus, Æra DXCVII. Reccaredus Hiſpali naſcitur; Leander fit Monachus. Cuius conſuetudine, ac exemplo reliquos fratres vitam profeſſos fuiſſe Monaſticam, certius eſt, quàm quod probatione indigeat, quod Hiſtoricis omnibus in confeſſo eſt. Leandrum* 3. *Kalend. Martias, Æra DCXLI. Iſidorum* 2. *Nonas Aprilis, Æra DCLXXIV. Florentinam* 12. *Kalendas Iulij, Æra DCLXXI. animas efflaſſe, citra controuerſiam eſt. Quorum Epitaphium in Cruce exaratum opere Ildephonſi Toletani, conſtat ex vetuſtiſſimo manuſcripto Codice litteris Gothicis Pariſijs aſſeruato apud Nic. Fabr.*

Crux hæc alma gerit Sanctorum corpora fratrum
Leandri, Iſidorique priorum ex Ordine Vatum,
Tertia Florentina Deo vota perennis
Et poſita conſors, ſic digna quieſcit.

Circa ea porro animaduertat lector ſupputationem per *Æras* antiquum morem fuiſſe apud Hiſpanos. Incipiebat autem *Æra* triginta & octo annis ante Chriſtum; vnde Chriſti annum ex *Æra* annis facile eliciat. Maximè notet, carmina iſta a Muñozio relata magnæ authoritatis eſſe, vtpotè a D. Illefonſo Toletano eiuſdem Iſidori alumno compoſita in translatione S. Fulgentij Leandri, & Iſidori fratris ex Carthagine Spartaria ad Hiſpalim, quæque collegit Iulianus Perez, & habentur in fine operum ipſius *pag. mihi* 154.

S. Florentia. 7 De *Florentia* autem, in relato Epitaphio, & alijs locis *Florentina* nuncupata, quod virgo Sanctimonialis fuerit, eiuſdem per conſequens Inſtituti ac fratres eius Leander, & Iſidorus, non ſolum ex Munozio habetur, ſed & conijci id datur ex Flore Sanctorum Hiſpanico, & Theſauro Concionator. *tom.2. die 14. Martij*. Eſto Vvion *in Martyrolog. Monaſtic. Iunij 20.* S. Benedicti alumnam credat. Agitur porro de ipſa apud Bedam, Breuiarium Toletanum, & Martyrologium Romanum 20. *Iunij*, vbi Baronius. Aliqua carmina de ipſa a S. Illefonſo compoſita habet relatus Iulianus *ſupra pag. 152.* & ipſam commemorant Luitprandi fragmenta *num. 217*.

Nennius Banochorenſis. 8 In Brittanniæ quoque partibus florebat Nennius Bannochorenſis Cœnobiarcha, de quo ſic *in lib. de Script. Britt. ætat. 7. num. 67. circa ann. 620.* Ioannes Pitſeus: *Nennius Monachus Banchorenſis primum Eluoduci Probi, deinde Benlani presbyteri diſcipulus optimus, poſtea Britannorum, & ipſe Britannus eximius doctor, & tandem famoſiſſimi Monaſterij Banchorenſis Archiabbas. Hic vnus erat ex quinquaginta Monachis, qui apud Ceſtriam fuga ſibi conſulentes illi internecioni ſeſe ſubtraxerunt, qua mille circiter, & ducenti confratres eorum vno die ſublati ſunt.* Ea porro Ioannes Balæus *de Scriptor. Britt. Centur. 1.* etſi quoad hiſtoriam illuſtret, quoad Catholicæ tamen Eccleſiæ reuerentiam (quod moris eſt huic apoſtatæ) ſic fœdat, de eodem Nennio loquens: *Bannochorenſe Apoſtolicorum hominum Collegium ingens, cuius Præpoſitura gaudebat Nennius 2100. ante eius tempora inhabitatores habebat, qui non Baſilio, aut Benedicto, ſed ipſi militabant Chriſto Domino. Hi in ſeptem particulares Conuentus diſtincti, iuxta numerum Eccleſiarum Aſiæ, trecentis vnicuique datis, ad S. Trinitatis honorem, earundem Eccleſiarum traditiones ſub titulo Euangeliſtæ Ioannis obſeruabant.* Et infra poſt appendicem ad ann. 1615. *Ad hunc quoque annum Chriſtianus Maſſæus 1200. Monachorum Brittannicorum crudeliſſimam interfectionem trahit, qui dum pro ſuo populo fideliter orarent, ac nollent Romaniſtarum parere tyrannidi immaniter trucidabantur.* Ex quibus tum hiſtoricè, tum impudenter ab impio deſertore fidei, & qui canino dente S. Eccleſiam Catholicam ſemper lacerare nititur, dictis, elici primo datur id quod in ſuperioribus tetigimus de hoc Cœnobio Bannochorenſi, non ſub Baſilij, aut Benedicti ferula, ſed ſub antiquiori Apoſtolica, Aſiatica, & Prophetica fundato. Secundò, de huiuſmodi Monachis, non Baſilianis, aut Benedictinis, ſed Inſtituti Apoſtolici, ac Prophetici alumnis trucidatis. Quæ veluti propria noſtræ hiſtoriæ ſilentio obuolui non debuere.

Ann.

Ann. Chriſt. 626. vſque ad 638. Honorij I. Rom Pontif. 1. vſque ad 13. Heraclij Imperat. 17. vſque ad 29.

1 PONTIFICATVS Honorij Papæ I. qui toto hoc tempore durauit, felicitatem auxit, victoria ſæpius & inſigniter ab Heraclio contra Imperij hoſtem Coſdroam reportata, ob S. Crucis apud Perſidem captiuæ detentæ virtutem; adeo vt ipſum profligaret, fugaret, & in Seleuciam vrbem trans Tigrim munitiſſimam confugere coegerit. Inde a proprio filio Syroe appellato captus, illuſus, & necatus miſere perijt. Qui etiam captiuos omnes, Zachariam Ieroſolymitanum Patriarcham, ipſumque ſacratiſſimum venerandæ Crucis lignum Chriſtianis reſtituit, vt propterea Exaltationis S. Crucis feſtum pro 14. die Septembris inſtitutum ab Eccleſia fuerit. Demum Perſarum Imperium omnino collapſum, iuſta plane Dei ſententia, quod cum Cruci Dominicæ dominari voluit, penitus extingueretur. Infelix autem hic Honorij Pontificatus fuit hæreſi Monothelitarum vnam tantum in Chriſto voluntatem aſſerentium; lapſu Heraclij Imperatoris eam amplectentis; Arabum inuaſione in Imperium ſub Mahometis falſa ſecta; & ſuſpicione ipſius Honorij de Monothelitarum errore accepto, etſi a multis valde piè vindicetur. Hæc ex Græcis hiſtoricis latini poſteriores. Huius temporis geſta.

2 Vt vero huius Coſdroæ Perſæ ſuperbia clarius innoteſcat, & quam iuſtè ob ipſam ipſe cum ſuo Regno a Deo, qui *ſuperbis reſiſtit*, punitus fuerit, libuit, quæ de ipſo noſter Boſtius *lib. 5. ſuæ hiſtoriæ cap. 79.* refert hic tranſcribere, vt rara, & ſingularia. *Porrò Coſdras Rex Perſarum ſupradictus volens ab omnibus coli vt Deus turrim ex auro, & argento, & intus luceſcentibus gemmis fecit, & ibidem Solis, & Lunæ, & Stellarum imagines collocauit. Per ſubtiles etiam & occultos ductus quaſi Deus deſuper aquam infundebat, & in ſubterraneo ſpecu equi quadrigas trahentes ibant, vt quaſi turrim mouerent, & tonitruum ſimilarent. Filio ergo ſuo regno tradito in tali fano prophanus reſidet, & iuxta ſe Crucem collocans, appellari ſe ab omnibus Deum iubet. Et ſicut legitur in libro Mitrali de Officio, ipſe Coſdroas in throno reſidens tanquam pater, lignum Crucis ſibi a dextris poſuit loco filij, & Gallum a ſiniſtris loco Spiritus Sancti, ſe vero patrem iuſſit nominari.* Hæc Boſtius alijs non communia, & idcirco ſpecialiter notanda. Coſdroæ ſuperbia.

3 Præſertim verò Sanctus noſter Anaſtaſius Monachus in præcedentibus commemoratus cauſa abſdubiè fuit Coſdroæ, & Perſici Imperij ruinæ, eo quod tyrannicè, & truculentiſſimè a Perſis interfectus, cum eſſet ſanguis eius ſicut Abelis quondam effuſus vindictam ſubclamabat. Rem geſtam ex ipſius hiſtoria ſic damus. Agebat in ſuo illo Elianorum S. Anaſtaſij martyrium.

Cœno-

Cœnobio, de quo in ſuperioribus diximus, piè, ſancteque viuendo, dum illi dormienti talis viſio facta fuit. Vidit ſe in montis cacumine eleuatum, & quod ibi vir ſtola candida amictus, obuius factus crateram auro, & gemmis contextam ei obtuliſſet, dicens: *Accipe, bibe*. Quoquidem hauſto, ſuauitate perfuſus, ſe Chriſti martyrem euaſurum in eo ſomno cognouit. Re poſtea cum Magiſtro communicata, matutinis ſolutis horis, & ſacra refectus communione egreditur e Monaſterio, nihil ſecum ferens niſi neceſſarium corporis tegumentum. Deinde primo ſe contulit Dioſpolim, poſtea Charizim, & ad cætera veneranda loca. Cæſaream demum peruenit, & ſacram Deiparæ ædem, cuius Inſtitutum iam deuouerat, ingreditur; ibique duobus diebus moratur; atque inde ad Eccleſiam Diuæ Euſemiæ pergens, Perſarum Magos, & Ariolos præſtigijs occupatos reperit. Quos cum ab erroribus magicæ artis, religionis zelo accitus reuocare adniteretur, ab eiſdem comprehenſus, tres dies ſine cibo, & potu carcere incluſus detinebatur. Hinc ad Prætorium ductus Marzabano Coſdroæ Perſarum Duci præſentatur, ſub quo carceres, ærumnas, verbera, oſſium preſſuras, & poſt plura tormenta mortem pretioſiſſimam, illuſtriſſimumque martyrium ſubijt. Sic latius in eius hiſtoria a Metaphraſte, Surio, Baronio, Zacharia Lipeloo, Coria, Petro Sarracerio, Caſanate, Bollando, & alijs, ac quod magis, ex eius legenda a Sede Apoſtolica pro Ordine noſtro approbata. Vbi etiam de miraculis ipſius poſt mortem, translatione reliquiarum, teſtimonio ſecundi Concilij Nicæni, & alijs tam egregio Martyre dignis. Satis enim erit pijs lectoribus promptuaria indicaſſe, vnde gemmas iſtas extrahere poſſint. Miracula porro ipſius teſtimonio dicti Concilij Nicæni comprobata pro tempore celebrationis eius Concilij afferemus, in noſtrorum Religioſorum gratiam, eorum præſertim qui in tantum Martyrem deuotiores ſunt.

S. Anaſtaſij viſio.

4 Queis iungimus, ex viſione illa, quam habuit, dum in ſuo Monaſterio ageret, de poculo ſibi in quodam *Monte* propinato, quo ſibi martyrij calicem bibendum autumauit, non incongruè elici poſſe hunc *Montem* Carmelum noſtrum fuiſſe; nedum quia eius Inſtitutum profitebatur, ſed & quia viciniſſimus eſt Cæſareæ Palæſtinæ, vbi a Perſis primò carceri mancipatus eſt, & traditus Duci Marzabano; ita vt poſt Dioſpolis, Charizim, & Sacrorum variorum locorum viſitationem, Carmelum multis ſibi titulis locum ſacrum inuiſerit, & inde Cæſaream remeauerit a Deo vocatus ad ſubeundam martyrij palmam. Cui noſtræ exiſtimationi aptè congruit Collecta illa pro ipſius Officio a Sacra Rituum Congregatione noſtratibus conceſſa: *Deus in te ſperantium virtus, qui de Carmeli ſolitudine ad ſubeundam martyrij palmam B. Anaſtaſium euocaſti; quæſumus, vt ad ſalutarium tolerantiam paſſionum eiuſdem accendamur exemplis. Per Dominum, &c.* Et ex his colligitur id quod in ſuperioribus tactum de iure quo Carmelitana noſtra Religio hunc inclytum

tum

tum Martyrem pro proprio Sancto Ordinis agnoſcit, adſtipulante præſertim Sedis Apoſtolicæ ſuffragio, vt etiam dictum manet.

5 Memorandus, & huic tempori adijciendus venit Vvorgreſſius Abbas genere Brittannus Cœnobij illius apud Anglos ſub Concello, ſeu Apoſtolicorum virorum inſtituto celeberrimi alumnus, qui a Ioanne Pitſeo *ætat.7. num.68. in lib. de Scriptoribus Britanniæ*, & a Balæo in ſimili libro *Centur.*1. recenſetur. De ipſo habet Pitſeus videri ad Ordinem S. Benedicti tranſiiſſe. Sed vnde hoc ſibi videatur non conſtat, dum conſtaret autem, ſaltem eius memoria indicanda fuit, qui ex antiquioribus Monachis illius patriæ quos Elianos fuiſſe ſæpius comprobauimus, vnus is erat. Vel cedat Pitſeus, ſi tranſijt ad Benedictinos, ex quo Ordine tranſierit. Vvorgreſſius

6 Maximè verò pro noſtræ hiſtoriæ ſerie attexenda expendamus neceſſe eſt, quod quemadmodum, iuxta tacta in ſuperioribus Coſdroe tyranni in Terram ſanctam inuaſione Sanctorum Monachorum Eliæ ſectantium veſtigia manſiones dirutæ, & ſpoliatæ fuerunt, ſic ex aduerſo, Heraclij Imperatoris Chriſtiano zelo, etſi, proh dolor! hoc tempore, Monothelitarum perfidia denigrato, actum eſt, vt Eccleſiæ, & Lauræ Monachorum, quas nequiſſimus Coſdroas deiecerat, innouarentur. Notant hoc ex noſtris hiſtoricis Ioannes de Malinis *in Specul. hiſtor. cap.6.* ibi: *Quo* (Coſdroe nempe) *ab Heraclio ſuperato, & interempto, cum Imperator Eccleſias ordinaret, quas nequiſſimus deiecerat, & ex proprijs ſumptibus reparare præcepiſſet, &c.* Luculentius Palæonydorus *lib. 2. cap.9.* ſic: *Deinceps anno Domini 630. cum Heraclius Coſdroam Regem Perſarum ſuperaſſet, partemque ligni Sanctæ Crucis cum Patriarcha Zacharia, populoque Chriſtiano captiuo cum magno bonore Ieroſolymam reportaſſet, cœpit valdè induſtriè Eccleſias, ac Monaſteria reparare, & illis vbique in terris regia munera elargiri. Quibus peractis ad patriam repedauit. Tunc Carmelitæ gratias Deo referentes, atque benedicentes, antiqua ſua Monaſteria cum mœrore prius relicta, nunc rurſus ſumma cum lætitia inhabitantes, ſuam Religionem magis ſtudioſè augmentare curarunt. Succeſſori etenim Zachariæ nomine Modeſto, Ioannes Eleemoſynarius magna dona, & munera miſit ad Eccleſiarum, & Monaſteriorum Terræ Sanctæ reædificationem.* Idem ſequuntur Petrus Lucius *in Compend. cap.*11. alijque Chronologi noſtri. Reſtauratio Cœnobiorũ.

7 Sub hoc etiam tempore, anno videlicet 636. referunt Baroniani computi Sectatores Ieroſolymæ obſeſſæ, & captæ tragœdiam per Homarum, ſeu Haumarum Arabem Sarracenorum Principem, Chriſtianis in vniuerſa Palæſtina ſub pacto relictis. Verumtamen, quia B. noſter Cyrillus natione Græcus, patria Conſtantinopolitanus, & per plures annos Carmeli, & Terræ Sanctæ incola, rem geſtam ad annum 639. refert, de ipſa eo anno aptius dicemus: Sanctitate enim, & vetuſtate Cyrillus celebris, vtpote qui ante quadringentos annos eam patriam Ieroſolyma capta ab Homaro.

coluit,

coluit, & ſanctitudine decorauit, iure, meritoque recentioribus, etſi grauiſſimis, præferri debuit.

Sophronius. 8 Diuina prouidentia actum hoc tempore fuit, vt contra Monothelitarum perfidiam e barathro tunc ſurgentem, vnus Sophronius Monachus, alter velut Elias, Religionis tum zelo, tum norma viuendi æmulator, a Deo excitaretur. Ortus fuit e Ciuitate Damaſci, prout ex Græcorum elogio refert Poſſeuinus *in Apparatu verb. Sophronius*. Monachus primum, prout Baronius *ſub ann.633. §. Quam mihi nunc*; notat, ex epiſtola eiuſdem Sophronij, quam ibi refert. Idemque amplectitur Heribertus Roſuuedius *in Prolog. ad Vit.Patr. Prologomen.12.§. Dices*. Sed cuius, niſi Elianæ Religionis alumnus, ſicut plures ex illis, de quibus in decimo libro *Vita Patrum* Ioannes Moſchus ipſius ſocius eidem ſcribit? Sane nullius Inſtituti Cœnobiorum ibi fit mentio, vt Ioannes Bollandus *in Actis Sanctorum pro die 22. Ianuarij in Vita Sancti Anaſtaſij* §.3. *num.*13. de Sancti Benedicti Cœnobijs loquens, affirmat: quo vetuſtioris illius, & quaſi generalis omnium aliorum originarij, & primæui fuiſſe, indigitat. Sophronius ergo aduerſus Cyrum Alexandrinum Patriarcham Monothelitarum Caput catholicam propugnans veritatem inſurrexit. Sanctorum namque Monachorum mos ſemper fuit, vt canum Euangelicorum inſtar, luporum rabiem, hæreſim vtique, profligare curarent. Ieroſolymitanam aſcendit Sedem, *Reuerendis Monachis manu, & violentia cogentibus*, prout ipſe ait in epiſtola relata: quo viri humilitas ſatis oſtenditur. Quo anno id contigerit, haud certum, cum Honuphrio Panuino *circa ann.636.* teſte *Ieroſolymorum Epiſcoporum ſucceſſio obſcura* tunc fuerit. Fuit etiam piorum plurium voluminum Scriptor, ex quibus non modicam vtilitatem hauriat lector. Noſtri enim S. Anaſtaſij Martyris iam commemorati hiſtoriam contexuit, vt autumat Baronius *ſub ann. 927. in principio*. Teſtante etiam Bellarmino *de Scriptoribus Eccleſiaſticis circa ann. 630.* extat epiſtola ipſius ad Sergium Conſtantinopolitanum, (ea videlicet quam retulimus.) Extant etiam in Bibliotheca Patrum *edit.2.* duo ſermones eiuſdem, vnus de Natali Domini, alter de Angelis. Vitam quoque Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ ſcripſiſſe habet Poſſeuinus relatus. Apud quem etiam de pluribus alijs eius ſcriptis. Obijſſe creditur ex Baronio, & Bellarmino, anno Domini 634. Et eius Natalis dies in Tabulis Eccleſiaſticis Martyrologij Romani pro die 11. Martij aſcriptus. Alia de ipſo in ſequentibus, dum de Ioanne Moſcho erit ſermo.

Ann. Chriſt.639. vſque ad 641. Seuerini, & Ioann.IV. Roman. Pontif.1. vſque ad 3. Heraclij Imper.29. vſque ad 31.

1 CONFVSVM valde hoc trium annorum tempus fuit, tum creatione Papæ Seuerini per aliquot menſes, & Ioannis IV. Rom. etiam Pontificis per duos circiter annos, Honorio ſuccedentibus; tum obitu Heraclij Imperatoris, cui etiam filius Heraclius Conſtantinus dictus ſucceſſit; & ipſi poſt paucos menſes extincto, Heracleon, modico etiam tempore durans, quia a Senatu depoſitus, & naſi truncatione mulctatus. Sed quid mirabimur confuſionem hanc, cum ex Monothelitarum hæreſi graſſante, & plures Eccleſiarum Antiſtites inficiente tot mala in Eccleſia orta fuerint? Nec finis; prout ex dicendis patefiet. Hæc verò ex Anaſtaſio Bibliothecario, Theophane, Cedreno, & alijs vetuſtioribus Baronius, & alij Annaliſtæ ipſius Sectatores. Summorum Pontificum, & Imperat. ſucceſſio.

2 Eccleſiæ tamen, & totius Terræ Sanctæ, Sanctæ præſertim Ciuitatis Ieroſolymorum cladem huic tempori, illis relictis, qui ad annum 636. caſum referunt, & Boſtio noſtro, qui ad annum 642. tardius remittit, accenſendam credimus, cum B. Cyrillo noſtro, cui, vt in præcedentibus diximus, vtpote eius patriæ colono, & ſanctitate, ac vetuſtate celebri, magis aſſentiendum videtur. Is ergo in libro, ſeu Epiſtola ad Euſebium *in noſtro Speculo Ordin. lib.*8. *cap.*1. ſic. *Cum enim Chriſtianiſſimus Imperator Heraclius de Perſano Coſdroe prædicto victoriam obtinuiſſet, & poſt recuperationem Terræ Sanctæ cum triumpho ad propria remeaſſe, quidam prophanus Rex Arabiæ, nomine Homar, diſcipulus perfidi Machometi, atque regni eius ſucceſſor tertius cum ingenti multitudine Sarracenorum contra Terram Sanctam veniens, eam totam obtinuit, ſanctamque Ciuitatem Hieruſalem anno Domini ſexcenteſimo trigeſimo nono cœpit, alios ex Chriſtianis huius patriæ necans, alios ad ſuam perfidiam trahens, cæteros autem, etſi non perfidiæ, ſuo tamen dominio ſubdens. Illo itaque tempore quamuis pauci, veruntamen probatiſſimi Monachi noſtræ Religionis dimiſſis manſionibus quas habebant in Vrbibus, & villis, hunc Carmeli Montem non deſerentes, iugiter in eo, & in quibuſdam alijs eremis Terræ Sanctæ permanſerunt ſub diſciplina Monaſticæ vitæ eremiticæ per Eliam prophetam inſtitutæ, & in prædicto Ioannis libro deſcriptæ. Qui ſicut & cæteri Chriſtiani huius patriæ duro infidelium iugo dediti multis tribulationibus, & iniurijs fuerunt a paganis per annos circiter quadringentos ſexaginta afflicti.* Hæc B. Cyrillus, quem ex parte ſequitur Ioannes de Malinis *in Speculo hiſtoriar. cap.* 6. Terræ S. clades per Homar. B. Cyrillus.

3 Cæterum Arnoldus Boſtius *lib.*5. *ſuæ hiſtoriæ cap.*82. ſic rem geſtam Boſtius.

ſtam narrat: [Anno Domini 642. Homar, ſiue Humarus Rex Arabum, & Sarracenorum, diſcipulus perfidi Machometi, atque regni eius ſucceſſor tertius regnauit. Hic cum ingenti multitudine Sarracenorum aduerſus Terram ſanctam veniens, Ciuitatem Ieruſalem in manu valida obſedit, quam biennio obſeſſam captiuauit, alios ex Chriſtianis huius patriæ necans, alios ad ſuam perfidiam trahens, omneſque Chriſtianos, quos non occidit, ſeu expulit, ſuæ poteſtati, & dominio ſubdidit. Deinde mouens exercitum verſus Antiochiam etiam illam expugnando obtinuit, ſimilia ibidem agens. Magiſter Nicolaus de Lira in expoſitione quartidecimi capituli libri Apocalypſis allegat Hugonem Floriacenſem in Chronica de iſto Homar ſic dicentem. Circa finem Imperij Heraclij, Agareni, qui & Sarraceni dicuntur Machometo Duce cœperunt Ægyptum, & Æthiopiam grauiter inuadere: & ſimiliter Homar diſcipulus Machometi Damaſcum, & regionem Fœnicis, & Ieruſalem, totamque Syriam occupauit, & Antiochiam comprehendit, & in his terris erant multi Chriſtiani Religioſi in Cœnobijs magnis ducentorum, tricentorum & amplius Monachorum, in caſtitate viuentes, quorum maior pars vel multi erant virgines, & in illa perſecutione per gladium Sarracenorum tranſierunt ad regna Cælorum. Et hoc eſt, quod dicit Ioannes: *Et vidi & ecce Agnus*, id eſt Chriſtus, qui dicitur Agnus Dei, *ſtabat ſupra Montem Sion*, id eſt in Eccleſia triumphante, quæ dicitur Mons Sion, *(Iunge hæc, quæ in eodem Lyrano leguntur) Hebr. 12. Qui deſcribitur hic ſtans eo quod adiuuit dictos Martyres in tolerantia Martyrij, ſicut Actor. 7. dicitur de Stephano in agone poſito quod vidit Ieſum ſtantem, quia ſtare proprium eſt adiuuantis in prælio, ſedere vero proprium iudicantis, propter quod Marc. vltimo deſcribitur, vt ſedens a dextris Dei. Proſequitur Boſtius:* Et cum illo centum quadraginta millia. In tanto enim numero, vel circiter probabiliter æſtimantur prædicti occiſi, habentes nomen eius, & nomen Patris eius, & per conſequens Spiritus Sancti, qui eſt nexus amborum, ſcriptum in frontibus ſuis per apertam, & liberam confeſſionem. Hucuſque Nicolaus vbi ſupra. Igitur Humarus iſte Princeps Sarracenorum, vt in Compendio Chronicarum legitur, circa hæc tempora in loco vbi prius fuerat in Ieruſalem templum Iudæorum, quod Veſpaſianus deſtruxerat, templum quod nunc eſt in Ieruſalem conſtruxit, in quo adorant Sarraceni. Porrò Sarraceni Africam, & Siciliam inuadentes cum non eſſet qui tyrannidi eorum reſiſteret, etiam Hiſpaniam ſibi ſubiugarunt, vndique Chriſtianum nomen delendo, in quo turbine multi martyres effecti ſunt, qui conſtantes permanſerunt, & fuit tribulatio magna iſtis diebus inter Catholicos. Attamen Sophronius Patriarcha Ieroſolymitanus ſucceſſor Modeſti dimiſſus eſt permanere in Ieruſalem, & Terra Sancta cum Religioſis, & paucis Chriſtianis ſub tributo. Illo itaque tempore quamuis pauci, verumtamen probatiſſimi Monachi Carmelitæ religionis dimiſſis manſionibus,

quas

quas habebant in vrbibus, & villis Terræ Sanctæ, Carmeli tamen montem non deſerentes, iugiter in eo, & in quibuſdam alijs eremis dictæ Prouinciæ permanſerunt ſub diſciplina Monaſticæ vitæ eremiticæ per Eliam prophetam inſtitutæ, & in Ioannis ſupradicti Patriarchæ Ieroſolymitani 44. libro deſcriptæ, qui ſicut & cœteri Chriſtiani huius prouinciæ duro infidelium iugo dediti multis tribulationibus, & iniurijs fuerunt a paganis per annos multos afflicti, ſcilicet vſque ad tempora Caroli Magni. Inſuper ſupradicti Monachi Carmelitæ præter cladem, quam ſuſtinuerunt in diminutione, & martyrizatione ſuorum fratrum pro Chriſto a Sarracenis in præfato impetu occiſorum graues adhuc paſſi ſunt afflictiones ab eiſdem Sarracenis propter pallij albi geſtationem: nam hi profani Sarraceni, ſicut ſcribit B. Cyrillus Propheta eremita Montis Carmeli, & tertius Prior generalis Ordinis noſtri in libro ſuo *de peculiaribus geſtis eiuſdem Ordinis*, dum Homar Rex Arabiæ prædictus Terram Sanctam occupaſſet, ægrè ferebat quod iam dictæ Religionis profeſſores pallio albo deſuper induti incederent, cum tunc ſoli eorum Satrapæ huiuſmodi coloris habitu deſuper vterentur, quapropter geſtationem pallij albi dictis profeſſoribus interdixerunt, & ne de cætero tali pallio vterentur prohibuerunt. Pro albo ergo pallio memorati profeſſores pallium barratum, ſiue ſtripeticum tunc vnanimiter aſſumpſerunt quod vſque ad annum Domini 1287. geſtauerunt. Cauſa verò quare Religioſi Carmelitæ plus elegerunt habere veſtem ſtragulatam, quàm ex integro nigram, blauiam, griſeam, aut rubeam, exponitur ſupra *cap.* 20. præcedentis libri.] Hæc hic author.

4 Ioannes etiam Palæonydorus *lib.* 2. *cap.* 9. ſic hiſtoriam narrat. [Iiſdem temporibus ſurrexit perfidiſſimus Machometus, cuius diſcipulus fuit Humar Rex Arabiæ. Hic non longe poſt hæc tempora (teſte Nicolao de Lyra *ſup.* 18. *cap. Apocal.*) ſecundum Hugonem Floriacum in Chronica, totam ferè Terram Sanctam, Syriam, Phœnicem, Palæſtinam, Siciliam, Africam, Hiſpaniam quoque ſubiecit, vndique delens Chriſtianum nomen. In his etiam prouincijs multi erant religioſi Chriſtiani in magnis Monaſterijs ducentorum, trecentorumue Monachorum, vel amplius in caſtitate viuentes, quorum centum quadraginta millia æſtimantur fuiſſe Virgines, qui per gladium Sarracenorum martyrizati ad Cœlorum regna tranſierunt. Hæc Lyra. His conſonat Cyrillus Propheta, Prior, & presbyter Montis Carmeli *in lib. de peculiaribus Carmelitarum Ordinis geſtis* 7. *&* 8. *capitulis*, dicens: Dum Chriſtianiſſimus Heraclius de prophano Coſdroa victoriam obtinuiſſet, reportata quoque Cruce Domini in Ieroſolymam ad propria redijſſet, Rex Arabiæ Humar cum ingenti Sarracenorum multitudine totam Terram Sanctam anno Domini 636. ſuo dominio ſubiugauit. Quo tempore pauci quidem reſpectu anteriorum temporum, ſed tamen probatiſſimi noſtræ Carmeliticæ religionis Monachi, dimiſſis vrbium manſionibus

Palæonydorus.

in Monaſtica vita ab Elia inſtituta in eremis Carmeli, & alijs permanſerunt. Attamen ipſi ſicut & cæteri Chriſtiani Terræ Sanctæ ſub magno iugo tributorum ad tempora vſque Caroli Magni ſteterunt, multis tribulationibus cum Sophorino Ieroſolymorum Patriarcha afflicti: Sarraceni autem moleſte ferentes habitum noſtri Ordinis albi coloris, cum ſoli eorum Satrapæ albis veſtirentur, coegerunt fratres habitum ipſum deponere, vnde pallia barrata aſſumpſerunt in memoriam pallij albi, quod ab Elia ceciderat Eliſeo per ignem, a quo diſcoloratum eſt effectum. Hæc Cyrillus vbi ſupra.] Hucuſque Palæonydorus.

5 Ex ijs ergo noſtris hiſtoricis, quos veluti antiquiores alij poſteriores ſecuti fuerunt, & pro ipſorum concordia, quatenus ſibi inuicem aduerſari videntur, ac maxime pro veritatis luce, quædam meditanda. Primò quidem hunc Homar, ſeu Humarum, Haumarum ab alijs appellari, eundemque fuiſſe Terræ Sanctæ expilatorem, vt propterea noſter Ioannes de Malinis ſupra dixerit: *Totam Terram Sanctam ſibi cum multa ſanguinis effuſione velut beſtia ſæuiens ſubiugauit.* Secundò, id contigiſſe, vt diximus anno 639. vel circiter, potius quam 636. vt Baronij ſectatores autumant, aut anno 642. vt Boſtius noſter. Tertio, id quod B. Cyrillus aſſeruit, & poſtea ſecuti ſunt Boſtius, Palæonydorus, & poſteriores alij, de amiſſione plurium Ordinis Cœnobiorum pluſquam credibile apparet ex Sarracenorum, & Mahumetanorum, ex quibus Homar iſte vnus erat, & præcipuus, infidelitate, militum prauitate, ac Perſarum in Imperium, Heracliumque Imperatorem, contra quem bellum agebant, hoſtilitate. Quartò, ea quæ Boſtius fuſius, & Palæonydorus compendioſius ex Lyrano referunt, haberi ad litteram in ipſo *in Gloſſa ſup. cap.*14. *Apocalypſ. in princip.* Ex quo ſequitur Ordinis noſtri traditionem, qua aſſeritur illa 140. millia Martyrum in huiuſmodi Mahometi ſectatorum perſecutione ex Monachis magna ex parte extitiſſe, in huiuſmodi Hugonis Floriacenſis, & Lyrani teſtimonijs fundamentum habuiſſe. Quod maxime verum erit, ſi dicamus, prout aliqui ex huius loci Expoſitoribus ſequuntur, hic poni numerum certum & definitum 144. mille pro indefinito, & incerto, pro quamplurimis videlicet; ſicut & in illo Apocalypſ. 7. *Et audiui numerum ſignatorum* 144. *millia*, iuxta Ambroſium, Haymonem, Anſbertum, Anſelmum, Bedam, & alios. Nec numerus incredibilis apparebit cogitanti ea tempeſtate ad 90. millia Chriſtianorum a Perſis diuendita fuiſſe Iudæis, qui illos crudeliter interfecerint, vt dicunt aliqui apud Bellarminum *de Scriptorib. Eccleſiaſtic. in Antiocho Monacho circa annum* 630. Tollitur autem difficultas, quæ circa tam ingentem Martyrum numerum eſſe poteſt, ſi animaduertatur eum non referri ſolum ad hoc tempus quo Homar Syriam, aut Terram Sanctam inuaſit, ſed ad totum illud quo gens iſta eam Regionem occupauit vſque ad tempora Caroli Magni, prout Boſtius, & Palæonydorus indicant; vel 460. circiter annos, vt Beatus Cyrillus relatus, &

Notanda.

Centum quadraginta quatuor millia Martyrum.

cum

cum ipſo Ioannes de Malinis *ſupra*, & Petrus Lucius *in Compend. cap.* 11. annotare videntur, vſque dum videlicet per Chriſtianos, duce Petro Eremita, recuperata fuit, prope annum videlicet 1099. vt eo loco dicemus: vel forte vſque ad totalem Chriſtianitatis, & Ordinis expulſionem ex ſacra Palæſtina, quę contigit circa ann. Chriſti 1290. videlicet 900. circiter annis poſt hoc tempus, prout Thomas de Ieſu *lib.* 1. *antiquit. Ordin. cap.* 12. prudenter animaduertit. Hanc porrò traditionem de 144. mille Martyrum hoc temporis curſu, pro Chriſti fide paſſione, non modo ex Boſtio, ac Palæonydoro, ſed ex alijs quoque Ordinis Chronologis concorditer habemus. Prout ſunt Didacus Coria, Thomas de Ieſu, Caſanate cum alijs. Idque Carolus de Tapia *in Authentic. Ingreſſi, verbo Monaſteria cap.* 17. §. *& circa Honorij* amplectitur, & refert Honuphrius Maneſcal *in ſuis Concionibus, in vna de B. Maria Virgine de Monte Carmel.* antiquæ quoque Ordinis picturæ demonſtrant; quarum vnam iuuenis Valliſoletano in Cœnobio vidi cum hoc dyſticho.

Innumeros fratres, quos aluit, Virginis Ordo,
Barbarica cernis procubuiſſe manu.

Quinto porro illud de manſione noſtrorum in Carmelo, alijſque deſertis, eremiticiſque Syriæ manſionibus, ijs derelictis ob tyrannicam rabiem, quæ in Vrbibus, & villis erant, prout D. Cyrillus, Boſtius, Palęonydorus, & alij admittunt, nemini fide haud dignum apparebit, ſi maximè mente recolat, Carmelum primarium Ordinis, & originale domicilium fuiſſe, & tam ipſum quam deſerta alia Syriæ loca propria veluti Elianorum a primæua ſui origine habitacula extitiſſe; quemadmodum ex dictis in Tomis præcedentibus innoteſcit. Quam etiam Terræ Sanctæ tranſmutatam, ac deformatam faciem, ſic Ioannes de Malinis relatus depingit. *Ex tunc Eccleſia Orientalis, quæ nutrita erat in croceis, propter carnales voluptates, & illecebroſos fluxus a Domino derelicta fuit tanquam vmbraculum in vinea, & tanquam tugurium in cucumerario. Quæ tamen in quibuſdam moribus ſuis, quaſi pauci racemi finita vindemia, & ſicut lilium inter ſpinas adhuc perſeuerans, cultum Religionis feruentius nitebatur conſeruare iugiter.* Id porro quod tangunt præfati Boſtius, Paleonydorus, ac alij poſt ipſos conſtanter, de mutatione palliorum noſtrorum ex albis in variegata, in ſequentibus elucidabimus, tempore, quo id maximè eueniſſe prudenti coniectura elici valet. In huius enim calamitoſæ perſecutionis exordio, qua noſtri a facie Sarracenorum ad eremos confugiebant, haud facile credi poteſt illis prohibuiſſe alba pallia geſtare; niſi eo tempore quo in Vrbibus, & oppidis ipſos admiſere.

6 De exteris etiam Authoribus aliqua ex ijs quæ diximus confirmat Reuerendiſſ. Abbas Trithemius *in lib. de laudibus Carmelit. cap.* 8. dicens: Exteri authores.

Anno poſt Chriſti Domini paſſionem ſexcenteſimo trigeſimo nono, Fratres Carmelitæ, qui dudum in Vrbibus etiam multiplicati habitabant, nimium ab infidelibus afflicti ad eremum Carmeli Montis redire ſunt compulſi. Non enim in ciuitatibus manere diutius poterant, quos Sarraceni in tantum affligebant, vt nullum eis Deo famulandi tempus quietum relinquerent, ac victui neceſſaria funditus negarent. Item Aubertus Miræus inſignis Chronologus noſtri æui, qui in Tractatu de Ordine Carmelitarum *in præfatione ad lectorem*, poſtquam de primordijs, & continuatione Religionis, ac Regula per Ioannem Hieroſolymitanum edita egerat, ſubiungit: *Series verò longa ſub ea Regula per annos plurimos excurrit, multiſque laboribus, & infeſtationibus Carmelus afflictus eſt; ad annum quippe ſexcenteſimum vſque numeroſa proles increuit: at poſthac perſecutionibus grauiſſimis Eccleſiæ hoſtium exagitata in patrio monte, quo ſe velut in aſylum tota recepit vſque ad octingenteſimum annum perſeuerauit.* Maximè verò Ægydius Gelenius Canonicus Colonienſis, & Hiſtoriographus Archiepiſcopalis *in Opere de Coloniæ Agrippinæ magnitudine lib.* 3. *Syntagm.* 43. §. 1. ſic dicens de Ordine noſtro Carmelitico: *Mirificè auctus, atque per Orbem transſplantatus fuit vſque ad tempora Coſdroæ Perſarum, ac Humar Arabiæ Regum, quorum poſterior anno Chriſti* 636. *(alibi* 639. *) capta Hieroſolyma totam Syriam, atque Ægyptum ſubiugauit. Vnde tametſi ex tunc pauci in Palæſtina, ac præſertim in Monte Carmeli huius Ordinis profeſſores ſub iugo Saracenico remanſerint, teſte S. Cyrillo Conſtantinopolitano presbytero apud Philippum Ribbotum lib.* 8. *cap.* 1. *de peculiaribus geſtis Carmelitarum, plurimi tamen eorum ex Ægypto, & Syria tam præteritis ſeculis, quàm & nunc quàm maximè, hac vrgente perſecutione in vtramque Armeniam, ac cæteras Aſiæ Regiones per multas Ægæi maris Inſulas in Græciam vſque transmigrarunt, ibidemque nobiliter floruerunt.*

Maximus Eccleſiæ propugnator.

18. Dei etiam prouidentiæ, calamitoſis his temporibus, in quibus nominis Chriſtiani aduerſarij Sarraceni; & ſub Chriſtianorum nomine Monothelitæ, Eccleſiam oppugnabant, deferri debet, quod egregius quidam, re, & nomine, Maximus, ipſam neruiter a Deo excitatus propugnaret. Fuit is Monachus, & Abbas Monaſterij Chryſopolitani in vlteriori littore Conſtantinopolitano ſiti, vt propterea, in re dubia an ad Noſtrates, ſeu ad Baſilianos ſpectet, de ipſo agere operæpretium ſit, vel ſub compendio; rem latius tractandam ad D. Cardinal. Baronium, & Codices Vaticanos, qui eius geſta afferunt, remittendo. Patria erat Conſtantinopolitanus, Heraclij Imperatoris a Commentarijs; Monachus, deinde, vt dictum eſt; acerrimus Monothelitarum aduerſarius, vt ſic impiam quandam *Ecthesim* ab Heraclio pro illis promulgatam auerſaretur, & propterea in Occidentem pro eius condemnatione perrexerit: diſputatione publica cum Pyrrho Conſtantinopolitano Epiſcopo habita eum confudit: Romam accedens author eſt celebrandi Concilium contra hæreticos: calumnijs appetitus Conſtantinopolim trahitur, &

poſt

poſt dira paſſa in exilium pellitur: iterum reducitur; & cùm nullis minis ad communicandum cum Monothelitis cogi poſſet, in deterrimum exilium mittitur: ſed rurſum reductus, conſtantiorque repertus, crudeliſſimè cæditur, illuditur, & iterum in exilium reportatur: ac tandem lingua abſciſſa libere loquitur, & Martyrium fœliciter conſummat, poſt multos editos Codices ſui ingenij, & Orthodoxæ fidei, qua pollebat, dignos, elucubratos. De ipſo Græcorum Menologium, Martyrologium Romanum 13. Auguſti, Theophanes, Cedrenus, Zonaras, & Martyrologium Monaſticum *eadem die*, vbi P. Vvion de ipſo dubitat, an fuerit Benedictini Ordinis; cum tamen vix ratio dubitandi eſſe poſſit, propter ea quæ ſæpius dicimus de ijs Monachis Orientalis Eccleſiæ.

8. Circa hoc tempus Monachiſmi exercitator eximius erat vnus Ioannes, *Moſchus* dictus, forſan quia natione *Moſchouita*, alias *Euiratus* cognominatus. Is primum in Monaſterio S. Theodoſij Abbatis, & Archimandritæ omnium quæ ſunt Ieroſolymis Cœnobiorum, ſæculo *vale* dixit: Cum autem in deſerto ad ſanctum Iordanem non exiguo tempore verſatus eſſet cum ſanctis Patribus, qui illic degebant, eorumque virtutes collegiſſet, eas Operi intitulato *Pratum Spirituale*, ſeu *Nouus Paradiſus*, quod eſt inter libros *Vitarum Patrum* loco decimo, & de quo plura nos excepimus, inſeruit. Cumque habitaret in *Nouo* quod dicitur *Monaſterio*, quod a ſancto, & magno Saba, eiuſque diſcipulis conſtructum erat, audiens qua tyrannide Perſæ Romanos oppreſſiſſent, occaſione cædis Mauritij Imperatoris, eiuſque liberorum, a *Nouo Monaſterio* ſecedens perrexit ad partes Antiochiæ magnæ, atque inde rurſus cum præualere gentem videret, Alexandriam ſe contulit, & totam, quæ circa illam eſt ſolitudine peragrata; vſque ad Oaſim, proximamque illi ſolitudinem perueniens, poſtquam eos qui illic erant Patres inuiſit, atque inde rurſus audiret Sancta loca fuiſſe occupata, & Romanos metu correptos, Alexandria relicta ad magnam Romanorum Vrbem nauigio appulit, vna cum chariſſimo diſcipulo ſuo Sophronio, de quo *ſub anno* 626. dictum. Dum autem eſſent in itinere diuerſas inſulas luſtrarunt. Tali vero donatus a Domino gratia fuit, vt ſi quid de vita, rebuſque geſtis virtute inſignium virorum, Monachorum præſertim, audijſſet, vel vidiſſet, id ſcriptis mandaret, præfatum librum *Pratum Spirituale* nuncupatum conſcribens. Etſi enim liber iſte Sophronio ſuo ſocio, & diſcipulo, poſtea Patriarchæ Ieroſolymitano, de quo ſuperius actum, tribuatur in ſecunda Nicæna Synodo *action.*4. a Damaſceno *in fine primi libri pro Imaginibus*, Nicephoro *lib.* 8. *cap.*4. Ioanne Diacono *lib.* 1. *cap.*45. *Vitæ S. Gregorij Magni*: nihilominus certum eſt ſcriptorem ipſius fuiſſe hunc Ioannem Moſchum Anachoretam. Ita enim colligitur ex ipſomet libro *cap.*77. vbi dicitur Sophronium ipſi dixiſſe *verè Abba Ioannes hodie nihil vltra ſtudeamus*. Et ita teſtantur Photius *in ſua Bibliotheca*, Aloyſius Lippomanus, qui primus hunc librum

Ioannes Moſchus.

 ex

ex Apoſtolica Bibliotheca edi curauit, & ex ipſo Heribertus Roſuuedus *in Vitas Patrum Prologom.* 12. Tribuitur autem Sophronio, vel quia ad ipſum liber directus eſt, vel quia in eo geſta ipſius Sophronij magna ex parte continentur, vel quia ipſe Sophronius cum Ioanne prædicto partem aliquam libri conſcripſit. Vtcumque res fuerit, tanta ſpiritualium floſculorum amœnitate refertus eſt pro Monachorum inſtructione, vt verè ipſorum *Paradiſus* appellari poſſit. Vnde Heribertus ſupra hæc habet nobis meditanda: *In eo ſiquidem antiquorum Monachorum, & aliorum Patrum Deo ex intimis præcordijs ſeruientium redolet vitæ ſplendor; regularis diſciplinæ obſeruantia, pudicitiæ & continentiæ norma, victus & veſtitus parſimonia, contra hæreticos inuicta conſtantia, in ieiunijs, vigilijs, & orationibus aſſidua perſeuerantia, & erga Dominum Ieſum Christum eximius & ineſtimabilis amor: quin etiam admirabilia quædam ac Spiritu Sancto plena reſponſa, quæ legentium mentes ſpirituali quadam dulcedine perfundunt: Sanctarum denique mulierum inuicta fides, caſtitas incomparabilis, & felix earum in Deo conſummatio. O ſi tales modò inuenirentur milites Chriſto ſeruientes, quàm illuſtris, quàm ſplendida, quàm decora eſſet Eccleſiæ noſtræ facies! quam adeo deiectam, & obſoletam, ac ſupra pelles Salomonis, atque Moyſi Æthiopiſſam (proh dolor!) denigratam conſpicimus.* Aliqua minus aptè dicta, quæ eo libro reperiet lector, non Sophronij, aut Moſchi ſinceræ fidei opponat; quin vero & catholico ſenſu aſſerta credat. De illo Photius, Lyppomanus, & Heribertus relati, quibus iunguntur Bellarminus *de Scriptor. Eccleſiaſt.* Poſſeuinus *in Apparatu*, & alij. Nos autem noſtris Eliadibus imitatione vtique, accenſemus, quia Monachatus in Theodoſij Cœnobio, anachoreſis in Iordanis oris, & exercitatio in partibus Ægypti talem indigitant. Et ſic cenſent Michael Carranzius Hiſpaniæ, & noſtræ Religionis decus apud Caſanate *in Paradiſ. Carmelit. decor. ſtat. 3. ætat. 8. cap. 42.* & Caſanate ipſe.

Ann. Chriſt. 642. vſque ad 648. Theodori Rom. Pontiſ. 1. vſque ad 7. Conſtantis Imperat. 1. vſque ad 7.

1 THEODORVS Ieroſolymitanus patria in Pontificem Romanum electus Petri Cathedram hoc ſeptennio rexit. Conſtans etiam Heraclij Imperatoris nepos Monothelitarum fautor Imperium tenuit, hæreſimque valde promouit. Hinc, Deo punitore permittente, Sarracenorum Imperium per Africam propagatur, & Homar Ieroſolymæ poſſeſſor Ieroſolymitanum templum extruere conatur; etſi virtute Crucis iuxta poſitæ impeditur: quâ tamen ablata ædificium proſequitur. Pœnas tandem luit a Perſa quodam interemptus. Pyrrhus Conſtantinopolitanus Epiſcopus Mono-

thelita extorris a Maximo Abbate, de quo in ſuperioribus in celebri diſputatione conuictus, pœnitens recantauit palynodiam, & Romam accedens benigne a Theodoro Papa recipitur, etſi poſtea in errorem relapſus, ab eodem, diriſſimo anathemate de ſanguine Chriſti in attramentum diſtillato, excommunicatur. Anaſtaſ. Bibliothecar. Cedrenus, Theophanes, Honuphrius, Baronius, & alij.

2 Angliæ Monachiſmus per Reges illius nationis rectè initiatus, cum, teſte Pitſeo *de Scriptoribus Brittanniæ in proœm.* ſub Rege Lucio Pio circa annum Chriſti circiter 180. *tum fundata Monaſteria, tum erectæ Academiæ, imo in ipſis Monaſterijs, ſaltem inſignioribus, non tantum Regularis obſeruabatur diſciplina, ſed etiam artes liberales, imo omnes ſcientiæ accuratè docebantur, omniaque ſtudiorum genera in ijs mirificè florebant.* & infra: *Hoc enim Regibus noſtris antiquis viris pijs, & prudentibus curæ fuit, vt opportunis Regnorum ſuorum locis Religionem, & doctrinam ſolicitè ſub eodem tecto nutrirent. In pleriſque etiam Monaſterijs alicui Religioſo, ac docto viro incumbebat ex mandato Regis, & Abbatis præſcripto cura hiſtorias conſcribendi, maximè ſui temporis, & noſtræ gentis.* (Quæ annotari oportuit, vt nouerint Principes propagandæ fidei hanc fuiſſe, quam Anglici Reges ſectabantur, viam.) Hic ergo Monachiſmus tam rectè initiatus decorabatur hoc tempore, dum Sigebertus Anglorum Orientalium Rex, relicto regno cognato ſuo, Monaſticam vitam profeſſus fuit. Beda *lib. 3. cap. 18.* Baronius *ſub ann. 644.* Eundem Monaſticum habitum ſuſcepit paulò poſt hoc tempus Sebbi Rex Orientalium Saxonum, aſſerente eodem Beda *lib. 4. cap. 11.* Imo & Edilredus Merciorum Rex circa ann. 704. vt eo tempore ex eodem Beda dicemus. Sigebertus Anglorum Rex Monachus.

3 Circa idem tempus Vvandregiſilus præclarus, ac glorioſus vir idem Monaſticum Inſtitutum in Gallijs decorabat. Natus enim in Virdunenſi regione, & apud Dagobertum Regem in rebus militaribus educatus, ac cum ſponſa nobiliſſima coniunctus, corporis tamen integritatem illibatam ſeruare ſtudens, ſponſam Monaſterio Sanctimonialium, ſe autem clericatui dicauit, Cœnobio poſtea ſub Baltfridi diſciplina. Extruit deinde Monaſterium, & in eo moratur, vbi ieiunijs, vigilijs, & orationibus frequenter inſiſtens, dæmonis infeſtationes irritas efficiebat. Spiritu deinde perluſtrauit Bobienſe Cœnobium in Italia a B. Columbano extructum, eoque corporaliter abiens, ibi aliquantiſper commoratus eſt cum diſcipulis eiuſdem Columbani, abſdubie ſub ea Monaſtica diſciplina, quam Columbanus exercuerat, quæ non Baſiliana, aut Benedictina erat, vt ſuo loco diximus. Præcipuè inter egregia eius opera numeratur conſtructio Monaſterij Fontanelenſis ſiti in territorio Rothomagenſi non procul a fluuio Sequana, quo Monachorum numerus confluens ad 300. excreſcebat. De alijs ipſius mirabilibus geſtis plura apud Surium 4. *tom. die* 22. *Iulij*, vbi etiam de præclaris quoque alijs Monaſtices profeſſoribus, quales ſunt Lambertus Epiſcopus poſtea Lugdunen- Vvandregiſilus.

dunenſis; Ansbertus Rothomagenſis (de quo in ſequentibus) Vulfrannus Senonenſis; Erembertus Toloſanus; ex quo conijci datur Monaſteria illius æui ſeminaria fuiſſe Sanctorum Epiſcoporum.

S. Bernolfus Abbas.

4 Pariter etiam prope idem tempus ſanctitate florebat Bertulphus, ſeu Bernolfus Bobienſis Cœnobij ſub S. Columbani diſciplina Inſtituti Abbas; quem propterea, ſicut & ipſius Magiſtrum, æmulatoribus Elianæ, & Propheticæ Religionis adiudicandum cenſemus, iuxta dicta in ſuperioribus de eodem Columbano, & Bobienſi illo Cœnobio; etſi Trithemius, quem ſequitur Vuion *in Martyrolog. Monaſtic. Aug. die* 19. ſuis annumerent; eo quod temporis curſu illud Cœnobium, ſicut & alia quæ antiquiſſimorum Monachorum Inſtituta ſectabantur S. Patris Benedicti Inſtitutionibus ceſſerint. Huius egregia geſta apud Bedam *tom.* 3. habentur, ex Iona forſan Monacho mutuata. Vbi etiam aliorum eiuſdem Cœnobij Monachorum etiam inſignia facta enarrata habet lector, vt nouerit Monaſterium illud, quod ſub B. Columbani regulari diſciplina inſtructum fuerat, magno pretio apud Deum fuiſſe, in gratiam ſane Sancti Inſtitutoris.

De pallijs barratis.

5 Maximè tamen, & hiſtoriæ noſtræ propriſſimum illud eſt, quod de dimiſſione palliorum alborum, & aſſumptione barratorum circa hoc tempus in Ordine noſtro contigit, & Arnoldus Boſtius *lib.* 4. *Speculi hiſtorial. cap.* 20. his verbis retulit. [Demum circa annum Domini 639. profeſſores huius Religionis pallia alba prædicta depoſuerunt, & veſtem ſtragulatam pro eis vniformiter ſuſceperunt. Qualiter verò hoc accidit Beatus Cyrillus Propheta, ac eremita Montis Carmeli tertius Prior Generalis huius Religionis in libro de peculiaribus geſtis Religioſorum Carmelitarum ad Abbatem Ioachim ſcribit dicens: Dum Homar Rex Arabiæ cum ingenti multitudine Sarracenorum Terram Sanctam cepiſſet, & Chriſtianos in ea degentes ſuo dominio ſubiugaſſet, Saraceni moleſtè ferebant quod noſtræ Religionis Profeſſores veſte alba deſuper induti incederent, cum tunc ſolum eorum Satrapæ veſtibus albis ſic induti incederent. Multis ergo eorum pro Chriſti nomine interfectis, & martyrizatis, ſicut plenius infra deſcribitur cap. 132. libri quinti, geſtationem pallij albi eis interdixerunt, ne aſſimilarentur in pallio albo eorum Satrapis. Pro quo Profeſſores prædicti pallium barratum tunc vnanimiter aſſumpſerunt. Cauſa verò quare Carmelitæ plus elegerunt habere veſtem ſtragulatam, quàm nigram, blatteam, griſeam, aut rubeam, hæc erat. Helias namque Propheta dum aſcendebat in Paradiſum per currum igneum, dimiſit pallium ſuum album deſcendere per turbinem ignis Eliſeo ſuo diſcipulo, vt patet 4. *Reg.* 2. Sed iſtud pallium cadendo, & tranſeundo per ignis turbinem per diuerſas plicas ab albedine diſceſſit, & colores varios per ignem ſuſcepit: infra plicas autem remanſit album, & tunc cum fuit extenſum per Eliſeum remanſit barratum. Iſta verò etiam videtur ſentire Magiſter Ioannes de Venetia *ſuper* 2. *c.* 4. *lib.*

lib. Regum. Dicit enim ibidem quod vbi ipſum pallium infra plicas non tetigit ignis, in ſuo albo colore remanſit, extra autem plicas ad tactum ignis aliqualiter denigratum, ſeu ſubruſum apparuit. Quare autem ille ignis pallium omnino non conſumpſit dictum eſt ſupra *cap.34. præcedentis libri*. Iſto itaque pallio poſtmodum vſus eſt Eliſeus Propheta ad memoriam raptus Eliæ Prophetæ Dei, & maxime quia aquæ Iordanis per tactum illius pallij bis diuiſæ ſunt. Poſt mortem autem Eliſei, Monachi Carmelitæ poſuerunt pallium prædictum Eliæ in eorum Sacrario, tanquam ſacram reliquiam, & cum ſumma diligentia obſeruabant illud vſque ad annum Domini prædictum, in quo Sarraceni, vt dictum eſt, bellica manu obtinuerunt. Illo ergo tempore ipſi Carmelitæ propter inhibitionem Sarracenorum, vt dictum eſt, eorum pallia, quæ erant de puro albo, primò depoſuerunt, & ad exemplum pallij Eliæ quod per ignem deſcenderat ad Eliſeum, ſua pallia fecerunt. Quod ideo factum fuiſſe traditur, vt adimpleretur quod dictum eſt de glorioſa Virgine Maria: *Mulierem fortem quis inueniet*, &c. *Non timebit domui ſuæ a frigoribus niuis; omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus, ſtragulatam veſtem fecit ſibi*. Et alibi: *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circundata varietate*. Prædictum verò pallium ſtragulatum conſtabat ex ſeptem partibus duplicis coloris ab inuicem diſtinctis, ſed conſutis, ipſum totaliter integrantibus, perpendiculariterque a collo vſque ad talos deſcendentibus, quarum tres erant nigræ ſiue griſeæ, aliæ verò quatuor fuerunt albæ, quæ ſic aſſiſtebant in pallio ordinatæ, vt ſequitur. Nam indutum pallium ante a pectore vſque ad pedes deſcendendo erat totaliter ſciſſum, ſeu apertum, & partes ſciſſionis erant albæ; ſecunda autem pars a latere dextro erat nigra, & etiam ſecunda pars a latere ſiniſtro: tertia verò pars a latere dextro fuit alba: quem etiam colorem retinebat tertia a ſiniſtro; ſed vltima pars retro in medio pallij exiſtens erat nigra: quarum tres nigræ partes tres virtutes theologicales; & quatuor colores albi quatuor virtutes Cardinales deſignabant: vel ſeptenarius ille partium explicatarum, & inuolutarum ſignificare poteſt volubilitatem totius temporis; quod ſeptem diebus vertitur, & voluitur quouſque terminetur: habitum ergo talem gerere quo quis frequenter moueatur, vt conſideret volubilitatem temporis, videtur aliquid rationis prætendere, & non ſine cauſa fieri. Hoc itaque pallium antiqui Carmelitæ appellabant *Carpetam*, id eſt chlamydem, ſeu mantellum. Prædicta verò pallia barrata Profeſſores noſtræ Religionis portabant per annos ſexcentos quadraginta octo, ſcilicet vſque ad annum Domini 1287. In Conuentu noſtro Haerlemenſi, hoc pallium geſtatum eſt annis triginta octo. Eodem etiam modo ille habitus in multis alijs Conuentibus Prouinciæ noſtræ Alemaniæ inferioris viſus eſt. Frater Ioannes de Hyldemsheym Sacræ paginæ baccalaurius in Tractatu ſuo quem compoſuit de Ordine noſtro narrat etiam ſe vidiſſe

in

in Conuentu noſtro Francfordenſi in anno Domini 1338. quemdam fratrem centenarium deuotum, & fidę dignum, Bartholomæum nomine, qui dixit huiuſmodi varias barras in iuuentute ſe portaſſe.]

Notanda. 6 Circa huius porro hiſtoriæ elucidationem, aliqua expendenda erunt. Primò, quoad tempus, congruentius adaptari præſenti, de anno videlicet 642. vel circiter, quam anteriori alij, prout *ſub ann. 639.* annotatum reliquimus. Deinde hanc palliorum mutationem non ſolum a Boſtio hic, & *ſub eo ann. 639.* relato, & a Palæonydoro, quem etiam ibi retulimus, ſed communiter ab alijs hiſtoricis Ordinis latè referri, ſpecialiter a Philippo Ribboti ipſis vetuſtiore loco referendo *c. 7.* Petro Lucio Belga, & Didaco Coria. Præterea teſtimonium illud B. Cyrilli quo Boſtius, & alij vtuntur, extat in Speculo Ordinis a Philippo Ribboti compilato *lib. 7. cap. 6.* his verbis: *Dum Homar Rex Arabiæ cum ingenti multitudine Sarracenorum Terram Sanctam cepiſſet, & Chriſtianos in ea degentes ſuo dominio ſubiugaſſet, Sarraceni moleſtè ferebant quod noſtræ Religionis profeſſores veſte alba deſuper induti incederent, cum ſoli eorum Satrapæ huiuſmodi coloris habitu deſuper vterentur.* Id porro quod Boſtius adiungit, videlicet: *Multis ergo eorum pro Chriſti nomine interfectis, & martyrizatis ſicut plenius infra deſcribitur cap. 132. libri quinti*, non extat apud Cyrillum. Credibile tamen prorſus id eſt propter Sarracenorum malignitatem. Illud autem: *Geſtationem pallij albi eis interdixerunt, ne aſſimilarentur in pallio albo eorum Satrapis: pro quo Profeſſores prædicti pallium barratum tunc vnanimiter aſſumpſerunt*, ex eodem Cyrillo deſumptum eſt. Mahumetanos autem veſtes albas in magno pretio habere colligi poteſt ex ipſorum Pſeudo-propheta Mahumeto, qui Chriſti Apoſtolos, quos ipſe veneratur, vocabat *Viros albis indutos*. Refert Iacobus de Vitriaco *in Hiſt. Ieroſol. cap. 6.* & quadantenus conducit ad ea, quæ ſępius diximus de veſte alba profeſſorum Prophetici Ordinis. Error porrò irrepſit in titulum eius opuſculi B. Cyrilli illud appellando epiſtolam *ad Abbatem Ioachim*, cum tamen non fuerit niſi epiſtola ad Euſebium. Ex eo enim quod Cyrillus aliam celebrem epiſtolam ad Ioachimum ſcripſerit cum Oraculo Angelico ſibi diuinitus oſtenſo, aliqui inaduertentes hanc ad Euſebium epiſtolam cum illa ad Ioachimum miſſa confuderunt.

Pallia alba pro Carmelitis. 7 Maximè tamen ex hac hiſtoria reijciendum venit placitum quorumdam ex noſtris, videlicet Ioannis de Malinis *in Speculo hiſtoriali c. 9.* Ioannis de Cimineto in Tractatulo *Speculum Ordinis* nuncupato *cap. 6.* & Ioannis Groſſi Generalis *in Viridario clau. 1.* qui etſi admittant Eliæ pallium album fuiſſe, eius tamen diſcipulos non niſi variegatis, ſeu barratis vſos credunt. Quos etiam impugnauimus *tom. 1. ſub ann. 3204. num. 12.* Et ſanè illis opponitur Ioannes Ieroſolymitanus *in lib. de Inſtit. Monachor. cap. 40.* ſeu potius, iuxta editionem, quam in hoc tertio Tomo in ſuperioribus afferimus, *cap. 47.* & viſio illa albicantium virorum,

qui

qui Sobach Eliæ parenti ante eius ortum viſi ſunt, de qua *eodem primo Tomo ſub ann.* 3123. *num.* 7. dictum. Vtrumque autem ſic Ieroſolymitanus expreſſit eo loco: *Docuit autem per hoc Elias Monachos hanc Religionem profitentes debere pallio ſuperueſtiri albo, quemadmodum eos indutos albis Dominus praoſtendit Sabachæ patri Eliæ. Ante quippe filij ſui Eliæ natiuitatem vidit Sabach in ſomnis viros candidos, qui ipſum ſalutabant. Quæ viſio ſibi præſignauit, quales eius filius Elias imitatores ſuæ vitæ Monaſticæ habiturus eſſet. Cernens namque Sabach viros candidos, vidit in ſpiritu Religioſos per Eliam inſtituendos. Quos ideo candidatos vidit, quia Eliam, velut Monaſticè viuendi exemplar, erant imitaturi, in candore nedum mentali ſinceræ puritatis, ſed etiam corporali habitus albi eos deſuper tegentis.* Ex ijs autem, & alijs, quæ in ſequentibus proſequitur, elicitur non ſolum Eliam, ſed & eius diſcipulos pallijs albis vſos fuiſſe. Colligitur etiam ex multis, quæ eodem *tom.* 1. *ſub ann.* 3545. *num.* 29. & *tom.* 2. *in Appar. cap.* 1. *num.* 22. *&* *cap.* 3. *num.* 17. diximus de albicanti veſte Eſſenorum, qui erant veri diſcipuli Eliæ, vt ſæpius monſtrauimus.

8 De cauſa porro illa, ob quam, iuxta Boſtium, Malinis, Ciminetum, & Groſſum relatos, in hac Sarracenorum perſecutione, noſtri, pallijs albis relictis, barrata, ſeu variegata aſſumpſerint, nempe quia pallium Eliæ quando per turbinem ignis deſcendit ad Eliſeum varietatem iſtam colorum ſuſceperit, diximus *tom.* 1. *ſub ann.* 3204. *num.* 12. puerilem exiſtimandam, cum ille ignis verus non fuerit, ſed Angeli ignis ſpeciem præ ſe ferentes; vel eſto quod ignis foret, non eſſet *comburens, ſed illuminans*, ſicut de igne, qui in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos cecidit, dicitur; ac proinde ſicut nihil Eliam læſit, ſic nec eius pallium. Accedit quod B. Cyrillus loco relato, non iſtam, ſed aliam myſticam, & probabiliorem huius rei cauſam aſſignat, videlicet vt per album colorem puritas Euangelij, & per nigrum pœnitentia, quæ Monachis maximè præ oculis eſſe debent, denotarentur. Cur barrata aſſumpſerint.

9 Alia verò, quæ idem Boſtius adiungit, partim ex B. Cyrillo, & Philippo Ribboti deſumpta ſunt; partim piè meditata; partim verò tangunt hiſtoriam de mutatione variegatorum palliorum in alba, de qua Tomo ſequenti pro tempore quo contigit, dicetur. Alia de eare.

Subiungit Ribbotus *ſuprà cap.* 7. quod quamuis cauſa mutationis pallij albi in chlamydem barratam fuerit inhibitio Sarracenorum, apud quos Profeſſores noſtræ Religionis olim in Terra Sancta degebant, nihilominus, cum nec hoc barbari eſſent contenti, ideo propter ipſorum perſecutionem *ab illa patria ad partes Europæ poſtmodum transfretare compulſi ſunt.* Quæ quatenus ad præſens tempus referri poſſunt, viam parant ad ea quæ in ſequentibus dicemus de fundationibus Conuentuum Senarum, Florentiæ, Piſarum, Leontini, Venetiarum, & aliorum, quos antiquitas a noſtra memoria aboleuit. Carmelitæ extorres in Europam.

10 Dum hæc geruntur, Monachi, qui erant Ieroſolymis circa hoc

tem-

Monachi aluntur miraculoſe. tempus, teſte Benedicto Gonono *in Chronic. SS. Deiparæ circa annum Chriſt.* 644. Dei prouidentia, & Deiparæ interceſſione alebantur, prout ex Gregorio Turonenſi refert idem Gononus, ſic. *Monaſterium eſt valde magnum in Ieruſalem non modicam habens congregationem, in quo loco deuotio populi ſæpe plurima confert, ac etiam Imperatoris iuſſu ibi non minima largiuntur. Accidit autem quodam tempore vt præ penuria egeſtatis valde eis victus neceſſaria deficerent. Congregatio enim paruula Monachorum cum vna atque alia die refectionis alimoniam non caperet, vociferant ad Abbatem dicentes: Largire cibos aut permitte diſcedere vnumquemque in locum quo vitam propagare poſſit, alioquin te inconſulto abſcedimus, ne pereamus fame. Hæc his dicentibus, ait Abbas: Oremus fratres dilectiſſimi, vt Dominus nobis miniſtret cibos, nec enim poteſt fieri vt deficiat triticum in eius Monaſterio, quæ frugem vitæ ex vtero pereunti intulit mundo. Quibus vigilantibus nocte tota, ac pſallentibus, mane orto, ita reperiunt cuncta horreorum habitacula repleta tritico, vt vix vel reſerari oſtium poſſet. Accepto autem cibo gratias egerunt Deo. Poſt multos verò annos iterum deficiente cibo clamauerunt Monachi ad Abbatem, qui ait: Vigilemus ac deprecemur Dominum, & forſitan tranſmittere dignabitur alimenta. Denique proſternuntur ad pauimentum templi vigilantes totam noctem in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus. Cum autem ſe poſt matutinas ſomno dediſſent, venit Angelus, & poſuit ſuper altare multitudinem innumeram auri. Erant autem oſtia ædis obſerata. Exurgente autem mane Abbate cum Monachis ad celebrandum, rurſum viderunt multitudinem auri ſuper altare. Et ait Abbas cuſtodi ædium: Quis Præfectorum huc ingreſſus eſt qui hæc detulit? Reſpondit: Poſt egreſſum veſtrum nullus huc hominum acceſſum habuit, ſed oſtij clauem munitam tenui, & mecum habui donec ſurgerem ad commouendum ſignum. Tunc ſtupens Abbas cum Monachis, munus cœleſte intelligit, gratias Deo agens colligit, comparatiſque victui neceſſarijs, plebem creditam affluenter refecit. Nec mirum ſi beata Virgo ſine labore ſuis protulit auxilium, quæ ſine coitu viri concipiens virgo permanſit, & poſt partum.* Hæc Gononus: etſi forſan pro hoc tempore, prout ipſe putat, non contigerint.

Ann. Chriſt. 649. vſque ad 654. Martini I. Rom. Pontif. 1. vſque ad 6. Conſtantis Imperat. 8. vſque ad 13.

Martini Papæ geſta. 1 POST Theodori Papæ obitum ſubrogatus eſt Martinus patria Tudertinus, in Tuſcia natus; qui dum primum Apoſtolicum thronum conſcendit Synodum Lateranenſem non tam contra Sergium, Pyrrhum, & Paulum Conſtantinopolitanum Monothelitas, quam contra quandam credendi formulam

lam

lam *typum* nominatam a Conſtante Imperatore promulgatam celebrauit. Hinc propterea ab eodem patientia ipſius probata eſt, miſſo Olympio Exarcho, qui eum turbaret, etſi fruſtra; exilio etiam ei in Inſulam Naxum vbi peſſimè tractatus; ductus deinde Conſtantinopolim, vbi diriſſima etiam paſſus; ac tandem relegatus Cherſoneſum, vbi quoque ærumnis confectus animam Deo reddidit. Corpus porro Romam delatum in Baſilica S. Silueſtri, & Martini (Turonenſis Epiſcopi) nuncupata, quæ nunc fœliciter Ordinis noſtri gemma eſt pretioſiſſima, propter huius S. Martini Papæ, & innumeras aliorum cælitum reliquias, reconditum extat. Anaſtaſius, Sigonius, Blondus, Baronius, & alij.

2 Porrò circa huiuſmodi SS. Silueſtri, & Martini titulo præclaram Baſilicam, quæ Ordini noſtro, vt diximus, adiudicata manet, ac corpus S. Martini Papæ, de quo in præſenti, in ea conditum, aliqua habet Martyrologium Romanum *die 12. Nouemb.* non recte a D. Baronio intellecta *in Annotationibus ad hunc locum Martyrolog.* Martyrologium ergo ſic: *Natalis S. Martini Papæ, & Martyris, qui Romæ coacta Synodo, cum Sergium, Paulum, & Pyrrhum hæreticos damnaſſet, iuſſu Conſtantis Imperatoris hæretici per fraudem captus, & Conſtantinopolim perductus, in Cherſoneſum relegatus eſt; vbi ob Catholicam fidem ærumnis confectus vitam finiuit, multiſque miraculis claruit: cuius corpus poſtea Romam translatum in Eccleſia Sanctorum Silueſtri, & Martini conditum fuit.* Baronius vero poſt alia de hoc Sancto Pontifice, & Martyre dicta ſubiungit. *Eſt Romæ celebris eiuſdem Sancti memoria, quæ Equitij titulus dicitur, vbi reconditum eſt venerandum corpus eius, poſitum ſub maiori altari vnà cum corpore Sancti Silueſtri Papæ a Sergio Iuniori Romano Pontifice, vt docet vetus inſcriptio in marmore ſculpta, quæ in eadem habetur Eccleſia, quæ cum S. Silueſtri, nec non S. Martini nomine dicta inueniatur; nonnulli errore lapſi ſunt, vt putarent huius de quo hac die agitur Martini Papæ, & Martyris nomine eſſe nuncupatam; cum potius conſtet S. Martini Epiſcopi Turonenſis nomine olim dicatam fuiſſe: error enim manifeſtè arguitur: nam longe ante huius Martini Papæ tempora in Concilio primo Romano ſub Symmacho Papa habito, quod falſo ſecundum dictum reperitur, habetur tertiò mentio de Eccleſia S. Martini tituli Equitij. Poſtquam verò huius Sanctiſſimi Papæ, & Martyris corpus in eandem Eccleſiam illatum eſt, eadem ceſſit eiuſdem Martyris honori, atq; memoriæ: licet more maiorum Rom. populus eamdem in die natali S. Martini Turonenſis Epiſcopi frequentare ardentiori ſtudio perſeueret.* Ex quibus, ſi expendantur illa: *Eſt Romæ celebris eiuſdem Sancti memoria, &c.* & illa: *Poſtquàm verò huius Sanctiſſimi Papæ, & Martyris corpus in eandem Eccleſiam illatum eſt, eadem ceſſit eiuſdem Martyris honori; atque memoriæ*, elici datur Baronium exiſtimaſſe Eccleſiam præfatam SS. Silueſtri, & Martini cognominatam modo *Martini* a S. Martino Papa; etſi olim a S. Martino Turonenſi Epiſcopo cognominata fuiſſet. Cæterum veritas eſt, quod etſi corpus eiuſdem S. Papæ Martini in dictam Eccleſiam illatum fuerit, nunquam tamen *eadem ceſſit eiuſdem Martyris honori, atque memoriæ*, ſed

Eccleſia S. Martini in Montibus.

ſemper attitulata manſit S. Silueſtro Papæ, & S. Martino Epiſcopo. Id ſuadet primo, quod quemadmodum in ſuo Opere *Riſtretto* nuncupato teſtatur *pag.* 57. Reuerendiſſ. noſter Ioannes Antonius Philippinus totius Ordinis Generalis Magiſter, qui a multis annis in eo Cœnobio vixit, & modo in ipſo Generalatus Sedem tenet, eiuſque Eccleſiæ monumenta, & antiquitatem diligenter euoluit, a tempore Symmachi Papæ, qui circa an. 500. Pontificatum geſſit, & eam Eccleſiam, etſi ſupra aliam a S. Silueſtro erectam, conſtruxit, titulum habuit SS. Silueſtri Papæ, & Martini Epiſcopi; neque enim fieri potuit, vt Martino Papæ poſt 150. annos viuenti attitularetur. Nullum porro veſtigium extat in eiuſdem Eccleſiæ monumentis, vt titulus iſte S. Martini Epiſcopi Martino Papæ tributus ſit, quando ipſius corpus ad eam fuit translatum, aut alio poſteriori tempore. Eſto quod, vt idem Reuerendiſſ. *pag.* 58. notat, S. Martino Papæ altare maius eiuſdem Eccleſiæ dedicatum conſpiciatur a tempore translationis corporis ipſius ad ipſam ex cœmeterio Priſcillæ, per Sergium Papam II. factæ. Idem confirmat Romani populi concurſus ad eandem Eccleſiam in die S. Martini Epiſcopi frequentiſſimus; in die autem S. Martini Papæ, multo minus frequens. Accedunt etiam eiuſdem Eccleſiæ picturæ, in quibus dum Sancti titulares eiuſdem notantur, non Martinus Papa, ſed Martinus Epiſc. depingitur. Cui accinit quoque congruentia, quod ſemper, quantũ memoria monumentorũ extat, ea Baſilica ſub Monachis fuit, qualis erat S. Martinus Epiſ. & ex Eliæ imitatoribus vetuſtiſsimis, prout To. præc. indicatum; Martinus vero Papa Monachus non erat. Credi ergo par eſt hanc ob cauſam Monachis datam fuiſſe, imo & eiuſdẽ Inſtituti Eliani Monachis, qui quaſi ſoli erant, Romę maxime, Symachi Papę tẽpore.

Translatio corporis S. Martini. 3 Ex hac autem ſacri corporis S. Martini Papæ ad Eccleſiam S. Martino Epiſc. nuncupatam, translatione, ortum habuit, vt autumari poteſt, quod Eccleſia Rom. eiuſdem Martini Papæ feſtum 12. die Nou. celebrari ſtatuerit: cum tamen apud Græcos, & Latinos aliquos alijs diebus celebretur. Etenim Beda, Vſuardus, & Ado, de eo agunt 4. id. Nou. id eſt, 10. die eius menſis: Græci autem apud quos Martyrium conſummauit idib. April. in ſuo Menologio, atque 16. Kal. Oct. Dies autem ipſius depoſitionis in lib. de Rom. Pont. aſsignatur 15. Kal. Oct. & in Actis eius a Surio editis 16. Kal. Dec. & in alijs 15. vel 16. Kal. Oct. Ergo coniectari licet, vt diximus, ex eo ad 12. Nou. addictum fuerit, quod de S. Martino Epiſcopo eius Eccleſiæ attitulato die præcedenti 11. eiuſdem menſis agatur.

Reliquię eius apud Cherſonam. 4 Notat & Baronius *ſub an.* 654. apud Cherſoneſum eius ſepulchrum coli, quo innui datur, quod etſi corpus ipſius Romam ad Baſilicam illã, & prius ad cœmeteriũ Priſcillæ translatum fuerit, aliquæ tamen eius reliquiæ illis partibus mãſerint, quę in veneratione etiã modo ſint Chriſtianis incolis.

S. Ildefonſus. 5 Inſignis erat hoc tempore S. Ildefonſus Tolet. Monachus, & Abbas, ac Monaſterij Agalienſis in ea Imperiali Vrbe egregius alumnus; de quo nõnulla dicenda, præſertim quoad Monachatum ipſius, Inſtitutumq; quod profeſſus fuit; quia hoc ſpecialius noſtram tangunt hiſtoriam; alijs prætermiſsis

miſſis quæ de tam inſigni Antiſtite, & Doctore Hiſpani, præſertim Toletani Chronologi, aliaque Sanctorum monumenta ſcribunt. Præiactis ergo, quæ de Monaſterijs Agalienſi, & SS. Coſmæ, & Damiani *ſub an.* 560. *&* 590. dicta manent, quæ huic intento valde deſeruiunt; in hoc labyrintho DD. placita quamplura ſunt recenſenda. Primo enim, plures, nec ignoti nominis Scriptores, Canonicorum Regularium, S. Auguſtini nempe, in diſciplina ſe exercuiſſe elicere potuere ex antiquo Breuiario S. Toletanæ Eccleſiæ, vbi ſic de eodem Ildefonſo dicebatur: *Solus habitu quodam diſſimulato ad Monaſterium Regularium Canonicorum extra Vrbem non longè diſtans (quod Agalia dicebatur) greſſus dirigens, &c.* Sicque tenuere antiqui Hiſpaniarum hiſtorici, Sanctorum lectionaria, ac Chronica MM. SS. Cœnobij S. Auguſtini Toletani; Alphonſus de Orozco *in ſuo Chronicon*; Ioannes Trullus *lib.* 1. *Ordin. Canonic. Regular. cap.* 7. *num.* 4. & Ghinius. Alij vero, nempe M. Maximus, Iulianus Perez, Alcozer, Gariuai, noſter Michael Carranza, Marieta, Hieronymus Romanus, Sandoual, Vvion, Menerdus, Dorgamius, & multi Benedictinæ familiæ ſtudioſi, eidem ſacerrimo Ordini Ildefonſum adiudicant. Nos verò, non mediocri diligentia rem ſcrutantes, etſi fateamur Monachos, & Cœnobia, quibus conuixit, & quorum Inſtituta exercuit Benedictinam Monaſticam methodum aliquando accepiſſe, forſan eodem Ildefonſo viuente, & ad Toletanam Primatiam iam aſſumpto; credimus nihilominus, quod cum ipſe in illis Cœnobijs Monachum, ſeu Abbatem egit, eam S. Benedicti Regulam non obſeruaſſe, ſed, ſalua trium votorum eſſentialium Religionis cuſtodia, Regulam aliam, vel S. Iſidori Hiſpalenſis, vel ſimilem aliam vetuſtorum Orientalium Monachorum Prophetici Ordinis, qui in ea Ciuitate a primæuæ Eccleſiæ tempore, ſub Elpidio eius primo Antiſtite ductore, Monaſticen agebant. Id elici facilè poteſt ex nupero ipſius S. Ildefonſi Officio, quod per Hiſpaniam legitur, vbi *Monachus* indiſtinctè vocatur, nulla facta expreſſione cuius Religionis; quo titulo antiquiſſimi Prophetici Ordinis aſſeclæ vocati ſemper fuere. Id quoque odoratus fuiſſe videtur Doctor Franciſcus Piſa *in Hiſtor. Tolet.* dum de eodem Ildefonſo agens, nec Canonicis Regularibus, nec PP. Benedictinis eum aſcribit, ſed dicit ſpecialiora alia inſtituta obſeruaſſe ſimul cum tribus Religionis votis; quod etiam recipit Alfonſus Clauel *in lib. de antiquitat. Relig. S. Baſilij cap.* 8. §. 10. *num.* 3. Subindicat hoc etiam Thom. Tamaius, dum *in Notis ad Luitprandi Chronicon pag.* 47. conceptis verbis dixit: *Præſertim, cum exigua Benedictini Ordinis notitia tempore Ildephonſi in Hiſpania fuerit.* Hæc enim *exigua Benedictini Ordinis in Hiſpania notitia* non exigit vt eum eius cultorem Ordinis credamus, ſed antiquioris, & magis illis partibus tunc noti. Ad hæc, cum non leuibus coniecturis dixerimus *ſub an.* 560. *&* 590. celeberrima illa Cœnobia Agalienſe S. Iuliani, & aliud SS. Coſmæ, & Damiani cognominata ad Ordinem Elianum, & Pro-

Ee 2 pheti-

pheticum ſpectaſſe, etiam pro hoc tempore, cuius hiſtoriam teximus (eſto in ſequentibus Benedictinum recepiſſent) proculdubio credulitas noſtra haud leuiter roboratur. Etenim certo certius eſt D. Ildefonſum in vtroque Cœnobio vitam egiſſe, in Agalienſi quidem, prout ipſemet *de Viris Illuſtrib. in Helladio* fatetur, Cixilla, & Iulianus Archiepiſcopus *in eius Vita*, Luitprandus *in Chronic. ad ann.624.* alius Iulianus Archipresbyter *in Chronic. ad ann.659.* & poſteriores cuncti. In altero vero SS. Coſmæ, & Damiani, quia ibi Abbatem geſſit, vt conſentiunt Scriptores, ſpecialius Cixilla adductus, & Iulianus Archipresbyter *ſupra*, addens *infra num.330.* iſta; *Hoc tempore regebat Eccleſiam Toletanam ſanctè, pieque B. Ildefonſus, qui anno 636. electus eſt Abbas SS. Martyrum Coſmæ, & Damiani in ſuburbio Toletano.* Vtrumque autem amplectitur legenda, ſeu Officium eiuſdem S. Ildefonſi, quod per Hiſpaniæ Eccleſias recitatur, dum *lect.4.* dicit: *In Agalienſi Monaſterio, quod Coſmæ tum erat, & Damiano dicatum inſigne pietatis cucullum induit.* Eſt & pergrauis coniectura ſuadens B. Ildefonſum non Benedictinam, multominus Canonicorum Regularium methodum, ſeruaſſe, ſed diuerſam antiquorum, vt diximus, Monachorum; quia ipſe diſcipulus, & alumnus fuit S. Iſidori Hiſpalenſis Antiſtitis, quemadmodum eorum hiſtoriæ expreſsè tradiderunt; cum igitur habuit ductorem Hiſpali dum commoraretur, & eius Monaſticam diſciplinam ſedulo Toleti ebibit. Atq; S. Iſidorum Elianorum vetuſtum Inſtitutum aſſecutum fuiſſe *ſub ann. 578. & 618.* oſtenſum videtur. Vrget magis intentum, quod tantum abeſt quod D. Iſidorus Regulam S. Benedicti obſeruaſſet, aut ſuis ſubditis Monachis obſeruandam tradidiſſet, vt potius ipſe nouæ Regulæ compilator fuerit, ex vetuſtiſſima illa Eſſenorum forma depromptæ, & tam diuerſæ a D. Benedicti Inſtitutionibus, vt Benedictus Haeftenus Benedictinus *in ſuis diſquiſit. Monaſt.* prout ſub anno 578. annotauimus, conqueſtus ſit de eodem Iſidoro, quod in ſua Regula conformia inſtituta cum D. Benedicto non habeat. Erat igitur vetuſtioris Monachiſmi profeſſor, prout ſub eo anno 618. ſcripſimus, illumque diſcipulo Ildephonſo ſectandum propoſuit. Sed quid faceret Iſidorus ſi ſolum Eliam, Eliſeum, filios Prophetarum, Ioannem Baptiſtam, Paulum, Antonium, Hilarionem, & Macharium, alioſque Patres (inter quos Benedictum non refert) authores Monachiſmi recognoſcit? Ipſius verba ex *lib.2. de Eccleſiaſt. Offic. cap.16.* poſtquam interrogaſſet *quis huius conuerſationis* (Monaſticæ videlicet) *extitit author, cuius iſti habitum imitantur?* ſunt hæc; *Quantum attinet ad authoritatem veterum Scripturarum huius propoſiti Princeps Elias, & diſcipulus eius Eliſeus fuerunt, ſiue filij Prophetarum. Huius etiam propoſiti in Euangelio Baptiſta Ioannes author extitit. Iam inde progeniti ſunt conuerſationis huius nobiliſſimi Principes Paulus, & Antonius, Hilarion, Macharius, cæterique Patres, quorum exemplis per vniuerſum mundum adoleuit ſancta inſtitutio Monachorum.*

Talem

Talem ergo Monaſticam methodum B. Ildephonſus amplexus fuit, non Benedictinam.

6 Sub hoc tempore, anno ſcilicet 655. poſt mortem Cindaſuindi Regis Vviſegothorum in Hiſpania, ſuccedit Recceſuindus filius, qui ab Eugenio Toletano Antiſtite coronatus, & inunctus eſt Toleti in Æde S. Mariæ Alficenſis. Luitprandus *in Chronic.* Quæ notare placuit, quia hæc Eccleſia Ordinis noſtri fuit, & eſt, vt *ſub ann.*731. dicemus, & habet Thomas Tamaiùs de Vargas *in Notis ad hunc locum Luitprandi.*

Ann. Chriſt. 655. vſque ad 668. Vitaliani Roman. Pontif. 1. vſque ad 14. Conſtantis Imperat. 14. vſque ad 26. Conſtantini Pogonati 1. & 2.

1 PONTIFICIVM Vitaliani Summi Pontificis hoc toto tempore agebatur; paucis menſibus exceptis, quibus Eugenius I. poſt mortem S. Martini Romanam Sedem tenuit. Vincitur a Sarracenis in nauali prælio Conſtans Imperator, in pœnam mortis innocentis Abel, Martini ſcilicet Papæ; fautor Monothelitarum, ac perſecutionis Maximi Monachi, de quo *ſub ann.*639. dictum. Pax deinde inter ipſum, & Sarracenos ſancita eſt, occaſione nacta ex ſeditione inter iſtos orta. Poſt varios tandem caſus Syracuſis in balneo occiſus fuit, ſuccedente ipſi filio Conſtantino Catholico Imperatore dicto *Pogonoto* ob barbam. De his Anaſtaſius, Theophanes, Paulus Diaconus, a quibus Codices Baroniani. Huius temporis caſus.

2 Quo tempore plura in inclyta Toletana Vrbe Hiſpaniarum Primate habebantur Concilia, ſub Eugenio huius nominis Tertio, eius Vrbis Metropolitano. Eum nonnulli Benedictinum Monachum vocant, vt Iulianus Perez *in Chronic. ad ann.*646. *num.*320. Sed ſcrutandum viris doctis quæ de ipſo ſcribit S. Illefonſus eius ſucceſſor metricè ſic: Eugenius III. Toletanus.

Hic Monachus fit, mortales dum perfugit vmbras,
Qualis Iſidorus, atque Leander erat.

Inſuper an *Benedictinus* appelletur ſicut eius alumnus Ildefonſus, de quo ſuperius dictum. Plures tamen alij nec Monachum ipſum cognominant, ſed virum ſanctum, & doctum. De ipſo habet Luitprandus infra referendus *ſub ann.*649. coronaſſe in Regem Recceſuindum filium Cindaſuinum, *in Æde Sanctæ Mariæ, quæ vulgo voce arabica Alficenſis nominatur.* Quam eſſe & fuiſſe Ordinis noſtri antiquam poſſeſſionem in præcedentibus, & ſequentibus confirmamus. Nonnulla de ipſo apud Vvionem *in Martyrolog. Monaſtic.*13. *Nouembr.*

S. Ildefonſus clariſſimus.

3 Clariſſimus tamen veluti Sol erat S. Ildefonſus, de quo in ſuperioribus, huius Eugenij in Sede Archiepiſcopali ſucceſſor. Cuius præclariſſima geſta ab innumeris decantata Scriptoribus, Hiſpanis præſertim, Legendarijs, Martyrologijs, & alijs, obuia omnibus ſunt. Quæ tamen aliqui Chronologi, qui a paucis annis in lucem prodierunt (nec propterea minoris authoritatis quam illi, etſi immerito quidam aliter ſentiant) de ipſo ſcripſerunt, hic apponimus. Vnus eſt Luitprandus, ſeu Eutrandus Epiſcopus Cremonenſis, Berengarij II. Italiæ Regis a Secretis, a 700. circiter annis antiquus author, qui in ſuo Chronicon *ad ann. 657. & ſequentibus*, ſic de ipſo, *S. Ildefonſus Monachus Agalienſis, vir nobilis & religioſus, doctrinæque varia fama celebris, Abbas SS. Coſmæ, & Damiani, Monaſterij diuerſi ab Agalienſi S. Iuliani Martyris in demortui locum, Eugenij ſcilicet cognati ſui, voto Reccisuindi Regis Viſegothorum, & Cleri Populique Toletani ſufficitur. S. Ildephonſus mores hominum Aulicorum deprauatos, & ipſum etiam Regem Chriſtiana libertate reprehendit, & ob id ipſis, & Regi viſus eſt acerbus, Nonnullos Iudæos ad fidem conuerſos baptizat, Taio Epiſcopus Cæſarauguſtanus glorioſus habetur. Hæreticos Narbona venientes natione Gothos Theudium, & Helladium per Hiſpanias teterrimè vagantes, & de Virginitate B. Mariæ Virginis temerè ſentientes, quod more cæterarum mulierum dilatatis clauſtris virginalibus peperit Chriſtum Dominum, verum Deum, & hominem filium ſuum, ſermonibus, & quatuordecim editis libris Ildephonſus diuerſis ab illo ſoliloquiorum incipiente* Domina mea, *&c. viriliter confutat, & caſtigatos iuſſu Regis Reccesuindi Catholici, sereniſſimique Principis tota Hiſpania cogit exulare. Hoc anno 9. Decembris apparet S. Pontiſci S. Leocadia Virgo, & Martyr (cuius corpus ignorabatur vbi erat) in Æde Prætorienſi: inde cœpit S. Ildephonſus eſſe Regi Catholico admirationi, & admirabili reuerentiæ. Compoſuerat S. Pontifex ad priuatam deuotionem ſuam librum quendam ſoliloquiorum cum B. Virgine (quæ ſynonyma dicuntur) poſt libros, & ſermones ſcripſit elegantiori ſermone contra hos hæreticos: conſtat ex litteris Geneſij Secundi huius nominis Lugdunenſis, qui dictus eſt etiam Adelardus Abbas Corbeiæ poſt Epiſcopus Vrcitanus.*

Caſſula donata D. Ildephonſo a Deipara.

4 Inſigne porro illud Beatiſſimæ Virginis ſuo deuotiſſimo Cappellano Ildephonſo de veſte, cappa, planeta, ſeu caſſula, collatum beneficium, quo ipſius ſanctitas inſigniter per vniuerſum Orbem ſublimatur ſic deſcribitur a Cixilla Toletano Antiſtite in MM. SS. quæ refert Tamaius *in Notis ad Chron. Luitprandi circa annum 667. Superueniente verò die ſanctæ, & ſemper Virginis Mariæ, &c. dum ante horas matutinas ſolito more ad obſequia Deo peragenda conſurgeret, & vigilias ſuas Domino conſecraret. Diacono, vel Subdiacono ante eum faculis præcedentibus ſubito oſtia aperientes, & Eccleſiam intuentes, atque ſplendore cœleſti oculos deſigentes, lumen quod ferre non valuerunt cum tremore effugientes, lampadas quas manibus tenebant reliquerunt, & ſua veſtigia per quæ venerant, adeuntes*

propè

propè mortui reuerſi ſunt ad ſodales, ſollicitè omnis congregatio requirit quid de Dei ſerno ageretur cum Angelicis choris, &c. At ille ſibi bene conſcius ante altare S. Virginis procidens reperit in Cathedra ipſam Dominam ſedentem, vbi ſolitus erat Epiſcopus reſidere, & populum ſalutare, &c. & eleuatis ocul s aſpexit in circuitu eius, & vidit omnem abſidem Eccl.ſiæ repletam Virginum turmis de cantionibus Dauid modulata ſuauitate aliquid decantantibus, aſpicienſque in eum (vt ipſe ſibi conſcijs, & bene cariſſin.is referebat) hac eum allocuta eſt voce: Propera in occurſum meum ſerue Dei rectiſſime: accipe munuſculum de manu mea, quod de theſauro filij mei tibi attuli: ſic enim tibi opus eſt vti benedictione tegminis, quæ tibi danda eſt, in meo tantum die vtaris, &c. Et hæc dicens ab oculis eius vna cum Virginibus, & luce, qua venerant, remeauit. A Luitprando autem ſupra *circa anno 667.* ſic: *Feria quinta in vigilia Expectationis B. Mariæ Virginis (quæ die ſequenti celebratur feſtum Incarnationis in Hiſpania) hoc eſt 15. Kal. Ianuarij S. Ildephonſus Archiepiſcopus Toletanus vidit poſt apparitionem S. Leocadiæ poſt nouem dies excluſiuè B. Virginem multis Angelorum, & Cœlicolarum agminibus comitatam in Sede Eburnea, vnde ſolebat ipſe concionari ad populum credentem (quæ nunc ſedes ſeruatur in magno pretio in Æde S. Iuſtæ in ſummo Templo eidem Virgini ſacrato) quæ dulciter illum affata, cappa donat cælitus elaborata.* De huiuſmodi autem miraculi traditione, alijſque illam conſequentibus Tamaius ſupra, ac maximè in integra Apologia pro ipſius defenſione edita.

5 Eo autem libentius præclariſſimum hoc donarium a Virgine Deipara S. Ildephonſo conceſſum commemorari a nobis debuit, quod aptè veluti colludit cum alio ab eadem Sanctiſſima Matre noſtro B. Simoni Stoch conceſſo beneuolentiæ ſigno, Scapulari nempe Ordinis, prout ſuo tempore, Tomo ſequenti, Deo duce, elucidabimus. Vterque enim eiuſdem Virginis deuotiſſimus, alumnus, & filius fuit; & vtrumque æquiparat vetuſta Hiſpanica cantio illa: *Scapulare B. Simoni collatum ab eadem Deipara*

Simon Alphonſo Segundo,
Por quien la Reyna del Cielo,
Segunda vez vaxo al ſuelo
A dar nueua prenda al Mundo.

6 De anno 668. ſic habet idem Luitprandus omni hiſtoria digna. *Hoc eod m anno appoſitus eſt in Sacrario S. Eccleſiæ Toletanæ gladiolus impenſus a Receſuindo Rege Gothorum B. Ildephonſo ad reſcindendum velum S. Leocadiæ diuinitus apparentis (nunc eſt in Sacrario S. Iuſtæ Cathedralis tempore Maurorum) cum lapide marmoreo candidiſſimi coloris, vbi deſcendens de Cœlo Sanctiſſima Virgo Maria pedes poſuit, eratque ſuppedaneum Archiepiſcoporum Toletanorum, voluitque B. Virgo decorare, & auctoritatem addere Cathedræ, quæ a B. Iacobo ſemper fuit primogenita filia Romanæ* *Gladiolus Receſuindi.*

Eccleſiæ, & veritatis magiſtra, ſed bonam partem huius Cathedræ tranſlatam aliò cognoui. Eadem annotationibus illuſtrat Tamaius etiam relatus cum pluribus Hiſpanis Doctoribus de iiſdem piè, doctèque ſcribentibus.

S. Ilefonſi obitus.

7 Item *ſub ann. 668.* hæc idem Luitprandus *XXIII. die Ianuarij menſis V, Ildephonſus ſapientia, vitæ ſanctitate, & miraculis clariſſimus ad Cœlos emigrauit; in Æde S. Leocadiæ (quæ domus eius fuit) ad pedes S. Eugenij prædeceſſoris ſui ſepelitur. Iulianus eius diſcipulus, & Archidiaconus hæc illi carmina ſepulchralia condidit, & poni fecit:*

Alphonſi iacet hoc corpus venerabile ſaxo
Quo Toletana nihil terra tulit melius.
Luciaque, & Stephanus clara de gente Gothorum,
Sed virtute magis nobilitante micant.
Inuenit iuuenis portum, ſecloque relicto,
Cœnobij cellas Agalienſis amat.
Hincque Toletanam raptatur Præſul ad Vrbem,
Cui fuit in votis ſede latere ſua.

Plura alia de S. Ildephonſo lector apud Ioannem Bollandum *in Act. Sanctor. 2. tom. pro die 23. Ianuarij.*

S. Amandus.

8 Commemorari etiam hoc tempore poteſt celebris vnus Monaſticæ exercitationis alumnus, S. Amandus, Traiectenſis poſt Epiſcopus, Flandrorum Apoſtolus dictus, & egregijs virtutum donis, ac miraculis à Deo condecoratus. Quæ referunt Milo Monachus, Nothgerus Epiſcopus, Acta S. Gisleni, Sigebertus, Martyrologia, & alia monumenta; maximè Surius *die 6. Februarij tom. 1.* Antiquis illis Monachis annumerandum fore facile credet qui animaduertat Monachiſmum amplexatum fuiſſe, quo tempore Benedictinus in Gallijs vix notus erat, vel ſaltem radices non iecerat. Nec refert quod Trithemius *lib. 3. de Viribus Illuſtr. Ordinis Sancti Benedicti cap. 49. & lib. 4. cap. 135.* ſuis annumeret. Vt enim ſæpius (etſi coactè, ac inuite) notauimus, næuus iſte aſciſcendi ſibi plures, qui eius Ordinis non fuerunt, a Baronio, & alijs notatus eſt, in grauiſſimo hoc aliàs authore: occaſionem poſterioribus prębente idem faciendi. Imo nec ipſum Trithemium ſatis conſtanter de hoc Amando ſcripſiſſe ex locis relatis conſpiciet lector. Vulgatiſſimum enim, ſicut & veriſsimum, eſt illud: *Quandoque bonus dormitat Homerus.*

Ann.

Ann. Chriſt. 669. vſque ad 675. Adeodati Rom. Pontif. 1. vſque ad 7. Conſtantini Pogonot. Imper. 2. vſque ad 7.

1 POST obitum Vitaliani Papæ in eius locum ſubrogatus eſt, qui & hoc tempore Pontificatum geſsit, Adeodatus Romanus, omnibus munificentiſsimus, & gratus. Conſtantini etiam Imperatoris pietas innotuit, dum Sarracenis Conſtantinopolim obſidentibus, diuinitus habuit auxilium pro ipſorum repulſa. Sicut in Hiſpania Vvamba Rex pro eorumdem claſſe 270. nauium ſuperanda, quæ incenſa funditus deperijt. Anaſtaſius, Cedrenus, Tudenſis, Baronius, ac alij. Geſta huius temporis.

2 Ad id tempus referendus Cedmonus, *Simplex* vocatus, Monachus in Pharenſi Cœnobio, quod etiam Sterneshalcenſe in Brittanniæ partibus, appellatum. Quod ad priſcorum illorum Orientalium Monachorum Inſtitutum ſpectaſſe, ea quæ dicemus in Hylda Abbatiſſa *ſub ann.676.* ſuadent. Etſi enim, vt alibi diximus, Benedictini Patres eò ingreſsi eſſent ad annum circiter 596. ſicut & Regulares Canonici ad annum etiam circiter 636. quis tamen credet tam ſubitaneè totum omnino Monachiſmum Propheticum in illis regionibus plantatum abſorpſiſſe, aut in nuperum commutaſſe nouiores, exteros, etſi grauiſsimos, Monachiſmi Profeſſores? Ad minus in re dubia huius celebris Monachi memoria a nobis commemoranda erat. De eo Ioannes Pitſeus *in libro de Scriptoribus Brittann. ætat.7. num.75. circa ann.676.* & Ioannes Balæus author proſcriptus *de Scriptoribus Brittann. Centur.1.* Apud quem etiam in Appendice nugæ aliquot, quibus more ſolito impudenter debacchari ſolitus eſt, contra S. Apoſtolicam Sedem. Cedmonus Simplex.

Ann. Chriſt. 676. & 677. Doni Rom. Pontif. 1. & 2. Conſtantin. Pogonot. Imperat. 9. & 10.

1 DONVS, ſeu Domnus, alijs Domnion, patria Romanus, hoc biennio, poſt Adeodati tranſitum Cathedram Romanam tenuit. Quo tempore ob pietatem, & Catholicam Religionem Imperatoris Conſtantini, Deo prouidente actum eſt, vt Romanum Imperium pacificè ſe haberet, & Sarraceni tributum annuum penderent trium millium librarum auri, & totidem nobilium equorum. Anaſtaſius, Annales Græcorum, & alij. Orbis geſta.

2 Occaſione accepta cuiuſdam priuilegij exemptionis a Summo Pontifice Adeodato conceſsi Monaſterio S. Martini Turonenſis, infert Dom. Cardinal. Baronius *ſub ann.676.* huiuſmodi exemptiones Mona-

chorum

Priuilegia exemptionis Monachorũ. chorum ab Epiſcoporum iuriſdictione obfuiſſe potius, quam profuiſſe Monaſticæ diſciplinæ, nec placuiſſe D. Bernardo, aut D. Franciſco, ſed fratri Eliæ, homini, non diuino ſpiritu, ſed carnis prudentiæ nitenti. Cæterum, etſi plura dici poſſent, quibus hanc Monachorum exemptionem ab Epiſcoporum obedientia vtilem valde, imo neceſſariam fuiſſe pro bono ſtatus Monaſtici, ipſiuſque conſeruatione in Eccleſia, comprobari poſſet: quia tamen extra huius hiſtoriæ curſum id videtur, prætermittenda cenſemus. Illud tamen præteriri non poteſt quod a Pontifice Adeodato in ea epiſtola, conſuetudo concedendi ſimiles immunitates Monachis vocatur *mos*, *& traditio* Romanæ Eccleſiæ. Ex quo pro rationabili, & conſentanea veluti canonizata videtur: cum Eccleſiæ Sanctæ Romanæ *mos*, *& traditio* tales ſemper fuerint. Idem propterea fecerunt Ioannes III. circa annum 559. S. Gregorius Papa circa annum 592. Bonifacius IV. circa 604. quos paulo poſt hoc tempus, de quo in præſenti, ſecutus eſt Zacharias Papa. Quod ſi, Adeodati tempore ceſſarunt Summi Pontifices ab huiuſmodi immunitatibus Monaſteriorum concedendis; prout ex eius epiſtola elicit Baronius, non inde habetur, eo ceſſaſſe, quod minus vtiles, aut nociuæ Monaſticæ diſciplinæ cenſerentur, prout ipſe ſuſpicatur: prudentiori enim coniectura ſuſpicari poſſet, interruptas fuiſſe, quia non neceſſariæ putabantur, æuo, quo maxima pars Epiſcoporum e Monaſterijs aſſumebantur, vt patet in Toletanis e Cœnobijs Agalienſi, & SS. Coſmæ, & Damiani ad eam Sedem euectis, quorum plures in præcedentibus retulimus; & in multis alijs e Lirinenſi Cœnobio in Gallijs ad ſimiles dignitates aſſumptis; qui propterea Monaſteriorum veluti Patres, & Protectores aderant: & quo vel Epiſcopi benigniores in Monachos erant, vel ſaltem a grauaminibus ipſis inferendis abſtinebant. Quod quia non contigit ſequentibus temporibus, merito Summi Pontifices Monaſtici ſtatus perfectionis pij zelatores ipſum multis, varijſque priuilegijs, exemptionibus, & immunitatibus circumuallarunt. De quibus nonnulla *in noſtra Summa quæſtionum Regularium, præſertim tom. 5.*

S. Audomarus. 3 Florebat hoc tempore S. Audomarus Abbas, & Monaſterij Luxouienſis alumnus, iuxta Baronium *ſub ann. 682. in fine*, & alios infra referendos. Quo tempore Concilio cuidam Rothomagenſi adfuit, cui præfuit S. Anſbertus eius Ciuitatis Epiſcopus, prout ex Angrado Monacho in Vita eiuſdem Anſberti apud Surium *tom. 1. pro nona die Februarij* elicit idem Baronius. Qui alia de ipſo *ſub ann. 695.* in fine, quo anno ad cælum migraſſe dicitur. Ipſius Vita apud eundem Surium *pro 9. die Septembris tom. 5.* legitur, vbi inter alia, quomodo poſtea Epiſcopus factus Taruanenſem gentem ad fidem Chriſti prædicatione traxerit, vt merito Apoſtolus Taruanenſium appelletur. De ipſo etiam Claudius Robertus *in Gallia Chriſtiana in Abbatijs Galliarum littera L.* Hæc vel ſub compendio nobis notanda fuere, quia Cœnobium hoc Luxouienſe a

S. Columbano Inſtitutionem accepit; & ipſe Columbanus primæuam illam, quam nos Eliánam, & Prophetalem dicimus, coluit; prout ſufficienter oſtenſum *ſub ann.* 560. vbi etiam de duplici Regula à Columbano tradita, quam prudens nullus refragabitur pro norma fuiſſe, per multum ſaltem tempus, Luxouienſibus Burgundiæ, & Bobienſibus Italiæ Monachis ſuis diſcipulis. Quod clarè etiam demonſtratur ex ijs quæ notauimus *ſub ann.* 606. ex irrefragabili teſtimonio Theodori Papæ ibi relato. Hæc dixerim, etſi Trithemius, & Vvion hunc Sanctum Benedictinis Patribus aſcribere velint.

4 Florebat quoque circa idem tempus in Brittanniæ partibus Hildas Abbatiſſa Monialium, de qua Ioannes Pitſeus *de Scriptoribus Brittanniæ ætat. 7. num. 76. circa ann.* 680. hæc ſcripſit: *Relicto autem ſæculari, & induto Eccleſiaſtico habitu ſeceſſit in Prouinciam Orientalium Anglorum, quia propinqua fuit Regis illius. Deinde transfretauit in Galliam in Monaſterio Calez cum ſua ſorore Hereſuuida, quæ mater erat Aldulphi Regis Orientalium Anglorum; Monaſticam egit vitam: ſed poſt annum ab Aidano Epiſcopo in patriam reuocata ad Septentrionalem Vviri fluminis ripam vno etiam anno in exiguo Cœnobio cum paucis ſociabus vixit. Poſtea facta eſt Abbatiſſa in Monaſterio Heretheu quod in optima diſciplina ſecundum Regulas, quas a pijs, & doctis viris didicerat, diu rexit. Nam pro inſita ei ſapientia, & diuini cultus amore omnibus mirè chara a præſtantiſſimis quibuſque viris frequenter inuiſebatur, & valdè colebatur. Poſtquam igitur illi Monaſterio per annos aliquot laudabiliter præfuiſſet, mandabatur ei cura Monaſterij conſtruendi, & dirigendi in loco qui vocabatur Streaneshalch: Opus non ſegniter peregit, & eadem diſciplinæ regularis forma, qua Monaſterium prius inſtituit: nec quiſquam inibi vel Monachorum, vel Sanctimonialium aliter vixit, quàm ad Eccleſiæ primitiuæ normam: ita vt omnibus omnia eſſent communia, nec quiſquam aliquid eorum quæ poſſidebat dicebat eſſe ſuum.* In quibus ſi expendatur hunc authorem nullam mentionem de Inſtituto huius Abbatiſſæ, & aliarum Monialium (prout ſæpius facere ſolet) egiſſe; ſed potius dixiſſe eas gubernaſſe *in optima diſciplina ſecundum Regulas, quas a pijs, & doctis viris didicerat*, & poſtea Monachos, & Moniales non aliter vixiſſe *quam ad Eccleſiæ primitiuæ normam*, procul dubio haud obſcurè indigitat hanc Monachorum, & Sanctimonialium Congregationem ſub antiquiſſimo illo a primæua Eccleſia in illis partibus Monachiſmo ſeminato, militaſſe; ac propterea non incongruè a nobis referri debuiſſe. De illa etiam Beda *lib. 4. hiſtor. Angl. cap.* 23. mirabilia multa; eamque commemorant Bugianus, & Vvion Benedictinis Virginibus eam accenſentes; Vvion quidem *in Martyrolog. Monaſtic.* 17. *Nouemb.* Bugianus verò 13. *Decemb.* An nos præ illis hiſtoriæ veritatem attingamus ſapiens lector iudicare poterit. Hildas Abbatiſſa.

Ann. Chriſt. 678. vſque ad 682. Agathonis Rom. Pontif. 1. vſque ad 5. Conſtantini Pogon. Imperat. 11. vſque ad 15.

Agathonis Papatus tempus.

1 TEMPVS huius quinquennij Papatui congruit Agathonis Papæ natione Siculi, ex Monacho poſt mortem Doni Romani Pontificis creati. Quo tempore, graſſante per Orbem Monothelitarum hæreſi, plures in Occidente Synodi contra ipſam celebratæ ſunt; ac maximè Conſtantinopolitana in Vrbe celebris illa, ſexta Synodus appellata, *Trullana* etiam dicta a *Trullo*, loco videlicet, ſeu Secretario S. Palatij, vbi PP. conuenerunt. Damnati in ea propterea ſunt, qui vnicam ſolum voluntatem, ſeu operationem in Chriſto fatebantur, quales erant Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus Conſtantinopolitani Patriarchæ; item Cyrus Alexandrinus, atque Theodorus Epiſcopus Pharan. Lecta etiam confeſſio fidei, quam Sophronius Ieroſolymitanus Patriarcha miſerat ad Sergium Conſtantinopolitanum; in qua, præter alia dicitur Beatiſſ. Virgo *Theotocos*, id eſt, *Dei Mater*, ac illi datur titulus *ſanctæ, præclaræque, & quæ Dei ſunt ſapientis, & ab omni contagione liberatæ*. Adfuerunt plures ex Monachis, tum Occidentalibus Romæ, & Siciliæ, tum Orientalibus, Conſtantinopolis, & Antiochiæ, qui omnes vno communi vocabulo *Monachi* vocantur, nulla mentione de eorum Inſtitutis habita: ex quo elici valet, quod ſicut Occidentales Benedictini eſſe poſſent, Orientales tamen, vel Baſiliani vel ex antiquioribus Elianis, ac Prophetici Ordinis Sectatoribus. De his Acta Concilij, Græcorum Annales, Anaſtaſius, & Iuniores poſt ipſos.

Deuotio erga Miſſam.

2 Propagatur hoc tempore fides, & deuotio erga Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium, & experientia miraculosè compertum quantæ efficacitatis ſit tum viuis, tum mortuis, prout ex varijs hiſtorijs narrant Beda *lib.* 4. Leontius *in Vita Sancti Ioannis Eleemoſynarij*, D. Gregorius 4. *Dialogor.* & alij. Quod perperam, & malitiosè, ac ſolito malignitatis ſpiritu interpretatur Ioannes Balæus *in Catalog. Script. Britt. Centur.* 1. *in Hylda Horeſuuitha in Appendice*, dum Purgatorij pœnas diabolica inſomnia appellat, *referentibus Monachis*, vt ipſe diaboli ſatelles inquit.

Ioannes Abbas S. Martini.

3 Hinc Agatho Papa, eodem Balæo *in Cedmone Simplici in Append.* teſte, *Ad Angliam an.* 679. *Ioannem Monachum Archicantorem Romanum & Abbatem D. Martini deſtinabat, vt ritum in Templis legendi, canendi, ac ceremonizandi illic doceret, atque vt celebrationum, & Sacrificiorum vſum traderet*. De ipſo plura Venerabilis Beda *lib.* 4. *hiſt. Anglorum cap.* 18. vbi etiam, quod cum Benedicto Biſcopio celeberrimo Abbate, de quo *ſub ann.* 702. dicetur, in Brittanniam venerit, & ſecum detulerit Synodum Romæ celebratam contra Monothelitas; ac non multo poſt

Romam rediens infirmitate arreptus defunctus fuerit, & ſepultus in Monaſterio Turonenſi. Hæc eò ſpecialius notanda nobis fuerunt, quod iſte Ioannes Archicantor vocetur Abbas S. Martini, illius ſcilicet SS. Silueſtri, & Martini Baſilicæ, & Monaſterij, quod à noſtro Ordine poſſidetur; prout vel ſuſpicari licet.

4 Erat ſub hoc tempore inſignis valde S. Ansbertus Rothomagenſis Epiſcopus, ex Monacho Cœnobij Fontanellenſis in eo territorio ſuper fluuium Sequanæ ſiti, aſſumptus; qui virtutibus, & miraculis clarus eidem præfectus Abbas fuerat, & Francorum Regis a confeſſionibus; nec ipſius oblitus poſt aſſumptionem ad Epiſcopatum. Etenim, vt habet Angradus Monachus in Vita ipſius Ansberti, apud Surium 9. *Februarij tom. 1.* ſollicitudinem, & peruigilem curam indeſinenter ſuper ſancta Congregatione Monachorum eius Fontanellenſis Cœnobij, exercuit. Maximè, vt idem Angradus ſcribit, & *hic ſub an. 682.* notat Baronius, *vt per ſuccedentia tempora ſecundum S. Patris Benedicti Regulam, & vt præcedentium Regum, Clodonei videlicet, & Clotarij, ſimulque Childerici, & Theodorici priuilegiorum authoritates, docent, ex ſemetipſis ſibi perennibus temporibus Abbatem eligerent.* Et infra: *Iuſtæ alligationis verbo præſentes, futuroſque, qui ibidem Domino militaturi erant, conſtringit, vt ſicuti ſub eius regimine, ita & deinceps & ipſi, & poſteri eorum ſecundum Regulam S. Patris Benedicti fideliter Chriſto deſeruirent.* Quæ aureis litteris a nobis ſignanda erant, cum ex illis clariſſimè liqueat, non obſtante quorundam ſententia putantium Benedictinam Regulam Monachorum vſui per Galliam ceſſiſſe a tempore quo Sanctus Maurus ad Galliam perrexit (quos refert, & amplectitur Benedictus Haeftenus *in Diſquiſit. Monaſt. lib. 2. tract. 6. diſqu. 2.*) nihilominus plura Cœnobia fuiſſe, quæ antiquorum Monachorum, Orientalium videlicet, Prophetale Inſtitutum ſequerentur. Prout de iſto Fontanellenſi, grauiſſimo, multiſque ipſius alumnis a præfato Angrado relatis in dicta hiſtoria, non tam conijci quam elici datur. De iſto Monaſterio, eiuſque pro tempore Abbatibus Claudius Robertus *in Gallia Chriſtiana in Tract. de Abbatijs Galliarum litt. F.*

S. Ansbertus.

5 Quamuis autem plures, ijque ſanctiſſimi Monachi hoc tempore venuſtarent Eccleſiam, ipſamque more ſolito ab incurſibus beſtiarum, hæreticorum ſcilicet, viriliter tuerentur; in exemplum tamen Monachi ſuperbi, & eorum qui vanis, & falſis dæmonum illuſionibus, ſeu apparitionibus nituntur, caſus memorabilis referendus aptè hoc loco, qui in relata Synodo Conſtantinopolitani *Trullana* dicta, coram Patribus, ipſo Imperatore, totaque Ciuitate contigit, prout *Act. 15.* eiuſdem Concilij legitur. Fuit quidam Monachus Polychronius nomine, qui Monothelitarum hæreſi infectus populum euertebat, & ad Concilium veniens, ſuæ fidei rationem expoſtulatus, ſic dicebat: [Ego expoſitionem fidei meæ do in opere mortui, rogans pro eo filium Dei, vt ſuſcitet eum.

Monachi illuſtres.

Polychronij caſus memorabilis.

Sin autem non reſurrexerit, ecce Concilium, & Imperator, quæ eis placuerint in me faciant. Sanctum Concilium dixit: Qualem expoſitionem fidei vis ſupra mortuum ponere, vt reſurgat, agnoſcere volumus. Polychronius religioſus presbyter, & Monachus dixit: Ego pono expoſitionem meam ſupra mortuum, & tunc eam relegetis: Sanctum Concilium dixit; Ecce mortuus præparatus eſt. Expoſitionem ergo fidei tuæ profer, quæ debeat ſuperponi mortuo, vt ſuſcitet eum ſicut dixiſti. Et protulit idem religioſus Polychronius chartulam bullatam, bulla exprimente monogrammum Polychronij confeſſoris, quæ habebat hanc ſuperſcriptionem: *Conſtantino a Deo coronato, & ſapientiſſimo magno Principi Polychronius.* Et dixit; In hoc eſt fides mea, & ita mihi oſtendit Deus, vt ponam eam ſuper mortuum; & ſi non ſurrexerit, vt prædixi, ecce qui Imperator eſt, & Concilium, & quomodo iuſſerint, iudicent. Sanctum Concilium dixit; Chartula, quæ prolata eſt a Polychronio religioſo Monacho disbulleſur, ac relegatur. Et disbullata eſt huiuſmodi chartula; quam accipiens Antiochus religioſus lector, & notarius ſanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopoleos, relegit prædictam chartulam habentem his verbis ita: *Conſtantino a Deo coronato, ac manſuetiſſimo magno Principi: Ego Polychronius tanquam præſens ſaluto, & adoro. Et quia vidi multitudinem virorum, & candidatorum, & in medio virum, cuius virtutem narrare non valeo dicentem mihi. Quia nouam fidem componis, feſtina, & dic Imp. Conſtantino: Non facias nouam fidem, neque acquieſcas. Et veniente me ab Heraclea Chryſopolim, & ſtante me in ſolario (hora erat quaſi ſeptima diei) vidi virum terribilem, candidatum valde, & ſtetit coram me, dicens: Quia qui non confitetur vnam voluntatem, & Deiuirilem operationem, non eſt Chriſtianus. Ego autem dixi: Hoc & Conſtantinus ſapientiſſimus Imp. præfiniuit vnam voluntatem, & Deiuirilem operationem. Ille autem dixit: Multum benè, & Deo placitè.* His lectis, interlocutum eſt Concilium verbis iſtis: Edicat Polychronius religioſus Monachus ſi litteræ quæ in præſenti continentur chartula, propriæ eius manus exiſtunt, & ſi ipſa eſt chartula, quæ debeat ſuper mortuũ poni, & ſuſcitare eum. Polychronius religioſus Monachus dixit: Ita eſt, domini; propriæ meæ manus exiſtunt, & iſta eſt chartula, quæ debeat a me ſuperponi mortuo, eumq; reſuſcitare. Glorioſiſsimi Iudices, & Sanctum Concilium dixerunt: Præuidimus, vt chartula quæ relicta eſt ſuper mortuum poni debeat ab eodem Polychronio iuxta propoſitionem, quæ ab eo facta eſt, extra hoc Sacrum Palatium in loco publico in præſentia noſtra, & plebis, quæque inuenta fuerit ad ſatisfactionem Chriſto amabilis populi, qualiter Deus veritatem demonſtret. Et egredientibus tam glorioſiſsimis Iudicibus, & S. Concilio, & plurimo populo congregato in atrio publici lauacri, quod dicitur *Zeuxippus*, appoſitus eſt ei in argenteo exequiali feretro mortuus ſimiliter coram glorioſiſsimis Iudicibus, & ijs qui erant ex S. Concilio, & plurimo Chriſto amabili populo

ibidem

ibidem inuento ſuperaſsiſtens idem Polychronius, poſuit ſupra ipſum mortuum eiuſmodi fidei ſuæ chartulam, perque plures horas perſeuerans, & inſuſurrans ei, nihil horum quæ ab eo ſtolidè, ac blaſphemè promiſſa fuerant valens peragere, idem Polychronius dixit, nullatenus ſe poſſe mortuum ſuſcitare. Populus itaque, qui ibidem aderat, exclamauit dicens: *Nouo Simoni anathema*: *Polychronio ſeductori populi anathema.* Et iterum ingredientes, & glorioſiſsimi Iudices, & ſanctum, ac vniuerſale Concilium in ſecretario Sacri Palatij, quod appellatur *Trullus*, præſente eodem religioſo presbytero, & Monacho, dixerunt: Edicat iterum Polychronius Monachus ſi confitetur duas naturales voluntates, & duas naturales operationes in Incarnationis diſpenſatione Domini noſtri Ieſu Chriſti veri Dei noſtri, qui vnus eſt de S. Trinitate. Polychronius religioſus Monachus dixit: Sicut continet chartula quam obtuli, & poſui ſupra mortuum, ita credo vnam voluntatem, & Deiuirilem operationem, & alterum quid non dico. Glorioſiſſimi Iudices, & S. Concilium dixerunt: Chartam quam obtuliſti quis ſcripſit? Polychronius dixit: Propria mea manus exiſtit: S. Concilium dixit: Poſtquam Polychronius Monachus in proprio errore vſque in ſenium perſeuerauit, nunc autem etiam a nobis commonitus quomodo ſentiat de humanitate Ieſu Chriſti Dom. N. veri Dei noſtri, conatus eſt tentare Spiritum S. & blaſphemam componens chartulam, obſtinanter affatus eſt ponere eam ſuper mortuum, & ad firmitatem blaſphemiæ, quæ in ea fuerat ſcripta (vt non dicamus fidei) huiuſmodi mortuum reſurrecturum: nos (iuxta quod dictum eſt a S. Paulo Apoſtolo) *anathema* iam hunc ſecundum animam (interitum carnis ſcilicet) ſubmiſimus: ſed ad ſatisfactionem Chriſto amabilium populorum, quorum plurimos præteritis temporibus, tam ipſe, quam eius conſentanei deceperant, permiſimus talem eius præſumptionem, dæmoniacamque, ac temerariam propoſitionem publicè fieri, & mortuum, quem quæſierat in medium deduci in præſentia noſtra, & glorioſiſſimorum Iudicum, & multitudinis Chriſto amabilis populi. Ille propoſuit, tale eius impium ſcriptum ſuperponens, & pluriman horam, quantum ipſe voluit ſuperaſſiſtens eidem mortuo, & ſuperſuſurrans intra ſemetipſum quæque putauit, donec dixit non ſe poſſe facere. Quomodo namque eſſet poſſibile blaſphemantem in Deum virtutes operari? Vnde præuidimus hunc tanquam ſeductorem populi, & deceptorem, & manifeſtum hæreticum omni ſacerdotali ordine, & officio denudari. Et depoſito eo, Sanctum Concilium exclamauit: *Polychronio hæretico, & conſentaneis eius anathema: Machario, & Stephano ſimilibus Polychronio anathema:* Trinitas iſtos tres depoſuit.] Hactenus ſpectaculum de Polychronio, quod ex actis huius Concilij, & Codicibus Laurentij Surij hauſit Baronius ſub anno 681.

Ann. Chriſt. 683. vſque ad 687. Leonis II. & Benedict. II. Roman. Pontif. 1. Ioann. V. & Cononis 1. & 2. Conſtantin. Pogon. Imper. 16. & 17. Iuſtinian. Iunioris 1. vſque ad 3.

Pontificatus Leonis II. Benedicti II. Ioann. V. & Cononis.

1 HI anni quatuor Summos Pontifices adepti fuere. Leonem videlicet Secundum Siculum poſt obitum Agathonis, & poſt Leonis tranſitum, Benedictum etiam Secundum, cui ſucceſſit Ioannes V. Syrus, optimis moribus, ac litteris præditus; & illi Conon egregijs quoque moribus a Deo donatus. Quo tempore præcipue actum eſt de promulgandis Sextæ Synodi actis ad Monothelitarum confuſionem. Etſi merito in eis cauendum quod inter hæreticos damnatos recenſeatur etiam Honorius Papa. Cum autem Conſtantinus diem obijſſet, eius filius Iuſtinianus Imperij clauum ſuſcepit. De ijs Anaſtaſius Bibliothecarius, Baronius, Coriolanus, & alij plures, apud quos etiam de ſanctitate, & doctrina Leonis II. ac vindicatione Honorij Papæ.

Concilia Toletana.

2 Celebrata duobus his annis duo Toletana Concilia, 13. & 14. vocata, interuentu plurium Epiſcoporum Hiſpaniæ, Abbatumque quorundam, Sed quorum Inſtitutorum Monachalium Abbates iſti fuerint res incomperta. Procul dubio tamen vel eorum aliqui ſaltem eſſent ex Cœnobijs illis Agalienſi, & Sanctorum Coſmæ, & Damiani, quæ vetuſtiſſimo illi Monachiſmo Eliano a S. Elpidio primo Toletano Antiſtite illis in partibus introducto adiudicari poſſe in præcedentibus oſtendere curauimus. Quod etiam de Cœnobio, Eremiterio alijs, S. Mariæ de *Alfizen*, de quo multa in hoc Tomo, ſuſpicari poſſumus.

Kilianus.

3 Accidit his temporibus, vt vigente in Hibernia Monaſtica diſciplina, prout ex ijs, quæ in ſuperioribus diximus, etiam innoteſcit, nonnulli Monachi cupierint Euangelium annunciare Gentibus; inter quos eminens Kilianus nobilibus parentibus natus, ſacris litteris probè imbutus, virtutibuſque pariter exornatus Romam profectus, & a Conone Pontifice Epiſcopus creatus, poteſtatem accepit Gentibus prædicandi, qui in Germaniæ prouinciam dictam Orientalem Franciam, quam iam antea luſtrauerat adueniens, eam gentem vna cum ipſius Duce Goſberto a cultu idolorum ad Chriſti fidem conuertit in Ciuitate VVirtzburg, ſiue Herbipoli dicta, ſedem conſtituens, vt fuſius narratur in rebus ipſius geſtis, apud Surium *die 8. Iulij*. Vbi etiam quod Monachus, & Monaſterij cuiuſdam Præpoſitus fuerit, & ſimilis Eliæ, & Ioanni Baptiſtæ in perferenda perſecutione a fœminis excitata. An etiam in Monaſticæ vitæ Inſtituto? Res incomperta, & ſub tenebris; cum inter Regulares Canonicos Pennotus *lib. 2. hiſtor. Canonic. Regular. cap. 34. num. 3.* cum

referre

referre videatur: etſi antiquiſſimus Elianus Monachatus in illis partibus ſitus ipſi opponi poſſit. Vtut res hæc fuerit, illud certius martyrem obijſſe, poſt paucos annos, prout ex Nicolao Serario approbat Baronius *ad ann.* 689. Blaſphemat, vt ſolet, nequam Balæus, dum de iſto Kiliano, *in Catalogo Script. Brittann. Centur.* 1. *in Append. ad Cedmonem Simplicem*, inquit: *Kilianum Scotum profeſſione Monachum Epiſcopum hic* (ſcilicet Conon Papa) *fecit, & cum quibuſdam ſocijs etiam Monachis in Germaniam miſit, vt Franciæ Orientalis populos ad papiſticam Fidem traduceret, & Antichriſti charactere ſignaret.*

Ann. Chriſt. 688. vſque ad 701. Sergij Roman. Pontif. 1. vſque ad 14. Iuſtinian. Imperat. 4 vſque ad 10. Leontij I. vſque ad 4. & Tiberij I. vſque ad 5.

1 SEDEM Petri hoc tempore tenuit Sergius natione Syrus, patria Antiochenſis, & vir inſignis probitate, & doctrina. Cum autem Iuſtinianus Imperator odio eſſet cunctis, præciſis naribus, & in Cherſonam relegatus, ab Imperio eijcitur, ſuccedente ipſi Leontio; cui etiam poſt quatuor annos Abſimarus cognomento Tiberius ſucceſsit. Meruit Iuſtinianus tale a Deo ſupplicium, ob Conciliabulum quoddam Conſtantinopoli in ſui conſpectu celebratum, multa continens contra iugem Eccleſiæ traditionem, & veterum Patrum doctrinam, vt idcirco *erratica Synodus* dicta ſit, & a Sergio Papa reiecta. Non ſic Hiſpania Catholica, quæ Concilijs Toleti 15. 16. & 17. & Cæſarauguſtæ celebrandis pro Eccleſiæ vtilitate intenta erat. Interim Sarraceni, ſiue Arabes, Africam Manichæis, & Donatiſtis refertam, ac moribus valde corruptam, occuparunt, & proh dolor, vſque ad hoc tempus ſine obice poſſederunt. De his late recentiores Annaliſtæ poſt vetuſtiores Chronologos. *Huius temporis geſta.*

2 Hoc tempore, ſollicitante S. Egberto Eboracenſi Epiſcopo in Anglia viro laudatiſsimo, & Monaſtici germinis planta nobiliſsima, duodecim alij eiuſdem Inſtituti (quod Elianum illud vetuſtum ex parte ſaltē credimus delineaſſe, cum nullum veſtigium de alio nupero inueniatur) Monachi, ad prædicationem Euangelij in partibus Germaniæ deſtinantur, duodecim inſtar Apoſtolorum. Fuerant autem hi miſsi Vvillebrordus, Suuibertus, Acca, Vvigbertus, Vvillibaldus, Vviniualdus, Lebuinus, duo Euualdi, Vverenfridus, & Marcellinus, qui hiſtoriam dicti Suuiberti ſcripſit, apud Surium *tom.* 2. *die* 1. *Martij*, qui etiam teſtatur Vvillebrordi quoque hiſtoriam conſcripſiſſe. Quorum aliqui poſtmodum Martyrij palma coronati fuerunt; alij prædicationibus continuis inter barbaros extiterunt; alij vacantibus epiſcopijs ſubrogati fuerunt. Prout *Monachi duodecim Apoſtoli Germaniæ.*

in eadem hiſtoria fuſius continetur, Vbi maximè quod Vvillebrordus a Papa Sergio Epiſcopus ordinatus anno 697. in Germaniam redierit. Ibi etiam plura reperiet lector hiſtoria noſtra digna, eo quod a Monachis vetuſti æmulatoribus Inſtituti, vt diximus, patrata; in Ieſu Chriſti, ipſiuſque Euangelij obſequium. Quod pro vitæ Monaſticæ ſcopo meritiſſimè habemus. Legendi pro eiſdem Beda *lib.3.cap.27. & lib. 5. cap. 10. & 11.* ac Baronius *ſub his annis*.

Vvlfrannus. 3 Pariter & hoc tempore illuſtrandus Beatus Vvlfrannus Senonum Pontifex, & Monachus Fontanellenſis Cœnobij a B. Vvandregiſilo conſtructi, iuxta dicta *ſub an.* 642. cuius egregia geſta Ionas eiuſdem Cœnobij alumnus ſcripſit, quæ habentur apud Surium *tom.2. pro die 20. Martij*. Vbi plura de ipſo, & alijs Monachiſmi conſocijs, quæ vel tetigiſſe nobis operæpretium fuit, quia Monaſterium hoc in primæua ſui Inſtitutione antiquiſſimum Elianum ſapiebat Inſtitutum, etſi temporis curſu ſub D. Benedicti tranſierit diſciplinam, ſicut & alia Galliarum Cœnobia plura.

Eccleſia S. Mariæ de Alfizen Toleti. 4 Pro anno 701. ſic habet in ſuo Chronico Luitprandus. *Hoc anno Egica Rex Gothorum moritur Toleti 5. Id. Nouemb. & ſepelitur in Æde S. Leocadiæ Pratorienſi extra muros prope Tagum, cum ſuis maioribus, ſuccedit illi in Regno Vviſegothorum Flauius Vvitiſa filius eius; conſecratur, inungitur, coronatur (vt Imperatores ſolebant Conſtantinopolitani manu Patriarchæ eiuſdem Vrbis) die Lunæ* XVII. *Kalend. Septemb. a Gunderico Toletano Pontifice præſentibus Epiſcopis, Metropolitanis, & Palatinis Toleti Vrbe Romulea, hoceſt, Regia, in Æde S. Mariæ, quæ Alfizen modo dicitur.* Circa quæ, etſi multa Thomas Tamaius de Bargas *in Annotation. ad Luitprandum*, præſertim, quod attinet ad eminentiam inclytæ Vrbis Toletanæ, id ſolum nobis adnotandum, Ædem hanc S. Mariæ de *Alfizen*, quæ Ordinis Carmelitarum antiquiſſima Toleti colonia erat, locum fuiſſe, in quo Rex iſte, alijque vncti, & coronati fuerunt. Vt conſtat in Reccesſuindo filio Regis Cindaſuindi, qui etiam in eadem Eccleſia coronatus, & inunctus fuit, teſte eodem Luitprando *ad ann.* 653. Vt inde innoteſcat quanti pretij apud Principes illos Baſilica hæc noſtra fuerit. De qua alia in ſequentibus.

Eccleſia S. Torquati Toleti. 5 Subiungit idem Luitprandus. *Gundericus Toletanus Archiepiſcopus cum ſuis ſuffraganeis ſacrat Eccleſiam S. Torquati Diſcipuli S. Iacobi, qui cum alijs Comitibus fuit in Hiſpaniam miſſus ab Apoſtolis; Hæc vna fuit ex ſeptem, quæ Toleti remanſerunt ex pactis conuentis cum Mauris, & modo manent.* Quæ etiam nobis annotanda fuerunt, vel in memoriam huius S. Torquati Iacobi diſcipuli; ſiquidem ex adductis *tom. præced. circa annum* 35. 36. *vſque ad* 65. Sancti Iacobi diſcipuli ex Elianis Propheticì Ordinis imitatoribus erant; quorum vnus hic Torquatus credi iure poteſt. Obiens poſtea hic Rex in hac Eccleſia iacuit, quam ipſe perfecerat, teſte Iuliano Archipresbytero *ad annum* 692. Erat olim

Paro-

Parochia, nunc Monialium Monaſterium, vulgo *San Torcaz*.

6 Huic tempori aptantur, quæ de Ioanne de Atares Hiſpano Celtibero Caſanate noſter eiuſdem nationis, & patriæ *in Paradiſ. Carmelit. decor. ſtat.* 3. *ætat.* 9. *cap.* 49. non ineleganti, & ſibi ſolito ſtylo, ſcripſit, ad marginem referens Ioannem Britium, Hieronymum Blancas, & alios, quos videre mihi non licuit, ac proinde ipſius fidei ſtandum. Titulo *Sancti* eum appellat; an tamen hoc conforme ſit Sanctæ Sedis Apoſtolicæ decreto prohibenti tali titulo decorari eos, qui ab ipſa inter Sanctos relati non ſunt, nec mihi conſtare potuit. Interim ſic Caſanate. *Sanctus de Atares (quem celebres noſtri Regni, & temporis Hiſtoriographi integerrimum, ac ſanctiſſimum virum vocant) natione Hiſpanus, Celtiber, & iuxta vetuſtiſſimam temporum traditionem Atares Oppidulo prope Iaccam Ciuitatem ſatus, parentibus ignotis. Vitam iſte Anachoreticam, (& cuius ad imitationem niſi Eliadum illorum Carmeli, cuius vitæ cœleſtis experimentum iam ſine dubio tunc vel Occiduas Europæ partes habebatur?) abditiſſimus ab oculis omnium prope Pannum montem in Regno Aragonum Vrrueli monti vicinum in abditiſſima ſpecu tranſegit, viuus Deo tantum quod creditur notus, & mortuus, primum Eremitæ ſacro, nomine Votus, ſiue Otus, qui cum Felice quodam Cæſarauguſtæ etiam oriundo Ciuitate, nobili vtrique genere ſati poſt inuentum, & ſepultum Ioannem, in generali Hiſpaniæ Sarracenica inuaſione, mundo relicto, in eadem ſpecu Ioannis vitam Anachoreticam duxere, & poſtea Benedictini propoſiti ſacri claræ lampades pingueſque oliuæ effecti ſunt ſub Cœnobitico iugo, queis iuncti ſunt poſtea, mira Religionis ſocietate eadem veſtigia ſectaturi, virtutumque, & anachoreticæ vitæ cubicula inituri (Blancas teſte) alij duo Benedictus quidam & Marcellus, qui aſſidue cum primis ieiunijs, & alijs virtutis operibus Deo detenti vacarunt, qui per miraculum abditiſſimi receſſus intima accedens penetralia inueſtigare, diſponente Domino in imo altiſſimi montis inter duorum horridos hiatus Eremitorium Diuo Ioanni Baptiſtæ Carmelitarum in lege gratiæ Principi ſacro dicatum inuenit, in quo Venerabilis Senis Ioannis Anachoritæ ſacrum cadauer ante altare iacebat cum triangulari lapide qui puluinaris vice Anachoritæ ſancti Sanctum caput ſuſcipiebat hac inſcriptione ſequenti:* Ego Ioannes, primus in hoc loco Eremita, qui ob amorem Dei, ſpreto ſeculo præſenti vt potui, hanc Eccleſiam fabricaui in honorem S. Ioannis Baptiſtæ, & hic requieſco. Amen. *Porro floruiſſe conſtat ex fide digniſſima relatione vetuſtiſſimi cuiuſdam Authoris Macharij, qui ſcripſit illuſtriſſimæ Domus, quæ nunc Abbatia regalis eſt, memorias antiquiores, vt aſſerit Britius, tantum Patrem ante annos, & prope ſeptingentos a Chriſto Ieſu ſub dominatione S. Sergij Primi Pontif. Opt. Max. & Imperio Tiberij III. Abſimari: domumque iſtam celeberrimam fabricaſſe temporibus iiſdem, vt Noe arcam, ad quam tanquam ad aſylum omnes currerent, fugituri diram Sarracenorum graſſantem omnia cladem, quæ totam conabatur abſorbere Hiſpaniam. Ducti ſumus Ioannem iſtum inter Carmelitarum Eremicolas adcenſere ex verbis, & mente Hie-*

Ioannes de Atares.

Hieronymi Blaneus aſſerentis aperte eum in D. Ioannis Baptiſtæ honorem Sacellum ſiue delubrum ſtruxiſſe, exile illud, in quo ad rupis proceræ hiatum omne tempus ætatis ſuæ more ſane Baptiſtæ ſacri, Anachoretarum antiquorum Inſtituto deditus pie, ac religioſe traduxerat. Veſtigia ſine dubio Eliadum illorum Anachoreticam in Palæſtina, & Ægypto vitam ducentium terens in honorem S. Ioannis Baptiſtæ, qui eorum in gratiæ lege omnium fuit coryphæus illuſtris, quem venientem in ſpiritu, & virtute Eliæ Atareſius in vitæ propoſito ſequi conatus eſt. Id quod a multis idem profeſſum habes temporibus in diuerſis Europæ partibus, in quibus multi hoc genus vitæ ſuſceperunt imitatores facti primitiuorum Eliadum ſub Anachoretico, ſeu Eremitico ductu. Habes in Gallijs per annos Chriſti 75. S. Amatorem de quo actum eſt ſupra eodem anno, & vt alios omittamus multos in Bœtica in territorio Arcilocenſi S. Victorem, de quo M. Maximus, & Martyrologium Romanum, & S. Bernardus multa, vide quæ diximus ex Caro in fine Elogij S. Leocadiæ ſub anno 301. Ætate 5. Hæc porrò quæ ex Caro refert ſunt ſequentia: *In dubium vocari non debet, ait Carus, ante D. Auguſtinum, & eius Eremitarum ſanctiſsimum Inſtitutum, quod initium cœpit anno Chriſti 390. Monachos plures, pluraque Monaſteria in Hiſpania fuiſſe, ſiue ij a Palæſtina inuolauiſſent, ſiue ad eorum imitationem Hiſpani viri Religionis, ac pietatis amatores ad Eliadum normam ſe compoſuiſſent, vt ex priſcis Hiſpaniæ Concilijs perſpicuum eſt: ex quo nihil mirum, quod Leocadiam virginem Hiſpanam, in Hiſpania inter Carmelitas virgines Deo ſacras adnumerent præfati aſſertores.* Hæc ille.

Ann. Chriſt. 702. vſque ad 707. Ioann. VI. & VI. Roman. Pontif. 1. 2. & 3. Tiberij Imper. 6. & 7. & Iuſtiniani I. vſque ad 4.

Horum annorum caſus.

1 POST Sergij Papæ obitum creatus eſt Ioannes huius nominis Sextus, & poſt tres annos Ioannes dictus Septimus. Quo tempore Tiberius Imperator, qui Iuſtinianum naribus abſciſſis ad Cherſonam relegarat, vt propterea *Rhinotmitus* appellatus Iuſtinianus eſſet; ab eodem inuaſus, crudeliter occiſus, & Imperio priuatus manſit, diuino ſane iudicio, non tam quia in legitimum Imperatorem rebellaſſet, quam quia in Ioannem quoque Papam Sextum irreuerenter ſe geſſiſſet, eum deturbare tentando. Anaſtaſius, Theophanes, Cedrenus, & recentiores.

Cyrus Monachus.

2 Inter eos, qui diram Iuſtiniani *Rhinotmiti* Imperatoris, veluti e poſtliminio ad Imperium redeuntis, vindictam experti ſunt, vnus etiam fuit Callinicus Conſtantinopolitanus Patriarcha, quem oculis orbauit, & Romam tranſmiſit; in eius locum ſubrogato Cyro quodam Amaſtridis Inſulæ Monacho, qui ei prædixerat recuperationem Imperij. Sic ferme

me iidem Authores. A nobis vel indicandum, cum Orientales iſti Monachi, magna ex parte Propheticæ Religionis profeſſores fuiſſent. Id quoque pro lectore proponendum, diuerſum valde & poſteriorem hunc Cyrum fuiſſe ab alio eiuſdem nominis hæretico Monothelita a 6. Synodo damnato, de quo etiam authores relati.

3. Celebratur maximè ſub hoc tempore S. Benedictus Biſcopius in Britanniæ partibus magnus Monachiſmi propagator. Conſtruxit enim Monaſterium in honorem Apoſtolorum Principis iuxta oſtium fluminis Vvyri, vt habet Beda *lib.4. hiſt. cap.18.* Deinde (verbis nunc vtar Ioannis Pitſei *de Scriptoribus Britanniæ ætat. 8. num.80. circa annum 703.*) *Romam peregrinatus eſt, vbi ab Agathone Papa beneuolè ſuſceptus, & humaniter habitus Monaſticam Regulam, cantum choralem, omneſque Eccleſiaſticos ritus exactè didicit. Poſtea in Lirinenſi Monaſterio tonſuram accepit Clericalem eodem anno quo Theodorus Cilix creatus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis. Tandem factus eſt Ordinis S. Benedicti Monachus, & ſucceſſu temporis electus, vt videtur abſens, Abbas Dorobernenſis, id eſt Cantuarienſis.* Quæ idcircò retulimus, vt clarè innoteſcat, quod cum antequam Benedictinum Inſtitutum arripuerit hic Benedictus Biſcopius Monachus iam eſſet, manifeſte liquet alterius vetuſtioris Monachiſmi profeſſorem extitiſſe. Eum porrò fuiſſe illum quem Alexandrini Eſſeni a S. Marco Inſtituti obſeruabant colligi datur ex eo quod Venerabilis Beda anno ætatis ſuæ Septimo Sancto huic Abbati Benedicto Biſcopio traditus eſt educandus, prout Pitſeus ipſe relatus *circa ann.734.* dixit; imo ipſe Beda *in fine ſuæ Hiſtoriæ:* Mos enim Eſſenorum ſicut, & filiorum Prophetarum erat extraneorum filios paruulos erudire, prout probauimus *tom.1. circa ann. Mundi 3988. num.8. & 4053. num. 13.* Celebratur, vt Sanctus in Martyrologio Romano *pro die 12. Ianuarij*, vbi Baronius *in Annot.* & Martyrologium Monaſticum cum alijs, quos ibi refert Vvion, hunc Benedictum ſuæ Benedictinæ familiæ aſcribens; quod quidem veritatem continet, ſi tamen primò Monaſtici Inſtituti antiquioris profeſſorem fuiſſe fateretur. Plura de ipſo Ioannes Bollandus *in Act. Sanctor. tom.1. pro die 12. Ian.*

S. Benedictus Biſcopius.

4 Erat porrò per id tempus tam celebre in illis Britanniæ partibus Monachorum nomen, vt non ſolum vulgares homines, ſed & magni Principes, imò & ipſi Reges Monachiſmum arriperent. Quod præter quam ex hiſtoria Bedæ facile perſpicitur, vel in vno Edilredo Merciorum Rege poſtquam triginta, & vnum annos Rex præfuit, Monacho facto, conſtat. Teſtatur idem Beda *in ſuo Epitome an.704.* Vbi propterea notat Baronius, quod ob frequentiam Deo philoſophantium Monachorum fuerit Inſula referta vndique Monaſterijs, *in quibus & Reges ipſi, qui fuerant leones in prælio, mox in ſacris ſeptis cœleſtibus caulis incluſi redderentur agni mitiſſimi.*

Monachiſmus decoratus.

5 Non tamen, proh dolor! monachi omnes Sancti tunc erant, vt

nec

Monachi impœnitentis mors horribilis.

nec mirandum, quod nec modò tales ſint, quod demonſtrat exemplum notabile, quod ipſe Beda *lib. 5. hiſtor. cap.* 15. refert hic adiungendum ad diſcolorum Monachorum emendationem. Sic autem Beda: *Noui autem ipſe fratrem, quem vtinam non noſſem, cuius etiam nomen ſi hoc aliquid prodeſſet, dicere poſſem, poſitum in Monaſterio nobili, ſed ipſum ignobiliter viuentem, corripiebatur quidem ſedulò a fratribus, ac maioribus loci, atque ad caſtigatiorem vitam conuerti admonebatur. Et quamuis eos audire noluiſſet, tolerabatur tamen ab eis longanimiter ob neceſſitatem operum ipſius exteriorum: erat enim fabrili arte ſingularis. Seruiebat autem multum ebrietati, & cæteris vitæ remiſſioris illecebris: magiſque in officina ſua die, noctuque reſidere, quàm ad pſallendum atque orandum in Eccleſia, audiendumque cum fratribus verbum vitæ concurrere conſueuerat. Vnde accidit illi (quod ſolent dicere quidam) quia qui non vult Eccleſiæ ianuam ſponte humiliatus ingredi, neceſſe habet in ianuam inferni non ſponte damnatus introduci. Percuſſus enim languore, atque ad extrema perductus vocauit fratres, & multum mœrens, ac damnato ſimilis cœpit narrare, quia videret inferos apertos, & ſatanam immerſum in profundum tartari. Caipham quoque cum cæteris qui occiderunt Dominum iuxta eum flammis vltricibus contraditum: in quorum vicinia, inquit, heu miſero mihi, locum aſpicio æternæ perditionis eſſe præparatum. Audientes hæc fratres cœperunt diligenter exhortari, vt vel tunc poſitus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Reſpondebat ille deſperans: Non eſt mihi modò tempus vitam mutandi, cum ipſe viderim iudicium meum iam eſſe completum. Talia dicens ſine Viatico ſalutis obijt, & corpus eius in vltimis eſt Monaſterij locis humatum: neque aliquis pro eo, vel Miſſas facere, vel Pſalmos cantare, vel ſaltem orare præſumebat.* Horreant hæc diſcoli Monachi, ſi qui fuerint.

Conuentus Senarum auſpicia.

6 Pro anno 707. qui huic tempori correſpondet, iacta videntur primæua auſpicia Conuentus noſtri Senarum inclytæ Vrbis in Etruria. Sic enim teſtatur Franciſcus Boerſius de Cheraſco Ordinis Procurator Generalis, & eiuſdem antiquitatum diligens Inquiſitor *in Vita Reuerendiſſ. Generalis Henrici Syluij*, dum de Prouincijs, Conuentibus, & fratribus tempore viſitationis huius Generalis exiſtentibus memoriam agit. Dicit enim. *Il Conuento di Siena è antichiſſimo, poiche nelle Croniche di detta Città ſcritte a mano quali ſono appreſſo di Pietro Landucci, e d'Orlando Malauoltis gentil'huomini Seneſi, ſi ritroua che li Frati Carmelitani già erano in detta Città l'anno 707. nel medeſimo luogo doue ſono al preſente, e di ciò nell'Archiuio della Traſpòntina vi è vn'Inſtromento autentico fatto l'anno 1573. da Panfilio de Buciardis publico Notaro di Siena, e queſto confronta con la Bolla di Papa Siſto IV. data l'anno 1477. qual dice che Papa Leone IV. che fù l'anno 847. concedette Indulgenze a chi viſitaua le Chieſe Carmelitane, il che fù poi anche confirmato da Papa Gregorio XIII. l'anno 1577.* Idem porro, quod Boerſius hoc loco inſtrumentum refert de fundatione Senenſis Cœnobij, *ſub ann.* 797. afferimus. Quod vero Caſanate *in Pa-*

rad.

rull. ſtat. 3. art. 9. cap. 59. Addit nempe Thomam quendam Gallicum a Carolo Magno e Conuentu Carmeli eductum, & ad Europam traductum primum authorem extitiſſe reædificationis eiuſdem Monaſterij, quam ſub anno eodem 797. contigiſſe ex ipſomet Inſtrumento apparet; nullo dicitur fundamento, cum Thomas iſte Gallicus, qui eſt ille a Baptiſta Mantuano commemoratus *in lib. de Vita beata in fine*, valdè poſterior hoc tempore fuerit, vtpote qui ſub Eugenio IV. poſt 700. annos præclarus vixerit, etſi infelix obierit, vt ſuo loco dicemus. Non ergo potuit a Carolo Magno e Carmelo extrahi, ad Europam traduci, aut huius Conuentus author appellari.

Ann. Chriſt. 708. vſque ad 713. Conſtantini Rom. Pontif. 1. vſque ad 6. Iuſtiniani Imperat. 5. vſque ad 7. Philippici 1. vſque ad 3. & Anaſtaſij 1.

1 POST Ioannis Septimii Pontificis Romani obitum, cum Siſinius creatus Papa ſolum per viginti dies vixiſſet, electus eſt Conſtantinus natione Syrus, qui toto hoc tempore Pontificatum geſſit. Accerſitus a Iuſtiniano Imperatore, prout creditur, ad componendas lites ſuper quintam, & ſextam Synodum exortas, Conſtantinopolim petijt, honorificentiſſime vbique receptus, & ab Imperatore proſtrato pedibus oſculatus. Acclamatur etiam Imperator Philippicus, & occiditur Iuſtinianus: ſed non multo poſt Philippico reiecto imperare cœpit Anaſtaſius II. Hæc ex Anaſtaſio, Mariano Scoto, Beda, & alijs. Pontificum ſucceſſio.

2 Sub hoc tempore accidit multis ſæculis deploratiſſimus caſus de ingreſſu Sarracenorum in Hiſpaniam; adeo infauſtus, & infelix, vt niſi Deus Chriſtianiſsimæ, & Religioſiſsimæ nationi fauiſſet, Chriſtianum nomen ex Orbe vniuerſo deleuiſſent Mahumetani; quos vix poſt 800. annos bellicoſiſsima gens e proprijs limitibus eijcere potuit. Rigidiſsima porro hac pœna dilectam ſibi plebem Deus puniuit, ob Arrianiſmum, qui multos per annos apud eam radices egerat. Creditur etiam ortum habuiſſe ex peccatis præſertim Vvitizæ Regis, de quo Luitprandus *in ſuo Chronico circa annum Chriſti* 706. ſic: *Rex Vvitiza effrenatè præcipitans ſe per omne genus flagitij, legem tulit nequiſſimam, vt more Sarracenorum, cuilibet laico, & clerico liceret, quotquot poſſet alere, vxores, & concubinas impunè domi ſuæ retinere.* Et ſub anno 709. *Conſtantinus Papa monet Vvitizam, vt legem abroget de ducendis vxoribus per Sacerdotes, alioquin eum regno priuaturum, ille vero impatiens iræ nihiloque melior factus minatur Sanctiſſimo Papæ ſe prope diem Romam cum exercitibus aditurum, eamque captam ſpoliaturum ſanctis ſuis ornamentis, vt olim fecerant* Sarraceni in Hiſpaniam.

maiores ſui, vel diruptam deſolaturum. Quamuis autem Rodericus Rex Vvitizæ ſucceſſor iniquam illam legem abrogauerit; nihilominus quia eum Vvitiza exoſum fecerat, eo quod patrem ſuum excæcauerat; iniuriam vlciſci volens in eiuſdem Vvitizæ progeniem, duos ipſius filios Furmalum, & Erpuliorum ex Hiſpania cum ſummo dedecore expulit. Hi ad Iulianum Tingitanæ in Africa prouinciæ, quæ Gothis parebat, Comitem, Vvitizæ olim familiarem, ſe recipientes, conſilium cum eo inierunt de vlciſcendis iniurijs ſuis per Sarracenos, qui maximam Africæ partem poſſidebant. Erat namque & ipſe Iulianus offenſus Roderico Regi, quod idem Rex filia ipſius nomine *Caua*, quam ſub titulo coniugis a patre accepiſſet, tanquam pellice vteretur. Itaque Iulianus occulte pariter hortatus Francos, vt inuaderent Galliam Narbonenſem, quæ Gothis adhuc parebat: in Regem ſe propenſiorem ſimulans, fraudulenter ei conſuluit, vt Hiſpaniam armis nudans, quam pleniſsima pace poſsideret, in Gallias ea, & in Africam mitteret, vbi præſto eſſent aduerſus Francorum, & Sarracenorum inſultus. Fauebat, & huic proditioni Oppa filius Vvitizæ, quem pater præfecerat primarijs Hiſpaniarum Eccleſijs, Toletanæ, & Hiſpalenſi. His igitur præuijs proditorum molitionibus, primo Vlit fortiſſimus Sarracenorum in Africa Rex, Iuliani, & filiorum Vvitizæ ductu Taruſium Strabonem vnum ex ducibus exercitus ſui cum viginti quinque millibus fortiſsimorum militum in Hiſpaniam præmiſit: qui quidem vrbes muris nudatas inuenientes (eam enim cladem vniuerſæ Hiſpaniæ tribus exceptis vrbibus, intulerat Vvitiza) magna earum parte potiti ſunt. Aduerſus quos tamen Rodericus Rex arma quæ potuit colligens, per multos dies fortiter dimicauit, multaque hoſtium millia occidit: donec Muza exercitus Africani Princeps cum infinita equitum, peditumque multitudine in Hiſpaniam irrumpens, poſt multa prælia, ac longam validamque Roderici defenſionem Gothos fugauit, & internecione deleuit, ipſoque Roderico occiſo, vniuerſa potitus eſt Regione. Sic ferme Baronius ex hiſtoricis Hiſpanicis, etſi occiſio Regis, & fatalis finis huius calamitatis, ad annum 714. vt ibi dicemus, referri debeat; vbi etiam de alijs ad noſtram hiſtoriam ſpectantibus, & cladem iſtam Hiſpanicam concernentibus.

Vrbanus Epiſcopus Tolet.

5 Erat per id tempus Eccleſiæ Toletanæ Præſul Iulianus cognomento *Vrbanus*, *Melodicus* etiam dictus, ſucceſſor Suineredi, teſtibus Iſidoro Pacenſi, Roderico Toletano, Morales, Loaiſa, Mariana, & alijs, quibus adhæret Tamaius in Annot. ad Luitprandum *ad ann.* 712. Nobis vel commemorandus, quia, teſte Luitprando, fuit iſte Vrbanus diſcipulus Sancti Illephonſi; vnde eiuſdem Inſtituti cum ipſo Monaſtici aſſecla haberi poteſt, niſi oppoſitum clarioribus monumentis probet ſacerrima Benedictinorum Patrum familia.

4 Sub hoc etiam tempore anno ſcilicet 713. caſus contigit de cele-

bri

bri miraculo virginis cuiuſdam arreptitiæ a Diaboli vexatione liberatæ adhibitis reliquijs Sancti Anaſtaſij martyris Perſæ noſtri Carmeli fulgentiſsimi ſideris, prout in præcedentibus oſtendimus. Quem propterea prætermittere non poſſumus, ſed verbis Eminentiſsimi Baronij hic tranſcribendis, vel ad deuotionem in tam præclarum martyrem magis promouendam. Baronius ſic: *Iam autem quod polliciti ſumus intexenda ſunt hic Acta publica per Eccleſiæ notarium conſcripta de curatione virginis arreptitiæ Romæ in Eccleſia Sancti Ioannis Baptiſtæ ad Aquas Saluias: ex quibus cum multa alia, tum illud potiſſimum conſequaris, vt certum tempus diſcas quo Philippicus excidit ab Imperio, & in locum eius ſubrogatus eſt Artemius, qui & Anaſtaſius. Contigerunt autem iſta de virgine arreptitia hoc anno, menſe Octobri, inchoata iam a menſe Septembri duodecima Indictione. Eſt ſanè mentio in Actione quarta Nicænæ poſterioris Synodi, vt ſuperius dictum eſt, de capite, & imagine Sancti Anaſtaſij martyris Romam delatis, & ad Aquas Saluias collocatis, teſtante pariter ibi Ioanne Epiſcopo Tauromeniæ in Sicilia ex ea inſula mitti ſolitos Romam arreptos a Dæmone ad eius martyris venerandas reliquias, vt curarentur. Magnam enim a Deo recens martyr virtutem acceperat aduerſus dæmones, adeo vt eius nomen non in Oriente ſolum, ſed & in Occidente celeberrimum eſſet. Quod itaque in more eſſet, vt publicæ curationes a Sanctis in Eccleſia fieri ſolitæ ab Eccleſiæ notarijs ſcriberentur, conficerenturque libelli, qui publicè in Eccleſia legerentur, prout ſæpe ſuperius ex Sancto Auguſtino, & alijs contigit demonſtrari, ijdemque inter alia Acta publica in earundem Eccleſiarum Archiuijs aſſeruarentur: quem ex ijs vnum hactenus conſeruatum inuenimus in bibliotheca Vallicellana poſitum, velut appendicem ad vitam eiuſdem Sancti Martyris Anaſtaſij, hic tibi putauimus deſcribendum, ea potiſſimum, vt diximus, ratione, vt temporis Philippici Imperatoris certa ratio habeatur, ad redarguendum illos, qui non duos tantum annos, ſed & aliquot etiam menſes poſt duos annos eum vixiſſe in Imperio tradiderunt, cum ex iiſdem Actis, ſecundum quod Paulus Diaconus habet, reperiatur non exceſſiſſe annum vnum, & menſes ſex. Acta autem ipſa ita. Imperante Domino noſtro piiſſimo perpetuo Auguſto Anaſtaſio Magno Imperatore anno primo, & poſt Conſulatum eiuſdem Serenitatis anno primo, temporibus ſanctiſſimi & beatiſſimi, & Apoſtolici ſummique Pontificis Conſtantini Papæ Vrbis Romæ, Epiſcopus Theopentus nomine, natione Syrus de Ciuitate quæ appellatur Conſtantia, ante hos modicos annos veniens in hanc Ciuitatem Romanam, filiam vnicam quam ſecum duxit miſit in Monaſterio ad diſcendas ſacras litteras. Quæ cum erudita eſſet in canticis, hymnis & lectionibus vultu decora a multis in matrimonium petebatur, erat enim & diues valde. Quod conſiderans venerabilis Epiſcopus pater eius, eam Deo offerens conſecrauit in Monaſterio Sancti Caſſiani inter ancillas Dei, & reliquam ſubſtantiam eius erogauit pauperibus in diuerſa loca pia. Accidit autem vt poſtquam impleſſet puella*

S. Anaſtaſij Perſæ deuotio.

in Monaſterio menſes decem & octo, ille inuidus hoſtis antiquus humani generis immiſerit ſe in puellam, & cœperit eam vexare, & ſtimulare. & cum multi opus ſuum offerrent, vt facerent phylacteria ad eijciendum dæmonem, ipſe nullo pacto acquieuit; ſed precibus, & lacbrymis ad Deum conuerſus in ipſo habebat fiduciam, & ab ipſo petebat auxilium: Surgam, & ibo ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & ad Sanctum martyrem eius Anaſtaſium, qui poteſt curare meam filiam a dæmonis vexatione. Accipiens itaque filiam ſuam habentem ſpiritum immundum venit in manſionem Sanctæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ, vbi Sanctus, ac Beatus Paulus decollatus fuit, in loco qui appellatur ad Aquas Saluias, *vbi requieſcunt venerabiles reliquiæ martyris Anaſtaſij. Et quia in ipſum Monaſterium mulier non ingreditur, intrauit Epiſcopus in aliam Eccleſiam iuxta Monaſterium, dictam baſilicam Beati Ioannis Baptiſtæ Præcurſoris, & vna cum eo presbyter, & diaconus poſtulans ab Abbate eius Monaſterij, vt reliquiæ Sancti martyris Anaſtaſij adducerentur in baſilicam Sancti Ioannis, & vt omnis congregatio pro ipſa puella genua flecteret, & peteret à Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Beato martyre Anaſtaſio virginis liberationem. Et dum hæc fierent die Kalendarum Octobris iſtius duodecimæ Indictionis tunc ſunt reliquiæ venerabilis martyris Anaſtaſij, id eſt caput eius, poſitæ ſuper altare. Petijt inſuper Epiſcopus ab ipſo Abbate vt ex eo aliquam modicam portiunculam acciperet, & appenderet ad ceruicem filiæ ſuæ. Fecit Abbas, & vnum dentem acceptum appendit ad collum eius. Ad conſpectum autem, & poſitionem dictarum ſacrarum reliquiarum cœpit dæmon eam vehementius conturbare, iactareque blaſphemias in Chriſti martyrem, & ſeruos Dei, dicens: Quid me adduxiſtis ad Anaſtaſium cynophagum iſtum? Monachus enim erat, ſed dedit corpus ſuum ad cruciandum pro Nazareno. Non poteſtis me eijcere, quia Imperator ſum habens phalangas atque patricios. Non eſt qui me poſſit eijcere de corpore iſto. Non me eijciet Nazarenus, quia illius eſt cœlum, meus autem eſt mundus. Interrogantibus autem inter alia quomodo auſus eſſet ingredi in vas Deo conſecratum, vbi & corpus, & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti introiuit? Reſpondit: Quidam me coniurauit, vt ingrederer in iſtud corpus & introiui. Inter hæc elicientes caput Beati martyrij de paropſide argentea impoſuerunt ſuper caput puellæ. Tunc clamabat dæmon: non poteſt me eijcere cynophagus iſte, quia Monachus erat, & ego coniurationem accepi per coronam meam non egreſſurum de hoc corpore. Cum autem thymiama adoleretur exufflabat fumum dæmon, eo quod ſibi male oleret: cumque ab vno ex aſtantibus lutus eius naribus odorandus offerretur, ſibi odorem illum placere dicebat. Cum autem interrogaretur, quis eum coniuraſſet, vt in puellam ingrederetur: dicere noluit nomen eius, ſed quomodo id accidiſſet, profeſſus eſt, dicens: Ille adoleſcens, qui eam in matrimonium poſtulauit abijt in Siciliam ad quendam locum qui dicitur Marathonius, & ibi fecit coniurationem in nomine meo, & ligauit in folia*

ficus,

ficus, & tulit ſecum, & dum ambularet iſta ad balneum iactauit eam ante ipſam viam, vt eam calcaret ligaturam. Illa hora ingreſſus ſum in eam, ſed die illa non eam leſi, neque volutaui: fuit id die ſecunda menſis Auguſti Indictione vndecima: die autem ſecunda Septembris cœpi cum ea ludere, atque exagitare & ſtimulare.

Ann. Chriſt. 714. vſque ad 730. Gregorij II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 17. Anaſtaſij Imper. 2. Theodoſ. II. Leonis Iſaurici 1. vſque ad 13. & 14.

1 SVBSTITVTVS eſt ob mortem Conſtantini Papæ, & in ipſius locum Gregorius II. Romanus, doctrina, & ſanctitate inſignis, qui toto hoc tempore Eccleſiæ clauum tenuit. Anaſtaſius autem Imperator Monaſterio antiquiſſimi Eliani Inſtituti, vel ſaltem Baſiliani (res enim eſt incerta) includitur a Theodoſio Quarto Imperatore vocato; qui tandem poſtea, quietis potius, quam regiminis cupidus, Imperium ceſſit Leoni Iſaurico, ac Anaſtaſium ſequens ſanctè viuens, ac moriens ſuo ſepulchro hoc tantum verbulum *Sanitas* Epitaphij loco appoſuit: ſolum morte conſequi poſſe iuſtos perfectam corporis, & animæ ſanitatem indicans. Prodijt eo tempore horrenda hæreſis *Iconoclaſtarum*, authore Iudæo quodam, & promotore Saraceno alio, vt videant Nouatores noſtri ſæculi, quos anteſignanos habeant. Leo quoque Imperator fautor huius hæreſis fuit, vt propterea meruerit, quod Principes Chriſtiani eum deſererent. Anaſtaſius, Theophanes, Baronius, & alij. *Succeſſus huius temporis.*

4 Anno 714. non anterioribus (vt Baronius putat) accenſendus exitialiſſimus Hiſpaniæ caſus, de ipſius totali pene euerſione per Saracenos eam occupantes facta. Sic enim habent grauiſſimi Hiſpanici hiſtorici, & inter eos Luitprandus *in Chronicon*, hiſtoria Roderici Regis (quidquid ſit de fide, quam meretur) Rodericus alius Toletanus, Chronicon Hiſpaniæ generale, Morales, Mariana, Gariuai, & alij, quibus adhæret Tamaius *in Annotationibus ad Luitprandum*. Quamuis autem in hac funeſtiſſima Hiſpaniæ ſtrage ſub Maurorum poteſtate tota ferme deuenerit, Toletum tamen Regia, & inclyta Vrbs ab ipſis occupata non fuit, vſque ad annum 719. & ſub pacto, de quo Luitprandus *in ſuo Chronicon* ſic: *Vigeſima quinta die menſis Maij feſto Sancti Vrbani Papæ, & Martyris, feria ſexta occupant Arabes Toleti Vrbem, ſub ea pactione, vt ſeptem Eccleſiæ remanerent pro Chriſtianis Muzarabibus ibidem manentibus cum graui etiam tributo.* Conſentiuntque Morales, Gariuai, Alcozer, Mariana, Piſa, ac alij Hiſpanici Chronologi, & ex *Hiſpaniæ deuaſtatio.*

Arabibus nonnulli. Quales porro hæ Eccleſiæ fuerint; quia noſtram tangit hiſtoriam, hic dicendum ex Iuliano Petri Archipresbytero Sanctæ Iuſtæ *in ſuo Chronicon*, vbi ſic. *Hæ autem fuerunt Sanctæ Iuſtæ, Torquati, Luciæ, Marci, Eulaliæ, Sebaſtiani, & Sanctæ Mariæ Suburbanæ, quæ dicitur Alfizen Arabicè, pro Eremiterio*. Hæc Iulianus *ad ann.* 719. quem alij concorditer ſequuntur. Addit etiam eodem loco remanſiſſe Chriſtianis Monaſteria Agalienſe, & Sanctorum Coſmæ, & Damiani. Ex quibus pro noſtra hiſtoria habemus, Carmeli Monachos, qui in ea Ciuitate *ab antiquiſſimis temporibus*, vt idem Iulianus *in Tractatu de Eremiterijs num.* 15. dixit, fuerant in eo Eremitorio Sanctæ Mariæ de Alfizen, manſiſſe in ea Vrbe, non ſolum in præfatis Agalienſi, & Sanctorum Coſmæ, & Damiani Cœnobijs, ſi non iam totaliter in Benedictinorum Patres dominium tranſierant (prout communiter plures autumare videntur;) ſed & maximè, ac præcipuè in dicto Eremiterio Sanctæ Mariæ de Alphizen. Quod & confirmat Petrus Sanctius Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ Portionarius, dum verbis quæ retulimus *ſub anno* 590. & inferius referemus, inter Eccleſias, quæ Chriſtianorum vſui poſt Toletum captam remanſerunt, numerat *vn Monaſterio de Carmelitas, que eſtaba fuera*. Id eſt, Eremitorium hoc de Alfizen, quod dicitur *que eſtaba fuera*, ſcilicet extra Ciuitatem, quia erat, vt Iulianus dixit, Eccleſia *Suburbana*, & vocabatur talis, quia, eodem Iuliano *in Tractatu de Eremiterijs num.* 15. teſte, erat *in ſuburbio*. Vnde vocabatur *Alphizen*, alijs *Alficen*, ſeu *Alfizem*, quia in loco inferiori Ciuitatis, & *ſubtus arcem Toletanam*, ſicut & modo, erat; vox enim illa Arabica locum inferiorem denotat, prout ex eodem Iuliano *in Chronicon circa ann.* 1110. *num.* 618. elicitur. Vbi etiam quod appellaretur *de Hortis*, quia forſan horti aliqui in ea parte Ciuitatis erant. Notet tamen lector hanc Eccleſiam primitus appellatam fuiſſe *Sanctæ Mariæ*, & poſtea, Arabum ſcilicet tempore, quando Vrbs ab ipſis capta fuit, vocata *de Alphizen*; ſic enim colligitur ex eodem Iuliano *ſupra ad annum* 449. *numero* 222. Imò prout ex ipſo *in Aduerſarijs num.* 516. colligi poteſt, a Siteſenſibus, qui ex Africa venerunt Toletum tempore Sindauinthi Regis, & erant nobiles Chriſtiani Arabes in hac Eccleſia habitantes hoc vocabulum illi impoſitum. Fuiſſe autem maximæ æſtimationis hanc Eccleſiam facilè conijcitur non ſolum quia in ea Gothorum Reges coronari ſoliti erant, vt in præcedentibus tetigimus, ſed etiam quia in ea plures Toletani Epiſcopi ſepeliebantur, prout de Maiorano teſtatur idem Iulianus *ſupra num.* 225. Manſit porro hæc Eccleſia inter Arabes, pro vſu, & cultu diuino Chriſtianorum, qui *Muzarabes* vocantur, id eſt, *mixti Arabibus*; & ſub protectione *Portocarrerrorum* inſignium nobilitate virorum eius Vrbis. Sic enim ex eodem Iuliano locis relatis habetur. Alia in ſequentibus de hac Eccleſia, ſeu Eremitorio.

Erat

3 Erat per id tempus clariſſimus Sanctus Bonifacius Anglus presbyter, & Monachus, Apoſtolus Germaniæ a Gregorio Papa deſtinatus, & poſt varios pro Eccleſia Dei exanthlatos labores Moguntinus Antiſtes creatus, ac magnus Monachiſmi propagator. Quamuis autem paſſim ab authoribus pro Benedictino Monacho habeatur, quibus inficiari nec nos volumus; nihilominus quod ſuus, ſuorumque ſociorum in principio Monachatus ſub S. Benedicti Regula non fuerit; ac per conſequens ſub vetuſtiſſimo in illis inſulis Eliano, vt ſæpius tactum, ex eo elici poteſt, quod cum ipſe in Germania Monachiſmum plantare vellet pro viris, & fœminis, Caſſinum in Montem, vbi Benedictina Sodalitas ob tam egregij Patris Benedicti ſanctimoniam fulgebat, diſcipulum ſuum *Sturmi* nomine miſit, *vt diſciplinam Regularem, vitam, moreſque Monaſticos agnoſceret*. Ex hoc enim hauriri poteſt, nec ipſum, nec plures alios Monaſticæ diſciplinæ alumnos, qui in eius Vita apud Surium *die 5. Iunij* recenſentur, ſaltem in principio ſub S. Benedicti Regula vixiſſe, ſed poſtmodum dumtaxat, poſtquam ille *Sturmi* Caſſinum inuiſit. Hęc & alia habeat lector ex Vita S. Liobæ Virginis, & Abbatiſſæ apud eundem Surium 28. *Septembris*, quam etiam pro Monialibus in Germania inſtruendis ex Anglia euocauit. S. Bonifacius.

4 Fulgentiſſimus etiam Sol in Orientis partibus ad Iconoclaſtarum tenebras depellendas hoc tempore illuceſcere cœpit: Sanctus nempe Ioannes *Manſur.* dictus, & a patria *Damaſcenus*, inter egregios Græcæ Eccl. Doct. iure numeratus. Prophetici autem, & Eliani Inſtituti palmitem fuiſſe, ac perinde, imitatione ſaltem, vineæ Carmeli propaginem, & propterea a nobis ſingulariter deſcribendum multa ſuadent. Primò, antiqua Ordinis traditio per Scriptorum plurium calamum deriuata, quæ hoc conſtanter fatetur. Hi ſunt Palæonydorus, Coria, Fuente, Pintus, Romanus, Caſanate, & alij. Secundò, de exteris authoribus Laurentius Beyerlinck *in Theatr. Vit. hum. lib. 16. tom. 6. verbo Religioſus, Religio.* hunc S. Ioannem Damaſcenum inter Carmelitas recenſens, quod & antea fecerat Carolus de Tapia *In Authent. Ingreſſi, verbo Monaſteria cap. 17. §. in prima fundatione*. Tertiò, quia id conſtat in Vita ipſius per Ioannem Ieroſolymitanum Patriarcham deſcripta, & operibus Laurentij Surij *tom. 3. pro die 6. Maij* inſerta, vbi colonus, & habitator Monaſterij S. Sabæ iuxta S. Ciuitatem poſiti, deſcribitur; huiuſmodi enim Monaſteria Sabæ, Euthymij, & aliorum, *Lauræ* vocata, antiquæ Ordinis noſtri Coloniæ erant, prout non ſemel in hoc Tomo, ac in præcedenti, oſtendimus. Eo quoque quod ibi, neque Baſilianum, multo minus Benedictinum Inſtitutum (etſi contrarium velit P. Vvion *in lign. Vit. lib. 2. cap. 70. & in Martyr. Monaſt. die 6. Maij*) aut aliud vigebat, ſed vetuſtiſſimum illud Elianum, & Propheticum illis in locis veluti domeſticum, & familiare, vt pote a filijs Prophetarum mendicatum, qui oras illas Iordanis, & Carmeli frequentarunt. Illud ergo quod in ea Vita S. Ioannes Damaſcenus.

ſcribitur *Imitatus eſt zelum Eliæ*, etiam hoc ſenſu accipiendum. Qualiter porro in hoc Sabæo Cœnobio ſub Coſma magiſtro ſe geſſerit, quæ Inſtituta ab ipſo (ſane diuerſa ab ijs quæ pro alijs præfati Sanctiſſimi legiſlatores condiderunt) acceperit; quam perfectè obedientiæ ſtuduerit, Eccleſiamque ſuis ſcriptis decorauerit, ex ea hiſtoria non ineleganter compoſita curioſus, & pius lector habere poterit. Alia etiam in ſequentibus: in præſenti tamen ſolum de celeberrimo miraculo circa ipſum Dei Genitricis interceſſione patrato dicemus.

Manus ipſi amputata, virginis SS. patrocinio reſtituta.

5 Fiebat hoc tempore, Dei ſapientiſſima Prouidentia ſic diſponente, vt Beatiſſimæ Virginis deuotio eo magis creſceret, quo, Iconoclaſtarum peruerſitate, qui contra ipſius ſacras imagines debacchabantur, diminui videbatur. Id primò conſpicitur in S. Ioanne Damaſceno commemorato. Cum enim Leo Imperator audijſſet ſe eiuſdem ſcriptis haud mediocriter exagitari, vt in eum vlciſceretur ad fraudes ſe conuertens per quoſdam ex ſuis egit, vt aliquam epiſtolam manu eiuſdem Ioannis ſcriptam nanciſceretur: eaque notarijs quibuſdam ad imitandos characteres propoſita, aliam confinxit Ioannis nomine tanquam ad ſe ſcriptam pro ſuſcipienda oppugnatione regiæ Saracenorum Ciuitatis Damaſcenæ, eamque ad Principem Saracenorum, in cuius aula primarij conſiliarij dignitate fulgebat, tranſmiſit. Qua ſibi a barbaro oſtenſa, Ioannes litterarum quidem formas ſuis ſimiles eſſe confeſſus eſt, ſed quæ in eis continerentur vnquam cogitaſſe omnino negauit. At magis credens Imperatori barbarus, dexteram Ioannis amputari iuſſit. Qui domum ſe recipiens in oratorio ſuo ante Imaginem Dei Genitricis prouolutus, magna fide exciſam manum priſtinæ ſuæ commiſſuræ admouit, ac feruentibus orationibus a B. Virgine eius integram reſtitutionem expetijt, quo poſſet illius miniſterio Chriſti Domini eiuſdemque ipſius Matris laudes ſcriptis celebrare. Nec mora, cum obdormiuiſſet, viſione Dei Sanctæ Genitricis experrectus, manum ſanatam reperit, linea tantummodo quadam relicta, qua locus exciſionis demonſtraretur. Qua re cognita cum vellet eum Princeps dignitati priſtinæ reſtituere, ipſe impetrata ægre miſſione, cunctis bonis ſuis pauperibus, & Eccleſijs diſtributis, Hieroſolymam primò profectus eſt, indeque petens eremum, apud S. Sabæ Lauram Monaſticam vitam egregie excoluit, prout dictum ſupra ex Vita eiuſdem per Ioannem Ieroſolymitanum deſcripta. Caſum porro hunc de manus reſtitutione illud Epigramma denotat.

Dextra Damaſceno, quæ quondam ſciſſa Leonis
Procurante dolo, ſuppoſitaque manu;
Chriſtiparæ auxilio ſic reddita ſana precanti,
Atque aptata ſuo, ſecta erat vnde, loco.
Scriberet vt poſthac citius, meliuſque, magiſque
Vnum qui in triplici numine numen habet.

Pari-

6 Pariter etiam paulo ante, cum Conſtantinopolitana Ciuitas Saracenorum obſidione arctiſsima premeretur, quæ & per multum tempus durauit; Dei Genitricis pijſsima interceſsione, ad quam, veluti ad præcipuam eius Vrbis Patronam, populus ille confugere ſolitus fuit, libertatem conſequitur mirabiliter, prout ex Annaliſtis vetuſtioribus hauriunt moderni. Quin & Gregorius Papa in Epiſtola ad S. Germanum eiuſdem Ciuitatis tunc temporis Patriarcham, ſignificat Sanctiſſimæ Deiparæ venerandam effigiem a ciuibus ſupra muros ſolemnibus ritibus circumductam fuiſſe, ſicque ab imminenti periculo Vrbem liberatam. Spondanus *ſub ann.* 717. Pijſsima quoque Hiſpania, quæ grauiſsimo Mahumetanorum iugo recenti acerrimè torquebatur, eiuſdem Sacerrimæ Dei Genitricis ope barbarorum ſuperbiam confringere, & ſuæ reſtitutionis fauſta initia inchoare potuit. Cum enim Aſtures omnes, qui reliquiæ Chriſtianorum ſupererant, in vnum collecti, *Pelagium*, ſeu Pelaium Principem conſtituiſſent, quem in prægrandi ſpelunca loci natura munita degentem, cum Saraceni primum per Oppam Archiepiſcopum Toletanum VVitizæ Regis filium blandis verbis, poſtea aperto marte, per validiſsimum militum octoginta millium exercitum appetijſſent; idem viginti illorum millia cum Duce occidit, Oppam cepit, reliquos fugauit, qui ferè omnes in præruptis montium, & aquarum inundationibus diuinitus oppreſsi ſunt, ope, & interceſſione Sanctiſsimæ Dei Genitricis: cuius ideo memoriæ ſpelunca illa dicata eſt, dictaque *Sancta Maria de Couadonga*. Tanta verò clade Rex Saracenorum pudore ſuffuſus, ſimulque furore ſuccenſus in eos quos ſecum habebat Hiſpanos rabiem conuertens, Iulianum Comitem Tingitanum regni proditorem, & filios duos VVitizæ capite plecti iuſsit: diuino id iudicio agente, vt ab eodem interficerentur ſcelerati, cui Hiſpanias prodidiſſent. Hæc Tudenſis, Rodericus, alijque Hiſpanicarum rerum Scriptores. Ex quibus etiam habetur poſt hanc victoriam animum reſumpſiſſe Hiſpanos contra Saracenos, & Alphonſum Regem Pelagij generum, Gallæciam, plurimaſque Ciuitates ex illorum manibus vendicaſſe; & idcirco titulum *Catholici*, quo olim præclariſsimus Rex Reccaredus in Epiſcoporum Concilio acclamatus fuit, promeruiſſe, ſicut & ipſius ſucceſſores Hiſpaniæ Reges. Hæc ergo ſibi a Deo præſtita beneficia Dei Genitricis protectioni deferant. De qua, qui ſingularia aliqua deſiderat noſtrum de *Maria Patrona* opuſculum legat hic Romæ editum de anno 1648. & apud Belgium iterum recuſum; cum breui ſynopſi aliquot mirandorum per S. Scapulare eiuſdem Virginis Carmelitarum matris teſſeram patratorum, diligentia, & ſtudio R. Patris Danielis a Virgine Maria Bruxellenſis noſtri Cœnobij, ac poſtea totius Belgicæ Prouinciæ Præſulis, viri ſanè ob pietatem, & zelum Religionis hiſtoria noſtra digni. SS. Virginis Mariæ protectio.

7 Lubet & hic adijcere quæ Luitprandus in ſuo Chronicon circa annum

De S Babyla. annum 715. ſic ſcripſit: *Per hæc tempora S. Babylas Epiſcopus Veronenſis, & Pampilonenſis (vtrobique enim prædicauit) animo videndi captiuos, & miſeros Muzarabes Toletum venit, & inde ad Odonem oppidum, & prope in Eremitorsolo pueros docet primas litteras, & venit cum duobus fratribus, qui ſunt Eremitæ, & poſtea omnes martyrium patiuntur.* Cauſam porro quare iſta hic referamus adduximus Tomo præcedenti circa annum Chriſti 241. quæ videnda, & Thomas Tamayus de Vargas *in Notis* ad Luitprandum hoc loco.

ex Monaſterio Toletano. 8 Huic tempori congruunt, quæ ex Petro Sanctio S. Eccleſiæ Toletanæ Portionario in ſua Hiſtoria Toletana *ſub anno 690. num.* 11. adduximus; hoc loco iterum repetenda, quia clariſsimè demonſtrant Ordinis noſtri antiquitatem in ea inclyta Vrbe. *El año de 719. fue entregada Toledo a los Moros, ſacando por partido los Chriſtianos que habian de ſeñalar ſiete Yglesias en que pudieſſen libremente celebrar y aſsiſtir a los diuinos Oficios, las quales fueron ſeis Parochiales dentro de la Ciudad, y vn Monaſterio de Carmelitas que eſtaua fuera.* Latinè ſic. *Anno 719. Mauris traditur Toletum hoc pacto cum Chriſtianis inito quod deſignaturi erant ſeptem Eccleſias in quibus libere celebrare, & aſsiſtere poſſent diuinis Officijs; quæ fuerunt ſex Parochiales intra Vrbem, & quoddam Monaſterium Carmelitarum quod extra erat.* Quibus ſi adiungas alia eo loco relata, & quæ ſupra *num.* 2. adduximus, manifeſtè elicies hoc tempore fuiſſe Ordinis Carmelitani Monaſterium in Vrbe Toletana. Quia tamen Sacra Archiepiſcopalis Baſilica Maurorum improbitate polluta poſtea fuit, prout ex dicendis *ſub ann.* 731. liquidum erit, ad noſtram Eccleſiam Archiepiſcopi ſedes tranſlata eſt, & noſtri coacti ſunt extra Vrbem (etſi non procul, prout ſuſpicari licet) ſibi manſionem quæritare, & tandem ad Monaſterium S. Seruandi, vulgo *San Ceruantes*, ſe transferre. Quos ibi reperiens Rex Alphonſus Sextus, qui Toletum e Saracenorum manibus eripuit, ad propriam S. Mariæ de Alfizen Eccleſiam redire conceſſit, prout in ſequentibus *ſub ann.* 1088. elucidabitur.

Deiparæ Drepanenſis Imago hoc anno ſculpta. 9 Icon illa toti Siciliæ, & alijs Orbis partibus celeberrima, Deiparæ Virginis in Drepanenſi Cœnobio ſita, de qua plura, nec pro meritis, ſequenti Tomo dicentur, anno 730. cuius hiſtoriam nunc teximus, ſculpta fuit, prout ex inſcriptione, quæ extat in Fimbria veſtimenti ipſius; quam refert Franciſcus Boerſius de Cheraſco Procurator generalis Ordinis *in Vita Henrici Syluij Generalis in informatione Prouinciarum, Conuentuum, & Fratrum Religionis pag. mihi* 175. clarè elicitur. Inſcriptio autem ex Chaldaicis litteris aureis Italice redditis talis eſt: *Salutate il Signore che ſtà grande ſe bene è piccolino è però giuſto, e dolce. Credo come queſta è la gran Madre di Dio, Ecce Ancilla Domini. E ſcolpita in Endubet di Cipri l'anno 730. il meſe d'Agoſto, &c.* Latinè autem ſic ſonant: *Salutate Dominum, qui eſt magnus quamuis paruulus, eſt enim iuſtus, & dulcis. Similem iſti credo magnam Dei matrem. Ecce Ancilla*

Domi-

Domini. Sculpta in Endithet Cypri anno 730. *in menſe Auguſti, &c.* Ad encomia plurima huius ſacerrimæ Imaginis celebranda, ac ſequenti Tomo referenda, pium lectorem Deiparæ Virginis deuotum prouocamus.

Ann. Chriſt. 731. vſque ad 741. Gregorij III. Rom. Pontif. 1. vſque ad 11. Leon. Iſauric. Imperat. 15. vſque ad 24. Conſtantin. 1. Copronym. 1.

1 GREGORIO Secundo e viuis ſublato Gregorius alius eius nominis Tertius, natione Syrus, & virtutibus illuſtris, ſuffectus eſt. Hic primò contra Leonem Imperatorem in Eccleſia rugientem, hæreſimque ſub ipſius protectione graſſantem, agere cœpit, Romæ etiam Synodo congregata. Ipſe autem Leo animæ, & corporis morte ſcelera patrata pœnas dedit: relinquens ſucceſſorem Conſtantinum *Copronymum* dictum, eo quod dum baptizaretur ſtercus egeſſiſſet in ſanctum lauacrum, in ſignum *Chriſtianis, & Eccleſiæ maximi mali per eum efficiendi*, prout de ipſo prophetice dixit Sanctus Germanus Conſtantinopolitanus Antiſtes, qui eum baptizauit. Fuit etenim improbiſſimus homo, magicis artibus, luxurijs, cruentis ſacrificijs, alijſque vitijs infectus. Vt merito proinde, ipſo aduerſus Arabes profecto, Artabaſdus vir Orthodoxus Imperium ipſi Conſtantinopoli arripuerit. Anaſtaſius, Theophanes, & poſt ipſos Ciaconius, & alij. Pontificum, & Imp. ſucceſſio.

2 Sigillatim tamen recenſenda a Leone Imperatore hoc tempore perſecutio in Orthodoxos conſueta, quæ pro noſtræ hiſtoriæ filo texendo neceſſaria apprimè eſt; & quam ex Theophane, Menologio Græcorum, & Baronio, ſic collegit Spondanus. *Sic erat comparatus, vt licet ſanguinem ſitiret Orthodoxorum ſibi contradicentium: inuidens tamen ipſis gloriam conſummati martyrij, ab eorum nece ſæpius abſtineret, eos amandans longius in exilium: quamquam nec ſemper ſe continuiſſe ab inferenda nece, docent exempla Ayppatij Lydorum Epiſcopi, Andreæ presbyteri, & Gregorij Limniotæ* (apud Menologium 24. *Auguſti*, vocati Georgij) *Monachi propemodum centenarij: quos detruſos in carcerem excarnificari præcepit, deinde capitis cutem extrahi, ac deſuper pictas tabellas congeſtas accendi, barbamque pice liquente conſpergi, atque incendi: qui eo ſtatu per Conſtantinopolitanam Vrbem diſtracti, demum iugulati ſunt, eorumque corpora canibus expoſita. Sed & in eodem Menologio aliorum quoque plurimorum extat memoria, qui poſt dira, ac multiplicia tormenta, coronam vitæ in exilio receperunt. Quam quidem perſequutionem in ſequentes quoque annos quandiu Leo vixit propagatam eſſe conſtat.* Additur illis Ioannes Abbas Leonis Imp. perſecutio. Gregorius Limniota. Ioannes Abbas.

Mona-

Monaſterij Catharorum, de quo in Menologio *die* 27. *Aprilis*. Forſan & Nicetas Abbas Monaſterij Mecidij, qui montium habitator, & ab Imperatoribus Sanctarum Imaginum oppugnatoribus multa paſſus dicitur in eodem Menologio *ſub die* 4. *Maij*. Maximè verò Michael Monachus, & Epiſcopus Synodarum a Leone Iſaurico in exilium miſſus, cuius certamen celebratur in ipſo Menologio *die* 23. *Maij*. Et Theophilus Monachus Religioſus ibidem dictus *die* 2. *Octobris*: vbi etiam quod redargueri Leonem Imperatorem eum appellans *impium*, *nefarium*, & *Antichriſti præcurſorem*. Qui etiam videtur ille, de quo memoriam agit *die* 10. *Octobris*. Hos omnes crederet P. Vvion Benedictinæ ſcholæ diſcipulos fuiſſe, ſicut de illo Gregorio, ſeu Georgio relato exiſtimare videtur *in Martyrologio Monaſt. die* 24. *Aug*. ſed nos robuſtiori innitimur fundamento noſtris, ſeu Baſilianis eos accenſentes, quia P. Benedicti Regula hoc tempore illis in partibus vix nota erat, ſed vel ſub Inſtituto antiquo Monaſtico, & Prophetico, vel ſub recentiori Baſiliano Monachi omnes Orientales Deo militabant, vt ſæpius tangimus.

Nicetas Abbas. Michael Monachus. Theophilus Monachus.

3 Sunt quoque nonnulla ad noſtri Ordinis Eccleſias pro hoc tempore ſpectantia, quæ propterea a nobis prætermitti nullatenus debent. Inter quæ illud primum, quod cum per inuaſionem Maurorum in Hiſpaniam, ſacra loca ferme cuncta in ipſorum manus deueniſſent, ea ſacrilegè prophanaſſe pro certo conſtat. Ac notanter *de anno* 731. notat Iulianus Perez *in ſuo Chronicon* quod *die* 1. *Iulij Eccleſia S. Mariæ Toletanæ fit Mezquita Maurorum polluta ſordibus immundis*. Hæc eſt illa toti Orbi Chriſtiano celeberrima Toletana Baſilica, miris encomijs ab hiſtoricis commendata; & quæ a Tractemundo Illiberritano Epiſcopo *in epiſtola ad Luitprandum* ex eo extollitur, quod ſemper *vere fuit filia primogenita Eccleſiæ S. Romanenſis, & cum Patriarchalibus poſt Romanenſem merito comparanda*. De quibus, & alijs titulis honorificentiſſimis etiam a Pontificibus Summis eidem conceſſis legendi Garſia Loaiſa *Not. in decret.* Blaſius Ortiz *cap.* 9. *deſcript. Summi Templ. Toletan.* Salazar de Mendoza *cap.* 1. *Vit. S. Illephonſ.* Portocarrero *ibid.* & Thomas Tamaius de Vargas paſſim in ſuis ſcriptis. Illa etiam, quæ, iuxta dicta *Tomo præcedenti* ab Elpidio Primo eius Vrbis Epiſcopo, ac ex Carmeli aſcetis vno, erecta; ab Eugenio ampliata; diruta poſtea tandem: ac reſtituta fuit, prout eo Tomo ſuis locis ſcripſimus. Hæc ergo tot laudum encomijs celeberrima Baſilica, cum ſub hoc tempore a Mahometanis polluta fuiſſet, occaſio Chriſtianis, *Mozarabibus* appellatis, extitit, vt Sedem Archiepiſcopalem ad Carmelitanam S. Mariæ de Alfizen Eccleſiam congruè transferrent. Sic enim ex Hiſpaniarum rerum, Toletanarum maximè, Scriptoribus elicitur. Idque inter eos ſupponit Iulianus Petri, dum in Chronicon *ad ann.* 36. *num.* 6. *& ad ann.* 719. *num.* 376. ait, tempore huius Mauritanæ Toleti oppreſsionis Archiepiſcopalem Sedem in Sanctæ Mariæ de Alfizen Eccleſia ſitam fuiſſe. Et dum *in Tractatu de Eremite-*

Eccleſiarum deuaſtatio.

uiterijs nu. 15. dixit: *Tempore captiuitatis hæc fuit Eccleſia Alphonſi IV. Regis*; ea videlicet, de qua dicit: *Eremiterium Toleti in ſuburbio Sanctæ Mariæ de Alfizen, quò venerunt olim Monachi Carmelitæ*. Addit etiam ibidem: *Vbi fere ſemper ſedebat Archipresb. Sanctæ Eccl. Toletanæ, ſub patronatu Toletanorum Ficulnorum Portocarreorum*. Idem habetur in fragmentis Luitprandi *nu.* 128. ibi: *Tempore captiuitatis Epiſcopus Patriarcha Toletanus degebat in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Alfizen*. Qua de cauſa Rex Alphonſus Sextus Toletanæ libertatis aſſertor, in priuilegio conceſſo Monachis de S. Seruando, noſtris videlicet (vt ſuo loco oſtendemus) vt ad hanc Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Alfizen venirent, de ipſa inquit: *Quæ nunquam Chriſtianitatis titulum perdidit, & quamuis ſub poteſtate paganorum non deſijt de Chriſtianis incoli, & venerari, licet ſub iugo perfidæ gentis*. Propterea etiam idem Rex eam Cathedralem efficere conatus eſt, etſi non opere impletum, quia Papa non conſenſit, vt teſtatur ſæpius relatus Iulianus *ad ann.* 1085. *num.* 554. Cur autem inter ſeptem Muzarabum Templa Chriſtianis Toletanis in hac Vrbis oppreſſione relicta, hoc Sanctæ Mariæ de Alfizen pro Cathedrali Sede elegerint, aptiſsima aderat ratio, quia ſcilicet tam iſtud quam ſummum illud Toleti Templum Archiepiſcoporum Sedes, a Mauris prophanatum, ab eodem primo Elpidio Antiſtite, & ſub titulo Dei Genitricis extructa erant.

Eccleſia Sanctæ Mariæ de Alfizen.

4 Ex hac porro Sedis Archiepiſcopalis Toletanæ ad Templum Sanctæ Mariæ de Alfizen relata translatione, contigiſſe credimus, vt fratres noſtri ad alium locum prope, & extra Ciuitatem, transferri cogerentur, vel Clericorum ſæcularium, qui ad ipſum venerant habitandum, impulſu; ſeu ipſorum vltronea voluntate, qui cum ab Eremitis Carmeli, & Terræ Sanctæ ortum duxiſſent, (vt proinde ea Eccleſia a Iuliano *Eremitorium* nuncupetur) facilè induci poſſent ad deſerta loca inhabitanda. Hunc autem locum, etſi quem fuiſſe ignoretur, nihilominus currenti tempore fuiſſe Monaſterium S. Seruandi clarè elicitur ex eo, quod, poſt Toleti reſtaurationem, cum iam Archiepiſcopalis Sedes ad antiquum Templum transferri poſſet, relatus Alphonſus Rex in priuilegio indicato, nouam conceſsionem eius Eccleſiæ Carmelitis fecit Æra 1133. quæ correſpondet anno Chriſti 1095. vt eo loco dicemus. Vbi etiam qualiter iſtud S. Seruandi Monaſterium ab eodem Rege fundatum, ditatum, & e Maurorum manibus liberatum fuerit, vt verba relati priuilegij teſtantur.

Monaſteriũ S. Seruandi.

5 Occurrit etiam hoc eodem tempore renouatio Eccleſiæ S. Chryſogoni, quæ modo extat ſub noſtri Ordinis Patribus Illuſtriſsimæ Congregationis Mantuanæ, de qua in ſequentibus plura. Hoc igitur Templum inter Vrbis inſigniora numerandum, quod peruetuſtum Cardinalitius titulus erat, prout conſtat ex Concilio 1. ſub Symmacho, & ex Regiſtro Sancti Gregorij Papæ, vt notat Baronius *in Martyrolog. not.* &

Eccleſia S. Chryſogoni.

cum

cùm temporis curſu, vel ruinam minaretur, vel reſtauratione egeret; a Papa Gregorio III. reſtitutum eſt. Sic enim habet in ipſius Vita Anaſtaſius Bibliothecarius. Ex quo hauriunt idem Baronius, Ciaconius, Spondanus, Panzirolus in hac Eccleſia, ac alij. Qui etiam notant ex eodem Anaſtaſio collocaſſe ibi Monachos, qui rem ſacram peragerent. Animaduertit maximè Panzirolus Monachos iſtos in ea Eccleſia collocatos; ex Orientalibus fuiſſe, qui Leonis Iſaurici perſecutionem illis in partibus motam, vt diximus, fugientes, & ad Summum Pontificem Romanum accurrentes, benignè recipi, & foueri meruerunt, & hoc S. Chryſogoni templo donari. Prout de Eccleſijs S. Praxedis in Montibus, & S. Syluestri de Campo Martio ſimilibus Monachis conceſsis a Paſchali I. & Paulo I. refert idem author. Quæ notari etiam a nobis debuere, quia cum Orientales iſti Monachi ſemper ad eorum primum exemplar, & originarium principium, Elianum videlicet Ordinem, ſpectaſſe videantur, ſingulari Dei prouidentia actum videtur, vt Eccleſia Sancti Chryſogoni, quæ illis primitus conceſſa fuit, temporibus ſequentibus cederet Carmelitis eiuſdem Inſtituti præcipuis ſectatoribus.

Ceoluuulphus Rex Monachus.

6 In partibus Anglorum Ceoluuulphus eorum Rex, diuino amore ſuccenſus, & maiorum ſecutus exemplum, quorum aliquot in præcedentibus recenſuimus, Monaſticam ſectatus eſt vitam. Beda *in Epitome ſub ann.* 737. Fœlix ſæculum, in quo, vel Monachorum ſanctâ conuerſatione id ſuadente, vel Principum pietate exigente, Reges-Monachiſmum amplectebantur, quem alij minus pij temnere videntur.

Decem Martyres.

7 Nec extra rem eſt annotare, quæ ſub iſtius temporis Imperatore Leone Iſaurico contigere, ſic relata in Græcorum Menologio *die* 9. *Auguſti*. *Natalis Beatorum decem Martyrum, qui propter Sanctam imaginem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti in* Aurea porta *conſtitutam martyrium paſſi ſunt, quorum nomina hæc ſunt, Iulianus, Martianus, Ioannes, Iacobus, Alexius, Demetrius, Photius, Petrus, Leontius, & Maria Patritia; omnes hi ſub Leone Imperatore impio pro defenſione Sanctarum Imaginum multas ærumnas perpeſsi, & varijs tormentis ſuperatis, poſtremò gladio percuſsi, martyrio coronati ſunt.* Hoc etenim quadantenus noſtram tangit hiſtoriam, quia cum in illa *Aurea Porta* Sanctæ Hieroſolymorum Vrbis noſtri Ordinis vetuſtiſsimum Cœnobium extiterit, prout probant ea quæ adduximus Tomo præcedenti *ſub anno* 326. *num.* 5. & locis alijs ibi relatis, fas erit credere Imaginem iſtam Saluatoris noſtri in *Aurea Porta* conſtitutam, vel noſtrorum Monachorum fuiſſe, vel ipſorum pietate ibi coli ſolitam, etiam hac ingruente tempeſtate Iconoclaſtarum contra Sanctarum Imaginum cultores.

Ann.

Ann. Chriſt. 742. vſque ad 751. Zachariæ Rom. Pontif. 1. vſque ad 10. Conſtantini Copronymi Imper. 2. vſque ad 10.

1 CVM poſt obitum Gregorij III. in eius locum electus eſſet Zacharias natione Græcus, vir mitiſſimus, omniqueornatus bonitate, toto hoc decennio Eccleſiæ clauum tenuit. Conſtantinus etiam, *Copronymus* appellatus, Imperator, etſi ab Artabaſdo Imperio expoliatus eſſet, nihilominus copias ipſius ſuperans, valido exercitu ex Armenia reuertens, Conſtantinopolim obſedit, Ciuitatem penuria maxima laborantem occupauit, captoſque Artabaſdum, ac duos eius filios oculis priuauit, & quamplurimos ex ijs qui eiſdem præſto fuiſſent peremit, vel alijs tormentis afflixit, ac denique Vrbem Conſtantinopolitanam direptioni militum expoſuit. Cumque poſt hæc ludos equeſtres in Hippodromo celebraret, Artabaſdum vna cum filijs, & amicis ligatum introduxit, ac ſimul cum ijs Anaſtaſium Pſeudo patriarcham publicè cæſum, & aſini dorſo verſo vultu impoſitum circumduxit, quod ei olim Sanctus Germanus Patriarcha prædixerat. Hæc Theophanes, Zonaras, Anaſtaſius, & alij, hiſtoria noſtra digna ad mundalium rerum inconſtantiam demonſtrandam. Orbis caſus.

2 Maximè autem ad noſtram hanc eandem hiſtoriam ſpectat quod Zacharias, qui hoc tempore Papatum gerebat, Monachus noſtri Ordinis non a noſtris Authoribus, ſed ab extero quodam referatur, nempe Ægidio Gelenio Colonienſi Canonico, & Hiſtoriographo, qui in ſuo *de Colonia Agrippinæ magnitud.* Opere *lib.* 3. *Syntag.* 43. §. 1. dum de noſtræ Religionis alumnis loquitur ſic habet: *Ex quibus vnus fuiſſe exiſtimatur vir ſanctitate, & doctrina clarus Zacharias nomine, qui tandem anno Chriſti 741. exeunte Romanus Pontifex creatus fuit: hunc quippe vnum ex Græcis Monachis fuiſſe, de quibus Palæonydorus vbi ſupra patet ex Onuphrio Panniuo in Chronico ad eum annum.* Et infra: *Sufficiat ad laudem dicti Ordinis quod is inter alios diuos ſex præclaros, & ſanctos agnoſcat Romanos Pontifices, Clementem, Theleſphorum, Dionyſium, Sylverium, Zachariam, ac Benedictum iſtius nominis Quintum.* Ex quibus pro Zacharia Papa noſtris adſcribendo duo fundamenta eruuntur. Alterum quidem eſt quod egregius Abbas Ioannes Trithemius in ſuo de viris illuſtribus Ordinis Sancti Benedicti Opere, neque *lib.* 3. vbi generaliter de ipſis agit, neque *lib.* 4. vbi in ſpecie de Summis Pontificibus, vllam de Zacharia Papa mentionem habet. Quod argumenti genus ab authoritate negatiua (vt Logici dicunt) deſumptum etſi ſæpius inefficax ſit; diligentia tamen perſpecta eiuſdem Trithemij in Summis Pontif. ſui Ordinis recenſendis ſpeciali libro, & quod ipſe pronior ſit ad ſui inclyti Ordinis decorem commendandum, cum periculo etiam, & propriæ authoritatis diſpendio, vt ex Baronio, Gallonio, & alijs, qui eum (haud modeſtè) mendacij arguunt, quod plures inter Benedictinos recenſuerit falsò, prout aliquando Zacharias Papa.

do etſi inuiti notauimus, efficax videtur argumentum Gellenij. Alterum verò petitur ex Panuino, qui Zachariam Monachum Græcum vocat. Hoc enim Monachorum genus eo maximè tempore non Benedictinũ, ſed antiquius Orientalium Monaſticum Inſtitutum indicabat, quod Eſlenum, Propheticum, & Elianum fuiſſe ſæpius demonſtratum. At Ciaconius id ſingulariter de ipſo habet, vt ex Canonico Regulari factus fuerit Benedictinus Monachus. Cæterum neque Trithemius, aut alij ex antiquioribus id notarunt, nec etiam ex Neothericis, vno vel alio excepto, qualis eſt Illeſcas, qui *in Hiſtor. Pontif. in Vit. Zachariæ* Benedictinum nominat. Nec illis ſuffragatur quod idem Zacharias in Bulla quadam, quæ ex Archiuio Caſſinenſi deprompta dicitur S. Benedictum titulo *Patris noſtri* appellet. Sciunt enim Benedictini Patres argumentum hoc apud ipſos leuiſsimum eſſe, cum D. Pater Benedictus, vt aliàs notauimus S. Baſilium etiam *Patrem noſtrum* in ſua Regula vocet, & tamen gnauiter, & neruosè contendunt neutiquam ſub Baſilio militaſſe, ſed dicunt titulum *Patris noſtri* in diuerſiſſimo ſenſu, & ſæpiſſimè, ab antiquis Scriptoribus vſurpatum fuiſſe. Iam ergo inter eos qui Sanctum hunc Pontificem Benedictinum vocant, alios qui Baſilianum, & quoſdam qui ex Canonicis Regularibus, locum etiam habeat Gellenius relatus, qui ipſum noſtris acceſet. Niſi libeat dicere eum in Orientis partibus Elianum Monachatum earum Regionum exercuiſſe, in Italiam tamen poſtea aduenientem ob infidelium perſecutiones, prout idem Gellenius verbis inferius referendis teſtatur, Inſtitutum Benedictinum ibi induiſſe. Illud non prætermittendum quod Ioannes Balæus, etſi damnatus Author, propter ea quę contra Orthodoxã doctrinam frequenter effutijt, in rebus tamen hiſtoricis non ſic omnino reprobatus, hunc Zachariã *nat. Gręcum*, & *Monachum* appellat, Onuphrio, Panuino, & ijs quę diximus fauens, & Ciaconium poſteriorem reijciens, quem tamen ſequitur Pennot. *in hiſt. Can. Reg. lib.* 3. *c.* 52.

Stephanus Patriarcha Antiochenus

3 Refertur ſub hoc tempore Stephanus quidam Monachus Syrus, agreſtis quidem homo, ſed vir religioſus, factus Antiochenus Patriarcha poſt 40. annos vacationis, qui tamen poſt duos circiter annos vitam finijt. Sic ex Theophane moderni Chronologi nobis notandum, quia huiuſmodi Stephani ſigna relata eum indicant Monachum fuiſſe veteris Eliani Inſtituti circa Antiochiæ partes commorantem.

Anaſtaſius Abbas.

4 Circa eaſdem etiam Syriæ partes morabatur Anaſtaſius Abbas Monaſterij S. Euthymij, de quo Cœnobio *Laura* nuncupato, plura in præcedentibus, eo quod *Lauræ* iſtæ Elianæ diſciplinæ fuerunt ſcholæ, vt ibi notauimus. Hic ergo Anaſtaſius extinctam iampridem hæreſim perdítiſſimi Gnaphei (quæ eò tendebat, vt cum vnam in Chriſto naturam contra Chalc. Conc. prædicaret, hymnoque Triſagio adderet *qui crucifixus es pro nobis*; Sanctiſſ. Trinitati æque Crucem adſcriberet) in lucem reuocare laborauit; ſed quam citiſsime ei occurrens S. Ioannes Damaſc. eumque confutans egregia illa Epiſt. *de Triſagio ad Iordanem Cœnobiarc.* ſui celebritate nominis eandem hæreſim, antequam vulgaretur, extinxit.

Occur-

5 Occurrit maximè pro hoc tempore prima fundatio Conuentus Eremitarum Carmeli in clariſſima Vrbe Florentię, pro anno videlicet 743. qui huic tempori correſpondet. Sic enim ex fide authentica eius Conuentus ad nos miſſa habetur, quæ talis eſt: *Nos Thomas miſeratione diuina Florentiæ Epiſc. proteſtamur expreſſe ad perpetuam rei memoriam, & poſteris futuram fidem, quod ad honorem Dei, & Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, & omnium cæleſtium Ciuium in cæleſtibus triumphantium, præſentibus Mauritio Cionio Cotterio Ardinghio a S. Geminiano, & Gottifredo Cuſſa omnibus Eccleſiæ Florentinæ presbyteris, necnon & præſentibus Eremitis eiuſdem Carmeli Montis Geneſio, Baſilide, Cyrillo, Enoc, Phronto, Honuphrio, & Elpidio ex eodem S. Monte ab Arabiæ iniquo Machometti ſucceſſore, & diſcipulo Humar Rege fugientibus, & in hanc Prouinciam decurſis, hac præſenti die infraſcripta primum lapidem paruæ Eccleſiæ in remoto loco pro eiſdem Eremitis Carmeli ad totius Florentini Populi placitum, & concurſum proprijs noſtris manibus Deo dante, poſuimus prope Ciuitatem iuxta Piſanam viam, & fluuium Arni. Acta ſunt hæc Florentiæ in Palatio Epiſcopali, teſtibus ad omnia vocatis, Ioſeph a Sancto Viualdo, Balduino Balduini de Colle Vallis Elſæ, & Gualterio quodam Vicedomino Florentino, ſub anno Domini 743. menſe Maio, eius verò die prima, Indictione decimatertia, &c. Ego Raynerius Symeonis a Signa, Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius Florentinus rogatus mea manu confeci, & ſignum mei tabellionatus appoſui, &c. Locus ✠ Signi.* Conuentus Florentię erectio prima.

6 Pro cuius luce animaduerſione dignum eſt, Humarum iſtum Machometi diſcipulum in hoc Inſtrumento cognominatum, cuius perſecutionem fugiſſe dicuntur hi Carmeli ſeptem Anachoretæ, Geneſius, Baſilides, Cyrillus, Enoch, Phrontus, Honuphrius, & Elpidius, primi Florentini Conuentus fundatores, eum fuiſſe, de quo *ſub ann. 639.* diximus ex noſtris hiſtoricis, B. Cyrillo, Ioanne de Malinis, Boſtio, & Palæonydoro, ac ex alijs exteris, Terram Sanctam inuaſiſſe, expilaſſe, poſſediſſe, & Carmelitas, vrbibus relictis, ad eremitoria, ſeu deſerta loca confugere coegiſſe. Cuius Imperij tyrannica poteſtas hoc etiam tempore continuata per ſucceſſores manebat, & ipſi veluti primo inuaſori, & Terræ Sanctæ exterminatori attributa. Præſertim, cum vnus ex ipſius ſucceſſoribus, etiam Haumarus appellatus, qui circa annum 718. poſt Maſalmam Imperij Saracenorum ſuſcepit habenas, adeo in Chriſtianos ſæuierit, vt edictum promulgauerit, quo ab eorum Religione recederent, pœna mortis detrectantibus impoſita. Similiter circa hoc tempus, ſub anno ſcilicet 741. Euelid Rex Arabum ſucceſſor Gizid authoris Iconomachorum, & ſectæ Homaris ſoboles infecta, Chriſtianos captiuos in omni ciuitate ſuæ ditionis interfecerit. Hæc enim omnia ex Theophane Orientalium rerum Chronologo accipere poteſt lector. Quid iam mirum quod humiles, & egeni iſti relati Montis Carmeli Eremitæ a facie fugerent perſequentis, gladij nempe Machometani, to- Notanda.

tum ferme Orbem infeſtantis? Accedebat & alia ratio, ex Imperatorum Iconoclaſtarum hæreſi, qui etiam gladio vibrante mortem minabantur Catholicis, prout ex dictis *ſub ann.* 731. ex eodem etiam Theophane compertum eſt. Corroborant intentum ea quæ de perſecutione Conſtantini *Copronymi* dicti erga Orthodoxos, eo quod Imagines venerarentur, in ſequentibus dicemus. Adeo enim immanis, & ſæua fuit, vt Vrbes in ſolitudines redigerentur propter multitudinem eorum, qui eas relinquebant, vt loca ſolitaria pro latibulis haberent; prout ex Vita Sancti Andreæ Cretenſis apud Surium 17. Octobris habetur. Hinc Ægidius Gelenius in ſuo *de Coloniæ Agrippinæ magnitudine* Opere *libro* 3. *Syntagmat.* 43. §. 1. Inter alia inquit de noſtris Carmelitis ſatis ad intentum præſens: *Per Imperatores hæreticos Iconoclaſtas ab anno præſertim 726. vſque ad 842. varie afflicti, ac plurimi eorum, deſtructis ipſorum Cœnobijs, martyrio affecti ſunt; ideoque ex tunc nonnulli eorum in Europam transſmigrantes potiſſimum in Italiam, noua illic loca inquiſierunt. Ex quibus vnus fuiſſe exiſtimatur vir ſanctitate, & doctrina clarus, Zacharias nomine, qui tandem anno Chriſti 741. exeunte, Romanus Pontifex creatus eſt.*

7 Hinc propterea in celebri Florentino Ordinis noſtri Cœnobio hæc inſcriptio in Clauſtro cernitur Monaſterij, quibus ea quæ diximus *n.* 5. & quæ dicemus ſuis locis pro tempore quo contigerunt, clarius innoteſcunt.

D. O. M.

Inſcriptio Florentini Conuentus.

A Chriſti Natiuitate an. 743. *Kalend. Maij ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo erecta fuit parua quædam Eccleſia, cuius primum lapidem poſuit Reu. DD. Thomas Epiſcopus Florentinus in receſſu propè Ciuitatem iuxta Piſanam viam, & flum. Arni pro Eremitis quibuſdam Montis Carmeli, Geneſio ſcilicet, Baſilide, Cyrillo, Henoc, Phronto, Honuphrio, & Elpidio, Humar Arabiæ Regis Mahemeti ſucceſſoris tyrannidem fugientibus, nutu diuino in hanc Vrbem perductis. Deinde an.*1268. *Kal. Iulij extra Ciuitatem fundata fuit hæc ſecunda Eccleſia per Reuerendiſſ. D.D. Ioannem Florent. Antiſt. ſub titulo fratrum eiuſdem Ordinis, præſentibus pluribus perſonis Religioſis, ac ſecularibus. Qui Antiſtes donauit pedem S. Agnetis Virg. & Mart. & caput S. Cordulæ itidem Virg. & Mart. S. Vrſulæ ſociæ, quæ ſunt adhuc in eadem Eccleſia. Poſt fundationem vero anno* 1422. *Dominica in Albis die* 19. *Aprilis ex conceſſione Martini Papæ V. ad preces D. Franciſci de Soderinis per Reuerendiſſ. D. D. Americum Corſinium primum Florentiæ Archiepiſcopum ſolemniter conſecrata fuit, aſſiſtentibus RR. DD. Antonio Fidei Carmelita Epiſcopo Suanenſi, & Benotio Federigo Epiſcopo Feſulano Florentinis; In qua conſecratione idem Reuerendiſſimus donauit reliquias de Sanctis Bartholom. Thoma, & Barnaba Apoſtolis, Marco Euangeliſta, Clement. & Antero PP. & MM. Laurentio, Sebaſtiano, & Pancratio MM. quæ in eadem Eccleſia conduntur.*

Quam

Quam cuilibet contrito, & confeſſo in Dominica in Albis idem Archiepiſcopus pro tunc Indulg. quadraginta dierum viſitanti conceſſit. Quam Plenariam, & perpetuam fecit SS. D. N. Gregorius Fel. recordat. PP. XIII. An. ſalutis 1585. vt ex originalibus in Arca Conuentus poſitis, quorum copiæ fide dignæ in Sacriſtia extant affixæ. Hæc ibi ſuis temporibus expendenda.

8 In hoc autem inſigni Florentino Cœnobio plures varijs temporibus inſignes viri floruerunt, quorum aliquot hic placuit adiungere ex relatione eiuſdem Conuentus, de quibus etiam & ſpecialior nota tom. ſequenti dabitur. Viri inſignes Conuentus Florentiæ.

Frater Nicolaus Dominæ noſtræ, qui obijt Smyrnis cum intereſſet expeditioni de bello ſacro aduerſus Turcas die 11. Septemb. 1346.

P. Rodulphus Vannis Sacræ Theologiæ lector, qui per 10. annos hanc Prouinciam rexit, ſocius Reuerendiſſ. Generalis, & Pœnitentiarius Sanctiſsimi Clementis VI. moritur, & ſepelitur Auenione die 31. Ianuarij 1347.

P. Paulus Neri Beſsi Epiſcopus Suacenſis ſepelitur in Perpiniano 1347.

P. Hieronymus Meglioratus Prouincialis per 9. annos, ſocius Reuerendiſſ. Generalis Gerardi Bononienſis, qui ad habitum Religionis Sanctum Andream Corſinum recepit. Moritur & ſepelitur Florentiæ.

S. Andreas Corſinus Epiſcopus Feſulanus moritur die 6. Ian. 1373.

P. Franciſcus Bartoli Prior Curiæ Romanæ, factus eſt Procurator Ordinis, & moritur Romæ die 31. Decembris 1382.

P. Laurentius Vannes S. Thom. Lector, qui fere 20. annos Prouinciam rexit Tuſciæ, Romanam etiam adminiſtrauit, & Vicarius generalis per quatuor annos extitit, mortuus eſt 1412.

P. Iacobus Alberti Lector, primus Inſtitutor obſeruantiæ Syluarum, vt conſtat ex actibus Capituli Prouincialis de anno Domini 1413. Vnde Congregatio Mantuana originem habuit. Moritur in Conuentu Syluarum 1426.

P. Ioannes Franciſcus Inſtitutor Monialium S. Barnabæ, ibi ſepelitur die 28. Iulij 1427.

P. Albixus Azolinus vir magnæ ſanctitatis, nam cum perpetuo ieiunijs, atque vigilijs vacaret, bonæ opinionis apud omnes fuit. Moritur 1428.

P. Antonius Fidei Epiſcopus Suanenſis mortuus, & ſepultus eſt Lucæ die 5. Ianuarij 1433.

P. Ioannes de Praga Sanctiſsimi Eugenij IV. Pœnitentiarius, obijt Florentiæ die 17. Septemb. 1435.

P. Angelus Auguſtini vulgo dictus *B. Angelino*, vir magnæ virtutis, ſanctiſsimæ vitæ, ex primis Obſeruantiæ Syluarum, qui adhuc aſſeruatur in caſſa ſub altari S. Luciæ in qua eſt epitaphium talis tenoris.

Quid nos Religio moneat, quid vita pudica,
Et noram, & multos nunc docuiſſe iuuat.
Carmeli teſtes quorum ſum ſacra ſecutus
Angelus & tanto nomine dignus eram.

obijt die 7. Auguſti 1438.

R. P. M. Bardinus Sanſonis Procurator generalis, & Italiæ Vicarius generalis. Moritur Florentiæ die 25. 1439.

P. Philippus Thomæ Lippi de Lippis celeberrimus pictor extra Religionem facultate Summi Pontificis diu vixit, & moritur Spoleti, & in marmoreo ſepulcro ſepelitur die 9. Octobris 1469.

P. Vincentius Concius quondam Prouincialis Etruriæ. Moritur Abbas S. Pancratij in hac Ciuitate, & ibi ſepelitur, vbi & marmorea ſepultura ei conſtruitur die 6. Maij 1491.

P. Ioannes Nicolai cognomento Albus, qui Senis tribus annis, Florentiæ 27. annis publicè ordinariam lecturam Logicæ exercuit. Prouinciam biennio adminiſtrauit. Moritur die 2. 1499.

P. Martinus Accurſius, qui 25. annis in diuerſis Collegijs, Salerni ſcilicet, Sueſſæ, & Senarum primum philoſophiam profeſſus eſt, vtriuſque Siciliæ, & Romandiolæ Commiſſarius generalis, Prouincialis Tuſciæ. Senis occubuit die 1. Decembris 1500.

F. Hieronymus Antonij Pictor bonus, qui extra Religionem Superiorum permiſſu diù deguit. Moritur die 6. Auguſti 1529.

P. Raphael Nutus Lector Logicæ extraordinariè in Vniuerſitate Piſana. Ibi moritur die 30. Octobris 1554.

P. Iulianus Piſtorus eximius Theologus, clariſſimus mathematicus, & Aſtrologus Piſis, Senis, & Florentiæ publice lectitauit: cui marmorea extructa eſt memoria a latere Cappellæ Crucifixi. Moritur die 7. 1556.

P. Symeon de Scientiano bonus Cantor, & optimus ſcriptor, qui iuſſu Pij V. conſcripſit libros in Conuentu S. Dominici detto *il Boſco*. Hic moritur die 21. Nouembris 1570.

P. Albertus Partus Prouincialis olim Tuſciæ Vicarius generalis ſepelitur, & moritur Montis Catini die 7. Maij 1586.

P. Ambroſius de Ambroſijs qui 54. quadrageſimas prædicauit, Prior Romæ, Senarum, Piſarum, & Florentiæ, & Prouincialis, & 27. annos ſocietatem B. Mariæ Virginis rexit Florentiæ. Moritur, & ſepelitur die 8. Ianuarij 1622.

P. Nicolaus Gallus ſocius Reuerendiſsimi Generalis Sebaſtiani Fontini in Regno Neapolis, & Siciliæ, quondam Prouincialis, ter Prior Florentiæ, Commiſſarius generalis aliquando Prati, & Florentiæ. Moritur die 27. Octobris 1632.

P. Ioſephus Pandulphus quondam Prouincialis Aprutij, ſedulus

Regens

Regens Florentiæ, Patauij, Neapolis, Romæ, & Lector apud Monachos Sancti Benedicti in Badia Florentiæ. Moritur Commiſſarius, & Viſitator generalis in Sicilia, Prouincialis huius Prouinciæ die 4. Septembris 1634.

9 Alia ad hoc celebre Florentinum Cœnobium ſpectantia, Tomo ſequenti *ſub ann.* 1268. ſi Deus dederit, ſcribemus. Alia remiſſiue.

Ann. Chriſt. 752. vſque ad 756. Stephani III. Rom. Pontif. 1. vſque ad 5. Conſtantin. Copronym. Imper. 12. vſque ad 16.

1 QVAMVIS poſt tranſitum Papæ Zachariæ ſubrogatus ei fuerit ſucceſſor Stephanus II. nuncupatus; nihilominus, quia tertio creationis die defunctus eſt, ei ſuccedente Stephano alio Tertio dicto, qui toto hoc tempore S. Sedem tenuit, ideo hic ſolus communiter recenſetur inter Romanos Pontifices. Hic pro Vrbis, & Italiæ ſalute, quæ a Longobardis vexabantur, laborans, cum ex Hiſpania a Mauris poſſeſſa opem habere nec poſſet, nec Imperator illam præberet, ad Francos ſe contulit, vbi benigne a Pipino Rege ſuſceptus, ab eo etiam contra aduerſarios auxilium habuit. Imperator autem Conſtantinus in dies magis inſaniens Conciliabulum aduerſus Sacras Imagines apud Conſtantinopolim congregat, Conſtantium improbum Monachum in eam Sedem euehit; & Orthodoxos, maximè Ioannem Damaſcenum, anathematizat. Sic ex Anaſtaſio Bibliothecario Baronius, & alij poſt ipſum. Papæ, & Imperat. geſta.

2 Cedunt hæc in magnam Monachorum Orientalium, (quorum magna, ſi non maxima, pars ex illis erat, qui vetuſtiſſimum Elianum Monachiſmum in eis partibus conſeruabant) commendationem. Etenim huius Imperatoris furioſæ rabiei cauſa fuit, quod a nonnullis eximijs Ordinis Monaſtici viris ipſe reprehenſus impietatis fuiſſet, atque conuictus: eamque ob rem implacabile aduerſus eos bellum excitantem, ſolemni iureiurando ſupra ſacroſanctum Corpus Dominicum, ac venerandam Crucem (haud enim cum alijs ſacris imaginibus, huius cultum abijcere auſus fuerat) & Sancta Euangelia, populum Conſtantinopolitanum adſtrinxiſſe, nunquam ſe ſacras Imagines adoraturos, ſed eas Idola vocaturos; nec Monachis communicaturos, aut ſalutantibus quicquam humanitatis viciſſim exhibituros; imo quos obuios haberent, *Tenebricoſos* eos (ab habitu ſcilicet, quem tenebrarum indumentum vocare conſueuerat) & *immemorandos*, atque idolorum cultores appellaturos, ac demum lapidibus appetituros. Sic enim colligitur ex Actis ſancti Martyris Stephani apud Damaſcenum. Ex quibus etiam elici valet ſemper Monachiſmi profeſſores præcipuos Chriſtianæ militiæ Athletas, & pugi- Monachorũ commendatio.

pugiles extitiſſe; ac propterea Catholicæ veritatis hoſtibus ſemper exoſos, prout clarè conſpicitur in noſtri temporis recentioribus hæreticis, qui odium in Monachos vna cum hæreſi a vetuſtioribus hæreditarunt. Subijcitur in eiſdem Actis Sancti Stephani: Poſt hæc indictam fuiſſe Pſeudo-ſynodum de qua dictum eſt: poſt Synodum verò tum alios Orthodoxos, tum ipſos maxime Monachos furorem Imperatoris fugientes, in varias Orbis partes extra ipſius Imperij ditionem diſperſos eſſe. Ex quibus etiam roboratur id quod diximus in ſuperioribus de aduentu Eremitarum Carmeli Florentiam, & fundatione Eccleſiæ in ea Ciuitate: maiorem etiam fidem habere poterunt ea quæ in ſequentibus dicemus de Conuentu Senarum, & alijs.

Quadraginta duo Monachi martyres.

3 His porro annumerandi videntur 42. Monachi Martyres, qui ſub iſto Conſtantino Copronymo ob cultum Sanctarum Imaginum ſæuiſſimè cruciati martyrium compleuerunt. De quibus Martyrologium Romanum, Græci etiam, & Martyrologium Monaſticum Benedictinum pridie Idus Ianuarij: vbi Arnoldus Vvion, etſi ſub dubio, Benedictinæ familiæ eos accenſet. Cæterum credibilius prorſus eſt profeſſores hos Monachos fuiſſe illius Inſtituti communis in illa patria, Epheſi videlicet, vbi fuiſſe dicuntur, quam Benedictini exteri, & vix in illis partibus eo tempore noti, etſi in occidentalibus innumeris titulis clariſſimi.

Ann. Chriſt. 757. vſque ad 767. Pauli I. Roman. Pontif. 1. vſque ad 10. Conſtantini Copronymi Imp. 17. vſque ad 27.

Pauli I. Papæ geſta.

1 TEMPVS hoc, vno anno excepto, quo ſedes vacauit, Pontificij eſt Pauli I. Stephani prædeceſſoris fratris germani, egregijs moribus præditi, ac maximè pauperum, & oppreſſorum commoditatibus intenti. Qui etiam pro conuertendo Copronymo Imperatore, multum laborauit; etſi inutiliter prorſus, propter ſui cordis duritiam, & dicenda inferius. Hæc porro apud Anaſtaſium, Theophanem, & Acta S. Martyris Stephani apud Damaſcenum, ex quibus Iuniores.

Monachi plurima perpeſſi pro fide.

2 Stupenda valde ſunt, quæ hoc tempore Orientales Monachi, ex quibus plurimi, Prophetici, Eliani, ac Carmelæi Ordinis profeſſores erant, a tyrannis pro fidei defenſione paſſi ſunt: a nobis vel ſub compendio commemoranda, vt inde elici poſſit cauſa cur Eremitæ Carmeli, qui apud Florentiam Eccleſiam, & Cœnobium receperunt, iuxta dicta *ſub ann.* 742. & alij, qui non multos poſt annos Senas quoque venerunt, prout dicetur *ad ann.* 796. ex Orientis partibus recedere coacti fuerint. Primo ergo, prout ex commemoratis authoribus, Theophane potiſſimum, habetur; cum Habdallas Saracenorum Princeps ipſis imperaret, adeo

adeo Chriſtianis infenſus fuit, vt omnes etiam Monachos, & incluſos ſub tributo redigeret, Eccleſias ornamentis ſpoliauerit, ac ea Iudæis venderet: Cruces etiam abſtulit, ac ipſis prohibuit vigilias nocturnas celebrare, & litteras diſcere. Copronymus etiam Imperator, etſi Chriſtianus, quia tamen Iconoclaſtarum hæreſi tinctus erat, ſæuiſſime, pluſquam credi poſſe videatur, in Monachos, vtpote Catholicorum dogmatum acerrimos defenſores, inſaniebat. Trecentos quadraginta duos ipſorum ex varijs locis collectos, aliqua ſui corporis parte mutilatos, aut alia inſigni infamia notatos, ob ſacrarum ſcilicet Imaginum cultum, in publicum carcerem Prætorianum detruſit. Monaſticum Inſtitutum infamare contendens, coegit Monachos Conſtantinopoli inuentos fœminas manu tenentes per medium Hippodromum pertranſire, atque iniurijs, & opprobrijs a populo ad hoc conuocato onerari. Plura alia Theophanes: ſubiungens etiam plures alias cædes ab hoc tyranno perpetratas in Monachos, alioſque Orthodoxos, quod Imagines colerent, Sanctos inuocarent, vigilias agerent, aut Eccleſias viſitarent, ſeu cum Religione aliqua viuerent: Itemque de Monaſterijs tam virorum quam fœminarum euerſis, aut in vſum militum ſuorum mutatis.

3. Specialiter tamen omni deteſtatione digna ſunt quæ impius iſte Copronymus egit cum Stephano Monacho in Auxentiano Monte Bithyniæ commorante, prout ex Actis ipſius apud Damaſcenum habentur, vnde alij ea ſumpſerunt: ea à nobis recitanda, quia non ſolum pietatem excitant, ſed ad noſtram hiſtoriam ſpectare videntur, cum partium illarum Monachi, vel imitatione ſaltem, ſi non ſucceſſione, Eliani erant Inſtituti profeſſores. Ità vt proinde Prophetico Ordini is Stephanus cum ſocijs adiungi poſſit; vel forſan, ex parte ſaltem, Baſiliano: quod enim difficile ſit eos Benedictino annumerare ex ſæpeſæpius dictis elicitur. Sed his omiſſis, quia pro ſpirituali Monachorum parum deſeruiunt, ad alia quæ proximè iuuant accedamus. Ea igitur ſummatim excepta ex dictis Actis, talia ſunt. *Immenſo odio fragrans Imperator Copronymus in Monachos, quos ſæpe cæteris ſibi in promulganda hæreſi aduerſarios experiebatur; cum audiſſet in Auxentiano Monte in Bithynia non longe a Chalcedone poſito, degere magni nominis Stephanum Monachum, gratia miraculorum illuſtrem, potentemque ſermone ad confirmandos in vera Religione eos, qui vndique ad ipſum confugerent, in hunc mouere bellum ſibi neceſſarium ducens, eundem primo per Callixtum Patricium, virum eximia dicendi facultate præditum, in ſuas partes allicere tentauit; conſtantem verò repertum e cella extrahi, ac militum cuſtodiæ tradi iuſſit; paulò verò poſt ob tumultus Scythicos, nempe Bulgaricos, in ſuum Monaſterium reduci. Poſt quæ Callixtus nouis machinis ſanctum oppugnans, calumnias atroces de ipſius in Imperatorem conuicijs, & machinationibus, ac cum illuſtri fœmina vidua nomine Anna, quæ ab ipſo Monaſticum habitum acceperat, turpi conſuetudine, in eundem intentauit, opera Sergij eiuſdem Sancti*

Stephanus Monachus, & Martyr.

Eli diſcipuli, & cuiuſdam ancillæ Annæ, quos multis vanis promiſſionibus ad eiuſmodi proditionem attraxit. Cum autem ſanctam fœminam Annam conſtantiſſimam in profeſſione ſuæ; & Stephani innocentiæ Imperator reperiſſet, mori coegit; & videns hac via ſe nihil agere poſſe contra ipſum, etſi videret ancillam dominæ ſuæ calumniatricem a proprijs filijs interemptam; nihilominus Pharaone obduratior ad alias fraudes animum conuertens, cariſſimo ſibi aulico perſuaſit, vt ſimulans fugam abiret ad Stephanum, & inter Monachos cooptari peteret. Qui cum poſt importunas preces, fictaſque lachrymas, id ab eodem Stephano extorſiſſet; inde arrepta Imperator occaſione (quod ſcilicet magnis iam antea pœnis agendum ſanxiſſet aduerſus eos, qui in Monachum aliquem reciperent) ipſum Auxentianum Monaſterium vna cum templo incendi, Monachoſque diſpergi præcepit: Stephanum autem varie fruſtra tentatum, vt Pſeudo-ſynodo aduerſus ſacras Imagines celebratæ ſubſcriberet, poſt multa ludibria habitus Monaſtici, ac mala ipſi illata, in exilium ad Inſulam Proconneſum relegauit. Porro ſanctiſſimus vir, extructa columna, ac ſupra eam anguſtiſſima quadam ædicula, in hac ſeſe incluſit annos natus quadraginta nouem. Cum porrò Copronymus cerneret miracula quæ a Stephano a ſe relegato virtute Sanctarum Imaginum Chriſti, ac Deiparæ fierent, inuidia motus, illum inde Conſtantinopolim reduci iuſſit: vbi poſt longam cum ipſo de Sacrarum Imaginum adoratione diſputationem, eundem in publicum carcerem Prætorianum detruſit, quo pariter concluſi tenebantur illi trecenti quadraginta duo Monachi ex varijs locis collecti, omnes aliquo membro ob Sacrarum Imaginum cultum mutilati, aut alia inſigni infamia notati (de quibus ſuperius diximus .) *Permanſit autem ibi diutius, ſingulis hebdomadis Sabbatho, & Dominica a religioſa quadam fœmina ſuſcipiens in victum tantummodo ſex vncias panis, & aquæ tria pocula, cum toto vitæ ſuæ curſu nunquam adduci potuerit, vt cibum aut quid aliud ab Imaginum hoſtibus caperet. In carcere autem detentus, cum martyrij ſui præſcius eſſet, per quadraginta dies ad illud fortiter ſuſtinendum ſe præparauit, abſtinens a conſueto cibo illo tenuiſſimo, & Monaſtica exercitationis rigorem intendens. Poſt quæ, cum impius Copronymus Imperator in honorem tertiæ ſuæ coniugis Eudoxiæ Brumalia Gentilium ritu celebrans, audiſſet Stephanum ex carcere Prætoriano Monaſterium effeciſſe, nec ceſſare totos dies, nocteſque a cantandis pſalmis, & hymnis diuinis cum alijs ibidem incluſis Monachis; maiori excandeſcens ira, eundem necari præcepit. Qui calcibus, fuſtibus, ſaxis, omnibuſque eiuſmodi ſuppliciorum, ac contumeliarum generibus impetitus, ac per vias raptus glorioſiſſimum martyrium conſummauit; ac rurſum poſt mortem iiſdem ſupplicijs a furente populo viris, fœminis, pueris dilaceratus eſt, vt ſic crudeliſſimi Imperatoris ſæuitiæ ſatisfieret; adeo vt quiſquis in eum dum raptaretur incidens lapidem non iecißet, aut aliud contumeliæ genus ſancto cadaueri non intuliſſet, pœnas lueret, atque Imperatoris hoſtis recenſeretur.* Hæc, & alia Stephani pietatem, & Imperatoris prauitatem demonſtrantia, ex Authore relatorum

Acto-

Actorum Sancti Stephani, vbi ſuſius, excerpta ſunt. Additur etiam, reliquias corporis eius delatas fuiſſe ad Monaſterium *Sancti Dij* nuncupatum, cuius memoriam fecimus *ſub ann.* 483. Item in Græcorum Menologio *ſub die* 28. *Nouembr.* de pluribus Sanctis qui vna cum Sancto Stephano (ex militibus Monachi facti) ſcilicet Baſilio, Stephano alio, & alijs fit mentio.

4 His porrò malis, & incommodis, quæ Monachi Orientales a Tyrannis patiebantur, ſuccurrere pro poſſe volens Summus Pontifex Paulus in paternis ædibus Eccleſiam, & Monaſterium extruxit ſub titulo Sanctorum Stephani Papæ, & Martyris, atque Syluestri Pontificis, & Confeſſoris, in quam tranſtulit complura Sanctorum Martyrum corpora tunc cœmeterijs eruta. Voluit autem Monachos in ea Eccleſia collocatos pſalmos canere Græca lingua. Ex quibus ex Anaſtaſio depromptis Baronius, & alij poſt ipſum (quibus etiam adhæret Octauius Pancirolus loquens de hac Eccleſia) concludunt, Monachos iſtos ex illis fuiſſe, qui a Conſtantino Copronymo ob cultum Sanctarum Imaginum e proprijs ſedibus eiecti erant. Quod etiam contigiſſe cum ſimilibus *ſub ann.* 731, diximus loquentes de Eccleſia S. Chryſogoni. Quibus etiam roborantur ea quæ in ſuperioribus diximus de aduentu Eremitarum Carmeli Florentiam, & in ſequentibus dicemus de aduenientibus Senas, & alias Europæ Ciuitates. Monachi Romæ recepti.

5 Sed expendendum id quod Anaſtaſius ſubdit de hoc Monaſterio a Paulo Papa extructo: *Atque Deo noſtro Omnipotenti, & omnibus ibidem requieſcentibus Sanctis, magnis ſub interdictionibus ſedulè, ac indeſinenter laudes ſtatuit perſoluendas.* Quæ proculdubio ſuadent, iugem, & continuam orationem, eam videlicet, quæ vulgo *Oratio perennis* dicitur, ad inſtar eorum Monachorum Orientis, quæ ob eam cauſam *Aſcœmetæ* vocati fuerunt, de quibus *ſub ann.* 464. diximus, ab hoc Summo Pontifice in eo Monaſterio inſtitutam fuiſſe. Neque enim Angelicum hoc Inſtitutum modernum eſt, vt aliqui forſan exiſtimare poſſunt; ſed vetuſtiſſimum, non modo ab Angelicis ſpiritibus deſumptum, de quibus dicitur ſemper clamare die, ac nocte dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens*, quia, vt Eccleſia dicit: *non ceſſant clamare quotidie, vna voce dicentes: Sanctus, Sanctus, &c.* ſed & a Monachis Eliæ, & Prophetarum Sectatoribus, vt patet in vno illorum præcipuo, de quo plura in præcedentibus, S. Columbano. Pro quo, maior omni exceptione teſtis S. Bernardus *in Vita S. Malachiæ* hæc: *Ad has noſtras Gallicanas partes S. Columbanus aſcendens, Luxouienſe conſtruxit Monaſterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuiſſe, vt ſuccedentibus ſibi viciſſim choris, continuarentur ſolemnia diuinorum, ita vt nec momentum quidem diei, ac noctis vacaret a laudibus.* Adgaudeat igitur Prophetalis Religio, quæ tales filios peperit, de quibus Iſaias *c.* 62. hæc præſagiens dixit: *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die, & tota nocte in perpetuum* Monaſteriũ a Paulo Papa Romæ extructum.

non tacebunt. Credatque ſuam ſtabilitatem in huiuſmodi iugi Dei laudum præconio ſitam eſſe.

6 Præcipuè etiam pro Carmelæi Ordinis ſtudioſis meditandum hanc Eccleſiam, vbi Paulus Papa Monaſterium extruxit, vt ex Anaſtaſio Bibliothecario ait Panzirolus relatus, primitus a S. Dionyſio Papa erectam fuiſſe. Cum enim S. hic Dionyſius ex Monachis Elianis vnus fuerit, prout de ipſo loquentes oſtendimus *to.2.* proculdubio certe & ij Monachi ex Eliç aſſeclis merito fuerint; eo vel maximè, quod nec Baſiliani, multo minus Benedictini eo Dionyſij tempore extiterint. Similiter, cum, eodem Panzirolo teſte, poſtea Sanctus Syluester eodem etiam loco, quo Dionyſius, Cœnobium adiunxerit Monachorum, ob eandem cauſam euincitur eiuſdem ſcholæ hos Monachos fuiſſe, ſiquidem aliud Inſtitutum eo tempore non erat, niſi Elianum hoc, vel forſan aliud, quod veluti ramus ex ipſo, vt arboris trunco, pullulauerat; Antonianum videlicet, Tabennenſe, Nitrienſe, &c. Vnde Panzirolus ſupra. *S. Silueſtro vi aggiunſe vn Monaſterio de Monaci; ma di qual Ordine foſſero, non lo ſappiamo, non eſſendoui in quei tempi gli Ordini de S. Benedetto, e di S. Baſilio.* Rectè ergo ſapere volentes ſic dicere poſſumus.

Ann. Chriſt. 768. vſque ad 771. Stephani IV. Rom. Pontif. 1. vſque ad 4. Conſtantin. Copronym. Imper. 28. vſque ad 31.

Pontificum ſucceſſio.

1 POST tranſitum Pauli Romani Pontificis Conſtantinus quidam intruſus Pontificatum geſſit: ſed is veluti Pſeudopapa expulſus eſt; & quidam alius Philippus Monachus a nonnullis contra ius, faſque ſubrogatus in Monaſteriumque remiſſus. Tandem ergo in legitimum Summum Pontificem Stephanus natione Siculus electus huic ſchiſmati finem dedit, mulctato præſertim Conſtantino, & poſtea damnato. Quæ, & alia ad intentum ex Anaſtaſio Bibliothecario Baronius, & alij poſt ipſum recipiunt.

Monachorũ Orientalium geſta.

2 Quæ autem circa Monachiſmi profeſſores in Orientis partibus gererentur, ſtupenda etiam ſunt, & impietatis Copronymi Imperatoris clara teſtimonia. Etenim, Theophane teſte, ex quo Iuniores hauſerunt, cum huius Imperatoris nequitia in ſua peruicacia obſtinata permaneret, Epheſi Præfectus ipſius, omnes Monachos, & Virgines Deo dicatas in campum educens, edixit vt illico ipſi inter ſe matrimonio iungerentur: renuentes autem (quorum maximus fuit numerus) priuatos luminibus in exilium relegauit. Inſuper, recrudeſcente perſecutione, impius Imperator per Præfectum Thraciæ cuncta eiuſdem Prouinciæ Monaſteria tam virorum, quàm fœminarum, vaſa ſacra, libros, pecora, omnia denique ipſorum bona, vendidit, cunctaque ſcripta, quibus vitæ Monacho-

rum

rum continerentur combuſſit: ſed & venerandas reliquias vel igni tradidit, vel abſcondit: ipſos denique Monachos partim interfecit, partim excæcatos, aut facie crematos (gaudebat enim maximè huiuſmodi tormento, vt ijs qui prolixam barbam geſtarent, eam pice, ceraue, aut oleo perungeret, ignemque admoueret) in exilium expulit. Quem & alij Præſides in alijs Prouincijs imitati ſunt.

3 Porrò ex his lectori inferri liceat Orientales Monachos barbam promiſſam geſtare ſolitos fuiſſe: namque in illis partibus tam Iudæi quam Græci barbati incedebant, & propterea Monachi inter ipſos vigentes idem facere cogebantur. Sic enim Raderus *in Viridario* ex Græcorum Menæis ſcribit, Chryſoſtomum *mento* fuiſſe *puſillo*, *& anguſtiſſimo*, canis efflorescente: Baſilium verò *barba* fuiſſe *decenter promiſſa, caniſque aſperſa*: Gregorium deinde Nazianzenum *barba admodum promiſſa, ſed recta, & denſa*. Id forſan ex Chriſto Seruatore acceperunt, qui non omnino attonſa barba fuit, ex illo Iſai. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus*. Vnde Nicephorus *lib. 1. cap. 4.* de ipſo inquit *barbæ capillus flauus, non admodum demiſſus*. Sicut neque Apoſtoli, qui etiam paſſim barbati depingi ſolent; & vnus ipſorum Paulus apud eundem Nicephorum *lib. 2. cap. 37.* ſic depictus: *Barba denſior, & ſatis promiſſa*. Quod ſecus erat in Occidentalibus Monachis, qui Romanos æmulantes barbam radebant. De quo Gregorius *lib. 7. Regiſt. 8. epiſtol. 10.* Baronius *ad ann. Chriſt. 58.* Haeftenus *in diſquiſit. Monaſt. lib. 5. Tract. 9. diſquiſit. 3.* Zacharias Bouerius *in Annalib. Capuccinor. to. 1. ann. Chriſt. 1528. a num. 16.* & ante omnes alios Iſidorus Peluſiota *lib. 1. epiſtol. 220.* De noſtris autem Carmeli eremitis oblongam geſtaſſe barbam, nec dubitare licet, cum & Orientales fuerint, & Eremitæ, quo poſteriori titulo etiam in Patribus Auguſtinianis, Italiæ præſertim, idem cernitur.

Barba Monachorum.

Ann. Chriſt. 772. vſque ad 795. Hadriani I. Rom. Pontif. 1. vſque ad 23. Conſtantini Copronym. Imp. 32. vſque ad 35. Leonis I. vſque ad 4. Conſtantini I. vſque ad 15.

1 OCCVPAT hoc tempus Pontificatus Hadriani I. Pontificis, poſt obitum Stephani Papæ IV. ad eam dignitatem euecti; in quo veluti reſpirare viſa eſt Eccleſia, ob vigilantiam tanti Pontificis; mortem impij Copronymi, qui (vt Cedrenus ait) animam efflauit dicens: *Se adhuc viuentem inextinguibili igni traditum propter Mariam*, quam inhonorauerat, Virginem Deiparentem negans, & eius imagines tollens: & obitum eius ſucceſſoris Leonis, Imperij habenas Irene matre pijſſima Conſtantini, & ipſo puero Conſtantino, dicto *Porphyrogenito*, ſuſcipientibus; ac in Occidente Carolo Magno, pijſſi-

Geſta in Pontificatu Hadriani.

pijſſimo, & feliciſſimo Monarcha. Celebratur proinde Concilium Generale Nicææ, ſeptimum Oecumenicum appellatum, contra Iconomachos ſacrarum Imaginum aduerſarios, Sanctiſſimæ Virginis præſertim, permaximè a Concilio celebratæ. Anaſtaſius, Theophanes, Baronius, Ciaconius, & alij moderni.

Reſtauratio Eccleſiarum. 2 Spectat proximius ad noſtrorum Annalium curſum quod huius Religioſiſſimi Hadriani Pontificis munificentia, quæ in ornandis Vrbis Eccleſijs, & cœmeterijs maximè enituit, eluxit præſertim in Eccleſiarum, quæ currenti tempore Ordini noſtro conceſſæ ſunt, reparatione, & ornatu. Etenim, vt Anaſtaſius in eius Vita habet, *Baſilicam B. Silueſtri Confeſſoris, atque Pontificis, ſitam in Orfea, quæ iam in ruinis poſita erat; & tectum eius dirutum exiſtebat, facto eodem tecto, nouiter ipſam Eccleſiam renouauit.* Et infra: *Eccleſiam B. Martini ſitam iuxta titulum S. Silueſtri reparauit.* Hæc eſt illa inſignis S. Silueſtri, & Martini Eccleſia, quæ modo ab Ordine noſtro, veluti ipſius pretioſiſſima gemma, ob quamplurium SS. memorias ibi reſeruatas, habetur; & quæ primitus a S. Silueſtro, deinde a Papa Symmacho, prout in præced. ſuo tempore diximus, erecta fuit, & de qua noſter Reuerendiſſ. Philippinus *in Tract. de hac Eccl. pag.* 51. gnauiter, & eleganti ſtylo, vt propterea ad ipſum iure lector remittendus. Ibi etiam alia de hac Baſilica, quorum aliqua in ſequentib. diſcutiemus.

Hadriani alia geſta. 4 Proſequitur idem Anaſtaſius *in Vita eiuſdem Hadriani* dicens: *Hic coangelicus vir diuina inſpiratione ignitus conſtituit Diaconias tres foris portam BB. Apoſtolorum Principis: id eſt, vnam quidem ſanctæ, & glorioſæ ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ Dominæ noſtræ, quæ ſita eſt in Atriano* (corrige *in Atrio*:) *aliam verò ſupraſcriptæ, & intemeratæ Dominæ noſtræ, quæ ſita eſt foris poſitam B. Petri Apoſtoli in caput porticus, &c.* Hæc enim poſterior *Diaconia intemeratæ Dominæ noſtræ ſita foris poſitam B. Petri*, eſt, quæ *Tranſpontina* poſtea vocata fuit, & noſtro Ordini conceſſa, vt ſuis locis notabimus. Erat autem proximè iuxta portam dictam B. Petri quia ad Baſilicam ipſius iter præberet. Solo æquata eſt tempore Pij IV. & ad locum in quo modo eſt, & vbi hæc nos ſcribimus, cũ iuribus, reliquijs,

Eccleſia Tranſpontina. priuilegijs, & titulo tranſlata. Id notatum hauriat lector ex Floriuante Martinello diligenti antiquitatis ſcrutatore in Opere a ſe edito *de Imagine B. Virginis apud Moniales S. Sixti pag.* 15. & 16. Notet etiam Diaconiam iſtam dicatam fuiſſe *Intemeratæ Dominæ noſtræ*, prout ex relato Anaſtaſio habetur; hincque eliciat huius Eccl. habitatores intemeratæ eiuſdem Virg. Conceptionem tueri veluti aſtrictos eſſe, quòd eidem nuncupata fuerit, prout etiam oſtenditur in Capella eiuſdem Eccleſiæ ipſi Sanctiſſ. Virgini ſub eo titulo dicatæ. Subiungit Anaſtaſius quod idem Pontifex Hadrianus in eiuſmodi Diaconijs *plurima mobilia, atque immobilia pro remedio animæ ſuæ obtulit, & conſtituit, vt per vnamquamque hebdomadam 5. feriæ die cum Pſallentio,* (id eſt, cantu Pſalmor.) *ad balneum pergerent, & ibidem diſpenſatione per Ordinem pauperibus conſolari, atque eleemoſynam fieri.*

Re-

4 Recrudeſcebat interim hoc tempore perſecutio Saracenorum contra Chriſtianos in Syria commorantes. Habdallas enim ipſorum Rex Ieroſolymis edictum promulgauit, vt Chriſtiani omnes atque Iudæi inſcriberentur manibus, vt ſic a cæteris dignoſci poſſent. Cuius rei gratia factum eſt, vt Chriſtianorum plurimi, cum nollent eiuſmodi ignominiam ſuſtinere, relictis bonis ſuis, aliò ſe transferrent. Sic ferme Theophanes. Ex quibus conijci datur fugam noſtrorum Carmeli Eremitarum, de qua ſæpius diximus, & dicemus, vel ex hac barbarorum perſecutione oriri potuiſſe; maximè quia continuata videtur a Madi filio eiuſdem Habdallæ, eodem Theophane teſtante, qui in Eccleſias quoque ipſas inſanijt, eas euerti, & ſolo æquari præcipiens. Ei ſucceſſit Moyſes, & Moyſi Aron bellicoſiſſimus, & Chriſtianis infenſus, ſub quo paſſus eſt Martyrium Baccus Monaſterij S. Sabæ (quod antiqua Ordinis colonia fuit) de quo Græcorum Menologium die 17. Decembris. Saracenorum perſecutio.

5 Apud Conſtantinopolim tamen mitior in Orthodoxos cernebatur hæreticorum ira. Mortuo enim Copronymo, Leo eius filius primogenitus, & hæres Imperij, pius apparebat, & Sanctiſſimæ Dei Genitricis, ac Monachorum amicus; vt ipſos idcirco Metropolitanis; ac præcipuis Sedibus præficeret, & Platonem Olympi Montis celebrem Monachum in Epiſcopum Nicomedienſem prouehendum curaret, etſi poſtea vnum ex Iconoclaſtis eſſe opere ſatis manifeſtauit. De ijs relatus Theophanes, Theodorus Monachus Studita hoc tempore viuens, & Iuniores poſt ipſos. Qui & addunt Irenem Leonis vxorem pijſſimam fœminam cum filio Conſtantino puero imperantem, Eccleſiæ libertati proſpicientem, omnibus conceſſiſſe vitæ Monaſticæ exercitium, antea negatum. Conſtantino. polit. mitior.

6 Celeberrimi autē hoc tempore erant in Monachatu Orientalis Eccleſiæ Plato relatus, & Theodorus Studita magni Monachorum Archimandritæ, vel ex eo a nobis commemorandi, quod, cum Conſtantinus Iunior Imperator propriam vxorem, ſub falſo prætextu quod ipſius vitæ inſidiata fuiſſet, repudiaſſet; & multi turpi adulatione ducti factum approbarent, duo iſti clariſſimi Abbates, deteſtandum hoc adulationis crimen, pijs omnibus (maximè, & multis titulis Monachiſmi profeſſoribus) execrantes, Imperatorem de patrato ſcelere acriter redarguerunt, & Theodorus excommunicatum denunciauit. Multi propterea multa paſſi ſunt. Etenim Plato carcere incluſus, Theodorus verò cum pluribus alijs Monachis flagellatus, & in exilium pulſus eſt: qui & de his omnibus per litteras, & tabellarios certiorem reddidit Rom. Pontif. a quo ob rem præclarè geſtam laudari meruit, & ſuo exemplo plurimos alios vicinarum Prouinciarum Monachos, atque Sacerdotes commouit ad anathematizandum eodem modo Imperat. cum iam vbique qui cum poteſtate aliqua præerant Ciuitatibus, eius impuritatem ſectantes, vxoribus eiectis, alias ducerent, & omnia libidinibus implerent. Hæc ſummatim ex Theophane, Theodoro, & alijs hauriunt poſteriores. Quibus iungendus Vvion, qui de Plato, & Theodorus Monachus.

hoc Platone in Martyrolog. Monaſtico *ſub* 4. *Apr.* relato loquens inquit: *Ex Catal. Abbatum Montis Caſini a Petro Diac. conſcripto cognouimus multo ante tempora huius Platonis Regulam S. P. Benedicti illis in partibus promulgatam, ſub qua potuit militaſſe fortaſſe hic Sanctus, omnia tamen ſub correctione a nobis appoſita.* Prudens ſanè cautio iure in hoc loco ab hoc authore poſita, & ponenda, quoties de huiuſmodi Monachis Orientalibus ſermo eſſet; cum non niſi leui fundamento dici poſſit ipſos S. Benedicti Monaſticen hoc tempore recepiſſe.

7 De huius temporis hiſtoria, nec extra noſtram Propheticam, & Monachalem hæc habet *lib.* 5. *ſuæ hiſtoriæ cap.* 83. noſter Arnoldus Boſtius. *Porrò circa annum Domini* 785. *Conſtantinus Sextus imperauit totus bonus, & pius, hic diuerſos conflictus cum Saracenis habens ſepties eos ab Ieroſolymis expulit, ſed tamen Saraceni præualuerunt, quare vt habetur in* 25. *lib. Specul. Hiſtorial. Vincentij cap.* 4. & 5. *Ioannes Patriarcha Ieroſolymitanus de Ciuitate ſua expulſus per eoſdem Saracenos venit Conſtantinopolim ad iſtum Imperatorem Conſtantinum cum Ioanne Neapolitano Sacerdote, & Dauid Ieroſolymitano Archipresbytero. Quos Conſtantinus ad Carolum Magnum Regem Galliæ miſit cum epiſtola ipſius Ioannis Patriarchæ, & alia epiſtola manu ipſius Conſtantini ſcripta, & cum duobus viris præfatis fuerunt adhuc miſſi alij duo legati Hebræi, Iſaac ſcilicet, & Samuel, in cuius Conſtantini epiſtola ſic ſcriptum erat in fine. Quadam nocte ego Conſtantinus in extaſi factus vidi ante lectum meum quendam iuuenem ſtantem, qui me tetigit, & ait: Conſtantine rogaſti Dominum in auxilium ad hanc rem: Ecce accipe Carolum Magnum Regem Galliæ Eccleſiæ in Domino protectorem, & propugnatorem. Hi Legati Carolum Regem Pariſijs inuenerunt, & ei epiſtolas tradiderunt; quibus perlectis Rex lachrymari cœpit pro ſepulchro Domini: has epiſtolas iuſſit Rex exponere per Archiepiſcopum coram omni populo, quibus auditis omnes proficiſci Regem precabantur, quo audito mox Rex edictum propoſuit, vt omnes qui poſſent arma ferre irent ſecum contra paganos, & qui non irent ipſi, & filij eorum, &c. Itaque maiorem exercitum quem vnquam ante habuiſſet congregauit, & profecti ſunt ad Terram Sanctam. Cum ergo iam Carolus multa loca manu bellica cepiſſet, Aaron Rex Saracenorum Caroli famam audiens cum precioſis muneribus honorat mittendo ſibi corpus Sancti Cypriani, & Sperati, & Caput S. Pantaleonis, & Ieruſalem ei inſuper tradidit. Timuit enim ne, & vſque ad ipſum veniret, & eum contereret, & ideo pacem cum eo fecit tradita ei Ciuitate Ieroſolyma.* In quibus aliqua animaduertenda. Primò quidem hunc Conſtantinum Sextum, qui toties hic cum Saracenis conflictus habuiſſe dicitur, fuiſſe illum Conſtantinum filium Leonis, & Irene, de quo ſupra loquuti ſumus, de cuius cum Saracenis prælijs plura hiſtorici, Theophanes præſertim. Secundò, Ioannem iſtum Patriarcham Ieroſolymitanum de ſua ſede per Saracenos deiectum, ſecundum aliquos etiam ex noſtris, fuiſſe eum Ioannem Ieroſolymitanum authorem libri *de Inſtitut. Monacho-*

Conſtantini geſta.

Carolus Magnus.

chorum ad Capraſium, de quo plura in principio huius Tomi diximus. Horum tamen ſententiam in proximè ſequentibus reijciemus. Tertiò, id quod dicitur de traditione Ciuitatis Ieroſolymæ Carolo Magno facta per Saracenorum Regem Aaron, in bono ſenſu veritatem continet, quatenus videlicet ab hoc Saraceno multum valdeque coli, & honorari Carolus meruit, & ab ipſo Sanctum Domini ſepulchrum dono recipere. Prout etiam in ſequentibus dicetur. Vbi etiam de ſtatu Terræ Sanctæ his diebus, ac noſtrorum Monachorum in ea conuerſantium, fœlicibus auſpicijs Caroli Magni Imperatoris Occidentis cognominati, ex Arnoldo Boſtio, Ioanne Palæonydoro, quos alij ex noſtris Hiſtorici ſequuntur.

8. Specialiter tamen quia Concilium ſecundum Nicænum ſeptimum Oecumenicum appellatum hoc tempore ſub anno videlicet 787. celebratum, egregium teſtimonium de Sanctitate, & miraculis noſtri Sancti Anaſtaſij Perſæ Martyris dedit *Action.* 4. referens vnum ſingulare quod contigit, dum eius ſanctæ Reliquiæ Ieroſolymam veherentur, idcirco illud hic apponere placuit verbis eiſdem, quibus Concilium. *Agedum igitur, & in Cæſarea Palæſtinæ Regionis mirifica a Sancto viro deſignata recenſeamus. Cum ſanctæ Ciuitati reliquiæ ſacræ appropinquaſſent, omnibus res ea fuit declarata & ſignificata: itaque lætitia magna perfuſi omnes, ſurgentes ſubito, lignaque ſacra pulſantes inuicem, obuiam facti ſunt in veneranda Virginis Deiparæ Æde, quæ appellatur Noua. Illinc cum Cruce, & ſupplicatione egreſſi læti, & gaudentes cum gratiarum actione ſacris reliquijs occurrerunt. Et refloreſcentes, imò veluti nouo igniculo iterum excitati, magnam ex infidelitate ſua, & mortificatione pietatis refocillationem acceperunt. Accedentibus autem illis, & ſalutantibus ſepulchrum Martyris, illicque ſacris reliquijs munus in memoriam Sancti offerentibus, mulier quæpiam ex primarijs Ciuitatis fœminis cui nomen Arete, verum a virtute quam Græci* Areten *vocant, longe alieniſſima ad infidelitatem conuerſa dixit: Ego reliquias a Perſide venientes nunquam venerabor. O miſeram, & deſperatam fœminam! Non audiuit hæc miſera ſacri Dauidis vocem increpantis eos qui impudenti, & inuerecundo ore quiduis effutiunt. Ceſſare, inquit, facias linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum. Quid igitur glorificans eos quos glorificat, Deus in hanc deſignauit, deinceps me referente audietis. Cum ſacræ reliquiæ in Vrbem adlatæ fuiſſent, communi ſententia ciues martyri Oratorium prope Tetrapylum (locus eſt is in medio Ciuitatis) conſtruere decreuerunt. Quin etiam illius Imaginem illic conſtituerunt. Iam cum eſſet extructum Oratorium Sanctus Martyr in habitu Monachi per ſomnum coram miſera adſtitit, illique ait: E lumbis ægrotas: ipſa autem reſpondens, Non inquit, Domine, neque enim quicquam mali ſentio. Poſtquam hoc dixiſſet expergefacta ſubito dolores inſeruere ſenſit, cœpitque clamare, & gemere. Atque adeo grauiter affecta fuit, vt ne quidem ocij ſatis habuerit, quo exputare quiuiſſet, quænam illius tam ſubiti, & vehemen-*

S. Anaſtaſij geſta ex Concil. 2. Nicæn.

hementis doloris cauſa, quiſue author eſſe poſſet; Sic autem quatuor integris diebus in cruciatibus ſubſtitit. Quinto autem die ſub crepuſculum vidit ſibi Sanctum illum aſtantem, atque ad eam dicentem: Deſcende ad Tetrapylum, ſanctique Anaſtaſij interceſſionem apud Deum poſce, quo ſana fias. Ipſa igitur cum ſurrexiſſet ex grabato, in memoriamque blaſphema illa, & impia verba; quæ contra caput ſuum dixerat, redirent, conuocatis liberis ſuis ad eos dixit: Tollite me; tollite me, inque Templum D. Anaſtaſij concedamus: ſiquidem iam docta ſum meo cum periculo, reliquias ex Perſide venientes adorandas, venerandaſque: & quæ Deus ſacrauit ea non eſſe communia appellanda; impoſitam itaque eam ferculo baiularunt. Cum autem appropinquarent ipſi loco, ipſa eminus conſpicata Sancti imaginem, cum lachrymis cœpit exclamare: Hic eſt qui in ſomnis verè a me viſus inſtruxit me de malis quæ me habent. Deinde ſeipſa in ſolum proſternens ſanctumque orationibus flebilibus Martyrem placans ſana, firmaque ſurrexit. Et quæ paulo ante alienis pedibus incedebat, extremaque patiebatur: nunc ſuis itinans, domum vna cum reliquis Deum glorificans, Martyremque magnificans, perrexit. Petrus, & Petrus religioſiſſimi presbyteri Vicarij Adriani Papæ veteris Romæ dixerunt. Ipſa illa imago in præſentem diem Romæ eſt in Monaſterio cum pretioſo capite. Ioannes Epiſcopus Tauromeniæ dixit: Rectè dixerunt venerabiles Vicarij. Nam & in Sicilia muliercula cùm Dæmonio vexaretur Romam profecta ad Imaginem ſanctiſſimam ſupradictam ſanata eſt. Hæc Concilium ſecundum Nicænum, pro ſanctitate, & miraculis S. Anaſtaſij.

Miracula S. Anaſtaſij. 9 In gratiam etiam noſtrorum fratrum, quorum aliqui, & meritò, ſpeciali deuotione in tam inſignem Martyrem ſunt affecti, placuit hoc loco breuem tractatulum de eiuſdem Sancti miraculis, authore Anonymo, ſed teſte oculato, deſcriptum, & ex veteri Græco manuſcripto Latinè redditum, qui non niſi rarius inuenitur, hic apponere, prout Bollandus in fine Vitæ ipſius Sancti pro die 22. Ianuarij facit.

Miracula S. Anaſtaſij Perſæ Martyris, quem Carmelitæ authoritate Apoſtolica pro Sancto ſui Ordinis colunt 22. Ianuarij.

B POſt athletica glorioſi Martyris certamina, cum qui ei adſuerat Frater ex Perſarum prouincia reuerſus in ſanctam Ciuitatem eſſet, ac deinde iterum in Perſidem profectus, vt ſanctas illas, ac venerabiles eius reliquias ad ſuum Monaſterium deportaret; quidam miliariſiorum ſignator, Perſa genere, nomine Baraſur, qui domicilium in regia Perſarum Vrbe habebat, repertum iſthic Fratrem rogat exiguam ſacrarum Reliquiarum particulam. Quam cum impetraſſet, ſeſeque inde illico recepiſſet eam domi ſuæ depoſuit. Erat huic amicus, quem, vt ipſemet confeſſus eſt, iam octo & viginti annos grauiter dæmon vexabat. Donatas

natas igitur ſibi ab illo Fratre reliquias liquore quopiam abluit, eumque potandum amico offert, qui mox Chriſti virtute, ac Sancti Megalo-martyris Anaſtaſij incolumis euaſit. Hæc ille ipſe in Monaſterio S. Martyris Syriacis litteris deſcripſit. Medicus quidam in eadem Vrbe ab improbo ſpiritu vexabatur; cum adeſſe iſthic Fratrem didiciſſet, ad eum adit, rogatque vt Sancti ſibi reliquias largiatur. Accepit, ac penes ſe habuit, ſtatimque morbo, ſancti ope Martyris liberatus eſt. Conueniebant igitur ad eum, medicum quippe infirmi complures, neque deinceps pharmacis, ſectionibus, vſtionibus, alijſue id genus remedijs, quibus ex medicæ rei præceptionibus vti norat, curare quemquam voluit, ſed glorioſi Martyris reliquias abluens inde potum ægris præbebat, reddebatque hac ratione ſanitatem. Auriga quidam nomine Calotychus, qui iuxta fauſtam illam nomenclaturam nunc viuit beatiſſimus, referebat & ipſe multa, ac magna Sancti Martyris portenta, quæ in eius domo in Perſarum Vrbe patrarat. Quorum pauca conſcribere decreui. Is igitur ad Monachum accedens, eumque obſecrans partem obtinuit venerabilium reliquiarum, atque Oratorium in ſuis ædibus fabricatus iſtic eas collocauit. Narrabat verò hic auriga ſe ac ſocios die quodam poſt mortem Coſdroæ impij illius Regis, fuiſſe vt rogas ſuas quærerent. At qui regijs negotijs præerant, eos toruo vultu intuentes abegerunt dicentes. Coſdroæ ſtultitia præterijt. Nos aurigam nolumus. Ite & operamini, vt victum vobis comparetis. His auditis confuſi, & mœſti diſceſſerunt. Cum igitur in magna conſtituti anguſtia eſſent, ac neceſſariæ annonæ penuria qui eam ſolam artem callerent, neque alium haberent reditum, illius de quo nobis ſermo eſt coniux mœrens vehementi quodam ſtudio deprecabatur Sanctum, vt ipſis ſuccurreret, atque alimenta ſuppeditaret. Vt verò ab oratione ceſſauit ex Oratorio egreſſa milliarenſem humi iacentem reperit, & gratijs Deo, Sanctoque actis, mittens, oleum comparat ad Sancti lucernam. Intra dies aliquot aurigæ ſe Sanctus viſendum præbet, & hæc ait: Ite denuo ad Regiam, & rogas veſtras accipite. Conſurgit ille, ac ſocios conuocat, vrgetque dicens: Agite, eamus adhuc hac vice in Dei, ac S. Anaſtaſij nomine, vt rogas noſtras accipiamus, indubiè eas conſequemur. Illi verò grauiter afflicti, nec fidem ei habentes. Quis ille eſt, inquiunt, S. Anaſtaſius? Si id fiat credemus & ipſi in eum. Et ſurgentes abierunt denuo ad Regiam. Videntes eos Principes cum omni beneuolentia, & humanitate præbuerunt ijs rogas ſuas, vt prius accipere conſueuerant, & dimiſerunt eos. Venientes verò illi in nouam Ciuitatem cum decem ſinguli milliarenſes nummos accepiſſent, conuiuium inſtituerunt, gratias Deo agentes qui talem ſanctis ſuis gratiam tribuit. Calotychus ille, de quo iam egimus, diſcipulos habebat eamdem addiſcentes artem. Ex his quidam dudum rei cuiuſpiam, vt videtur, honeſtæ, deſiderio tenebatur: quam tamen mali dæmonis opera, qui eiuſmodi obniti ſtudijs ſolet, non eſt conſecutus.

cutus. Sancti igitur Martyris recordatus, adiutorem eum inuocat dicens: Anaſtaſi, ſi mihi præſto nunc fueris, vt rem eam valeam perficere duos milliarenſes conferam ad candelam tibi dicandam. Audiens hæc illius coniux: Abi inquit, credo enim in Deum S. Anaſtaſij fore, vt quoduis conſequaris, & re perfecta redeas. Ille verò abiens quod multo tempore exequi cupierat, nec valuerat, hora vna effecit. Et cum ingenti gaudio reuerſus duos deferens milliarenſes iſthæc vociferabatur. Magne Deus S. Anaſtaſij accipe duos milliarenſes, quos pollicitus ſum me oblaturum ſancto templo tuo. Et inde amplius dicta Noua ciuitas concurrere ad aurigæ domum cœpit. Et multi varijs afflicti morbis in Oratorio Martyris dormiebant, atque omni moleſtia liberi, & incolumes abſcedebant. Pictor quidam filium habebat annorum circiter quindecim, quem nequam ſpiritus inſidens exagitabat, adit ad aurigam, eumque ita obteſtatur: Sine inquit filium meum adduci, vt in Oratorio eius dormiat, cuius tu mirabilia prædicas, quò & ipſi credamus. Adductum ergo puerum ad aurigæ ædes, deponit eum in Oratorio. Quando intus erat nihil a dæmonio patiebatur moleſtiæ: at ſi paululum extra Oratorium prodiret inuadebat eum, diſcerpebat, & cruciabat inimicus. Illi cognita dæmonis nequitia, reliquias abluentes quotidie ei potum hinc præbebant, ipſaſque ad eius collum reliquias ſuſpenderunt. Atque ita Dei benignitate curatus eſt puer, abijtque Deum laudans, ac glorificans, & S. Anaſtaſio grates referens. Prædictus igitur Monachus ſumptis ſecum ſanctis reliquijs iter verſus Sanctam Chriſti Dei noſtri Ciuitatem capeſſiuit, venitque Palmyram Vrbem. Egreſſi verò ſunt ciues ad ſacras adorandas reliquias, atque inter eos iuuenis quidam tumefactos habens oculos, qui ſtetit eiulans, & Martyrem obſecrans, vt per eum Deus ſibi propitius redderetur, ſuamque curaret cæcitatem. Fratri verò illi morbi cauſam ſciſcitanti, & quanto tempore ea tenuiſſet ægritudo, reſponderunt ciues: iam quadriennium eſt ex quo non videt, omneſque facultates ſuas in medicos expendit, ac tandem cœcus omnino eſt effectus. Dicit ei frater: Si Deum credis poſſe tibi opitulari, videbis gloriam eius per Sanctum Anaſtaſium. At ille exclamauit dicens. Credo vtique. Dicit ei rurſus: Oportet igitur te ieiunare, & Dei gratiam excipere. At ille, ab omnibus quibus iuſſeris abſtinebo, a vino multis diebus abſtinere non poſſum. Dicit ei Presbyter: Nec ad ſeptem dies? Et ait: Omnino. Habebat verò Frater extra Sacram thecam partem exiguam, quam accipiens, & abluens ei dedit, præcipiens vt oculos aperiret. Abijt, fecitque imperata, atque intra ſeptem dies redijt ſanus, laudans & glorificans Deum, eiuſque Martyrem Anaſtaſium. Eia nunc, & ea quæ apud Cæſaream Palæſtinæ a Sancto facta ſunt, ſecundum quod poſſibile fuerit, enarremus. Cum appropinquaſſet ſanctæ Ciuitati almum cadauer, notum factum eſt vniuerſæ Ciuitati, & lætitia magna repleti ſunt omnes, & ſurgentes, ſacraque ligna percutientes congregauerunt ſemetipſos in vene-

venerabiliſſimo templo Dei Genitricis, quod dicitur Nouæ. Et deinde cum Crucibus, & Litania obuiam venerunt ſancto Lipſano cum glorificatione gaudentes, & exultantes, & quaſi reflorentes, imò recreati in præſentia Martyris a paucitate fidei, quæ erat in illis, & aliarum nequitiarum mortificatione magnam acceperunt conſolationem. Orantibus autem illis, & deoſculantibus, & ſe circa tumulum volutantibus, atque debitum præmium recompenſantibus Lipſano, ac memoria Sancti huius, mulier quædam quæ quaſi ex claris erat Cæſarienſium (ſi ita oporteat dici, & non magis aliter, quemadmodum res ipſæ manifeſtarunt) nomine quidem Arete (id eſt virtus) ſed moribus virtuti omnino contraria, in diffidentiam verſa dicebat: Ego Lipſanum a Perſide veniens non adoro. O miſeram, & ſine intellectu animam, quæ non audiuit infelix ſacratiſſimum Pſalmiſtam Dauid increpantem flagitioſorum audaciam, ac dicentem: Cohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum. Quid ergo Deus qui glorificat glorificantes ſe, facit in ea? Conſequenter ego dicam. Ingreſſo Ciuitatem ſancto Lipſano, communiter conſiliati ciues eiuſdem Vrbis cœperunt conſtruere Oratorium Sancto iuxta Tetrapylum, quod erat in medio Ciuitatis: ſtatuerunt autem, & imaginem eius ibidem. Cum adhuc ædificaretur aſtans Martyr infelici illi in ſomnis in habitu Monachi dixit ei: Lumbos tuos doles? Illa verò ad eum: Non Domine, nihil mali habeo, ſana ſum; & vna cum ſermone expergefacta, & ſentiens in ſe validum cecidiſſe dolorem, cœpit clamare, gemere, ac indeſinenter affligi, ita vt non poſſet omnino reſpirare, importabilia patiens, vt vacationem agens reputaret ſecum, & requireret, quinam eſſet, & ex qua cauſa tam ſubitaneus dolor, qui ſibi foret illatus. Sed in his conſummauit dies quatuor: quinta verò die illuceſcente vidit adſtantem ſibi Sanctum, atque dicentem: Deſcende ad Tetrapylum, & roga S. Anaſtaſium, & ſanaberis. At illa ſurgens, & in memoriam veniens improborum ſermonum ſuorum, quos locuta eſt aduerſus caput ſuum, aduocatis pueris ſuis ait eis: Tollite me, tollite me, vt eamus ad Tetrapylum S. Anaſtaſij; noui enim & nunc edocta etiam a Perſide veniens Lipſanum adorare, & honorare, & quæ Deus mundauit non communicare (id eſt communia dicere.) Leuata ergo ea pueri eius in phorio (id eſt portatorio) pergebant. Cumque appropinquarent loco illa de longe attollens oculum, & videns Sancti imaginem, cœpit magna voce cum effuſione lacrymarum clamare: Iſte eſt in veritate quem vidi in ſomnis prædicentem mihi de malis quæ me obtinent. Et cum ſe proieciſſet ſupra pauimentum, & ploraſſet multum, placato Sancto erecta eſt ſana. Et quæ paulo ante ab alijs portabatur, & in extremis poſita periclitabatur proprijs pedibus ambulans abijt domum ſuam, concorditer cum cæteris laudans, & glorificans Deum, & magnificans martyrem. Conſtructo venerabili Tetrapylo nomine Sancti Martyris, & iam perfecto, cum translatio fieret reliquiarum aliud

eue-

euenit miraculum dignum commemoratione. Menſe Martio (nam eo ineunte ſolemne quoddam inualuit apud milites inſtitutum, vt equos ornent, atque in campum ingrediantur, ſeque exerceant, ac veluti ſpecimen quoddam edant militaris conflictus. His peractis contigit quendam militum cum alio equorum curſu contendere, & iam ad conſtitutum locum cupiens equum refrenare, & detinere non poterat. Vt igitur per mediam ciuitatem ferebatur propius ad venerabile Tetrapylon accesſit, & neque reſpirare iam valens, neque illius impetum ſiſtere, irruit in prægrandem erectum lapidem, in cuius aduerſa parte duo erant pueruli. Et corruit equus ipſo loco, miles vero deiectus eſt: at lapis fractus eſt, & ſub ſe puerulos oppresſit. Rem hanc, aut ſcelus potius machinatus improbus dæmon, ſucceſſum tamen optatum non habuit, benigniſſimo Deo per Sanctum ſuum dignam illi confuſionem, & pœnam irrogante. Neque enim miles ex equo deiectus incommodi quidpiam accepit, neque equus prolapſus, neque pueri ſub lapide deprehenſi: ita ſapiente illa, & benigna prouidentia miſericorditer gubernante genus noſtrum, etſi vt plurimum immenſis criminibus onerati ſumus, & adhuc & vſque in ſeculum mirabilia operante in nobis per Sanctos Martyres. Subdiaconus quidam Sanctæ Dei Eccleſiæ, quæ Cæſareæ eſt, filium habebat annorum admodum duodecim, qui morbo correptus difficili eſt. Cumque dies aliquot duraſſet, tandem ſuccubuit, omninoque luridus effectus contabeſcebat, vt oſſa carnibus adhæreſcerent, & obliuiſceretur, quemadmodum Propheta ait, comedere panem ſuum. Nam tredecim ipſos dies cibi nihil omnino accepit, vt eius parens teſtatus eſt, & iacuit ſine voce. Quæ ergo illi ſpes erat reliqua? Iam alij patrem accomodatis ſermonibus ſolabantur, ſimulque ſuadebant ea cum alacritate procuraret quæ ad filij funus pertinerent. Vt igitur ars nulla amplius mederi ægro poterat, tunc omnipotens, & benigniſſimus Deus propriam ſuam in hominem clementiam oſtendit per Sanctum Martyrem. Quidam enim ex familiaribus parentis dicit ei: Si apomyriſma haberes, ſeu liquorem quo ablutæ S. Anaſtaſij reliquiæ ſunt, videres mirabilia. Hic verò habeo, inquit. Et accepto liquore puerum illinit, qui mox ſudare vehementer cœpit. Deinde medicus aduenit, & cernens eum adhuc ſpirantem, imò melius habentem, & ſtupens, glorificauit & ipſe Deum, ac ſumens abluit, & alimentum præbuit. Atque ita ſanus effectus eſt per gratiam Ieſu Chriſti Domini noſtri. Conſtruxitque eius parens Oratorium Sancto, feſtum agens quotannis in gratiarum actionem. Cum hæc per vniuerſam Cæſaream vulgarentur, nauta quidam a ſpiritu immundo vexatus, & grauia ab illo perpetiens, aduenit, precatuſque eſt, vt Sancti patrocinio iuuaretur, vt & ipſe cum cæteris eius miraculorum præco exiſteret. Cum verò in Sancti æde perſeueraret, in ſomnis ei Sanctus apparet, & ait: Quid habes? Ego ſum Anaſtaſius Perſa. Abi ad Abbatem Georgium, & dabit tibi reliquias, quas geſtans ſanaberis. Hic verò

verò ad illum adit, ſomnium aperit, obteſtatur vt exiguam ſaltem conſequi particulam poſſit: quam cum accepiſſet in argentea theca depoſuit, & collo circundedit. Sequenti verò nocte apparet ei oſor honeſtatis ſpiritus ſpecie humana, dicitque ei: Geſtas reliquias S. Anaſtaſij? Ille verò: Omnino. Eo audito dæmon ait: Reuera ſi eas geſtas, ego abeo. Atque ex ea hora ſaluus effectus eſt vir ille, Chriſti gratia, & S. Martyris interceſſione. Multi igitur varijs morbis conflictati veniebant ad venerabile Tetrapylon, & Martyrem inuocabant, & ſani diſcedebant. Receptor quidam templi Sancti, & glorioſi Martyris Cornelij, Ioannes nomine, cognomento Saluphius, vxorem habebat, quam dæmon ita dirè infeſtabat, vt & coxam ei confringeret, & lecto affixam extremè cruciaret. Hic Ioannes reperit quendam deportantem Sancti reliquias, eumque aduocans, accepit ab eo biſſas duas (ſiue vaſa) apomyriſmatis, vnam aquæ, vini alteram, vt vno quidem vniuerſum corpus illiniret, aquam verò potaret. Eaque ratione ſoſpitati reddita glorificauit Deum, præbentem ſalutis opportunitatem omni qui ſaluari cupit. Cum ſacræ reliquiæ Cæſarea exceſſiſſent verſus ſanctam Chriſti Dei noſtri Ciuitatem, peruenerunt Dioſpolim. Et Diaconus quidam in Clero illius Eccleſiæ conſpicuus filium habebat vnicum recens natum, qui inualetudine oppreſſus quatuor integris diebus vbera non ſuxerat. Cumque vehementer animo affligeretur parens, dixerunt ei quidam: Cur non adoras Sanctas reliquias, quæ ex Perſide allatæ ſunt? At ille deiecto animo: Vt ſciam, inquit, Sanctum eſſe, ſuſcitet filium meum, & credam pro Chriſto paſſum eſſe. Atque ea ipſa nocte ſanatus eſt infans, & vbera ſuxit. At parens eius conſurgens accepit eum ac matrem eius, & omnes domeſticos, & Sancti reliquias veneratus eſt, & glorificans & laudans Deum, & Martyrem eius Anaſtaſium. Hactenus eorum quæ in itinere, & Cæſareæ edita ſunt a Sancto miracula plurima percurrentes pauca narrauimus. His verò miraculis alteram gratiam decet adiungere, Sancti ſcilicet commiſerationem. Mulier quædam Photi nomine miniſtra effecta Sacri Typhlocomij, ſiue cæcorum domicilij, quod in ſancta Dei erat Ciuitate, ibat Emeſſam propter domeſticum quoddam negotium cum alijs eodem tendentibus. Cum verò hyems eſſet, imberque decideret, contigit eam, quippe imbecilliorem, & labore itineris fatigatam deuenire in regionem quæ eſt vltra Iordanem. Cum verò adueſperaſceret, & comites eam deſeruiſſent, circumſpiciens neque agnoſcens qua ſibi eundum eſſet, cœpit angi animo, hærere, perpendere viam ignotam, horam intempeſtiuam, belluarum, & ſerpentium, ac dæmonum inſidias, quæ norunt qui agendis itineribus ſunt aſſueti. Paululum ergo ad ſe reuerſa, humi ſe proſternit, eiulans & plangens improuiſo ſuperueniens ſibi periculum, Sanctumque inuocabat, vt ſibi adiutor, & dux erranti eſſet, magna voce inclamans: S. Anaſtaſi, nunc erga me quoque mirabilia tua oſtende. Talia ea vociferante, & calidis lachrymis ipſum implo-

plorante, ecce & ipſe ſupplicem exaudit, ac Dominum ſcite imitatus adſtat erranti Monachi ſpecie, arreptaque eius manu eam erigit, cumque ea ambulans vſque ad villam in qua comites eius erant, deinde videri deſijt. Tunc illa agnoſcit Sanctum, qui eam deduxerat, & cœpit coram omnibus Deum glorificare, & narrare quæ ſibi acciderant in via, & exhibitam ſibi a Sancto opem. Optio quidam Samariam prouinciam pertranſibat ſequente ſe bando: ſub veſperum diuertunt ad villam cuiuſdam Samaritæ, cuius mores aliter depingere non poſſum, niſi per ipſam appellationem. Rectè enim de illis, ait Propheta: Nequitia in habitaculis eorum in medio eorum. Hic igitur moribus diabolicis præditus, & dona ab eo percipiens non curationum, ſed fallaciæ, veneno cibos miſcet, & Optioni opponit. Ille inſidiarum ignarus ſimpliciter cibum ſumit, ac poſtridie conſurgens proſequitur cœptum iter. Paulò poſt cœpit contorqueri ſiniſtra eius maxilla, omniaque fœdè immutari, vt os ſiniſtræ auri propinquum efficeretur. Contigit igitur, vt cum honoratis viris quibuſdam comederet, qui cernentes eum ita conſtitutum viſi ſunt ei compati. Ipſe verò, Quidam, inquit, ex meo bando ſuadent, vt apomyriſmate S. Anaſtaſij partes affectas illiniam, & ſpondent omnino me curatum iri. Illi hæc audientes reuocabant eum tanquam nihili facientes Sanctum, ac dicebant vnus quidem: Non eſt Martyr melior S. Theodoro: hic verò S. Georgio: alter S. Mercurio, & quiſque illorum, vt fidem habebat. Quibus quodammodo aſſenſus negligentius valetudinem ſuam curabat. Verum ſequenti nocte dormiens, videt ſeipſum cum ijs qui illum a ſalubri conſilio abduxerant ſedentem, & quendam Anaſtaſium tunc militem factum adſtantem eis, fuſtem manibus tenentem, & confringentem capita eorum qui eum conati erant negligentiorem reddere. Vt verò tandem ad ipſum venit; cœpit ipſe eum obſecrare, & clamare: Ne per Deum Domine: Nihil mihi tecum. Dicit ei Sanctus: Et ego ſcio quod negligens factus es, & audiſti homines promptos ad carpendum. Ita ergo oblinens maxillam eius, & os Sanctus Martyr Dei, reſtituit ea in proprium ſitum per gratiam Chriſti. Miles quidam ex decimoquinto bando Illyricianorum extrema ex hepate perpetiens, quatuor annorum ſpatio, cum in multos medicos vitam ferè exhauſiſſet nihil profecerat. Audiens verò a ſeniore quodam eiuſdem ſecum bandi de S. Anaſtaſio, præbeo tibi apomyriſma, & conualeſces. Ille cum fide ſermonem ſuſcipiens apomyriſma poſcit, eoque accepto abit ad parachemadion ſuum, ſiue ſtationem hibernationi aſſignatam, atque intra quatuor menſes reuerſus eſt ſanus, gratias agens Deo, & S. Martyri. Cum igitur cuperet Frater ad illam adire a Deo cuſtoditam Vrbem cum Sanctis reliquijs, iterque faceret per Syriam, Ciliciam, Cappadociam, & reliquas prouincias, qualia, & quanta miracula patrata ſint ab hoc Sancto quis poterit ſimilis mei peccator explicare, atque vniuſcuiuſque gloriam digne referre? Ideo conſultò multa prætereo ne conſequenter ea

expli-

explicare contendens, inani multiloquio eadem iterare videar ijs qui animo incurioſi ſunt. Ex verò res hucuſque, & in poſterum lucidius ſplendent apud eos qui in ijs nati ſunt locis. Audiamus verò quod in regia Vrbe factum eſt portentum. Mulier quædam religioſa ex Monaſterio quod *Auguſtæ* dicitur, ſitumque eſt iuxta Ædem S. Thomæ, quæ *Apoſtolion* cognominatur cancrum habebat in mamilla, quem videntes medici dixerunt ei: Hoc malum hodie aut cras erumpet: poſtquam verò eruperit vſque ad cor penetrabit, & mortem afferet. Illa fatali ſententia a Medicis ſine ambagibus accepta, cœpit animo affligi, & amarè eiulare. Audiens verò ſtupenda Sancti miracula, quamque ſit erga omnes clemens, & benignus, & recta fide res eius complexa, habuit ſane, & ipſa corda penetrantem Deum, vtiliter ſibi per Sanctum dicentem: Confide filia fides tua te ſaluam fecit, vade in pace. Mittens igitur ad Monachum apomyriſma accepit, & mamillam in qua malum inerat illinens, ſanata eſt benigniſſimi Dei, & Sancti Martyris Anaſtaſij beneficio. Reuertens deinde Frater ex celeberrima illa Vrbe in Sanctam Dei noſtri Ciuitatem cum alijs quibuſdam peruenit Abydon. Nemo autem vectorum, ac neque nauclerus quidem norat eum reliquias in naui habere. Cum igitur Dominica die ad Vrbem appuliſſent egreſſi ſunt è naui, vt digni fierent venerandis, & ſanctis myſterijs, quorum participes effecti omnes denuo ad nauim redierunt. Solus nauclerus interea foris remanſit: Monachus verò ille reclinauit ſe in naui, & paulum dormiuit. Accidit vero Abydi Deo permittente Fratrem quendam ab immundo ſpiritu vexari, & cum paulum iſthic hærerent, & nauclerum operirentur exclamauit dæmon: Niſi venerint reliquiæ, quæ in naui ſunt creaturam hanc in mari demergam. His auditis nauclerus ad nauim accurrit, & puerum ſuum aduocans, Monachum excitat, & propoſito iureiurando interrogat an ſecum reliquias habeat. Illo viciſſim cauſam inquirente nauta ingenti quodam ſtudio: Surge inquit celeriter, vt hominem liberemus. Conſurgens ſanctas reliquias accepit, nauique egreſſus eſt: Intrante verò eo in templum apprehendens energumenus propriam veſtem, lacerauit eam a ſummo ad imum; & ſtetit nudus cruciatum perferens, & clamans: Faceſſe caniuore: Cur ad me venis? Olim meus eras, nunc verò contra me veniſti. Et ſubito veluti eiectus in ambonem euaſit, & ex candelis iſthic ſuſpenſis tres comminuit. Frater verò ille ingreſſus eſt ſub altare plorans, & gratias agens Deo, qui eum viſitarat per Sanctum Martyrem ſuum Anaſtaſium. Aduenit Monachus cum ſanctis reliquijs Aſcalonem, vbi mulier quædam filiam habebat ab immundo ſpiritu grauiter afflictam, & manentem cum cæteris dæmoniacis in ſacra Æde Dominæ noſtræ Deiparæ. Illa quotidie ſe affligens, & excrucians inaudit de miraculis S. Martyris ab alia quapiam muliere, & videns pium illum virum petijt ſibi apomyriſma, quod ille ei præbuit, & paulum ex neruo ſacræ dextræ Sancti Martyris. Illa verò neruum quidem ligauit ad collum puellæ, aporyſma verò ei præbuit, vt eo illineretur,

quæ ſacras reliquias ferens, & apomyriſmate illita ſimul atque ad *(hic euulſum erat folium vnum in M. S.)* & ægro animo eſſe. Audiens coniux, ſiſcitatur ex eo, quid habeat. Omnibus, inquit membris doleo, velut ſi me triginta viri fuſtibus cæderent. Circa horam verò matutini canonis cœpit circumagi, ſpumare, & vociferari. Primo mane mittit vxor eius ad fratrem Theophanis. Eius enim erat amicus. Venit ille, & vt eum vidit ita alteratum, propriamque linguam mordentem, ab vxore eius rogatus adfert Imaginem Sancti huius miraculorum patratoris, & ad caput eius collocat. Quieuit tum, manſitque immotus, & perturbationis expers ad duas horas. Rurſum ille Imaginem recipit, & domum abit. Extemplo vt miſer Sancti præſidio deſtitutus eſt, id cernens nequam ſpiritus, rurſum eum aggreditur, & corripiens pene ſuffocabat, conabaturque in terram eum deturbare ex ſublimi vbi erat. Tunc iterum mittens eius vxor ad domum Theophanis, rogauit vt ſumma celeritate ad ſe veniret, priuſquam aliquod illi infortunium a dæmone conſciſceretur. Ille verò conſurgens vna cum Monacho, ſumenſque Sancti reliquias, & Imaginem, abijt, & reperit eum furentem, minantemque è ſublimi præcipitaturum ſeipſum. Corripientes eum reclinant, & Imaginem, ac reliquias Sancti ad caput eius collocant. Et rurſum quieuit, & manſit immotus diebus quinque. Quocirca, & deſperatus eſt a multis medicis. At poſt diem quintum ſuſtulit oculos, cœpitque ſe inuiſentes agnoſcere, & rogauit, dicens: Per Deum Domini mei gratificamini mihi, & ſatisfacite Monachis iſtis. At hi ſciſcitantur, Quibus? Ille verò capite innuens, Illis, ait, qui inter vos ſtant: nam vnus illorum me fuſtibus cecidit, & manus meas fregit, vt eas mouere non poſſim; & niſi me alter adiuuiſſet, omninò me interfeciſſet. Dum hæc ille diceret, intellexerunt qui conuenerant illum ipſum eſſe S. Anaſtaſium, alterum verò de quo ſequenti miraculo agemus S. Abbatem Cyrum. Nam hoc Sanctos decet, vt ſe inuicem comitentur, non quod id ſuperfluum ſit, ſingulis enim gratia ex parte data eſt iuxta menſuram fidei, ſed vt nobis oſtendant indiuiſam charitatem, quam in Sanctos diſtribuere Sancti Spiritus gratia conſueuit. Manſerunt verò iſthic Sancti Martyris reliquiæ donec omnino ſanitati reſtitutus eſt infirmus. Deinde noctu Theophanis vxori apparet, hæcque edicit: Ego quod meum erat feci erga hominem illum: dic viro tuo vt eat, meque in locum meum reponat. Quod cum illa viro retuliſſet, àbiens ille Imaginem, ſacraſque reliquias ad domum ſuam reportauit. Atque ex ea hora omnino ſanus extitit vir ille, gratia, & benignitate Dei Optimi maximi, & patrocinio Martyrij.*]

Cætera, quod dolendum, aberant a M. S. Hæc verò licet aliquatenus prolixa omittere non licuit, quia Codex, vbi ſunt, rarius inuenitur, nec decent tanti Sancti magnalia ſilentio præterire, ſed potius ad deuotionem ipſius in animis fidelium augendam cooperari.

Ann.

Ann. Chriſt. 796. vſque ad 815. Leonis III. Rom. Pontif. 1. vſque ad 20. Imper. Oriental. Conſtantini, Irene, Nicephori, Michaelis, & Leonis Armeni, Imper. Occidental. Caroli Magni, & Ludouici.

1 PONTIFICATVS iſte Leonis Papæ Tertij plures, variaſque Imperatorum vices agnouit. Conſtantinus enim iuuenis Imperator Græcorum ab Irene matre tentus, & obcæcatus paulo poſt obijt, Imperij habenas matri relinquens. Quæ poſtea a Nicephoro deponitur, in exilium mittitur, & ibi moritur. Occiſo etiam Nicephoro, Michael Curopalates ſuccedit, & illi Leo Armenus. In Occidente autem Carolus Magnus Galliæ Rex coronatus Imperator, & per 13. annos Imperium tenens Ludouico filio ipſum relinquit. Leo etiam ipſe Summus Pontifex harum varietatum inſpector horribilia paſſus eſt a nepotibus Hadriani Pontificis, qui eum cum Clero, ac populo litanias maiores per Vrbem celebrantem ſacrilegè tenuerunt, crudeliter percuſſerunt, & oculis, ac lingua orbarunt: etſi diuinitus poſtea, SS. Apoſtolorum interceſſione viſum receperit, & lingua ipſi reſtituta fuerit. De his Baronius, & Sectatores poſt Anaſtaſium, Annales Græcorum, & Francorum, quæ dimittimus, vt ad propriora veniamus, & aliqua huius Papæ geſta nobis non extranea, referre poſſimus. Varij ſucceſſus.

2 Fuit hic Summus Pontifex Leo pijſſimus amator Monachorum, ac ſeruorum Dei; etenim, vt Anaſtaſius *in eius Vita* habet, *vbi inueniebat aliquem præcipuum Monachum, vel ſeruum Dei, in colloquijs diuinis, & oratione cum eo penitus vacare non ceſſabat.* In exemplum ſane Antiſtitum, & Prælatorum Eccleſiæ. Fuit quoque deuotiſſimus ampliator Eccleſiarum, & eorum, quæ ad cultum Dei in ipſis habendum ſpectant. Omiſſis autem quamplurimis huiuſcemodi donarijs ab eo exhibitis Vrbis Baſilicis, & Templis, de quibus fuſiſſimè idem Anaſtaſius, nos ea dumtaxat referemus, quæ noſtris Eccleſijs liberaliſſime contulit, eiuſdem Anaſtaſij verbis, & eo ordine, quo ab ipſo ſunt relata. *In titulo Beati Chryſogoni fecit veſtem in ſtauraci cum periclyſi de blatthin. In titulo Sanctorum Martini, & Siluestri veſtes de ſtauracin duas, e quibus vnam cum periclyſi de fundato, alias verò de blatthin. In Diaconia Dei Genitricis, quæ ponitur in Adriano* (id eſt Eccleſia Tranſpontina poſita iuxta Adriani molem) *fecit coronam ex argento penſantem libras quinque.* Deinde. *In titulo Beati Chryſogoni Martyris fecit coronam ex argento penſantem libras quinque.* Et infra: *In Monaſterio San-* De Leone Papa.

Eli Chryſogoni ſimiliter fecit Caniſtrum (intellige ex argento) *penſantem libras tres* , Erat porro hoc Monaſterium id , de quo diximus *ſub anno* 731. Item poſt alia: *Pari modo fecit in Diaconia Sanctorum Siluestri, & Martini, quæ ponitur iuxta Orſeam , coronam ex argento penſantem libras ſex , & vncias duas .* De Traſpontinæ Eccleſia iterum loquens ait: *Veſtem etiam in Diaconia iam dictæ Sanctæ Dei Genitricis poſita foris portam B. Petri Apoſtoli fecit , veſtem de Tyrio mirificè decoratam .*

De Carolo Magno.

3 Leonis porro Papæ pietatem maximè etiam iuuit Caroli Magni ab ipſo Imperatoris coronati Chriſtianitatis zelus , quo non ſolum meruit Imperatoriam dignitatem obtinere , victorias aduerſus hoſtes reportare , & Francicum Regnum valde multumque glorioſum reddere ; ſed , & prout in præcedentibus indicatum , ſanctæ Ciuitatis Ieroſolymorum, Sanctique Domini ſepulchri dominus effici , donatione Aaron Saracenorum Regis , qui hoc tempore ea poſſidebat ; & claues eiuſdem ſepulchri Dominici , loci Clauariæ , Ciuitatis , ac Montis Oliueti , cum Vexillis ad eum tranſmiſit , annuente tunc Ioanne Ieroſolymitano Patriarcha , & ea deferente Zacharia presbytero, quem ipſe Carolus ad loca ſancta Ieroſolymorum cum amplis eleemoſynis miſerat . .

Palæonydorus .

4 Hæc porrò , quæ ex Francorum Annalibus habentur paulo aliter a Palæonydoro noſtro libro ſecundo cap. decimo , ſic enarrantur . *Poſt hæc tempora, Machometanis maximam Eccleſiæ Chriſti partem auferentibus, ac in totalem fidei extinctionem, atque exterminium machinantibus, Conſtantinus Sextus totus catholicus ſeptem prælijs eoſdem de Hieruſalem expellens, præualere illis non valuit . Hinc quadam nocte vidit circa ſtratum ſuum Angelicum neſcio quem iuuenem ipſum excitantem. Qui dixit . Conſtantine, exaudiuit Dominus preces tuas . Mitte nunc , & ſume Carolum Magnum , Galliæ Regem , Dei Eccleſiæ propugnatorem, & res tuæ proſperè euenient . Igitur illico deſtinauit Ioannem Hieroſolymitanum Patriarcham , & Neapolitanum Epiſcopum Ioannem , Dauid Hieroſolymorum Archipresbyterum , & duos Hebræos Iſaac , & Samuelem ad Carolum legatos . Qui lectis legatorum litteris , fuſis lachrymis , cum vniuerſa ſua potentia profectus eſt. Cum autem plurima loca bellico labore in Terra Sancta cepiſſet , Aaron Rex Perſarum , atque Saracenorum timens aduentum Caroli in Terram ſuam , miſſis eidem corporibus Sancti Cypriani , & Spirati , capite quoque Sancti Pantaleonis , & pluribus alijs Reliquijs , Ciuitatem Hieruſalem cum tota Terra Sancta illi tradidit . Inde fugatis Paganis , cum Carolus ad Galliam redire diſponeret , voluit Conſtantinus eum remunerare muneribus , ſed ipſo Carolo renuente , obtulit illi plures Reliquias ſacras , Coronam Domini ſpineam , vnum Clauum Dominicum , Fruſtum Crucis Domini , & Brachium Sancti Simeonis, Sudarium Domini Ieſu, Camiſeam Virginis Mariæ . Sicque ad patriam reuerſus eſt . Hinc (teſte Cyrillo Presbytero) cœpit in Monte Carmeli, & alijs locis Terræ Sanctæ noſtra Religio iterum ampliari . Enimuero ex tunc , ex Occidente Peregrini mundo renunciantes , pro contemplatione cæleſtium ,*

leſtium, cum lætitia, & gratiarum actione, eorundem ſe Fratrum contubernio tradiderunt. Hæc Palæonydorus, etſi quoad aliqua moderanda, vt ex dicendis liqueſcet.

5 Id etiam quod ſuperius ex Francorum Annalibus retulimus, de eleemoſynis a Carolo Magno Terræ Sanctæ incolis Chriſtianis elargitis cohæret valde cum ijs quæ ad noſtræ hiſtoriæ ſeriem valde opportuna teſtatur exterus Author Iulianus Perez, ſeu Petri, Hiſtoricus Hiſpanicus, Toletanus, & Archipresbyter S. Iuſtæ in Tractatu, cui titulus *Aduerſaria nu.* 264. vbi ſic: *Ferunt paulo poſt annum* 779. *Carolum Magnum ad Terram Sanctam a barbaris oppreſſam aſſerendam, cum exercitu traieciſſe, & eum ſecutum fuiſſe Geneſium Abbatem Corberenſem, qui nimis fauit Ieroſolymis fratribus Carmelitanis miſerabiliter oppreſſis, & eius cauſa multi viri militares, relicto militiæ cingulo, vitam illam ſecuti ſunt.* Ex quo ea hauſit Michael Muñozius noſter *in Propugnaculo Eliæ lib.* 2. *tit.* 3. *c.* 1. *art.* 2. *nu.* 5. Exponenda tamen. Illud enim *traiecit cum exercitu*, non de exercitu, quo Ieroſolymam peruenerit, accipiendum, prout vulgaris opinio fert, dicentium eum armis Terram Sanctam occupaſſe: eam etenim & ipſi Francorum hiſtorici auerſantur vt falſam: ſolum ergo id intelligendum de exercitu copioſo, quem Carolus ducebat in Italiam; qui Aaronem Saracenum Syriæ Principem cogere potuit ad deditionem S. Ciuitatis. Deinde illud, *qui nimis fauit Ieroſolymis fratribus Carmelitanis miſerabiliter oppreſſis*, ad ipſum Carolum videtur referendum; ſiquidem, prout ex Francorum hiſtorijs hauſimus, ipſe, vt pote pius, & deuotus, amplas eleemoſynas Ieroſolymis diſtribuendas miſit. Id denique: *Et eius cauſa multi viri militares, relicto militiæ cingulo, vitam illam ſecuti ſunt*, proculdubio conuincunt Ordinis propagationem hoc tempore factam.

De eleemoſynis Caroli Magni in Terram Sanct.

6 Deinde circa Ioannem illum Ieroſolymitanum Patriarcham ſupra commemoratum, quem, prout in ſuperioribus vidimus, e ſua Sede eiectum a Saracenis, Conſtantinus Imperator Conſtantinopoli excepit; & quo annuente, Aaron Saracenorum Rex, claues, & vexilla Sancti Sepulchri, & S. Ciuitatis ad Carolum miſit; qui etiam ab Honufrio, & Genebrardo inter Ieroſolymitanos Antiſtites numeratur, annotanda ea quæ grauiſſimus Abbas Ioannes Trithemius *in libro* 2. *de Vir. Illuſtr. Ordin. Carmelitarum*, qui adiunctus eſt alteri *de laudibus Carmelitarum* nuncupato, per hæc verba ſcripſit. *Beatus Ioannes Ieroſolymitanus Eccleſiæ, poſt B. Iacobum Patriarcha quartus, & quadrageſimus, primus in Ordine narrationis noſtræ collocandus accedit. Erat enim vir conuerſationis integræ, atque ſanctiſſimæ, qui viuus, & mortuus infinitis fertur claruiſſe miraculis. Hunc Adrianus Papa I. propter eximiam doctrinam, & vitæ excellentiam de Monaſterio Montis Carmeli ſuſtulit, & in Patriarcham præfatæ Vrbis ſublimauit. Qui cum in ſcripturis diuinis eſſet peritiſſimus, nonnulla præclara Syntagmata edit, quibus ingenium ſuum poſteris declarauit. De*

De Ioanne Ieroſolymit.

quibus extat volumen inſigne de Principio, & Profectu Ordinis Carmelitici lib. 1. Scripſit etiam quaſdam ad fratres epiſtolas exhortatorias, & quædam alia. Claruit temporibus Adriani Papæ I. anno Domini Maximi Ieſu Christi ſeptingenteſimo ſeptuageſimo. Quibus ſimilia fermè Petrus Lucius Belga *in Bibliotheca Carmelitana* protulit, & notarunt Antonius Poſſeuinus *in Apparatu verbo, Ioannes*, & Ægidius Camartus *de Rebus geſtis Eliæ Prophetæ cap. 3. ſect. 13.* Quibus Trithemius, & Lucius exiſtimare viſi ſunt, prout aliqui putant, hunc Ioannem Ieroſolymitanum Antiſtitem fuiſſe illum, qui author fuit libri *de Inſtitutione Monachorum*, quem in principio huius tertij Tomi tranſcripſimus, & de ipſo, eiuſque authore plura diſcuſſimus. In quo certè deceptos fuiſſe ea quæ ibi adduximus, maximeque *tom. 1. in Apparatu cap. 9.* manifeſtè conuincunt. Quod enim Ioannes iſte dicatur a Trithemio ſcripſiſſe volumen *de Principio, & Profectu Ordinis Carmelitici* non arguit hunc librum eum eſſe, quem *de Inſtitutione primorum Monachorum* a Ioanne illo antiquiori, Diuo Hieronymo, & Epiphanio coæuo, compoſitum fuiſſe oſtendimus, vt vel ipſa tituli diuerſitas indigitat. In re ergo vſque modo incomperta, de iſto neotherico Ioanne ab Adriano Papa *propter eximiam doctrinam, & vitæ excellentiam de Monaſterio Montis Carmeli* ſublato, & in Patriarcham Ieroſolymitanæ Eccleſiæ ſublimato, prout Trithemius ſcribit, ipſi credere libet dum clariora non illuceſcant. Et hunc Ioannem noſtris annumerandum fore.

Conuentus Senenſis.

7 Ad hoc tempus, annum videlicet 797. refertur, etſi non prima erectio Conuentus, ſeu Eremitorij noſtri Ordinis in inſigni Ciuitate Senarum, quia ea contigit circa ann. 707. vt eo tempore diximus, ſaltem ſecunda, vel poſterior. Etenim in hiſtorijs eiuſdem Vrbis Pyrrhi Landucci, & Orlandi Malauoltis, ac in manuſcripto antiquiſſimo in idiomate Etruſco, & Senenſi antiquo cuiuſdam viri nobilis Domus Biringuccæ, ſeu Vannocciæ ſic legitur: *In detto anno 797. tornaro tutti li Frati di S. Maria di Monte Carmelo alla Chieſa di S. Nicolò la prima volta, e per vn tempo vi ſtero li Romiti, e poi vi tornaro li predetti Frati; di poi è diuolgato de Mantellini per i mantellini de i fanciulli botati alla Verg. Maria, ch'era dipiuta nella faccia di fuora doue pendeuano i mantellini de i voti ſopradetti.* Hæc vero referunt Petrus Lucius *in Compend. hiſtor. cap. 11.* Didacus Coria *in Chronic. Carmelitar. lib. 1. cap. 25.* Michael Muñozius *in Propugnacul. Eliæ lib. 2. tit. 3. cap. 1. ar. 2.* Fr. Gregorius Nazianzenus in libro Gallico, cui titulus *l'Adoption des enfans de la Vierge par. 1. cap. 35.* Subiungens etiam ex eodem authore, & manuſcripto: *Anno 802. In queſto tempo venne a Siena vn mandato da Roma de' Nobili di Carlo Magno a loro conforti, e già Cittadini di Siena a ſignificar come Carlo Magno era incoronato Imperatore, e Carlo ſuo figliuolo Rè di Francia. Per la qual coſa tutti i Nobili, e Cittadini de origine Franciosi ferno vn conſiglio nella Chieſa di S. Nicolò; hora del Carmine, &c.* Extat de his authenticum Inſtrumentum a Pamphilio

lio de Brochiardis notario Apoſtolico, & Imperiali confectum ad inſtantiam Magiſtri Ioannis Caſſardi de Seſis eius Conuentus Prioris, ac poſtea Ordinis Generalis ſub anno 1573. munitum, ac roboratum in Archiuio Tranſpontinæ ſeruatum. Simile aliud Inſtrumentum in Archiuio eiuſdem Conuentus Senenſis reperitur, quod e Senis Romam delatum vidimus, in quo etiam memoria hæc ex antiqua hiſtoria extracta per R. P. Dominicum Gulielmum Dominicanum apparet: *Nell'anno 801. li Reuerendi Padri, e Frati Carmelitani hebbero la Chieſa di S. Nicolò, hoggi S. Maria del Carmine, che prima l'habitauano Eremiti.* Indicatur etiam hæc vetuſtas Senenſis Monaſterij ab Orlando Mauoltis *in Hiſtor. Senenſ.* typis edita *lib. 4. fol. 165.* vbi de Carmelitanis noſtris inquit: *Quali hanno tenuta lungamente in Siena la Chieſa loro aſſai antica, come ſi vede per gli annali di quella Città, nel Conuento de' quali fecero i Seneſi fino l'anno 1177. canare vn pozzo profondiſſimo.* De hoc autem Tomo ſequenti ad annum 1177. dicetur.

8 Quia verò curioſius quiſpiam Inſtrumentum, quod dixi ſeruari in Archiuio Tranſpontinæ, videre cupiet, illud ad verbum hic appoſuimus, quod talis eſt tenoris: [In Dei nomine, amen. Anno ſalutis noſtræ ab Incarnatione milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio, Indictione ſecunda, ſtylo Senenſi, die verò decima octaua menſis Decembris, tempore Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. Gregorij XIII. Summi Pontificis, regnanteque glorioſo Principe D. Maximiliano II. Romanorum Imperatore, necnon Sereniſſimo D. Coſmo Medices Magno Duce Etruriæ dominante, vt Senis publice fertur, per hoc publicum documentum omnibus manifeſtum appareat, qualiter requiſitus ego Notarius publicus infraſcriptus tanquam perſona publica, authentica, legalis, & fide digna, ac in officio publico conſtituta ad inſtantiam, & pro parte admodum R. P. M. Ioannis Baptiſtæ de Caſardis Senenſis S. T. Profeſſoris, Prioris ad præſens Venerabilis Eccleſiæ S. Mariæ de Monte Carmelo in Ciuitate Senarum vice, & nomine dictæ ſuæ Eccleſiæ, & Religionis, vt ad æternam rei memoriam, & pro veritatis dilucidatione fideliter exararem, ac exemplarem quaſdam Chronicas, & antiquas memorias ex quibuſdam antiquis Chronicarum libris & Codicibus, qui reperiuntur in Ciuitate Senarum penes, & in manibus Magnificorum Virorum D. Franciſci de Thomaſijs, D. Orlandi de Malauoltis, D. Alexandri de Biringuccijs, & D. Pyrrhi de Landuccis nobilium Ciuium Senenſium, collectorum per ſe, & eorum antenatos Chronicarum, & rerum memoratu dignarum Almæ Ciuitatis Senarum; Volens ſatisfacere dicti Magiſtri Ioannis Baptiſtæ Prioris prædicti iuſtæ petitioni, & voluntati, vt fas eſt, ex dictis, & infraſcriptis libris autenticis, & fide dignis, & pro talibus communiter habitis, tentis, & reputatis publica voce, & fama palam & aperte ab omnibus in dicta Ciuitate Senarum exemplaui, ſumpſi, & exaraui infraſcriptas Chronicas, & anti-

Inſtrumentũ fundationis Conuentus Senenſis.

antiqua monumenta de verbo ad verbum nil addendo, vel diminuendo ex dictis, & infraſcriptis libris, vt infra deſignatis, & notatis vulgari ſermone prout iacent, videlicet: Del libro di Chroniche di M. Pirro Landucci di grandezza di foglio con coperta di cuoio roſſo, quale comincia. Eſſendo vtile, e piacere li eſempli delle buone memorie de gli antichi, maſſime della ſua patria, per queſto trattaremo, e per più per li Seneſi incominciando da primi fondatori di Caſteluecchio, e finiſce detto libro l'anno 1647. a di 24. di Giugno venne il Conte Carlo da Montone, furono cauate l'infraſcritte parole in folio 12. del detto libro; Cronica Seneſe copiata per Patritio Patritij. In detto anno del 797. tornaro tutti li Frati di S. Maria di Monte Carmelo alla Chieſa di S. Nicolò la prima volta, e per vn tempo vi ſtero li Romiti, e poi vi tornaro li predetti Frati, di poi è diuulgato de' Mantellini, e per li mantellini de' fanciulli buttati alla Vergine Maria, ch'era dipinta nella faccia di fuore. Nel predetto anno giunſe Carlo Magno a Roma, e purificò la mala fama, che gli era ſtata poſta dal Papa a torto. Il medeſimo circa la præſente Cronica di parola in parola appariſce in vn libro di Chroniche di quarto foglio del ſopradetto M. Aleſſandro Biringucci Chronichiſta in fogl. 18. Del libro del ſopradetto M. Franceſco Thommaſi Chronichiſta antico in quarto foglio, con tauole di legno, ſcritto di lettera, e carattere antichiſsimo quale comincia come di baſſo. Deus adſit: Anno primo Vrbis conditæ iam Ciuitatis ambitu a duobus indomitis tauris vomere deſignato Remus germanus, Romuli, &c. e finiſce a fol. 181. con l'infraſcritte parole. Piſa fu riconciliata da Papa Aleſſandro, e per queſto li Piſani fero lo Spedale nuouo di ſtagno, e fu dato alle donne d'Ogni Santi di Piſa: appare in detto libro in foglio 137. l'infraſcritta Cronica. Cronica di Giouanni Biſdomini a ſuo tempo nel 1055. nel 1177. in fol. 139. I Frati di S. Maria di Monte Carmelo in Siena hauendo diſagio, e mancamento d'acqua, & hauendo notitia della vena di Diana ſotto Caſteluecchio, la quale rigaua ſotto terra per il loro orto, & haueua vſcita in Treſſa, deliberorno fare vn pozzo per la detta acqua: onde ſcauorno a canto al loro orto circa 80. braccia, e non trouando acqua di vena, ſaluo che alle 60. braccia trouorono terra acquidoſa in poco luogo verſo la via di Maremma: Onde ferno vn ponte al pari di detta terra acquidoſa, & intrauerſo ſcauorno a modo di vn buttino circa a braccia ſei; e trouarono vn ramo piccolo di detta vena, onde entraua in detto pozzo, & era già tramonto il ſole, e laſciaro l'opera, e partironſi. La mattina ritornando li maeſtri all'opra, trouorono l'acqua eſſere abbondata ſopra il ponte di detto pozzo: onde poi di detta vena ſi dè l'acqua alla Trinità, e poi ſi dè l'acqua ad vna fonte a piè le poſſeſsioni di detti Frati al ſeruitio de' lauoratori. La medeſima Cronica appariſce ancora ſotto l'anno 1177. nel libro delle Croniche del ſopradetto M. Pirro Landucci nel ſuo antedetto libro di Chroniche in fol. 2. & ancora la medeſima Cronica

ca appariſce nel libro delle Chroniche del detto M. Aleſſandro Biringucci ſotto detto anno 1177. in fol. 40. E ſimilmente di M. Orlando Malauolti nel ſuo libro di Chroniche ſotto detto anno 1177. in fol. 30. Etquia ego Pamphilus de Bocciardis de Senis publicus ſacris Apoſtolica, & Imperiali auctoritatibus, & in Archiuio Romanæ Curiæ notarius deſcriptus, Iudexque Ordinarius, & ciuis Senenſis ſupradictas Chronicas, & monumenta antiqua, vt ſupra iacent, ex dictis libris reſpectiuè fideliter extraxi, & exemplaui, requiſitus, & rogatus vt ſupra; ideo in fidem, ac robur veritatis ad perpetuam memoriam hoc publicum inſtrumentum confeci, quod ad cautelam manu propria ſcripſi, ſubſcripſi, ſignaui, & publicaui, ad laudem, & gloriam Indiuiduæ Trinitatis.] Locus. ✠ Signi. Adduntur poſtea teſtificationes aliæ pro robore dicti Inſtrumenti, in eodem Archiuio Tranſpontinæ reſeruatæ.

9 Extat præterea in eodem Senenſi Cœnobio donatio quædam Religioſis viris illius per Carolum Magnum pijſſimum Occidentis Imperatorem, de qua etiam Didacus Coria *ſupra*. Apud quem etiam de caſu relato a Baptiſta Mantuano in *lib. de Vita Beata*, vbi de quodam Ordinis noſtri eximio Profeſſore. Sed Religioſus iſte poſterior valde hoc tempore Leonis III. & Caroli Magni fuit; Thomas autem Rhedonenſis dicebatur; cuius hiſtoria noſtrum calamum, non in hoc Tomo Annalium, ſed alio ex ſequentibus ſollicitat. Errauit etiam in hoc Caſanate noſter, prout ſub anno 707. ſcriptum reliquimus. Donatio Caroli Magni.

10. Cum autem Piſana egregia Ciuitas non longe abſit a Senis, & Florentia, vbi noſtri Eremitæ hoc tempore recepti erant, proculdubio credibile valde eſt, etiam Piſis Cœnobium habuiſſe prope illud Ordinem noſtrum. Prout ex memoria in quodam ſepulchro in Clauſtro eius Cœnobij elicitur, qua dicitur ibi iacere quendam deuotum Beatæ Virginis, qui anno Chriſti 800. ex hac vita ceſſerat. Eam habet Coria *ſupra*, & refertur a Nazianzeno relato. Conuentus Piſanus.

11 Vel leuiter etiam pro hiſtoriæ complemento hic iungere liceat, occaſione accepta ex eo quod Flauius Stauratius Imperator Orientis a patre Nicephoro Logotheta nominatus, Monachalem habitum, Imperio depoſito, induerit hoc tempore; nullatenus conſtare de Inſtituto Monaſtico, quod aſſumpſit. Vnde P. Vvion *in lign. Vitæ lib. 4. cap. 2.* dubitat an inter Baſilianos, aut Benedictinos recenſeri debeat, non animaduertens vir doctus, quod in partibus illis Orientis præter S. Baſilij Monaſticen alia extabat vetuſtior ab Elia, Prophetis, Eſſenis, & Monachis Ægypti, & Palæſtinæ originem trahens, quam noſtro Prophetico Inſtituto adiungendam plura ex dictis, & dicendis *To. 2. & iſto 3.* Annal. demonſtrant. Iure ergo, & nos dubitare poſſumus an potius noſtri antiquioris Ordinis, quam Baſiliani recentioris, multo minus Benedictini in illis partibus vix cogniti, etſi in Occidentalibus diffuſiſſimi, & celeberrimi habitum & Inſtitutum hic Imperator aſſumpſerit. Quod etiam Imperatores, & Imperatrices Monaſticam profitentes.

exiſti-

exiſtimandũ, ex parte, de alijs Imperatoribus, & Imperatricibus, eorumq; filijs, & filiabus ab eodem Vvione commemoratis Monaſtici quoq; Ordinis Inſtitutum profitentibus. Quales ſunt Bardanes Turcus appellatus circa annum 802. Flauius Michael Rangaues circa annum 813. Flauius Theophylactus circa idem tempus: Romanus Lecapenus circa annum 947. Michael Paphlago circa annum 1041. Michael Calaphates circa idem tempus. Alios poſteriores omittimus, quia de ipſis facilius credi poteſt, Monaſticum Inſtitutum, quod aſſumpſerant, Benedictinum fuiſſe; illis temporibus amplius propagatum in Palæſtina etiam, & Terra Sancta. Ex Imperatricibus Orientalibus Conſtantina Mauritij Imperatoris vxor circa annum 605. Maria Conſtantini Septimi vxor circa 784. Euphroſyna Conſtantini vxor propè annum 830. Eirenes Leonis Quarti vxor propè annum 802. Theodora Leonis Quinti circa 820. Theodora Theophyli circa 854. Zoes Leonis circa 922. Helena Auguſta circiter 962. Theophana Romani propè annum 971. Zoes Michaelis ante annum 1054. Theodora Auguſta circa annum 1029. Æcaterina Auguſta circa annum 1059. Eudoxia Auguſta propè annum 1071. Et Maria Alana circa 1081. Horum fides apud Vvionem maneat, ex quo illa hauſimus. Pro filijs autem, & filiabus Imperatorum legatur ipſe Vvion dicto *lib.* 4. *cap.* 21. 22. & 23.

Ann. Chriſt. 816. vſque ad 823. Paſchalis Rom. Pontif. 1. vſque ad 7. Imper. Orient. Leon. Armen. 4. vſque ad 7. & Michael. Balbi 1. vſque ad 3. Imper. Occident. Ludouici 3. vſque ad 10.

Horum annorum caſus.

1 HIS annis præter ſeptem menſes, quibus Stephanus Quintus Pontificatum geſſit, reliquo tempore Paſchalis Papa Eccleſiæ gubernacula tenuit, ex Presbytero, & Monaſterij S. Stephani Præfecto Summus Pontifex creatus. Sic enim ex Anaſtaſio Bibliothecario hauriunt moderniores Annaliſtæ. Leo Armenus Imperator Orientis a fautoribus Michaelis Ducis, cognomento Balbi, interfectus, eidem Michaeli locum Imperatorium reliquit, qui etſi æquiore in principio erga Orthodoxos appareret, poſt tamen impijſſimus Copronymi æmulator viſus eſt. Zonaras, Cedrenus, & Græcorum Annales.

Paſchalis Papa cuius Inſtituti Monachus.

2 Fatentur Scriptores Paſchalem hunc Summum Pontificem non ſolum Monachorum ſtudioſum, eorumque Præfectum, ſed ex Monachis aſſumptum fuiſſe. Si tamen cuius Inſtituti Monachus fuerit quæratur, reſpondet Ciacconius Benedictini fuiſſe. Vulgari ſanè fundamento, quo

Mona-

Monachi cuncti, qui poſt D. Benedictum Occidentis partes illuſtrarunt ipſius Inſtituto adſcribuntur, quod & Vvionus, diligens aliàs author, imitatus eſt *in ligno Vitæ lib.* 2. *cap.* 1. Accuratius tamen Abbas Trithemius diligens, & ſtudioſus pro ſui Ordinis Prælatis, & Pontificibus recenſendis *in lib.* 4. *de Vir. illuſtr. ſui Ordin.* qui ad Summum Pontificatum euecti fuerunt, nullam prorſus de hoc Paſchali Summo Pontifice memoriam agit. Genebrardus quoque, & alij, etſi Monachum eum appellent, cuius porrò Monachatus fuerit profeſſor, ſilentio celant. Gabriel etiam Pennotus *lib.* 3. *hiſtor. Canonic. Regular. cap.* 52. ex eo ſolum hunc Paſchalem Canonicorum Regularium Inſtituto aſcribit, quod ex Anaſtaſio in Patriarchio Lateranenſi a pueritia diuino cultui mancipatus fuerit. Quod fundamentum firmum non eſt. Locus igitur datur, vt ipſum ex Orientalibus Monachis vnum prudenter credamus. Eo etiam, quod ex Anaſtaſio in ipſius Vita habetur, conſtruxiſſe Cœnobium Græcis Monachis: quo indigitatur illorum ſectatum fuiſſe profeſſionem. Anaſtaſius ſic: *Conſtruxit in eodem loco a fundamentis Cœnobium, quod & nomine S. Praxedis Virginis titulauit. In quo, & Sanctam Græcorum Congregationem aggregans, quæ diu, noctuque Græcæ modulationis Pſalmodiæ laudes Omnipotenti Deo, Sanctiſque illius ibidem quieſcentibus, ſedulo perſolueret, introduxit.* Subiungit & poſtea plurima dona, prædia, poſſeſſiones, & loca Vrbana, & ruſtica, huic Congregationi conceſſa: quo etiam indicari poteſt velut propriam eam amplexatum fuiſſe. Alia ad intentum damus *ad ann.* 757. ſub Paulo I. Papa.

3 Porro antequam ad alia pergamus, vt erroris anſa tollatur, animaduertendus lector, hunc Stephanum Papam Quintum, qui inter Leonem, & Paſchalem ſolum ſeptem menſibus Pontificatum geſſit, non fuiſſe eum Stephanum Quintum dictum, qui, prout referunt Sixtus IV. & Gregorius XIII. in ſuis Diplomatibus Carmelitarum Eccleſias viſitantibus, ſeu domos fractas Ordinis reficientibus, vel pro Eccleſiarum fabricis munera dantibus, indulgentiam conceſſit tertiæ partis peccatorum remiſſionis. Qui enim hanc Indulgentiam conceſſit Stephanus Sextus fuit, *Quintus* vulgo appellatus, vt oſtendemus tempore Pontificatus ipſius *ſub ann.* 885. propter fundamenta ibi afferenda. Quis fuerit Papa Stephanus.

4 Clari erant ſub hoc tempore duo Lauræ, ſeu Monaſterij Sanctæ Sabæ, antiqui Ordinis Cœnobij (vt pote Carithonem illarum Laurarum authorem, ante Antonium, & Baſilium Monachorum Patres pro primo Inſtitutore agnoſcentis) egregij Profeſſores, Theodorus, & Theophanes germani fratres: qui ab Antiſtite Ieroſolymitano Conſtantinopolim miſſi fuerant pro Orthodoxæ fidei defenſione contra flagitioſiſſimos Iconomachos hoc æuo Eccleſiam infeſtantes. Hi multa primum paſſi a Saracenis, qui loca illa, ipſorumque Monachos ſub duro tyrannidis iugo obtinebant, maiora certamina Conſtantinopoli ſubierunt. Eò namque cum acceſsiſſent, Theodorus acriter reprehendit tum Theodotum Theodorus & Theophanes.

dotum Pſeudo-patriarcham, tum Imperatorem, eum exhortans, vt ad veritatem ſectandam reuerteretur, mira libertate, & virtute in dicendo vſus. Propterea Leo ipſe iterum cum ipſo familiariter loquens, pluraque ab ipſo interrogans, ad ſuum potius errorem trahere tentans; cum inexpugnabilem cerneret, ira accenſus, ſimul cum Theophane ipſius fratre crudeliter flagellari iuſsit, & poſtea in Pontum relegari, nullo ipſis humano ſubſidio a quoquam permiſſo, quin acriter interdicto. Hæc ex eius temporis authore, qui amborum pugnas eſt proſecutus, habent Baroniani Codices. Aliqua etiam de illis Vvion *in Martyrolog. Monaſt.* 27. *Decemb.* credens hoc S. Sabæ Monaſterium D. Benedicti Ordini ceſſiſſe, quod nullo aut leui fundamento dicitur.

Theodorus Studita. 5 Alter etiam Theodorus Studita, de quo *ſub an.* 772. dici cœptum, Monachus quoque clariſsimus, viriliter etiam decertabat pro Sacrarum Imaginum cultu. Leoni Imperatori reſiſtens, virgis cædi iuſſus; durioribus alijs mancipatus; carceres, & ærumnas paſſus; in Sanctorum Monachorum exemplum, quibus vſque ad vitæ vltimum halitum pro Chriſto paſsiones ſubire glorioſum ſemper fuit, ac erit. Hæc pluribus Michael in ipſius Vita, & ipſe Theodorus varijs, & furtim ſcriptis litteris, quæ extant. In quibus etiam habetur ad fidem reduxiſſe eremitam quendam nomine Theoctiſtum, qui aſſerebat Beatiſsimam Virginem non ex viro, & fœmina genitam fuiſſe, ſed ante ſecula extitiſſe: Chriſtum Dominum non fuiſſe crucifixum: dæmones poſt Iudicium ſaluandos fore, ac futurum vnum ouile, & vnum paſtorem: Monachum vnum poſſe a pœnis inferni eruere centum quinquaginta damnatos: ac denique recipiendum eſſe librum quendam Antonij dictum, in quo eſſent multa impia, & blaſphema. Porro hunc a Theodoro ſæpius admonitum, ſuos tandem pœnitentem abiuraſſe errores liquet ex ipſius Theodori ad eundem reddita epiſtola. (Theoctiſtus.)

Status Monachorum Terræ Sanctæ. 6 Status porrò noſtrorum Monachorum in Terra Sancta hoc tempore commorantium quamuis fœlicitatem magnam promittere poterat ob ſanctæ Vrbis, & aliorum locorum deditionem ab Aaron Rege in manibus Caroli Magni factam, adeo vt tunc prout Arnoldus noſter *lib.* 5. *ſuæ hiſtor. cap.* 85. *Tempus miſerendi eius venerat: illis namque diebus Religio Chriſtiana ſatis in Terræ Sanctæ prouincia iterum extitit ſublimata: nam Monaſteria fratrum B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli pluribus in locis rurſum ab eiſdem fratribus inhabitantur: Eccleſiæ etiam, & Baſilicæ Sanctorum magnificis expenſis a Chriſtianis reſtaurantur. Tunc Monachi noſtræ prædictæ Religionis hymnos Deo canebant, & in cordibus ipſum quotidie benedicebant: ſed hæc lætitia, proh dolor, breui tempore finem habuit, quia paucis diebus, ſeu annis poſt mortem Caroli Magni tranſactis, iterum fides Chriſtiana ibidem ab infidelibus penè fuit extincta. Nam anno Domini* 815. *obijt idem Carolus Magnus anno Regni ſui ſimul cum Imperio* 47. *Deinde paucis annis elapſis mala rurſus in Terra Sancta multiplicantur. Saraceni*

enim

enim eam recuperantes iterato capiunt, & fidem pro poſſe extinguunt. Tunc fratres, ſeu Monachi Carmelitæ in Monte, & cæteris eiuſdem Prouinciæ locis vehementer ſunt attenuati, contempti, & pauci facti, propter penuriam Chriſtianorum, ſuccurſu omnino priuati, & infidelium ſuſtinentes violentiam aſſidua eorum debacchatione fatigati ſunt, & multi eorum Martyres effecti in Cælo laureati ſunt: & alij qui euadere poterant, licet confeſſores actu, Martyres tamen afflictione plurima patientes temporum diuturnitate perimebantur. Sicque continuis doloribus Religioſi Terræ Sanctæ per annos quaſi trecentos conſtantiſſime in ſancti propoſiti perdurabant continuatione vſque ad tempora videlicet Godefridi Ducis Bulionenſis, qui Ieruſalem de manibus infidelium capiens, eius Rex effectus eſt, ſicut in ſequenti libro latius declaratur. Interea Monachi noſtræ Religionis, quamuis pauci, tamen probatiſſimi erant in omni patientia, & tribulatione proficientes.

7 Concinit vt ſolet ſuo Boſtio Palæonydorus *lib.* 2. *cap.* 10. vbi poſt alia, quæ in præcedentibus adduximus, ſubiungit: *Hinc (teſte Cyrillo Presbytero) cœpit in Monte Carmeli, & alijs locis Terræ Sanctæ noſtra Religio iterum ampliari. Enimuero ex tunc ex Occidente peregrini mundo renunciantes pro contemplatione cœleſtium cum lætitia, & gratiarum actione eorundem ſe fratrum contubernio tradiderunt. Verum hæc lætitia, proh dolor! breui tempore finem habuit. Mortuo enim Carolo anno Domini* 815. *rurſus Terra Sancta poſt pauca tempora deuaſtata fuit. Et dum Carmelitæ cum cæteris Chriſtianis eſſent vehementer afflicti, & attenuati annis non paucis plures ex eis martyrio coronati ſunt.* Ex Palæonydoro.

Ann. Chriſt. 824. vſque ad 826. Eugenij II. Roman. Pontif. 1. vſque ad 3. Michaelis Balbi Imper. Orient. 4. vſque ad 7. Ludouici Imp. Occid. 11. vſque ad 13.

1 POST tranſitum Paſchalis Romani Pontificis Sedem obtinuit tribus his annis Eugenius II. doctrina, virtutibus, ac pietate clariſſimus: contra quem ſchiſma cuiuſdam a magna parte populi electi inſurrexiſſe Francorum teſtantur Annales: ita vt pro ipſo componendo Ludouicus Imperator filium ſuum Lotharium, & in Imperio Collegam Romam miſerit. Schiſmate ergo ſedato, prope Pariſios Collatio quædam potius quàm Synodus congregatur ex ſelectis viris eruditis, qui tamen erraſſe viſi ſunt circa res fidei, dum ſacras Imagines in Eccleſijs ad inſtructionem potius fidelium, quàm ad earum cultum poſitæ eſſent exiſtimarint. Hæc ex antiquioribus moderni Chronologi. Geſta huius temporis.

2 Ex hac vita ad cæleſtem tranſijt hoc tempore magnus ille Theodorus Studita ſæpius nominatus, confeſſione crebrius iterata clariſſimus, Theodorus Studita.

doctrina inſignis, vita admirabilis, & miraculis celeberrimus: condito prius egregio teſtamento, quo fidem ſuam Catholicam, & odium in hæreticos omnibus patefieri voluit. Subijcienſque ibidem profeſſionem eorum, quæ ab eius temporis hæreticis impugnabantur, inter alia de Monaſtico Inſtituto ait, *Confiteor inſuper Monaſticum ſtatum ſublimem eſſe, & excelſum, & Angelicum, qui & peccata omnia expurget abſolutæ vitæ perfectione*. Demumque ſanctiſſima addens monita ad ſuum ſucceſſorem, & alios Monachos, cum perueniret ad illa Pſal. 118. *In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me*, ſpiritum Deo reddidit. Cuius ſacrum corpus poſt aliquot annos Conſtantinopolim ad Monaſterium *Studij* cognominatum, ingenti applauſu tranſlatum eſt. De quibus Michael Studita in Vita ipſius Theodori. Ea autem quæ de Monaſtici ſtatus ſublimitate eximius iſte vir mundo propalari fecit, præſertim quantum ad expurgationem peccatorum per eum tributam, cuius de cauſa *Secundus baptiſmus* appellatur, ex Patribus, Doctoribus, diuiniſque reuelationibus teſtata reliquimus *tomo præcedenti ad annum* 319. *num.* 4. *&* 5.

Iannicius Eremita.

3 Viuebat hoc tempore inſignis alius Eremicola Ioannes nomine, Iannicius cognominatus, a pueritia vere Eliadum Eremicolarum æmulator, etſi quo ſpeciali inſtituto id egerit incompertum ſit. Ipſius ſanctitas valde commendatur ex meritis, & miraculis, ac familiaritate quam cũ Theodoro relato; prout ex huius ad ipſum epiſtolis benigniſsimis elicitur. Inſuper ex eo quod fortiſsimus propugnator Orthodoxæ fidei extiterit. Maximè quòd cum audiſſet e Romanis plures in bello captos a tempore Nicephori Imperatoris a Bulgaris in obſcuro carcere detineri, charitate ipſis compatiens, ad ipſos adierit, & in virtute Sanctæ Crucis, quam ſecum gerebat, cuſtodes carceris inuiſus pertranſierit, catenas portarum fregerit, ipſoſque a vinculis ereptos fecerit; admonens vt Deo pro tanto beneficio gratitudinis obſequium exhiberent. Sic ex Authore vitæ ipſius poſteriores alij. Apud quos etiam qualiter fortiſsimus Sacrarum Imaginum cultus propugnator extiterit; & quod ex hac vita annos natus 115. ad Dominum migrauerit. Non enim pœnitentialis vita Monachorum mortem accelerat, ſed ſæpius, Deo ſic prouidente, mirabiliter longæuam reddit. Huius porro Iannicij alumnus, & in Monaſtico Inſtituto ſocius, fuit Stratius Thaumaturgus, vir inſignis, de cuius vita, geſtis, miraculis, ex Mæneis Græcorum ſcribit Bollandus *in Actis Sanctor. pro* 9. *Ianuar. tom.* 1. Quem adeat lector.

Athanaſius Anachoreta.

4 Florebat etiam circa idem tempus S. Athanaſius Anachoreta incola Montis *Latri* cognominati, vbi Eliæ, & Ioannis Baptiſtæ inſtar, tam ipſe, quam alij, quos in ſequentibus referemus, eremiticam agebant vitam. De iſto autem Athanaſio, ſic habet author Vitæ Sancti Pauli Anachoretæ, quam ex antiquo Codice Græco Sfortianæ Bibliothecæ Iacobus Sirmundus Ieſuita latinam reddidit. *Athanaſius, qui Michaelis tempori-*

bus

bus vixit, eius, qui inſanam Iconomachorum hæreſim complexus eſt. Ea ergo hæreſi ſæuiente, reginam Vrbium deſerens, Latrum Montem petijt, & columnam hanc nullius manu laboratam conſcendit. Saxum id præcelſum erat, nubes ipſas pene attingens, in cuius vertice natiua ſpelunca viſebatur, quam ſubiens, duos & viginti annos incluſus in ea manſit. Poſtea hinc exiens, Monaſterio exceptus eſt, quod Phrygiæ adiacet nomine Aphapſis, *vbi vitam clauſit maximis, & pluribus miraculis illuſtris.* Hæc Author.

Ann. Chriſt. 827. vſque ad 843. Gregorij IV. Rom. Pontif. 1. vſque ad 16. Mich. Balbi Imp. Orient. 8. & 9. Theophil. 1. vſque ad 12. Michael. Porphyrogen. 1. & 2. Ludouici Imper. Occid. 14. vſque ad 27. Lotharij 1. vſque ad 3.

1 EVGENIO Papæ vita functo ſubſtituitur Valentinus, paucis tantum diebus Pontificatum gerens, & ipſi Gregorius huius nominis Quartus ſexdecim his annis Romæ ſedens. Michaele etiam Balbo Imperatori Orientis filius Theophilus Iconomachus; & eidem Michael *Porphyrogenitus* dictus eius filius, cum matre Theodora; quibus regnantibus cultus Imaginum reſtituitur, & Nicæna Synodus Oecumenica comprobatur, Deo ſic prouidente contra Iconoclaſtarum delirium, quod per 120. annos circiter creuerat. Ludouico autem Occidentali Imperatori Lotharius ſucceſſor fuit. De his Anaſtaſius, Curopalata, Zonaras, Aimonius, & Annaliſtæ moderni. Addimus ex Anaſtaſio, quæ & mutuata accepit Baronius, noſtris Eccleſijs benignum ſe benefactorem præſtitiſſe Papam Gregorium. Etenim in Baſilica S. Martini Confeſſoris, ea videlicet, quæ ſub titulo *S. Silueſtri, & Martini*, modo a noſtris Carmelitis incolitur, fecit *veſtem de fundato habentem Leones cum arboribus.* Et *in titulo B. Chryſogoni* (noſtri etiam Ordinis Eccleſia) *veſtem obtulit de Tyrio habentem hiſtoriam Danielis cum pericliſi de ſtauraci.* Succeſſio Pontificum, & Imperatorum.

2 Theophili porro Imperatoris ſæuitia materiam noſtræ præbet hiſtoriæ; propter ea quæ contra Monachiſmi cultores egit in Sacrarum Imaginum odium. Superiores enim Imperatores immanitate ſuperaſſe videtur. Nam Leo Iſaurus, & Copronymus filius, tantum ne cultus eis adhiberetur, & Michael pater eius, ne vlli Imagini nomen Sancti ſubſcriberetur edixerant. Theophilus autem omnino eas pingi noluit, & in templis pro Sanctis, pecudes, & aues reponi præcepit. Et quos in earum veneratione perſeuerare animaduertit, eos in carcere, fame, ac ſiti confecit. Monachos verò vrbium aditu prohibuit. Monaſteria prophanis hominibus incolenda conceſſit. Præcipue Theophili geſta.

autem Monachi *Abrahamitæ*, Monachorum, & Imaginum tuendi cauſam ingreſſi, eò quod S. Lucas Deiparæ Imaginem depinxiſſet, & Chriſtus ipſe ſine manus opere expreſſam nobis in linteo ſuam reliquiſſet, poſt diros cruciatus, morte affecti ſunt. Inſaniens præterea idem Theophilus quotquot ſacrarum Imaginum cultores reperiebat, Epiſcopos, Monachos, omniſque generis, atque ſexus homines, gladio, aut exilio, vel diro carcere mulctauit. Imagines ipſas in forum proiecit, hæreticorumque ludibrio expoſuit. Quo tamen tempore reperti ſunt plurimi, qui nihil tot malis deterriti, magno illum animo adeuntes, impietatem, ac crudelitatem ipſi in faciem exprobrarunt. Sed in his minime omittendum certamen Lazari Monachi, pingendi arte celebris, quem obſequijs deuincere tentans Imperator, cum omni adulatione ſuperiorem videret, crudeliſſimis eum tormentis excruciauit, & in carcerem coniecit: cumque recuperata valetudine rurſum ſacras Imagines depingeret, laminas ferreas ignitas illius palmis iuſſit admoueri: ſed precibus Imperatricis emiſſus e carcere, in templo Præcurſoris occultatus eſt, atque vt ſeſe habebat plagis malè affectus, Præcurſoris expreſſit Imaginem, quæ diu conſeruata ſanare conſueuit ægrotos. Superfuitque Lazarus Imperatori, & ſacras Imagines pingere non ceſſauit. Hæc Curopalata, & alij, a quibus ex modernis Baroniani Codices, & Ciaconius.

Lazarus Monachus.

Theodorus, & Theophanes.

3 Quo etiam tempore duo illi inſignes Confeſſores Theodorus, ac Theophanes fratres, Palæſtini Monachi, quorum ſuperius eſt facta mentio, cum multa iam pro fide paſſi eſſent, ab exilio, in quod eiecti fuerant, Conſtantinopolim reducti Imperatoris iuſſu, qui magnopere cupiebat eos in partes ſuas allicere; denuo quod nec minis, nec blanditijs abduci potuerint, vt Iconoclaſtis communicarent, poſt ſæpius iterata diriſſima verbera, in frontibus inſcriptione affecti ſunt, duodecim iamborum (mirum dictu tot verſus potuiſſe in hominis exarari vultu) quibus contineretur eos ob praua ſua facinora ita habitos eſſe: poſt hæc verò iterum in exilium pulſi ſunt. Deſcribit hæc pluribus auctor huius temporis, qui glorioſa eorum certamina ſcriptis mandauit, memineruntque eorundem Ioannes Curopalata, Cedrenus, & alij hiſtorici. Ex quibus noui Annaliſtæ.

Conuentus Leontinum Siciliæ.

4 Ad idem tempus, annum videlicet 837. referimus primam erectionem Conuentus Leontini Ordinis noſtri in Regno, & Inſula inclyta Siciliæ. Extat namque de illo celebre antiquitatis monumentum authentico quodam Inſtrumento exaratum, quod præ manibus habemus talis tenoris: *Die 21. Octobris 1634. Ioſeph Ferrarotto, Timotheus Brancato, Clericus Vincentius de Stephano, Hieronymus Parſi, & Iacobus Margio Vrbis fœcundiſſimæ Leontinæ, &c. coram nobis mihi roganti exiſtentes interim venerabilem antiquiſſimam Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Monte Carmeli ſub titulo Sanctæ Mariæ Annunciatæ dictæ Vrbis ad petitionem, & inſtantiam fratris Ioſephi Centamore Prioris eiuſdem venerabilis Conuentus præ-*

ſen-

ſentis etiam mihi cogniti, & petentis vigore præſentis actus vnanimiter, & concordes oculis proſpexerunt tectum dictæ venerabilis Eccl ſiæ, quod coopertum eſt cum tabulis, & trabbis, viderunt, & legerunt quoddam ſcriptum, ſeu pittaphium picturæ, quæ ſcriptura ſic exponitur, videlicet: Die decimaquinta Februarij, vndecima Indictiõn. 837. *Vigore cuius mill ſimi exponitur antiquitas dicti Conuentus, & ab antiquis temporibus ſemper eſt expoſitum per famam publicam, quod dictus Conuentus eſt primus Conuentus totius Ordinis Carmelitarum, præter de illo Conuentu de Monte Carmeli extra Regnum. Vnde vt in futurum appareat pro rei futura memoria factus eſt præſens actus ſuis die, loco, & tempore valiturus. In quorum, &c. Teſtes Petrus Patti, & Magiſter Franciſcus Machina. Locus* ✠ Signi. *Ex actis Notarij Honufrij Ferranti Leontini, &c. Vniuerſitas fœcundiſſimæ Ciuitatis Leontinæ. Omnibus, & ſingulis præſentem viſuris teſtatur qualiter prefatus Notarius Honufrius Ferranti, qui iſtam copiam ab actis ſuis extraxit, fuit, & eſt fide dignus, & prædictum officium exercet, & in teſtimonium veritatis has præſentes fecimus, & noſtro ſolito muniuimus ſigillo, die vigeſima nona Octobris* 1634. *Locus* ✠ *Sigilli. Lucius Frangua.* Hæc in præfato Inſtrumento, eo dumtaxat moderando quod in ipſo aſſeratur Conuentum hunc Leontinum primum Ordinis Cœnobium fuiſſe poſt Carmeli Coloniam. Ex his namque, quæ tam in præcedenti Tomo, quàm in hoc tertio ſcripſimus, manifeſtè habetur plura alia Ordinis Cœnobia ante ipſum fuiſſe, in ipſa quoque Italia, prout de Senarum, vel Piſarum, & etiam Florentiæ Eccleſijs dictum manet. Eſto Leontinum hoc Monaſterium iure optimo a Patribus illius Prouinciæ pro primo, & vetuſtiſſimo habeatur. Alia de ipſo dicemus Tom. ſeq. *ſub anno* 1220. Fuit enim, vt dicitur, eo tempore a S. Angelo noſtro Martyre de nouo ſtructum, Imaginibus decoratum, ſuaque præſentia valde honeſtatum. Niſi forſan rectius dici poſsit, diuerſum Monaſterium ab eo hoc fuiſſe: de quo commodius *ſub eo anno* 1220. dicetur.

Ann. Chriſt. 844. vſque ad 846. Sergij II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 3. Michaelis Porphyrogeniti Orient. Imper. 3. vſque ad 5. Lotharij Imper. Occid. 4. vſque ad 6.

1 HOC tempore Sergius huius nominis Secundus Pontificatum ſummum geſsit, pulſo Ioanne Diacono violenter Sedem occupare volente. De hoc Sergio dicitur a Martino Polono, & Platina *Os porci* antea fuiſſe nominatum, ob dedecus tamen talis nominis illud mutaſſe: ſed alij fabuloſum id cenſent, & Huius temporis geſta.

 ſolum

ſolum in Sergio III. vel IV. id contigiſſe. Bulgari Chriſtianam fidem recipiunt, & Ludouicus Lotharij Imperatoris filius hoſtiliter Romam adueniens ſecum duxit exercitum omnia a Bononia Romam vſque loca deuaſtantem. Mirabilem interim victoriam Hiſpani ſub Ramiro Rege contra Saracenos reportant. Cum enim idem Ramirus pius valde, aduerſus eos ob denegatum infame illud tributum centum puellarum, quod olim Maurogatus tyrannus eis conſtituerat, immenſo numero arma mouentes, ipſe pariter cum exercitu procederet, per viſionem a Sancto Iacobo Apoſtolo præcipuo Hiſpaniarum Patrono confirmatus, iuſſuſque cum ſuis peccatorum confeſsionem agere, atque ſacratiſsima ſe Euchariſtia munire; ſeptuaginta hoſtium millia vno prælio occidit, eiuſdem Sancti auxilio; qui perſpicuus omnibus viſus eſt ante aciem equo albo inſidens, deferenſque maximum album vexillum, aduerſus barbaros fortiter dimicare. De his Curopalata, Anaſtaſius, Æmylius, Sigonius, Baronius, & alij. Specialiter diuinitus obtentam hanc victoriam Sancti Iacobi Apoſtoli auxilio narrant hiſtoriæ Hiſpanicæ poſt vetuſtiſsima monumenta, nimirum eiuſdem Regis diploma, cum pro gratiarum actione eidem B. Iacobo Hiſpaniam reddidit vectigalem, nec non Pontificum Romanorum litteræ.

Saracenorum geſta.

2 In Italia porro ijdem Saraceni claſſe ex Africa inſtructa plura mala perpetrarunt. Etenim Romam ex improuiſo appellentes, & ab Vrbis ingreſſu repulſi, ſacras Baſilicas Principum Apoſtolorum, quæ extra muros extabant, auro, argento, gemmiſque locupletiſsimas penitus ſpoliarunt, pluresque alias deprædationes fecerunt in alijs Italiæ Vrbibus, vt teſtantur Anaſtaſius, Leo Oſtienſis, & alij. Vnde locus datur ſuſpicioni, quod aliquæ etiam noſtrorum Eccleſiæ detrimenta paſſæ ſunt, vt proinde merito Leo IV. Sergij ſucceſſor indulgentias conceſſerit eleemoſynas fratribus noſtris elargientibus, pro earum videlicet reparatione, vt ex ſequentibus notum erit.

Sergij Papæ pro Eccleſia SS. Silueſtri & Martini.

3 Sergij etiam Papæ geſta noſtram locupletant hiſtoriam, propter ea, quæ in Eccleſia Sanctorum Silueſtri, & Martini de Montibus, quæ noſtro Ordini feliciter ceſsit, operatus eſt. Cum enim eiuſdem Eccleſiæ Presbyter eſſet, & inde extractus, ac ad Summum Pontificium euectus fuiſſet, prout Anaſtaſius *in eius Vita* narrat, non immemor ſuæ matris, eam ornari, & reſtaurari ſic aggreſſus eſt, eodem Anaſtaſio teſte. *A Deo protectus beatiſſimus Papa pia deuotione ſollicitus pro deſiderabili dilectione Sanctorum Silueſtri, & Martini, Eccleſiam, quæ Sancto eorum nomini fuerat conſecrata, quam ab exordio ſacerdotij ſui vſquequo ad Pontificatus culmen deductus eſt, ſtrenuè gubernauit, & quæ per olitana tempora detecta vetuſtate marcuerat, ruinisque confracta diutina antiquitate lacerata manebat, Dei clementia annuente, in meliorem, pulchrioremque ſtatum a fundamentis perfecit. Abſidem quoque ipſius aureis muſiuo perfuſam coloribus ingenti amore depinxit. Et ad honorem omnipotentis Dei eiuſdem*

bea-

beatiſſimi Præſulis corpus cum beatiſſimo Fabiano, atque Stephano, & Sotere martyribus, & Pontificibus collocauit; ſimulque Aſterij martyris corpus cum ſanctiſſima filia eius, ſanctoque Cyriaco, & Mauro, Largo, & Smaragdo, ac Anaſtaſio, & Innocentio Pontificibus, vna cum Sancto Quirino, ac Leone Epiſcopis, pariter Artemio, Nicandro, & Creſcentiano martyribus, cum quibus beata Soteris, atque Paulina, nec non Memmia, Iuliana, & Quirilla, Theopiſte, & Sophia virginibus, atque martyribus, & beata Cyriaca vidua cum alijs multis, quorum nomina ſoli Deo ſunt cognita, eoſque ſub ſacro altare dedicans collocauit. Afferunt hæc Baronius, Ciacconius, & alij, eaque refert Reuerendiſsimus noſter Ioannes Antonius Philippinus *in Tractatu de dicta Eccleſia, cap.* 12. Et conformiter ad ipſa in Chronica elucidatione eiuſdem Eccleſiæ, quæ inter monumenta eiuſdem ſeruatur, §. 6. ſic habetur: *Anno* 845. *Pontificatu Sergij Secundi,* 2. *Lotharij,* 6. *Michaelis,* 4. *Sergius Papa cum fuiſſet huius ſacræ Domus titularis titulo Equitij, ipſamque incoluiſſet ante Pontificatum per aliquos annos, gratanti animo hanc ſecundam Eccleſiam Sanctorum Siluestri, & Martini Epiſcopi ruinis confractam, & laceratam in meliorem, & pulchriorem ſtatum aliqua renouando redegit, Sancti Silueſtri antiquam Capellam, & totam prædictam Domum renouauit, abſidemque ipſius Eccleſiæ muſiuo opere contextam aureis coloribus depinxit, ſubque eius altari maiori corpora Sancti Silueſtri Papæ, Sancti Martini Papæ, & aliorum Pontificum, Confeſſorum, Virginum, & Martyrum, ex Priſcillæ Cœmeterio via Salaria deducta, ſolemni pompa collocauit, vt ex veteri illa lapidea inſcriptione, quæ ad dexteram ipſius altaris maioris poſita reperitur, conſtabit; Eccleſiamque Sanctorum Silueſtro, & Martino Epiſcopo (ſicut prius Symmachus) Sanctoque Martino Pontifici, & omnibus illis Sanctis a ſe ibi poſitis dedicauit, innumeraque dona auri, & argenti in perpetuum conceſſit, Religioſorumque Conuentum ibidem effecit.* Additur autem in eadem Chronica: *Vbi aduerto quod aliqua pars Venerabilis corporis Sancti Silueſtri fuit poſtea deportata in Monaſterium S. Stephani, & Sylueſtri de Capite, quod colligitur ex pluribus fundamentis, non verò totum corpus.*

4. Nec his contentus idem Sergius Papa donaria plura eidem Eccleſiæ contulit, quæ referunt Baronius, & Reuerendiſsimus Philippinus ex dicto Anaſtaſio, ſic dicente: [His igitur magnificè peractis, gratanti animo, menteque ſollicita obtulit in eadem Eccleſia iſta perenniter permanenda. Regnum aureum valde pretioſum cum gemmis praſinis, & hyacinthinis, & albis, quod nuncuſque cernitur ſuper altare pendens, habens in medio Crucem de auro puriſsimo cum gemmis ſimiliter pretioſis. Item obtulit gabathas ex argento puriſsimo, auroque perfuſas, quatuor pendentes ante veſtibulum ſacri altaris, atque gabathas interſatiles deauratas cum bullis duabus. Obtulit etiam Crucem auream cum gemmis valde optimis duabus, & aliam ſimiliter Crucem de argento, & thymiamatheria aureo ſuperinducto colore tria; patenas de argento puriſsi-

Sergij Papæ dona Eccleſiæ SS. Silueſtri, & Martini.

riſsimo, & deauratas duas; colatorium de argento deauratum vnum, quo in ſacro vtantur officio; regnum de argento cum tintinnabulis habens in medio Crucem cum columba; aquamanilia de argento tria; ſextaria de argento duo; coronas maiores de argento quatuor cum delphinis penſantes libras. . . calices de argento maiores, pariter & deauratos duos; patenam de argento maiorem auroque perfuſam, habentem in medio effigiem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ceroſtrata deſuper argentata paria tria; caniſtra de argento tria; patenam cum calice deaurato vnam; ſcyphum argenteum vnum penſantem libras . . . Obtulit eidem venerandæ baſilicæ cantharos de aurichalco duodecim, rugas de aurichalco ſimiliter duodecim. Fecit ciborium de argento puriſſimo penſans libras. . . Sed & Confeſſionem ſacri altaris ornauit tabulis argenteis auro perfuſis, vt per ſacras eorum interceſsiones ætherei Regni gaudia poſsideret, idemque obtulit vbi ſupra imagines de argento auro perfuſas tres, habentem vnam effigiem Domini noſtri Ieſu Chriſti, alias duas Sancti Silueſtri, & Martini ſedentes ſuper veſtibulum ſacri altaris. Ibidemque obtulit veſtem de chryſoclauo habentem hiſtoriam Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti cum gemmis praſinis hyacinthinis, & albis. Fecit & aliam veſtem de fundato valde pretioſam cum chryſoclauo, habentem in medio effigiem Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, & dextra læuaque Sanctorum Silueſtri, & Martini, ſimiliter cum gemmis praſinis, hyacinthinis, & albis. Obtulit ſimiliter cortinas Alexandrinas pretioſiſsimo opere contextas tres, vela de fundato cum periclifi de blatta ornata in circuitu, quæ pendent per arcus ipſius baſilicæ vigintiquatuor; alia de fundato cum periclifi de blatta quindecim; vela alba holoſerica quatuor, ex quibus circundatur altare, vnum ex eis habens in medio Crucem, & gammadias de chryſoclauo, & alia ornamenta in circuitu de blatta.]

Corpora SS. in Eccleſia S. Martini recondita.

5 Quæ verò Sanctorum corpora in eadem Eccleſia hoc Sergij tempore collocata fuerint, marmorea tabula ipſo tempore ſcripta, & vſque modo ibi conſpecta, quam Baronius, & noſter Philippinus referunt, ſic oſtendit. *Temporibus Domni Sergij Iunioris Papæ recondita ſunt in hoc ſacro altari corpora Beati Silueſtri, & Martini Pontificum. Item corpora beatiſſimorum Fabiani, Stephani, & Sotheris martyrum, ac Præſulum. Adſunt etiam corpora Aſterij, & ſanctiſſimæ filiæ eius. Nec non corpora Sanctorum Cyriaci, Papiæ, Mauri, Largi, Smaragdi, & ſociorum. Item corpora Siſinij, Anaſtaſij, & Innocentij Pontificum vna cum ſanctis Epiſcopis Quirino, & Leone, pariterque Artemio, Siſiano, Pollione, Theodoro, Nicandro, Creſcentianoque martyribus, cum quibus adhuc repoſita fuerunt corpora beatorum Sotheris, Paulinæ, Memiæ, Iulianæ, Quirillæ, Theopiſtis, ac Sophiæ virginum, & martyrum, nec non beatæ Quiriacæ viduæ, beataque Iuſtæ cum alijs multis vtriuſque ſexus, quorum nomina Deo ſoli ſunt cognita, quorum corpora ſacro altari illud ipſis dedicans, collocauit. Sunt autem*

hæc

hac Sanctorum corpora translata de Cœmeterio Priſcillæ via Salaria, & dictus Pontifex conceſſit ſingulis ad hanc Eccleſiam Sanctorum Silueſtri, & Martini deuotè venientibus in feſtiuitatibus iſtorum Sanctorum tres annos, & tres quadragenas de vera Indulgentia.

6 Subiungit idem qui vt ſupra, Anaſtaſius, de Sergio loquens: *Idem vero Beatiſſimus Pontifex ad latus ipſius Baſilicæ* (ſcilicet Sanctorum Silueſtri, & Martini) *in laudem Creatoris, nomine, & honore Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, Sergij, & Bacchi, Sanctorumque Silueſtri, & Martini, a fundamentis Cœnobium conſtruxit, in quo Monachorum Deo ſeruientium Congregationem pro quotidianis laudibus in prædicta Eccleſia die, noctuque Dominum Deum noſtrum deprecantium conſtituit.* At cuius Inſtituti Cœnobium hoc fuerit Monachorum tacent cuncti; etſi aliqui, communi vulgi opinione, qua ſolum Benedictinos Monachos hoc tempore extitiſſe autumant, ducti, eorum illuſtriſsimo Cœtui eum aggregarent; alij vero Baſilianis, vel etiam Regularibus Canonicis. Cæterum inter hæc incerta, an maiori probabilitate, neſcio, dicere poſſunt eos fuiſſe ex Orientalibus Monachis, quorum maxima pars, vt ſæpius inculcauimus, Elianum, & Propheticum, non aliud nuperum, ſectabantur Inſtitutum. Illa enim iugis, ſeu quotidiana Oratio *diu, noctuque* ab hoc Summo Pontifice in his Monachis intenta, ſimilis videtur illi, cui Aſcœmetæ Orientis Monachi olim addicti erant; iuxta dicta *ſub ann.* 757. de ſimili alio conſtructo Monaſterio a Paulo Papa Primo. Nec deeſt grauis ad intentum congruentia. Cœnobium hoc a Sergio Papa apud Sanctorum Silueſtri, & Martini Baſilicam excitatum, a Leone Quarto ſucceſſore ad meliorem formam perfectum fuit, prout ex verſibus quos affert Baronius *ſub ann.* 847. & noſter Philippinus *ſupra cap.* 13. qui & in abſide muſiuo opere contexti erant, elicitur. In eis porro habetur Leonem Cœnobium ibidem etiam ſtatuiſſe cum Monachis, qui *aſſiduas laudes* Deo perſoluerent. Quo ſane indigitant idem Cœnobium, quod a Sergio inchoatum fuit, a Leone fuiſſe abſolutum. Cum igitur idem Leo, vt ex dicendis liquidum erit, eodem tempore Indulgentias conceſſerit *pias eleemoſynas* elargientibus pro noſtri Ordinis Eccleſijs, ſeu *domos confractas* reficientibus, conijci ſane datur hoc maximè feciſſe pro reparatione Eccleſiæ præfatæ Sanctorum Silueſtri, & Martini, quæ Ordinis noſtri Monachis aſsignata tunc primo eſſet. Sed de ijs iterum in ſequentibus, vbi etiam verſus illos afferimus.

De Monaſterio a Sergio Papa conſtructo.

7 Accenſenda huic tempori, prout Baronius *ſub anno* 844. facit, peregrinatio Beati Eulogij Cordubenſis, Martyris, & Toletani Antiſtitis electi, quam ipſe refert in Epiſtola ad Vvilieſindum Pampilonenſem Epiſcopum. Ex qua habetur in partibus illis Galliæ, & Nauarræ hoc æuo fuiſſe plura Cœnobia Monachorum; videlicet Beati Zachariæ ad radices Pirenæorum Montium; Legerenſe prope Vrbem *Stellam*; Cel-

S. Eulogij peregrinatio.

len-

lenſe, Seraſienſe, Igalenſe, & Hurdaſpalenſe; cum Abbatibus nempe, & Monachis in ipſis commorantibus, quos refert, & ſalutat in ea Epiſtola idem Eulogius. Eorum porro memoria noſtris Annalibus extranea non erit; quandoquidem ex dicendis in ſequentibus (vt prætereamus relata) non ſoli Benedictini Patres ea tempeſtate in Hiſpania florebant, ſed & alij quoque Orientalium Monachorum Sodales, quos Eliani, & Prophetici Inſtituti fas eſt exiſtimare, alumnos. Sed quia non tam nobis curandum cuius Inſtituti hi Monachi eſſent, quam eorum pia exercitia accuratius imitari; idcirco, ad ædificationem noſtram, quæ de illis qui erant in vno ex iſtis Collegio, quod pene centenarium numerum excedebat, refert Eulogius hic placuit adiungere; quæ talia ſunt. *In illo etenim beatæ Congregationis Collegio, quod pene centenarium numerum excedebat, veluti ſydera Cæli, alij quidem ſic, cæteri verò ſic; diuerſis meritorum virtutibus emicabant. Florebat in nonnullis perfecta charitas quæ foris mittit timorem; pleroſque alto culmine extollebat humilitas, qua ſeſe vnuſquiſque iuniore inferiorem reputans, imitatores præceptorum Dei fieri contendebant. Multi etiam cum eſſent corpore imbecilles, verumtamen magnanimitate ſubnixi, alacrioribus animis iniunctum exercebant obſequium. Sic quoque in aliquos principatum ſuum obedientia, quæ omnium virtutum magiſtra eſt vindicans, ſuos non patiebatur executores degenerare, ſed ſupra vires grandia exercere compellebat, quoſcumque ſuo munere illuſtrauerat. Operabantur omnes certatim, alter alterum inuitans contendebat præcellere. Augebatur inuicem ardor placendi Deo, & fratribus, & vnuſquiſque propriæ artis induſtriam ad communem profectum exercitabat. Exercebant alij peregrinorum, & hoſpitum diligentius curam, & quaſi declinanti Chriſto ad hoſpitia eorum, omnibus aduentantibus obſecundabant. Cum verò tot eſſent, nullus murmurans, nemo arrogans intererat. Studebant cuncti ſilentio, totamque per noctem furtiuis precibus incumbentes, nocturnum chaos peruigili meditatione vincebant; magna ſe circumſpectione vallantes, ne Pſalmiſtæ denotarentur oraculis, qui ait: Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt. Sed quid referre de Sanctorum virtutibus lingua poteſt mortalis, qui in terris poſiti angelicè degunt, & qui licet inter homines conuerſentur, propoſitum verò gerunt cæleſte?*

Ann. Chriſt. 847. vſque ad 854. Leônis IV. Rom. Pontif. 1. vſque ad 8. Michael. Porphyrogen. Oriental. Imper. 6. vſque ad 13. Lothar. Imper. Occid. 7, vſque ad 14.

1 POTVIT hoc tempus fœlix æſtimari ob S. Leonis Papæ Quarti Pontificatum; ad quem poſt obitum Sergij eodem die quo defunctus eſt, fuit aſſumptus, ex Monacho Monaſterij Sanctorum Siluestri, & Martini in Montibus, prout Ciaconius affirmat, & ante eum Martinus Polonus, etſi contrarium teneat Pennotus *in hiſtor. Canonic. Regular. lib. 3. cap. 50.* Ob publicum ſanè commodum, quippe Baſilicas Principum Apoſtolorum ſacrilegis Saracenorum manibus ſpoliatas iuxta dicta in ſuperioribus, omni diligentia, & immenſo ſumptu ornauit; & nouam Vrbem ad defenſionem Baſilicæ Sancti Petri a Leone III. incœptam, quæ nunc Regio Leonina (in qua, propter Monaſterium Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ in ea ſitum hæc ſcribimus) conſtruxit; ac Saracenorum claſſem, per Neapolitanos, & alios vicinos populos, ac maximè pijs pręcibus ad Deum fuſis, profligauit. Quibus etiam armis eundem Leonem Romanum populum liberaſſe a ſerpente lethifero, baſiliſco dicto, qui flatu ſuo, & aſpectu homines interimebat ad cauernam ipſius vbi in Vrbe latitabat appropinquantes, traditione habetur. Anaſtaſius *in Leone*, & alij poſt ipſum. S. Leonis Papæ Pontificatus.

2 Decuit autem ſapientiſſimam Dei prouidentiam talem Paſtorem ſuæ Eccleſiæ præpoſuiſſe, tempore que Michael Orientis Imperator moribus corruptiſſimus cernebatur. Etenim nouus redditus Nero, illo antiquo non inferior aurigandi arte, nec libidine impar, perſimilis verò prodigalitate, atque ſæuitia proximus; denique impietate ſuperior, cinœdos in honore habens, & ſacras eos veſtes induens, cogebat res diuinas peragere, omniaque Pontificia munera etiam publice exercere; quorum principem *Gryllum* nomine, Patriarcham vocitabat, & reliquos vndecim Metropolitas: ſe quoque vnum e ſacerdotibus faciens, qui Præſul Coloniæ appellabatur; habebantque vaſa inaurata, & pretioſis lapidibus ornata, quæ aceto, & ſinapi implentes alijs porrigebant, ad hunc modum ſacroſancta myſteria irridentes. Hæc, & alia Curopalata, ex quo etiam alij. Michael Imperator.

3 E contra vero Sanctus Leo Papa pijs, ac religioſis operibus ſedulò inſiſtens, pluribus Vrbis Baſilicis ſacra, & pretioſa dona contulit; ac ſpecialiter in noſtri Ordinis Sanctorum Siluestri, & Martini Eccleſia, quæ prædeceſſor Sergius ceperat, copioſè locupletando perfecit; prout oſten- Egregia S. Leonis geſta.

oſtendunt verſus in vetuſto eiuſdem Eccleſiæ monumento reperti, & a Baronio, ac noſtro Philippino commemorati.

Sergius hanc cœpit Præſul, quam cernitis, Ædem,
Cui moriens nullum potuit conferre decorem.
Sed mox Papa Leo Quartus, dum culmina ſumpſit
Romanæ Sedis, diuino tactus amore
Perfecit ſolers melius, quam cœpta manebat,
Atque pia totam pictura ornauit honeſtè,
Cœnobiumque ſacrum ſtatuit, Monachoſque locauit,
Qui Domino aſſiduas valeant perſoluere laudes.
Talibus, vt donis cœleſtia ſcandere poſſit
Regna, quibus Martinus ouans, Siluester & almus
Præfulgent, gaudentque ſimul cum Præſule Chriſto,
Quorum pro meritis hæc templa dicata coruſcant.

Cœnobium a S. Leone perfectum.

4 Hoc porro Cœnobium a Leone Papa, prout hic dicitur, ſtatutum, non incongruè ex noſtris Orientalibus Monachis fuiſſe in ſuperioribus diximus; eo etiam quòd Anaſtaſius eius Chronologus dicat inſtituiſſe quoddam Monaſterium ex Monachis Græcis genere, qui ibidem, *diu, noctuque laudes perſoluerent*, iuxta modum, quo idem alias contigiſſe ſub Gregorio III. Paulo I. & Paſchali I. retulimus. Et confirmat id quod adijciemus de Indulgentijs ab eodem Papa conceſſis domos confractas Ordinis noſtri reficientibus, quod occaſione reſtaurationis Eccleſiæ Sanctorum Siluestri, & Martini factum, prudenter exiſtimari poteſt.

Indulgentiæ Carmelitarũ Eccleſijs conceſſis.

5 Etenim S. hic Pontifex, cum eſſet, prout Anaſtaſius de eo loquitur, *amator Religioſorum hominum, Deoque in omnibus aſſiduè famulantium, nutritor pauperum, &c.* in noſtri Ordinis amoris, & beneuolentiæ ſignum ipſi Indulgentias conceſſit, quas Sixtus Quartus Papa, Gregorius XIII. & Paulus V. ſuis temporibus retulere, & confirmarunt, videlicet: *Leo Papa IV. omnibus Chriſti fidelibus, qui Eccleſias Beatæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmeli huiuſmodi in feſtis Natiuitatis Dominicæ, Paſchæ, Apoſtolorum Petri, & Pauli, Pentecoſtes, Aſſumptionis, Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis eiuſdem Beatæ Dei Genitricis Mariæ, S. Michaelis Archangeli, Omnium Sanctorum, in duobus feſtis S. Crucis, Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, Sanctorum Martyrum Fabiani, & Sebaſtiani, & in die Paraſceues, & per Octauam prædictarum feſtiuitatum, ac vocabulis omnium Eccleſiarum dicti Ordinis deuotè viſitarent, & pias eleemoſynas largiti forent, ſeu domos confractas eiuſdem Ordinis reficerent, ſeptem annos, & duodecim quadragenas.* Quia verò argumentum, quod ex huiuſmodi Indulgentia Ordini noſtro a Leone Papa Quarto conceſſa, deſumitur, validum, & neruoſum eſt, pro eiuſdem antiquitate firmanda,

quod

quod etiam deſeruiet ad alias etiam Indulgentias,quas poſteriores Summi Pontifices, eiuſdem Leonis veſtigijs inhærentes, ſimiliter conceſſere, ideo operoſius, & exactius illius authoritas examinanda, & diſcutienda in præſenti.

6 Primò ergo, vt diximus, ea, & verbis relatis habetur in Bulla Sixti IV. *Dum attenta* Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1477. Kalend. Aprilis, quæ eſt authenticata per Auditorem Cameræ ſimul cum Marimagno noſtrorum priuilegiorum per eundem Sixtum IV. collecto, & extat etiam in libro *Speculo Ordinis* nuncupato *fol.* 95. & in Bullario Rodriguez in Sixto IV. *Bulla* 38. ac inter priuilegia Ordinis S. Mariæ de Mercede inſerta. Habetur quoque in Bulla *Vt laudes* Gregorij XIII. Romæ apud S. Petrum 18. Septembr. 1577. etſi ibi cum aliqua moderatione,mutationis videlicet particulæ *de manibus adiutricibus*, quæ in hac & ſimilibus Indulgentijs reperitur, in alia pia opera; ac nouiſſime ſub Paulo V. anno 1609. die 11. Februar. & alijs libris, & Summarijs Indulgentiarum, & priuilegiorum Ordinis. Cum autem Summi Pontifices Sixtus, Gregorius, & Paulus relati approbent, & confirment huiuſmodi Indulgentiam, prout a Leone IV. conceſſam, procul dubio manifeſtè ſupponunt ipſius veritatem, &, quod ex ea elicitur, de Ordinis antiquitate: tempore videlicet eiuſdem Leonis, & anteriori etiam, quod domus, & Eccleſiæ illæ vigerent, pro quarum refectione Papa Leo Indulgentiam hanc conceſſit. Elicitur id ſecundò ex verbis narratiuæ ipſius Bullæ, vbi ſic: *Sanè ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Chriſtophori Martignoni dicti Ordinis Generalis Magiſtri, ac Sacræ Theologiæ profeſſoris, petitio continebat, licet multi Romani Pontifices prædeceſſores noſtri ob reuerentiam glorioſiſſimæ, & intemeratæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli, & ſingularem deuotionem quam ad illam, & prædictum Ordinem ſub eiuſdem Dei Genitricis Mariæ titulo ſpecialiter inſignitum geſſerunt, diuerſas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, ac priuilegia, & indulta ipſi Ordini, & illius domibus conceſſerint, quæ in eiſdem domibus ſunt recepta, & quorum continentia in publicis ſcripturis, & dicti Ordinis Eccleſijs apertiſſimè reperitur, ſub hac videlicet verborum forma.* Ex eis enim iure hauriri poteſt huius, & ſimilium Indulgentiarum antiquiſſimarum veritas, ipſiuſque Ordinis vetuſtas, quibus a tam antiquis temporibus Indulgentiæ cernuntur conceſſæ. Quomodo autem Pontificum narratiuæ in Bullis, ſeu diplomatibus plenam probationem faciant, dixi *to.* 5. *meæ Summæ in Mar. Magn. Carmelit. num.* 4. & ea huic loco annectendæ, aliqualiter tamen immutata propter materiæ varietatem. Etſi verba narratiua Papæ, quæ non principaliter propter ſe proferuntur, plenam probationem non efficiant, prout ex iuribus, & Doctoribus attuli *ſupra Mare-Magnum Eremitarum S. Auguſtini* §. 31. *nu.* 95. & generaliter

Vetuſtas Ordinis ex hac Indulgentia comprobata.

loquendo, quod verba narratiua Papæ proprium factum non referentis plenam fidem non faciant, prout ex Clementina 1. *de probat.* colligunt Doctores: nihilominus narratiuæ Papæ, etiam de facto alieno, motu proprio factæ, & in qua fundat ſuam intentionem, ſtandum eſt. Cardinalis *in dict. Clementina* 1. *de probat. in* 10. *quæſt.* Petrus de Ancharano *ibi in* 1. *quæſt.* Imola *ibid. in* 4. *col. verſ. Prædicta limita eſſe vera*, & Alexander *conſ.* 112. *vol.* 7. Curtius Iunior *conſ.* 61. quos ſequitur Puteus *deciſ.* 101. *alias* 100. *lib.* 3. *deciſ.* Cum ergo quæ hic narrat Pontifex ea referat ex *motu proprio*, & vt in eis fundet intentionem conferendi priuilegia, quæ in hoc Marimagno concedit, proculdubio ipſius narratiuæ ſtandum erit. Præſertim quia in antiquis enunciatiua Papæ etiam in facto alieno plenè probat. Ioannes de Imola, & alij *in dict. Clement.* 1. *de probat.* Alexander *conſ.* 15. *incip. Viſis narratis nu.* 2. *lib.* 5. Ruinus *conſ.* 108. *in cap. Viſa, ac bene intellecta num.* 20. *lib.* 2. Gabriel *de probat. concluſ.* 2. *num.* 54. quos refert, & ſequitur Rota *deciſ.* 142. *num.* 6. apud Farinacium *in collect.* 1. *nouiſſ. aliàs pag.* 4. *diuerſ.* & tenet Barboſa *in dict. Clementina* 1. *de probation. num.* 9. Pontificem porro ex motu proprio confirmaſſe huiuſmodi Indulgentias liquido conſtat ex his Bullæ verbis: *Cupientes itaque, vt Indulgentiæ, ac ſingulæ Prædeceſſorum noſtrorum litteræ dicto Ordini, ac eius domibus, & Eccleſijs conceſſæ, ſublatis quibuſcumque hæſitationum obſtaculis, inuiolabiliter obſeruentur, eiſque prout conceſſa dicuntur indubia fides adhibeatur, deuotioque vniuerſi populi creſcat, & augeatur, atque dicti Ordinis Eccleſiæ, domus, ac Conuentus conſeruentur, ædificentur, & in eorum ædificijs amplientur, reſtaurentur, & reparentur, prædictorum, & aliorum plurimorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, qui Ordinem prædictum varijs priuilegijs non immeritò decorarunt, & quem etiam nos diuerſis alijs gratijs, ac priuilegijs gratioſiſſime, & liberaliter ornauimus, veſtigijs inhærendo, motu proprio, non ad ipſius Chriſtophori Generalis Magiſtri, aut alicuius dicti Ordinis glorioſiſsimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli profeſſorum, vel alterius pro eis nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam; ſed de noſtra mera voluntate, ac deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia, ſingulas Indulgentias, non tamen plenarias, ac alias ſpirituales, & temporales gratias a prædictis, ſeu quibuſuis alijs Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris dicto Ordini B. Mariæ de Monte Carmeli, & illius domibus Eccleſijs, ac perſonis in genere, vel in ſpecie, quomodolibet conceſſas, quorum omnium tenores, & effectus, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur hic haberi volumus pro ſufficienter expreſsis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium in ſuo robore, ſuaque firmitate confirmamus, approbamus, & innouamus, ac de nouo concedimus, ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſiqui forſan quoquomodo interuenerunt in eiſdem.*

Adeſt

7 Adeſt & alia ratio, ex qua non contemnendum pro harum Indulgentiarum veritate, &, quod ex ea ſequitur, Ordinis vetuſtate comprobanda, argumentum depromitur. Cum enim Chriſtophorus Martignonus Ordinis Generalis Summo Pontifici Sixto IV. propoſuiſſet Indulgentias plures Ordinis ſui Eccleſijs a Leone IV. & ab alijs priſcis Pontificibus conceſſas fuiſſe, & pro illarum confirmatione poſtulaſſet, Pontifex, nec petitionem auerſatus, nec de re ſibi propoſita anceps, aut dubius, confirmationem poſtulatam dedit; quod vtique non faceret niſi crederet poſſibile, ac veriſimile eſſe Pontifices illos antiquos Ordini noſtro Indulgentias conceſſiſſe. Quia iuxta Iuris axioma *Quod veriſimile non eſt nec credendum, nec dicendum*. Rimin. Iun. *conſ.* 362. *n.* 15. Imo nec attendi debet, *l. fin. in princ. ff. quod metus cauſ. cap. quia veriſimile de præſumpt.* Pariſ. *conſ.* 13. *num.* 9. *vol.* 3. *&* *conſ.* 8. *num.* 7. *vol.* 4. Quare teſtes deponentes non veriſimilia præſumûntur falſi. Decius *conſ.* 94. *colum.* 2. *in fin.* ſeu ſaltem de falſo ſuſpecti. Abbas *in d. cap. Quia veriſimile in fin. de præſumpt.* Grammat. *dec.* 103. *n.* 78. Crauet. *conſ.* 171. *n.* 6. Si autem poſſibile, ac veriſimile Pontifici viſum fuit Leonem IV. & alios ſucceſſores præfatas Indulgentias Ordini noſtro, & eius Eccleſijs conceſſiſſe, proculdubio exiſtimauit Ordinem eo tempore in Eccleſia viguiſſe; alioquin Generalis qui talem confirmationem poſtulabat, vt mendax, & falſidicus, a Papa, & ipſius miniſtris repulſam pateretur. Quod hoc exemplo clarius innoteſcet. Si ſacri Prædicatorum, & Minorum Ordines ab aliquo Summo Pontifice poſtulaſſent confirmationem alicuius Indulti, vel priuilegij quod dicerent ipſorum Ordini olim conceſſum fuiſſe a Leone IV. vel alio ex vetuſtioribus Pontificibus, ſane reiecti eſſent veluti falſi commenti aſſertores; quia nempe conſtat eorum illuſtriſſimas familias ſolum a tempore Honorij III. Orbem illuſtraſſe. Cum igitur ex aduerſo nihil dubij a Papa Sixto, vel ipſius miniſtris, obiectum fuerit Generali poſtulanti confirmationem Indulgentiarum ſuo Ordini ab antiquiſſimis Pontificibus conceſſarum; ideo contigiſſe exiſtimandum, quia res ipſa credibilis omnino, nec contra hiſtoriæ veritatem, cunctis cernebatur. Quod eo fortius euincit intentum, quia Papæ iudicium cœleſte arbitrium appellatur, *l.* 1. *in fin. C. de Sum. Trinit. & fid. Catholic.* Cardinalis Tuſchus *tom.* 6. *littera P. concluſ.* 49. *num.* 87. & de eo dicitur habere *In ſcrinio pectoris* omnia iura, *cap.* 1. *de Conſtitution. lib.* 6. Tiraquellus *de nobilitate cap.* 20. *num.* 41. *& cap.* 31. *num.* 537. Saltem propter viros doctos, qui ſemper Papæ aſſiſtunt in Bullarum, Diplomatum, &c. editione. Abbas *in cap. cum ex litteris n.* 4. *verſ. Quintò nota, de reſtit. in integr.* Papæ ergo, vel eius aſſiſtentibus in præfatarum Bullarum prouiſione non abs re, ſed hiſtoricæ veritati congruum videri potuit, Leonem IV. Ordini noſtro Indulgentias concedere potuiſſe, vtpote ipſius tempore vigenti.

8 Hinc magni apud Noſtrates ſemper fuit argumentum hoc ex huiuſ-

Alia ratio.

Argumenti roboratio.

iuſmodi Indulgentiarum ab antiquis temporibus conceſſione depromptum, pro Ordinis antiquitate comprobanda. Idcirco in prima Conſtitutionum, etiam vetuſtarum, fronte, parte videlicet prima *cap.* 1. *num.* 2. hæc Leonis IV. Indulgentia primo loco ſtatuitur. Inſignis etiam author Baptiſta Mantuanus in Apologia pro Ordine contra detractores quoſdam ſcripta ſic habet. *Reperimus, & in promptu omnibus eſt, & oculo ad oculum poteſt videri, Leonem IV. Pontificem Maximum largas Indulgentias noſtris benefactoribus elargitum, quem conſtat Pontificatum geſsiſſe anno ſalutis noſtræ* 854. *Franciſcum verò, & Dominicum, viros quidem Sanctiſsimos, conſtat circa* 1200. *annum floruiſſe. Quo fit vt arctiſsimo iudicij articulo concludi poſsit nos Carmelitas, ſaltem per* 350. *annos anteceſſiſſe Minores, & Prædicatores: hoc inquam conuinci poteſt ſcriptis, & literis Apoſtolicis, contra quas nulla exceptio fieri poſsit.* Perdoctus etiam author Petrus Vvaſtelius *in Vindiciar. lib. Ioan. Ieroſolymit. de Inſtitution. Monachor. ſect.* 5. *ar.* 1. §. 10. idem argumentum contra noſtræ antiquitates aduerſarios vrget.

Cauſa conceſſionis Indulgentiæ.

9 Cauſam porro cur S. Papa Leo præfatam Indulgentiam Religionis benefactoribus elargitus fuerit, ſic tradit Palæonydorus *lib.* 2. *cap.* 10. poſt alia in ſuperioribus relata: *Verum hæc lætitia, proh dolor! breui tempore finem habuit. Mortuo enim Carolo anno Domini* 815. *rurſus Terra Sancta poſt pauca tempora deuaſtata fuit. Et dum Carmelitæ cum cæteris Chriſtianis eſſent vehementer afflicti, & attenuati annis non paucis, plures ex eis martyrio coronati ſunt. Audiens igitur eorum penuriam, & perſecutionem Papa Leo IV. anno Domini* 848. *electus, ipſis compatiendo, dedit quaſdam Indulgentias omnibus Chriſti fidelibus eiſdem in tantas neceſsitate ſubuenientibus, manuſque adiutrices porrigentibus, teſte Sixto IV. in confirmatione Indulgentiarum Ordinis noſtri.*

Gotheſcalcus hereticus.

10 Fœdabatur interea Galliæ Monachiſmus, ob cuiuſdam cui *Gotheſcalcus* nomen erat, Monachi, praua dogmata. Qualis is fuerit ſic viuis coloribus depingitur: *Huius animo elatus, quietis impatiens, nouorum verborum cupidus, inſatiabili honoris ambitione incenſus, proteruus, & tumultuoſus, vt inani animi oſtentatione, & falſa quadam nouitate, ſui nominis famam adipiſceretur, adeptam latius opinionem propagaret, & propagatam ab obliuionis iniuria vindicaret.* Dogmata autem illius authori ſimilia hæc erant. *Sicuti Deus quoſdam prædeſtinauit ad vitam æternam, ſic etiam alios ad mortem æternam prædeſtinauit. Deus non vult omnes ſaluos fieri, ſed dumtaxat eos, qui ſaluantur. Ieſus Chriſtus non fuit crucifixus, neque mortuus pro redemptione totius Mundi, ſed tantum pro his, qui ſaluantur.* Hæc porro, quæ ex Hincmaro Rhemenſi excepit Baronius cum alijs, eò huic loco annecti debuere, vt nouerint Monachi, quod ſi ſimilium morum aliqui inter eos reperiantur, ſimiles fructus ex eis ſperari poſſint; & quia quaſi eadem dogmata hoc tempore, quo hæc ſcribimus, anno videlicet Mundi redempti 1651. in eadem Gallia a quibuſdam ſunt

pro-

propugnata; etſi ab alijs acriter impugnata, & pro trutina ad Apoſtolicam Sedem delata. Cuius infallibile veritatis indicium expectatur citiſſimè. Ex eo autem conſtare poterit, an harum theſium aſſertores, qui pij, & Catholici creduntur, aliquid commune cum illo Gotheſcalcho habeant; vel potius ab eo diſſentiant.

11 Celebratur tamen pro hoc tempore, anno videlicet 850. in partibus Hiſpaniæ, Anacinardus Monachus, & Eremita, de quo Iulianus Petri *in ſuo Chronic.* hæc. *S. Anacinardus Eremita ex Germania venit in Hiſpaniam, & in ripa fluminis Tagi prope Ciuitatem Scalabitanam aliquot annis ſanctè degit. Reuerſus autem ad Alpes non procul a loco Tigurino vulneribus latronum confoſſus Martyrio coronatur. Agitur eius dies Natalis 4. Februarij. Manent aliqua veſtigia huius Sancti Abbatis in Luſitania in Oppidis eius Prouinciæ Ataugia, & Meinardo.* Similia ferme Luitprandus *in Chronic.* nobis non prætermittenda, cum dubij ſimus de Monachatu, & Anachoreſi huius Sancti viri; an ſcilicet Baſiliano, Auguſtiniano, vel Benedictino, an potius Eliano cæteris antiquiori accenſeri debeat. Saltem, non fuiſſe Auguſtinianum habet lector apud Gabrielem Pennotum *in hiſtor. Canonic. Regular. lib.* 1. *cap.* 57. *num.* 11. S. Anacinardus.

12 Præcipuè tamen celebrandus alius in eiuſdem Hiſpaniæ partibus inſignis Martyrio Monachus, Iſaac Tabannenſis Cœnobij apud Cordubam clariſſimam Vrbem iubar. Hic enim, vt teſtatur S. Eulogius Cordubenſis, Martyr etiam, & electus Toletanus Archiepiſcopus in libro *Memoriale Sanctorum* ab ipſo inſcripto, & Tomo nono Bibliothecæ veterum Patrum inſerto, in libri præfatione, primus e Tabanenſi illo Cœnobio prodiens iudicem Machometanum adit, verbis aggreditur, acriter exprobrat Mahumeti peſtiferum dogma; vt idcirco Dei ſeruus ad necem damnatus, ſtipite eleuatus, capite deorſum appenſus, atque in Vrbis ſpectaculum poſitus, tertio nonas Iunij Æra 889. quæ anno 851. correſpondet, Deo animam reddiderit. Contigit hæc Chriſtianorum perſecutio ſub Mahomad Rege Cordubenſi, & filio Abderramen, vt teſtatur noſter Coria *in Chronic. Carmel. lib.* 9. *cap.* 29. Fuiſſe porro huiuſmodi Iſaac Elianum Monachum, ex multis conijci datur. Primò, quia ex Orientalibus erat, prout ex viſione quadam de ipſo facta, quam idem Eulogius ibi refert, habetur: dicitur enim ibi ſacerdotem quendam ex eodem Tabanenſi Cœnobio per ſomnium vidiſſe *puerum* (Iſaac videlicet) *decoris pulcherrimi a partibus Orientis venire*. Deinde quia de ipſo etiam additur *Schedamque Mariæ pulchritudinis manibus geſtantem ſibi adſiſtere*; quibus piè quoque denotatur ſpecialem Mariæ Virginis filium fuiſſe, ac perinde quod ex Carmeli Colonia eidem Dei Matri nuncupata. Ad hæc, Tabanenſe illud Monachorum Cœnobium ex Tabennenſi Inſtituto a Sancto Pachomio in Nili Inſula apud Thebaidem Ægypti primum promoto, de quo Tomo præcedenti ad ann. 327. egimus, emanaſſe, titulus Monaſterij, & ritus Monachalis ipſius congruè Iſaac Monachus Tabanenſis.

ſuadent. Et ideo hunc Iſaacum Monachum, & Martyrem noſtris accenſet Caſanate *in ſuo Paradiſ. Carmelitic. decor. ſtat.*3. *ætat.*10. *cap.*65. *in annotatione*.

Martyres Cordubenſes.

13 Quia verò Cordubenſis hic campus ferax ſemper Illuſtriſſimorum Martyrum fuit, idcirco tam pro ijs, quæ de Iſaaco Martyre, & Monacho, modo diximus, quam pro ijs, quæ in ſequentibus de ſimilibus dicere oportebit, lectori proponendum duximus, quod quemadmodum ex S. Eulogij Martyris relati hiſtoria conſpicitur, plura Monachorum aſceteria hoc tempore in Hiſpania, præſertim confinijs Cordubæ, cernebantur. Vnum erat illud *Tabanenſe* dictum, de quo idem Eulogius *in Præfatione ad Memoriale Sanctorum*, & *lib.*2. *cap.*2. vbi hoc Cœnobium ſeptem milliaribus a Corduba ſitum, inter prærupta montium collocatum, ac extructum a Ieremia Iſaac patruele, ac vxore ipſius Eliſabetha, dicit. Alterum S. Felicis apud Oppidum *Fronianum* ab eodem commemoratum *lib.*2. *cap.*8. Alterum erat *Cuteclarenſe*, etiam titulo Deiparæ Sanctiſſimæ decoratum, de quo idem Eulogius *lib.*2. *capit.* 4. *&* 8. Alterum S. Zoili Armilatenſis a Corduba triginta, & amplius milliaribus diſtans, vt eodem *cap.*4. Eulogius ait. Item aliud S. Chriſtophori, cuius etiam meminit ibi. Aliud *Pilemelarienſe* nuncupatum apud eundem Eulogium *cap.*10. Aliud quoque S. Martini nuncupatum in Montana Cordubenſi, loco, qui appellatur *Roiana*, cuius memoria extat *cap.*11. *dicti libri*. Pariter aliud SS. Iuſti, & Paſtoris in interiori Cordubenſi Montana, loco, qui dicitur *Fraga* ſitum. Idem Eulogius eo *cap.*11. Et aliud S. Saluatoris, quem commemorat *lib.*3. *cap.*7. Ex quibus primum illud *Tabanenſe*, veluti caput cæterorum erat, vt ex tota hiſtoria colligitur, præſertim *lib.*3. *cap.*10. vbi dicitur: *Latè diffuſa Cœnobij* (Tabanenſis) *fama, etiam procul ſitarum ad ſe Vrbium diſcurſus inuitat, quo talium exemplorum magiſterijs imbuerentur*. Omnia porro illa eiuſdem Inſtituti Monaſtici fuiſſe Coria exiſtimat. Credibilius tamen oppoſitum videtur; ſiquidem eo *cap.*10. Loquens de S. Columba relatus Eulogius, ait, quod Martinus, & Eliſabetha, *antequam Monaſterium* (Tabanenſe ſcilicet) *peterent, multis ſe Chriſto religionibus inter Conuentus populi conſecrarunt*. Erant igitur multæ *religiones* Cordubæ, & circa Ciuitatem, quibus ſe conſecrare potuerint. In ſpecie tamen, cuius Inſtituti fuerint prænominata Cœnobia haud facilè noſcitur, non tam propter rei arduitatem, quam propter varias Scriptorum ſententias, qui, nulla præmiſſa indagine, vulgari exiſtimationi, quam nos ſæpius reiecimus, adhæſere. Ex quibus nonnulli Benedictini fuiſſe autumant. At quo fundamento? Sane nullo, præter tritum illud, quod in Hiſpaniæ partibus nullum niſi S. Benedicti Monachiſmum ea tempeſtate claruiſſe opinentur. Sed fragile nimis tale fulcrum eſſe tam ſæpe inculcatum eſt, vt maiori non egeat repetitione. Cæterum ſpecialius cum Coria ſupra relato *lib.*1. *c.*15. ac Caſanate etiam ſupra euincere poſſumus quod

etſi

etſi omnino credere fas ſit hoc tempore Benedictinam inclytam familiam in ea Ciuitate, & alijs Hiſpaniæ Sedem habuiſſe; nihiloſecius Cœnobia iſta, & iſtorum Cœnobiorum aſcetas, magna ſaltem ex parte, alterius, Eliani nempe, Eſſeni, & Orientalis Inſtituti propagines extitiſſe, ad partes illas Hiſpaniarum aduectas. Primò quidem, quia Cœnobia hæc, *duplicia*, ſeu *promiſcua* erant, vt teſtatur Eulogius *lib.* 2. *cap.* 2. & *lib.* 3. *cap.* 7. ac alibi ſæpius; & fatetur Morales *in Annotat. ad Eulogium*; ex viris videlicet, & fœminis coniunctim viuentibus; ea tamen murorum diuiſione diſcreta, quam honeſtas expoſtulabat: habere autem talia Monaſteria; etſi per aliquod tempus Benedictinæ familiæ permiſſum fuerit, nihilominus proprius is mos erat Orientalium Monachorum, qui Eſſenorum inſtar, viros cum fœminis conuiuentes, etſi omni inhoneſtæ conuerſationis periculo ſublato, patiebantur; vt ſæpius diximus, & apud omnes eſt notiſſimum. Nec credi facile poteſt poſt plura Romanæ Eccleſiæ decreta ſimilia Cœnobia interdicentia Benedictinos Patres eidem obſequentiſſimos, ac in Occidentalibus partibus degentes, ipſis non paruiſſe: quod de Orientalibus Monachis ſub dubio verti poteſt, propter inueteratum, antiquiſſimum, & a primæuo Eccleſiæ initio vſum apud ipſos repertum. Deinde, quia iſtorum Cœnobiorum Monachi ſub vnius illius Tabanenſis regimine vigebant, prout ex eadem hiſtoria infert Coria. Atqui Benedictinorum Patrum Cœnobia ſuis proprijs Abbatibus gubernari conſueuere. Ad hæc, in Cœnobijs iſtis ſeuerior, & rigidior Monachiſmi ritus ſeruabatur, quam in alijs Benedictinam Regulam ſectantibus; prout haud obſcure ex eodem Eulogio in S. Sabigoto S.Fandila, & S. Columba elici datur. Vrget intentum, quod iſtorum Monaſteriorum Sodales coloris albi habitu induebantur; vt pote lineo, teſtante eodem Eulogio *lib.* 3. *cap.* 10. in Vita S. Columbæ, dum dicit: *Corpus ſternitur, nec mora, vt erat lineis indutum*; quod omnino Benedictinæ Religionis conſuetudini extraneum, & proprium Orientalium Monachorum eſt; qui ab Eſſenis ortum ducebant, ac propterea ſicut illi, albicantibus vtebantur veſtibus, vt ſæpius Tomo primo, & ſecundo comprobauimus: ac de Tabennenſis Religionis alumnis conſtat in Vita S. Pachomij *cap.* 22. manifeſtè. Maximè tamen concludit intentum, quod horum Cœnobiorum Monachi cum Orientalibus Syriæ, Terræ Sanctæ, & Lauræ S. Sabæ participabant, adeo vt vnus ex iſtis Palæſtinis, Beetlehemita, Georgius nomine, ad Hiſpaniæ Regiones a conſortibus miſſus veniſſet ſtipendij requirendi gratia; ab alijs (vtique eiuſdem Religionis) Hiſpaniam colentibus; prout teſtatum etiam reliquit idem Eulogius *lib.* 2. *cap.* 10. in Vita eiuſdem Georgij ea ſcribentis, quæ nos inferius, dum de eodem Georgio ſermo erit, referemus. Ex illis namque elicitur Monachos illos Terræ Sanctæ Colonos, cum his Cordubenſibus, veluti Sodalibus, commercium habuiſſe; ac proinde quod ſicut illi Eliani, & Prophetici Ordinis, non Benedictini, aut alterius poſterioris,

erant,

erant, ſic ex parte iſti Cordubenſes. Nec contemnendũ pro intento, quod ſicut in Vita S.Columbæ *lib. 3. cap.* 10. ait idem Eulogius, cum Tabanenſe Cœnobium a Mauris euerſum eſſet, ipſa cum Sodalibus ad prædiolum quoddam *retrudendæ* confugerùnt; non vero ad Benedictinas Sanctimoniales, prout facere deberent, ſi eiuſdem cum ipſis Inſtituti Monaſtici eſſent. Ex ijs porro, vel ſimul coniunctis perſpicuè colligi videtur Monachos iſtos, magna ſaltem, vt diximus, parte, nihil commune (nomine excepto) cum Benedictinæ Scholæ, etſi præſtantiſsimæ, alumnis habuiſſe; ſed Orientalium fœtus in Hiſpaniam translatos iure æſtimari debere.

An hi Monachi Baſiliani fuerint.

14 At non deerit, qui cum Coria noſtro ſuperius nominato dicat, eos, non Benedicti, non Auguſtini, ſed tamen Baſilij filios fuiſſe, ac proinde nihil Elianis cum ipſis peculiare. Verumtamen, quod ad Coriam attinet, ipſe dum Baſilianos hos Monachos cenſet, ipſorumque Cœnobia Baſilianorum Cœtui aſcribit, nequaquam a Prophetico, & Eliano Ordine ablegat, ſed eiuſdem Inſtituti cum ipſo credit, qui Baſilianos (nec immerito) ſicut & ipſorum Patriarcham Baſilium, Eliæ proles autumat. Verbis ergo dumtaxat a Coria diſcedimus. Quod vero potiori iure Elianis quam Baſilianis accenſeri debeant, quæ adduximus, ſi enucleentur, conuincunt quoque: Eliani namque promiſcuis virorum, & Virginum Cœnobijs; habitu albicanti, Eſſenorum more; vnius Archimandritæ regimine; & Laurarum Palæſtinæ poſſeſsione potiebantur, prout multa Tomo præcedenti relata ſuadent.

Monachi alij.

15 Accenſendi pariter eidem Inſtituto, ac proinde noſtris Annalibus, Martinus Tabanenſis Cœnobij Abbas, frater Eliſabethæ vxoris Ieremiæ Martyris, ſub cuius *Regularibus diſciplinis*, vt idem Eulogius *lib. 2. cap.* 2. affirmat, Iſaac Monachus relatus *per triennium* vixit; antequam pro Chriſto Martyr extitiſſet. Et Petrus Sacerdos, ac Vvalabonſus Diaconus, Cuteclarenſis Cœnobij Coloni, qui etiam ob teſtimonium veritatis occiſi ſunt. Item Sabinianus, & Vviſtremundus Cœnobij S. Zoili Armiralenſis Monachi; ac Habentius Monaſterij S. Chriſtophori Monachus, Martyres cum Ieremia ſene, etiam ab eodem Eulogio commemorati eo *lib. 2. cap.* 4. Vbi de iſto Habentio hæc inquit, quibus etiam denotatur ex Palæſtinis Monachis fuiſſe (quibus familiaris ferme erat rigidiſsimus hic viuendi ritus) *ſæculo mortuus, Chriſto autem ſub arctiſſima regula degens, vtpote ſpontaneo carceri ſe tradens, altis maceriarum ſepibus circunclusus, ferreiſque laminis intus ad carnem obſeptus, per feneſtras ſe aduentantibus exhibebat viſendum*. Ad pudorem ſanè noſtri temporis delicate viuentium quorundam. Illis iungitur Theodemirus Carmonenſis Martyr etiam, & Monachus; de quo idem Eulogius *eo lib. cap.* 6. Et Saluator Presbyter Monaſterij S. Felicis apud Fronianum Oppidum, cuius & meminit *eo lib. cap.* 8. Maximè Maria Virgo Sanctimonialis Monaſterij Cuteclarenſis, & Vvalabonſi ſoror, quæ cum Flora alia ſimul paſ-

ſa eſt,

ſa eſt, vt idem Eulogius ibi affert. Qui capite ſequenti idem refert de Monacho alio *Seruo Dei* nuncupato.

16 Præ multis autem vnus Georgius ſupra commemoratus, Beethleemiticus, Monaſterij S. Sabæ ab Hieroſolyma octo milliaribus diſtantis Monachus, hac tempeſtate floruit. Cum enim poſtquam per 27. annos in eo Cœnobio cum quingentis fratribus, qui ipſum incolebant, commoratus fuiſſet, a Dauide ipſius Abbate in Africam miſſus, inde in Hiſpaniam veniſſet, ſtipendij dicti Monaſterij requirendi gratia (vtique ab alijs eiuſdem profeſsionis Monachis in Hiſpania degentibus, vt ſuperius dicere cœpimus) virque eſſet magnæ humilitatis, & abſtinentiæ, ſæpiuſque in ore haberet illud Monachorum veluti proprium carmen: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo*, cum multis alijs Martyrij palma decorari meruit, ſepultus cum S. Aurelio etiam Martyre in Cœnobio *Pilemelarienſi*. S. Eulogius *lib.* 2. *Memorialis Sanctorum cap.* 10. vbi etiam affert epiſtolam, quam idem Georgius ad ſui Monaſterij S. Sabæ Monachos ſcribebat huius tenoris. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Vniuerſæ Catholicæ Eccleſiæ a me indigno, & peccatore Georgio Monacho, nec non & Diacono fratre, & collega ſeruorum Dei filiorum S. Sabæ quingentorum virorum perfectam in Domino Ieſu Chriſto ſalutem. Cognoſcite, o fratres chariſſimi, introitum meum in Hiſpaniam nihil aliud fuiſſe niſi gratia ſtipendij veſtri requirendi, qui ſub arctiſſima regula, & regimine Sancti patris Dauid Hieroſolymis degitis. A quibus Africam miſſus, deinceps in Hiſpanias commigraui. Sed hanc ipſam inſulam nimis afflictam reperiens, cœpi cogitationibus varijs æſtuare, vt aut proprium ſolum reuiſerem, aut regna Chriſtianorum, id eſt, Franciam peterem. Et cum proximos, & chariſſimos ſuper hac re conſulerem, nonnulli peragrare iubebant, plerique ad Cœnobium meum reuerti cogebant. Hinc velut dubius diuerſo præpeditus tractu, cui me primo cogitationi ſubmitterem neſciebam. Pergens autem de Corduba ad Tabanenſe Cœnobium, quo fratrum, & ſororum benedictio iter meum comitaretur: dixit mihi Abbas ille Martinus, & ſoror eius Domina Eliſabeth: Veni frater, & accipe benedictionem ancillæ Dei Sabigothonis, quæ mox vt me intuita eſt: promiſſus, inquit, noſtri certaminis comes, & collega hic Monachus erit. Ego verò agnita cauſa eius, & ratione comperta, illico pedibus eius aduolutus pro me Dominum exorare rogaui, vt forſitan Spiritus Sancti reſpectu illuſtratus ad ea quæ illa præſtolabatur peruenire meruiſſem. Et illa: Vnde hoc nobis, inquit, pater? Cumque eadem nocte ibidem manſiſſem, apparuit mihi in viſione noctis ipſa venerabilis mulier Sabigotho, & neſcio quod genus odoramenti pretioſiſſimi ligni accommodans, referebat. Ditior ex hoc mihi theſaurus eſt. Mane autem facto, deſcendimus ambo in Ciuitatem ad virum ſuum Aurelium, proſtrauique me pedibus eius petens ab eo, vt oraret pro me, quod illis in Martyrio ſocius eſſem. Qui ſtatum præbens aſſenſum exarſit in me ignis cæleſtis per orationes eorum, & factus ſum vnus ex illis: & ex tunc non*

ſum

Georgius Beethleemiticus.

ſum ab eis ſeparatus, ſed omnes pariter in domo S. Aurelij congregati reddimus Domino cum iucunditate vota laudationis. Alia prætermittimus, quæ in eodem Eulogio cerni poſſunt. Sed interim animaduertat lector, quam latè propagatus eſſet, his etiam calamitoſis temporibus, Monaſticus Ordo, in Palæſtinæ partibus, vt quingenti Monachi in vno S. Sabæ Monaſterio Ieroſolymitano ab hoc Georgio cenſeantur, ſub vno Dauide Archimandrita.

Alij Martyres Monachi.

17 Adiuncti ſunt præcedentibus Monachis Martyribus duo alij etiam Martyres, & Monachi, Chriſtophorus, & Leouigildus. Primus quidem colonus Monaſterij S. Martini in Montana Cordubenſi, loco qui appellatur *Roiana*. Poſterior verò ex Cœnobio Sanctorum Iuſti, & Paſtoris in interiori Montana Cordubenſi, loco qui dicitur *Fraga*. Etenim pro fidei confeſsione Deo animas reddiderunt, & corpora ferme aduſta Baſilicæ S. Zoili. Teſtante eodem Eulogio *lib.2. cap.* 11.

Duo alij Monachi eunuchi.

18 Numerum etiam Martyrum auxerunt alij duo Monachi eunuchi; nomen Vni Rogellius, ſenex, prouectæque ætatis; alteri *Seruio Deo* (ſic enim vocabatur) iuuenis, & ex Orientis partibus oriundus: vt vel ex hoc etiam elici detur Hiſpanos hos Monachos eiuſdem Inſtituti, ac Orientales eſſe. Hi ergo duo Chriſti milites Cordubenſe Saracenorum fanum ingredentes, Euangelium prædicantes, falſi vatis dogmata ſubſannantes, poſt plura quæ perpeſsi ſunt a Mahumeianis, tandem fœlici Martyrio vitam conſummarunt. Eulogius *lib.2. cap.* 13.

Fandila Monachus.

19 Hoc etiam Martyrum Monachorum agmen decorauit Fandila eiuſdem profeſsionis in Cœnobio Tabanenſi ſub Martino Abbate prius alumnus, & poſtea Monaſterij S. Saluatoris non procul a Corduba ad radicem mellaris pinniculi poſiti Præfectus. Iudici enim aſtans Euangelium prædicat; impudicum Machometum exprobrat; & pœnas incendij Sectatoribus minatur. Hinc carcere truſus, vinculis coarctatus, & cum latronibus deputatus, gladio percuſſus, & patibulo ſuſpenſus, Chriſti athleta de improbis triumphauit. Eulogius *lib.* 3. *cap.* 7.

Alij Martyres vtriuſque ſexus.

20 Illos etiam ſecuti ſunt in Monaſtica profeſsione, & Martyrij perpeſsione, Felix Monachus Complutenſis; digna Monialis Collegij Venerabilis Eliſabeth; de quibus idem Eulogius *lib.* 3. *cap.* 8. Maxime tamen Columba Virgo Tabanenſis Cœnobij alumna, Abbatis Martini, & Eliſabeth ſoror, quæ ſub eorum regimine miris virtutibus clarens, ad maiora anhelans, Monaſterij clauſtra deſerit, iudicem adit, Euangelicam veritatem profert, iniquum dogma retundit, & contra ſe prouocare conatur. Intentum aſſequitur; nam in tantæ virtutis præmium capitis obtruncatione Martyrij palmam meruit obtinere. Plura de ipſa Eulogius *lib.* 3. *cap.* 10. Item Pompoſa Virgo Sanctimonialis Cœnobij Sancti Saluatoris ſuperius commemorati, ad radicem Pinnæ Mellariſſæ conſtituti; cuius ſanctitatem referebat Felix Monachus, & Abbas eiuſdem Monaſterij; quæ etiam Monaſterij clauſtra aufugiens, iudicem

cem adijt, confudit, & ab ipſo trucidari ob Chriſti confeſsionem meruit. Idem Eulogius *lib.* 3. *cap.* 11.

Ann. Chriſt. 855. vſque ad 857. Benedicti III. Rom. Pontif. 1. vſque ad 3. Michaelis Porphyrogeniti Orient. Imper. 14. vſque ad 16. Lotharij Imper. Occid. 15. & Ludou. II. 1. & 2.

1 MORITVR anno 855. S. Leo Papa; & poſt eius obitum Pontifex creatur Benedictus huius nominis Tertius; homo ſanctus, & virtutibus plenus. Verum mox factione Legatorum, qui delecti fuerant ad ferendum ex more Imperatoribus decretum electionis Benedicti, aliorumque prauorum omnis generis hominum conatu, ſed & conſenſu Legatorum a Ludouico Imperatore Romam miſſorum, Anaſtaſius quidam presbyter a Leone prius excommunicatus in Synodo, atque depoſitus, Romam deductus, primo Baſilicam S. Petri ſacrilegè inuadens, Imagines ſacras exturbauit, confregit, combuſſitque: deinde ad Lateranenſe Patriarchium properans ſeſe in ſolium Pontificium intruſit, eiecto Benedicto, ac poſt multa conuicia, & verbera cuſtodiæ mancipato. Sed reſiſtentibus magna conſtantia Epiſcopis, vnà cum Clero, populoque Romano; ijdem Imperatoris Legati poſt triduum coacti ſunt Anaſtaſium expellere, & poſt indictum pro Eccleſiæ vnitate triduanum ieiunium, Benedicto ſe reconciliare: quiquidem, factioſis ad pedes eius proſtratis, in gratiam receptis, in Baſilica S. Petri conſecratus eſt, magna omnium exultatione. Narrantur hæc fuſius ab Anaſtaſio Bibliothecario, qui aderat, quem alij ſequuntur, & Ludouici Imperatoris conatui hæc tribuunt. *Benedicti III. Pontificatus, & caſus.*

2 Narrat etiam idem Anaſtaſius inter egregia geſta huius Pontificis, quod in Monaſterio B. Martini *fecit camiſtra duo ex argento puriſſimo penſantia libras quatuor, & ſemis*; & quod in titulo B. Chryſogoni Martyris *fecit calices ex argento puriſſimo quinque, penſantes ſimul libras vndecim, & vncias ſex*. Quæ ad noſtram ſpectant hiſtoriam, cum Monaſterium illud B. Martini forſan ſit illud quod a Papa Leone IV. apud Eccleſiam noſtram Sanctorum Silueſtri, & Martini extructum *ſub anno* 847. diximus. Et titulus ille Beati Chryſogoni Ordini noſtro ceſſerit. *Geſta Papæ Benedicti.*

3 Quamuis autem noſtræ hiſtoriæ exterum omnino videatur, nihilominus quia apud nonnullos non ſolum hæreticos, ſed & Orthodoxos etiam, pro vera, dubia ſaltem, habetur, hiſtoria quædam fabuloſa, huic tempori aſcripta de fœmina quadam Papiſſa poſt S. Leonem Papam, & ante Benedictum III. Eccleſiæ Romanæ Cathedram moderante, ideo, *Fabula de Papiſſa Ioanna.*

etſi

etſi non pro rei dignitate, quia de ipſa plures, & valde docti ſcripſerunt, ſaltem prout ſufficiat ad figmentum hoc ex toto Chriſtiano Orbe eliminandum, aliqua hoc loco proponenda. Primò quidem, Marianum Scotum, Sigebertum Gemblahenſem, aut Martinum Polonum, qui primi huius rei aſſertores referuntur, nihil tale ſcripſiſſe, ſed nec ſomniaſſe; etſi improborum hominum fraude in eorum libris innexum deprehendatur; prout latè, & eruditè probat Leo Allatius *in tractatu* de hac ſabula ex varijs fundamentis, & Authoribus. Secundò, quod ſi de aliquo commento maxime dici poteſt illud axioma: Contraria allegans non auditur. *l. Titiæ ff. de condit. & demonſtr. l. 1. C. de furtis, l. tranſactione C. de tranſact. c. imputari de fide Inſtrum. C. Sollicitudinem de appellat:* id præcipue de huiuſmodi fabella dici poteſt. Ex eis namque qui ipſam ſequuntur, alij fœminam hanc *Ioannam* vocatam volunt; nominatam antea *Agnetem* alij dixere, alij *Gilbertam*, *Iſabellam* alij, ſeu *Margaritam*, vel etiam *Tuttam*, aut *Dorotheam:* præterquamquod alij natione Germanam, alij dixere Anglicanam. Rurſum quanta diuerſitas in nomine quod ipſi confinxerunt, vel leuiter crediderunt; dum alij eam vocant Ioannem Septimum; alij Octauum; alij verò Nonum, cum tamen certiſſimè conſtet legitimos fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Pontifices Ioannem Septimum, Octauum, & Nonum. Sed & in tempore valde ſibi contrariantur, dum alij hoc anno octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo; octauo alij; quidam nongenteſimo quarto; præter eos qui eam ponunt poſt Martinum Primum anno Domini ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, vel poſt Ioannem Quintum anno ſexcenteſimo octogeſimo ſexto. In Sedis verò tempore quanta inter eos repugnantia, dum alij eam ſediſſe tradunt anno vno, & menſe vno, & diebus quatuor; alij annis duobus totidem menſibus, & diebus quatuor; alij duobus annis cum dimidio; duobus tantum annis alij; alij verò tantum quatuor menſibus. Denique quanta diuerſitas in eiuſdem fabulæ narratione; dum nec vnus quidem reperitur qui conſentiat alteri, imò omnes inter ſe diſſentiant, contradicantque ſibi inuicem. Dicitur etiam a quibuſdam Athenis Philoſophiam didiciſſe; cum tamen eo tempore vix Athenienſium ſcholarum veſtigium, vel nomen extaret. Nulla ergo hiſtoria ſit adeo mendax, variaque, & omni penitus fide indignior. Tertio, quod eo tempore ferme Moguncíaci in Germania mulier *Thiota* nomine, vt tradunt Francorum Annales, & Sigebertus *in Chronic.* res Eccleſiaſticas perturbabat; nouam ſe Propheticiſſam dicebat, vſurpabatque publicè docendi munus, & concionandi: adeo, vt multi, ſacra doctrina poſtpoſita, eam quaſi magiſtram cœlitus deſtinatam, ſequerentur; etſi re poſtea detecta, Synodali iudicio damnata fuerit. Hinc ergo rudes aliquot poſterioris ſeculi homines, dum audiunt inter Leonem, & Benedictum, (vel ſaltem illo tempore) fœminam quandam Moguncíacam non tantum prophetaſſe, ſed prædicaſſe, obijſſeque alia munia, quibus ſummi

Sacer-

Sacerdotes decorantur, animum a femella, quam nec cogitaſſe tantum ſcelus credunt, auertentes, ad Principem omnium magiſtram, Petri cathedram ſcilicet, cuius id munus eſſe optimè norunt, inducunt, & a Germania in Italiam, a Moguntiaco Romam tranſtulerunt. Quartò, quod tempore illo, quo Marianus Scotus, qui primus huius figmenti artifex creditur, ſcribebat, fama ferebatur quod fœmina quædam ad ſedem Conſtantinopolitanam euecta eſſet, vt apertè conſtat ex Epiſtola Leonis Noni Romani Pontificis ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum, atque Leonem Acridanum, quæ eſt Epiſtola prima eiuſdem Leonis. Hinc ergo, ea, quæ de Eccleſia Conſtantinopolitana vulgata fama ferebantur in Romanam Eccleſiam a ſchiſmaticis ipſam odio proſequentibus, & calumnijs proſcindentibus, conuerſa fuerunt. Aliam huiuſcemodi mendacij apertiſſimi occaſionem *ſub ann. Chriſt.* 873. dum de Ioanne Octauo Papa, quem iſtam Papiſſam fuiſſe aliqui ſomniarunt, afferemus, congruentiorem forte. Sed multo fortius arridet huiuſmodi diabolicum figmentum anſam habuiſſe ex eo quod inferius, ſub temporibus ſcilicet Sergij III. & Ioannis X. & Ioann. II. Romæ contigiſſe dicemus, ſcilicet fœminas quaſdam malæ notæ, matrem videlicet, & duas filias, adeo turpiter Eccleſiæ faciem fœdaſſe, vt ad ipſarum nutum Romani Pontifices intruderentur, & deponerentur, & Eccleſia regeretur: ex tali enim rerum monſtruoſitate, occaſionem habere potuit huius fabulæ, poſtea ab ignaris, vel male affectis authoribus, magis propagatæ. Notet quintò Lector, quod de hac fœmina in Papatum intruſa nihil non ſolum Græci ſcriptores Romanorum æmuli; ſed neque ex Latinis Anaſtaſius Bibliothecarius, qui Leonis Quarti, Benedicti Tertij, & Nicolai Primi creationi præſens interfuit. Nihil etiam hac de re Ioannes Diaconus, Addo Vienneſis, qui nono ſeculo huic proximo ſcripſerunt. Nihil Regino, & Luitprandus, qui decimo. Nihil Hermannus Contractus, Lambertus Scaffnaburgenſis, qui vndecimo. Nihil denique ſubſequentium ſeculorum ſcriptores Ademarus, Hugo Floriacenſis, Leo Hoſtienſis, Ioannes Cremonenſis, Florentius Vingornienſis, Honorius Auguſtodunenſis, Nicolaus Maniacutius, Conradus Abbas Vrbſergenſis, Albertus Stadenſis, Vincentius Burgundus, Matthæus Veſthmonaſterienſis, alijque poſteriores. Nihil manuſcripti, & antiqui Indices Pontificum, quos videre contigit, inter Leonem, & Benedictum. Quod ſi Platina huic figmento adhærere credatur, notet ipſum ſic addidiſſe: *Hæc quæ dixi vulgo feruntur: incertis tamen, & obſcuris auctoribus, quæ ideo ponere breuiter, & nude inſtitui; ne obſtinate nimium, & pertinaciter omiſiſſe videar, quod fere omnes affirmant: erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quanquam appareat ea quæ dixi ex his eſſe, quæ fieri poſſe creduntur.* Perpendat ſextò (quod magni ponderis argumentum eſt) quod tempore Leonis Quarti, & Benedicti Tertij quo huiuſmodi fœmineum portentum in Cathedra Petri ſediſſe fingi-

tur,

tur, inter alios Romanæ Sedis infenſiſſimos hoſtes, vnus erat Photius Conſtantinopolitanus Patriarcha, ſceleſtiſſimus homo, qui totam Orientis oram ad defectionem a Romanis Pontificibus compellebat ore, calamo, factiſque immaniſſimis: apud quem nihilominus nec verbulum reperiet, quo næuum hunc tam infamem Romanæ Eccleſiæ appingere auderet; facturus ſanè ſi vel minimum credibilitatis habuiſſet. Similiter Michael Imperator, Pontificibus quoque Romanis, per litteras etiam infenſus; qui pariter in Eccleſiaſtica ſæuiebat, Religionis myſteria peſſum dabat, & ſcurriliter ſacra irridebat; nihil tamen de hac fabuloſa Papiſſa Latinis obijcere vnquam viſus, vel auditus eſt: cum alioquin id facere ſibi vtile eſſe poſſet, vel ad ſceleratam, quam gerebat vitam, a reprehenſione Pontificia tuendam. Faceſſat ergo fictitium hoc maleuolorum ſomnium, expuendum potius quàm reijciendum, prout faciunt Honuphrius, Gilbertus, Iodocus, Baronius, Bellarminus, Serarius, Miræus, Floremundus, & plures alij, contra Nouatores Magdeburgenſes, Ioannem Carrionem, Franciſcum Iunium, & Stephellium, qui ſacrilegum illud mendacium euomuit:

Ecce regnat mulier Moguntina
Illa Papatum orbis deſignat.

Martyres Cordubenſes.

4 Veniamus iam ad veram hiſtoriam, noſtræque propriorem, de Martyribus Cordubenſibus a Beato Eulogio commemoratis. Hoc enim tempore inter plures, qui pro Chriſto animas reddidere ex Monachis Ludouicus Cordubenſis, & frater Pauli Diaconi, vnus erat, qui ſancto fœdere fratri vnitus cum ipſo peremptus eſt. Item Paulus, & Iſidorus etiam Monachi adhuc iuuenili ætate florentes. Et Argimirus, qui enſe transfoſſus Martyrum Monachorum numero aggregari obtinuit. Ac Aurea Virgo Sanctimonialis Cœnobij Cuteclarienſis in ſuperioribus commemorati, quæ licet primum Chriſti fidem coram iudice abnegaſſet, poſtea tamen facti pœnitens, pro ipſa Martyr eſſe meruit. Hos porro cum alijs in ſuperioribus commemoratis, noſtris accenſemus, propter fundamenta ibi adducta, quæ ad minus euincunt plures ex illis inter Eliades connumerari debere, prout Coria, & Caſanate ibi relati iure autumant.

Ann.

Ann. Chriſt. 858. vſque ad 867. Nicolai I. Roman. Pontif. 1. vſque ad 10. Michaelis Porphyrogen. Orient. Imper. 17. vſque ad 26. Baſilij Maced. I. & Ludou. II. Imp. Occid. 3. vſque ad 12.

1 NICOLAI I. Summi Pontificis poſt Benedictum III. ex humanis ſublatum, aſſumptionis ad Papatum hoc tempus deſcribitur. Præſente enim Ludouico Imper. etſi inuitus, in Baſilica S. Petri conſecratus, meruit ab ipſo, prædeceſſoribus Pontificibus contumelioſo, humillimis obſequijs honorari, quæ narrat Anaſtaſius *in Nicolao*. Meruit quoque a Reginone, & eius ſucceſſore Hadriano Eliæ Patriarchæ noſtro ob virtutum merita comparari. Baronius *ſub ann.* 867. Fuit etiam hic Pontifex benignus Monachorum protector, & a ſecularium Principum poteſtate defenſor, prout indicant verba ipſius in celebri illa Epiſtola ad Michaelem Imperatorem rebellem, vbi ſic: *Veſtrum autem, & piorum Imperatorum non eſt vllum penitus quærendi Monachos miniſterium, niſi ad miſerendum, & orationes eorum ſubmiſſe poſcendum*. Principes ergo laici nequeunt ſibi Monachorum miniſterium exquirere, ſed ipſis ſubuenire, & eorum orationibus adiuuari poſtulare. Geſta Nicolai I. Papæ.

2 Iuxta aliquos etiam, quos ſuppreſſo nomine refert Troilus Maluetius *in Tract. de Canonizatione Sanctorum in fin.* hic Pontifex Nicolaus I. fuit, primus qui Sanctum aliquem canonizauit. Sic enim ibi ſcribit, loquens de primo canonizato. *Reperi in loco non vulgari primum fuiſſe quendam Apollonium eremitam natione Græcum, ac pro fide Chriſti martyrizatum, per Nicolaum primum hac forma canonizatum. Qui Apollonius tempore Chriſti in quadam ſilua paſtoribus prædicans Chriſtum ipſum verum eſſe Meſſiam, a Iudæis clauis ligneis in Domino paſſus eſt Martyrium. Et hoc ipſum Nicolao ſcire optanti quis primo martyrizatus fuerit, diuino ſpiritu reuelatum eſt. Quod verò dicitur de B. Stephano Protomartyre intelligi debet poſt Chriſti mortem. Et proculdubio nouum quamplurimis videbitur. Nec miretur aliquis ſi authoris nomen tacui: hoc enim reperi in libro quodam antiquiſſimo, ac ſine titulo, cui fidem præſtiti, cum ibi quamplurima alia Romanorum, ac Summorum Pontificum geſta, quæ vera reputantur, repererim.* Hæc Troilus. Etſi autem ſciam Bellarminum, Angelum Roccam, Contelorium, & alios, aliter ſentire de primo canonizato; nihilominus quia nihil hac in re certi eſt, & quia hæc hiſtoria credibilitatem præſefert, & confirmat id quod diximus Tomo præcedenti, ſcilicet, tempore ipſo Chriſti, & circiter, fuiſſe Eremitas, Anachoretas, ſeu Eſſenos, Apollonius Eremita, an primus canonizatus.

nos, quales fuerunt non ſolum Ioannes Baptiſta, ſed etiam Abbas Scariothus, & alij ibi relati, ideo prætermitti non debuit.

Martyrium S. Eulogij. 3 Ad hoc etiam tempus refertur Martyrium magni illius promotoris Martyrum, Chriſti præconis, Mahometanæ prauitatis eximij debellatoris, & Monachorum Cordubenſium, qui Eliani Inſtituti æmulatores erant, fideliſſimi Chronologi, S. Eulogij Cordubenſis presbyteri, & in Toletanum Antiſtitem electi. Quod Aluarus eius temporis ſinceriſſimus ſcriptor ſimul cum Martyrio S. Leocritiæ, ſic refert. *Eo die, neſcio cuius inſtinctu, quorumue inſidijs, & proditione locus Præſidi latibuli indicatur, & a militibus ad hoc miſſis ex improuiſo omnis illa eorum habitatio circundatur. Actumque eſt, vt electus & prædeſtinatus Martyr præſentialiter adfuiſſet. In cuius præſentia iam dictam Leocritiam virginem educentes, eumque vna pariter comprehendentes, verberantes, multiſque contumelijs affligentes iniquo Præſidi, & ſcelerato Iudici præſentarunt. Quem mox Iudex per flagella occidere cogitans, truculento vultu, & impatienti animo, vehementi furore accenſus, furioſis verbis interrogat, virginemque cur domo retinuerit minitando diſquirit. Cui libentiſſime, & patientiſſime more locutionis ſuæ ſplendide rei veritatem hoc ordine pandit. Præſes; ordo nobis prædicationis iniunctus eſt, & noſtræ hoc fidei conuenit, vt diſquirentibus a nobis lumen fidei porrigamus, nullique ad vitæ itinera properanti, quæ ſancta ſunt denegemus. Hoc ſacerdotibus competit, hoc Religio vera depoſcit, hoc etiam Chriſtus Dominus noſter nos docuit, vt quiſquis ſitiens fidei haurire flumina voluerit, in duplo potum inueniat quem quæſiuit. Et quoniam hæc Virgo fidei ſanctæ regulam a nobis inquirere viſa eſt, neceſſarium extitit, vt illi noſtra eo ſe libentius applicaret intentio, quo eius in amplius incenderetur affectio: nec decuit talia deſiderantem reijcere, præſertim illi qui ad hoc Chriſti electus eſt munere; vnde & vt poſſe mihi extitit, illuſtraui & docui, & fidem Chriſti viam regni eſſe cæleſtis expoſui: quomodo & tibi ſi me diſquirendum putares libentiſſimè facerem. Tunc Præſes turbido vultu virgas inducere iuſſit, eum minitans flagellis perimere. Cui Sanctus dixit: Quid iſtis virgis exercere cupis? Animam (inquit) tuam per has educere volo. Gladium, ait, acue & compone, pro quo animam a vinculo corporis expeditam ei reddas qui dedit: nam flagellis membra diſſecare non æſtimes. Et mox clara inuentione, & ſufficienti eloquio falſitatem vatis ſui, & legis improperans, & prædicationis verbum ingeminans ſub omni velocitate palatium ducitur, & ad Regis Conſiliarios vſque pertrahitur. Vbi vnus ex ipſis illi familiariſſimè notus compatiendo inſiluit. Si ſtulti, inquit, & idiotæ in hanc mortis deflendam ruinam deuecti ſunt, tu ſapientiæ decore præcinctus, & vitæ moribus illuſtratus, quæ te dementia huic mortifero caſui, oblitterato naturali vitæ amore, committere compulit? Audi me, obſecro, & ne præcipiti caſu corruas, rogo. Dic tantum verbo in hora huius tuæ neceſsitatis, & poſtea tua vbi potueris, vtere fide. Promittimus te nuſpiam inquirendum. Cui beatiſsimus Martyr ſubridens: O, inquit ſi ſcire potuiſſes, quanta fidei noſtræ*

noſtra cultoribus maneant repoſita, aut ſi poſſem quod meo retineo, tuo committere pectori: tunc iam non me a propoſito reuocare conareris, ſed libentius te ab hoc mundiali honore amouere cogitares: & cœpit eis Euangelij æterni verbum porrigere, & prædicationem Regni conſtanti libertate infundere. Qui illico eum nolentes audire gladio iubent tranſfigi. Cumque duceretur vnus ex eunuchis Regis alapa eum percuſſit, cui ille alteram faciem præparans; obſecro, inquit, vt hanc iterum verberando priori coæques; quam cum ſecundò feriret, ille patiens, & mitis iterum priorem parauit. Sed impetu militum ad locum occiſionis deducitur, vbi genua in oratione curuans, & manus ad Cœlos extendens, ſignoque Crucis totum ſe muniens, paucis verbis intra ſe orans, ceruicem mucroni extendit, & celeri ictu, mundum contemnens, vitam inuenit. Compleuit Martyrium ſuum 5. Id. Martij, die Sabbatho, hora nona.

4 Refertur, & ad hoc tempus hiſtoria de erroribus Armenorum, ex Nicone *in tom.* 3. *Biblioth. PP.* De quibus etiam Nicephorus, Sanderus, Prateolus, Caſtrus, Baronius, Gualterius, & alij; ſed noſter lector adeat Guidonem Carmelitam, ab aliquibus illorum, nec commemoratum, nec lectum, & inueniet triginta Armenorum errores ab ipſo relatos, & confutatos, quod ab eo alij accipere potuere, ipſo non relato. Armenorum errores.

5 Extat etiam ſub hoc tempore Papæ Nicolai duorum Orientalium Monachorum Cyrilli, & Methodij celebre nomen, qui ex Cherſona Romam corpus S. Clementis Papæ tranſtulerunt. Sic ex Petro de Natalibus *lib.* 10. *cap.* 98. & apud Baronium *ſub ann.* 867. Qui etiam de illis ſubiungit: *Porrò Cyrillus, atque Methiodus manſerunt Romæ vſque ad creationem Hadriani Nicolai ſucceſſoris; a quo ambo miſſi ſunt ad prædicandum Euangelium Slauis, quorum linguam didicerant, de quorum Apoſtolatu ab Hadriano collato meminit Ioannes Papa Octauus in ſuis Epiſtolis.* Hæc de iſtis commemorari nobis debuerunt, cum Orientales Monachi fuerint, qui ſucceſſione, vel ſaltem imitatione, Eliani, & Prophetici Inſtituti cultores erant. Porro quod Petrus iſte dicit de Epiſtolis Ioann. VIII. eas refert idem Baronius *ſub ann.* 880. & ex illis habetur, Methodium eo tempore Romam reuerſum fuiſſe, Archiepiſcopum Marauenſem extitiſſe, & a Papa in fide Orthodoxa probatum, ac ab ipſo commendatum iterum ad ſuum munus dimiſſum eſſe. Cyrillus, & Methodius Monachi.

6 Loquens etiam de hoc Pontifice Anaſtaſius *in eius Vita*, inquit, eius tempore, Tiberi inundante, aquam ingreſſam in Monaſterium S. Silueſtri, & Dionyſij. Quæ nobis notanda ſunt propter dicta *ſub anno* 757. de hac Eccleſia, & prima eius fundatione ex Elianis Monachis ſub Summis Pontificibus S. Dionyſio, & S. Silueſtro. Tiberis inundatio.

7 Tribui etiam huic tempori poteſt Monachorum Cordubenſium ad alias partes Hiſpaniæ quoque tranſmigratio. Cum enim, graſſante Mahumetanorum in ipſos perſecutione, plures gladio, igne, aliiſque Monachorũ Cordubenſiũ tranſmigratio

tormentis Martyrij palmam conſecuti fuerint, prout ex dictis in præcedentibus notum eſt; alij exules, & extorres effecti ad alia Chriſtianitatis loca confugere ſunt coacti. Prout de Auguſtinianis, & Benedictinis habet Coria noſter *in Chronic. Carmelitar. lib. 5. cap. 16.* Prudenti etiam coniectura ſuſpicans Elianos noſtros Toletum conueniſſe, Petri Alcozerij, & Petri Sanctij teſtimonijs ſuffultus. Et ſane, cum, etſi hoc tempore Toletana Ciuitas ſub iugo barbarorum eſſet; nihilominus, quia Chriſtianitatis liber vſus in ea erat, in ipſa quoque S. Mariæ de Alfizen antiqua Ordinis noſtri Eccleſia, in qua tunc Cathedralis Sedes Archiepiſcopi reſidebat; potuerunt eò refugij cauſa ſe conferre, vel ad alium locum, quo fratres ibi primo commorantes ſe tranſtulerant, vt locum cederent Antiſtiti, & Clericis Alfizen Eremiterium occupantibus. Reuidenda, quæ diximus *ſub ann. 731.*

Ann. Chriſt. 868. vſque ad 872. Hadriani II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 5. Baſilij Orient. Imper. 2. vſque ad 6. & Ludouici II. Imper. Occid. 13. vſque ad 17.

Hadriani II. Papæ geſta.

1 QVINQVE hi anni Pontificatui Hadriani II. qui poſt tranſitum laudatiſſimi Papæ Nicolai conſecrationem accepit, attribuuntur. Ex eo quoque valde ipſe laudabilis quod ſummis virtutibus præditus, & in pauperes maximè miſericors, in exemplum ſucceſſorum extiterit. Hæc Anaſtaſius, ſiue alius eius nomine *in Geſtis Hadriani*. Conſtat etiam ex eiuſdem Hadriani Epiſtola ad Baſilium Imperatorem, ipſum zelatorem quoque fuiſſe Clauſuræ Monachorum, ſeu de impediendo ne ex vno loco ad alium ſine legitima licentia tranſmigrarent. Cum enim Baſilius, Petrus, Zoſimas, & alius Baſilius Monachi Roma relicta Conſtantinopolim perrexiſſent, eos ad ſe reduci Pontifex præcipit, alioquin puniturum eum qui apud ſe eos retinere auderet. Credi facilè poteſt Monachos iſtos ex Orientalibus fuiſſe, & propterea Romam pro Conſtantinopoli reliquiſſe. Sic Pontifex. *Porrò diuinitus protectum Imperium tuum precamur, vt Baſilium, Petrum, Zoſimum, & alterum Baſilium, qui ſcelerum ſuorum conſcij, & cupiditatis ardore ſuccenſi propoſitum deſeruerunt, & ſine commendatitijs litteris Conſtantinopolim properauerunt, ad nos per præſentes Apoſtolicæ Sedis miſſos remittat, quatenus dum profeſſionem, & loca, quæ propter Deum primitus elegerunt, repetierint, & tibi cæleſte præconium conferatur, & illis ſuarum lucrum animarum, diuinitate propitia, concedatur: alias autem ſi Sanctorum Patrum regulæ calcari minimum, vel contemni tentantur, eos impunè profectò nullus penes ſe retinere prorſus audebit. Apud nos quidem rudimentis ablactati, & ſanctæ ſunt conuerſationis habitum*

Monachi clauſtra deſerentes.

conſe-

conſequuti; quin & in Monaſterijs noſtris officium presbyteratus adepti. Interim tamen eos, quod ſunt excommunicati donec ad nos redierint tanquam ſacrorum violatores Canonum cognoſcere volumus. Ex his porrò Monachis duo videntur eſſe Petrus, & Baſilius, quos Photius improbus Patriarcha Conſtantinopolitanus finxerat attuliſſe libellos ab Vrbe Roma contra Nicolaum Pontificem, vt conſtat ex *Act.* 8. Synodi celebratæ hoc tempore iuſſu Papæ Hadriani Conſtantinopoli: ad eam enim introducti negauerunt omnino id quod Photius teſtificatus fuerat.

2 Extat de tempore huius Summi Pontificis admirandum quoddam, & a ſeculis inauditum quarundam ſacrarum Monialium factum pro Deo promiſſæ caſtitatis obſeruantia: laudabile ſatis, ſi ipſarum Virginum intentionem aſpiciamus, non ſic autem ſi factum ipſum cernatur: niſi ex ſpeciali Spiritus Sancti afflatu credatur proceſſiſſe. Illud porro Matthæus Vvaſtmonaſterienſis, ex quo Baronius, & alij ſumpſerunt, ſic refert. *Anno gratiæ octingenteſimo ſeptuageſimo applicuerunt in Scotiam Danorum innumera multitudo, quorum duces fuerunt Hinguar, & Stubba diræ peruerſitatis homines, & fortitudinis inauditæ. Qui totius fines Angliæ in exterminium adducere conantes pueros, & ſenes quoſque ſibi obuios iugulabant, matronas, Sanctimoniales, ſeu virgines ludibrio tradendas mandabant. Cumque per omnes Regnorum fines tanta tyrannorum immanitas diſſeminata fuiſſet, Ebba ſancta Collinghammenſis Cœnobij Abbatiſſa, metuens ne, & ipſa cui ſollicitudo regiminis, & cura paſtoralis commiſſa fuerat, cum ſibi ſubiectis virginibus ludibrio traderetur paganorum, vt pudicitiam amitterent, & virginitatem: conuocatis ſororibus ad Capitulum vniuerſis, in hanc vocem prorupit, dicens: Aduenerunt nuper ad partes noſtras pagani nequiſſimi, & totius humanitatis ignari, qui loca Regionis huius ſingula perluſtrantes, nec ſexui muliebri, nec paruulorum quidem parcentes ætati, Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas deſtruunt, fœminas Sanctimoniales proſtituunt, & obuia quæque ſibi conterendo conſumunt. Itaque ſi conſilijs meis acquieſcere decreueritis, ſpem certam de diuina clementia concipio quod, & barbarorum rabiem effugere valebimus, & perpetuæ virginitatis pudicitiam cuſtodire. Cui cum vniuerſa Virginum Congregatio certis promiſſionibus ſpopondiſſet ſeſe maternis in omnibus velle obtemperare præceptis: illa admirandæ animoſitatis Abbatiſſa palam cunctis ſororibus exemplum caſtitatis prabens non ſolum Sanctimonialibus illis proficuum, verum etiam omnibus, & ſucceſſuris Virginibus æternaliter amplectendum: arrepta nouacula naſum proprium cum labro ſuperiori ad dentes vſque præcidens horrendum de ſe ſpectaculum aſtantibus præbuit vniuerſis. Quod factum memorabile cum Congregatio tota videns admiraretur; ſimili de ſe opere a ſingulis perpetrato materna ſunt veſtigia conſecutæ. Et his ita geſtis cum mane craſtinum illuxiſſet, peruenerunt tyranni nequiſſimi, vt fœminas Sanctas Deo deuotas ludibrio traderent, ſimul & ipſum Manaſterium ſpoliatum ignibus concremarent, ſed conſpicientes Abbatiſſam illam, & ſorores ſingulas tam*

Monialium mirabile exemplum.

tam enormiter mutilatas cum feſtinatione receſſerunt de loco illo, dum longum nimis ſibi videretur, vel ibidem etiam per breue temporis ſpacium demorari. Sed inde recedentes præceperunt ſatellitibus ſuis nefandis, vt iniecto igne Monaſterium cum omnibus Officinis, & ipſis Sanctimonialibus concremarent. Sicque executione completa a miniſtris iniquitatis Sancta Abbatiſſa, & omnes cum illa Virgines ſanctiſſimæ ad Martyrij gloriam peruenerunt.

Imaginis B. Virginis mirabilis.

3 Noſtram quoque tangere videtur hiſtoriam, loci, & perſonarum circumſtantijs inſpectis, quædam alia, quam ex Arnoldo Abbate Lubecenſi oculari teſte, cum in Palæſtinam peregrinatus eſt, refert Baronius anno 870. in fine, ſic: *Item a Damaſco ad tria millia eſt locus quidam in montibus ſitus, qui Saidaneida vocatur, & a Chriſtianis inhabitatur: & eſt ibi Eccleſia in rure ſita, & in honore Glorioſæ Virginis dedicata, in qua Moniales Virgines duodecim, & Monachi octo aſsidue Deo ſeruiunt, & Beatæ Virgini. In qua Eccleſia vidi tabulam ligneam ad menſuram vnius vlnæ longam, & latam ad modum dimidiæ vlnæ retro altare in muro Sanctuarij in feneſtra poſitam, & ferro laquealiter cancellatim firmatam. In qua tabula effigies B. Virginis aliquando depicta fuit, ſed nunc (quod dictu mirabile eſt) pictura ſuper lignum eſt incarnata, & oleum odoriferum ſuper odorem balſami inceſſanter ex ea manat. De quo oleo multi Chriſtiani, Saraceni, & Iudæi de diuerſis languoribus ſæpe liberantur: & nota quod oleum illud nunquam imminuitur quantumcunque inde accipiatur; nec prædicta tabula a quoquam tangi audetur, videri autem omnibus hominibus conceditur. Oleum verò illud a Chriſtiano religioſe conſeruatur, augmentatur, & cum pro quocunque cum deuotione, & fide ſincera ſumptum fuerit pro honore Sanctæ Virginis commiſsiſque ſolennitatibus indubitanter impetrabitur. Ad hunc locum in Aſſumptione, & die glorioſæ Natiuitatis ſuæ omnes Saraceni illius Prouinciæ vna cum Chriſtianis cauſa orandi confluunt. Et Saraceni cæremonialia illic ſua offerunt cum maxima deuotione. Nota quod hæc tabula primo Conſtantinopoli facta, & depicta fuit. Tunc temporis quædam Abbatiſſa ſupradicti loci cauſa orationis Hieruſalem deſcenderat, & impetrata tabula a Patriarcha Hieroſolymitano, eam ſecum ad Eccleſiam ſibi commiſsam tranſportauit. Fuit autem hoc Incarnationis anno octingenteſimo ſeptuageſimo, ſed poſtea per multa tempora cœpit Oleum ſacrum ex ea manare.* Huiuſmodi Monachos, & Moniales noſtris accenſemus, etſi ſub dubio: quemadmodum Theocnoſtum quendam Abbatem, quem Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Baſilius Imperator cum legatione miſerunt ad Papam Hadrianum quandam diſpenſationem poſtulantes ſuper his quæ in octaua Synodo ſtatuta fuerant, quem etiam commendant ipſe Ignatius in ſuis litteris, & Baſilius Imperator, eiuſque filij Cæſares cognominati in alijs ſuis. Vocatur autem hic Theocnoſtus Abbas *laudabilis Dei Matris Pigis*, id eſt *fontis*. Id porro, quod tangitur in relata hiſtoria de Saracenorum veneratione erga Imaginem Sanctiſſimæ Deiparæ corro-

borat

borat id quod in ſequentibus Tomis etiam dicemus de illorum reuerentia, & cultu erga eiuſdem Beatiſſimæ Virginis Iconem de *Trapana* nuncupatam, totius Regni Siciliæ, & noſtræ Religionis pretioſiſſimam gemmam.

4 Inter beneuolos etiam Summos Pontifices Romanos noſtri Ordinis benefactores iure cenſendus Hadrianus Secundus, qui hoc tempore Petri Cathedram tenebat. Vt enim conſtat ex Sixto IV. Gregorio XIII. & Paulo V. quos ſuperius *ad ann.* 847. adduximus, ipſorum diplomata referentes: *Hadrianus II. Stephanus V. Sergius III. Ioannes X. & Ioannes XI. Sergius V. & Innocentius IV. qui dictum Ordinem confirmauit, omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus contritis, & confeſſis, qui prædictas Eccleſias piè viſitarent in prædictis feſtiuitatibus, & earum Octauis, ſeu qui domos fractas eiuſdem Ordinis reficerent, vel pro fabricis ipſarum Eccleſiarum munera darent, vel Confratriam dicti Ordinis aſſumerent, & eam intrarent, aut calicem pro Miſsis celebrandis, vel tobalias, ſeu mappas erogarent, vel qui in præmiſsis, aut in quolibet præmiſſorum manus porrigerent adiutrices, vel qui in ſuis vltimis teſtamentis aliquid legarent, tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt.*

Indulgentiæ ab Hadriano Ordini conceſſæ.

5 Circa quæ, præter dicta *ſub eo ann.* 847. dum de alia Indulgentia a Leone IV. conceſſa ageremus, expendendum, per illa verba *Prædictis feſtiuitatibus, & earum octauis* intelligi eas, de quibus ſermo præceſſerat in conceſſione Leonis ibi: *In feſtis Natiuitatis Dominicæ, Paſchæ, Apoſtolorum Petri, & Pauli, Pentecoſtes, Aſſumptionis, Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis eiuſdem Beatæ Dei Genitricis Mariæ, Sancti Michaelis Archangeli, Omnium Sanctorum, in duobus feſtis Sanctæ Crucis, Natiuitatis Sancti Ioannis Baptiſtæ, Sanctorum Martyrum Fabiani, & Sebaſtiani, & in die Paraſceues, & per octauam prædictarum feſtiuitatum, ac vocabulis omnium Eccleſiarum dicti Ordinis.*

Quibus diebus.

6 Circa illa porro *Vel Confratriam dicti Ordinis aſſumerent* magna quæſtio diſcutienda occurrebat, an per *Confratriam dicti Ordinis* Pontifices iſti ipſum Ordinem, ſeu Religionem, Carmelitarum videlicet, intellexerint, an vero Societatem, Confraternitatem, ſeu Congregationem ſæcularium Ordini, ſeu Religioni aggregatam; quales de facto plures in Eccleſia cernuntur. Vtrumque enim eo nomine denotari poteſt. Vt omittamus Budæum *In priorib. Annotat. ad Pandect. ſub tit. de offic. Quæſt. pag.* 4. & Rebuffum *tom.* 2. *ad leges Galliæ tit. de Confratrijs. in princip. a num.* 10. qui a Græcis nominibus eius Etymologiam deriuant; cum non niſi a Latinis *con*, & *frater*, ſeu *fratria* deſumpta videatur. Etenim priorem ſignificationem, non poſteriorem hoc loco importare, ex eo ſuaderi videtur, quod tempore tam antiquo, etſi Religioſos noſtros extitiſſe admitti debeat, propter dicta, & dicenda in hoc, & alijs Tomis; attamen quod tunc etiam extiterint Laicorum Confraternitates noſtræ, vel alij Religioni annexæ, difficilis probationis cauſa videtur. Quia tamen

De Confratria.

men in præſenti ſolum Hiſtoricum, aut Annaliſtam agimus, non Theologum, aut Iuriſperitum, idcirco ad alium locum ſem remittimus. Hoc vnicum animaduertentes, in quocumque ex prædictis ſenſibus vox illa *Confratria* vſurpetur, validum ex illa argumentum deſumi poſſe pro Ordinis vetuſtate firmanda. Vnde merito in Conſtitutionibus noſtris *par. 1. cap. 1.* ex hac Indulgentia, & alia Leon. IV. id ſic elicitur: *Vnde ex antiquitate tantorum Pontificum, priuilegiorum, & Indulgentiarum, facillimè excerpitur antiquitas, & approbatio Ordinis noſtri, atque origo fratrum noſtrorum.* Conſulat lector alia dicta *ſub ann.* 847.

Ann. Chriſt. 873. vſque ad 883. Ioannis VIII. Rom. Pontif. 1. vſque ad 10. Baſilij Imper. Orient. 7. vſque ad 16. Ludou. II. Imper. Occid. 18. vſque ad 20. Caroli II. 1. & 2. Ludou. III. an. 1. & Caroli III. an. 1. & 2.

Ioannes VIII Papa non cōmendatus.

1 HADRIANO II. Summo Pontifici e viuis ſublato ſucceſſit Ioannes huius nominis VIII. vt teſtatur Aimonius huius temporis Scriptor *lib. 5. cap. 29. in fin.* toto hoc tempore Pontificatum gerens. Non valde laudabiliter, eo quod Photium olim Patriarcham Conſtantinopolitanum inquietiſſimum hominem, ſuperbum, & impœnitentem a prædeceſſoribus Pontificibus damnatum, & depoſitum in communionem receperit, cum Orthodoxorum ſcandalo. *Hinc puto factum* (inquit Baronius *ſub anno* 879.) *quod ob nimiam Ioannis animi facilitatem, & mollitudinem, abiecta penitus omni virilitate, fractus animo, ſacerdotalis conſtantiæ expers, atque robore eneruatus, non Papa, vt Nicolaus, & Hadrianus, ſed papiſſa fuerit contumeliæ loco dictus; vt pote quod qui nec reſiſtere ſciret eunucho, quique vinceretur a ſemiuiro, non vir, ſed eſſe fœmina potius nuncupandus; & ſic nomen contumeliæ tranſierit poſteris rerum inſcijs in veritatis opinionem, atque ita a compluribus decantatum fuerit Ioannem Octauum Papam fuiſſe fœminam; ſicque iactata vulgo inuenerit eo modo locum fabula.* Hæc porro congruentia ſi quæ alia huic portentoſo figmento anſam, vt credo, præſtitit. In eo autem fundatur quod Photius ille, cui cedere viſus eſt Ioannes Papa, erat eunuchus, ſeu caſtratus; prout de eo tradit idem Baronius *ſub ann.* 858. §. *ad poſtremum.*

Eccleſia S. Chryſogoni.

2 Erat ſub hoc tempore titulus Eccleſiæ S. Chryſogoni, nunc noſtri Ordinis, presbyter Cardinalis nomine *Petrus.* Is enim notatur in ſubſcriptionibus cuiuſdam commonitorij a Papa Ioanne Conſtantinopolim miſſi in cauſa Photij, quod refert Baronius *ad ann.* 879. & hic a nobis

his notandum, vt antiquitas titularium Cardinalium eius Eccleſiæ magis patefiat.

3 Celebrantur circa idem tempus tres Monachi per Patriarcham Ieroſolymitanum ad Papam Ioannem miſſi pro reſtituendo Photio in communionem, qui, & ab ipſo benignius forſan quam par erat recepti ſunt. Pro quo legenda eiuſdem Ioannis Ep. 170. Item nongenti Monachi a Saracenis interfecti, qui etiam inſigne Monaſterium S. Vincentij ad Fontes Vulturni incenderunt, quæ late proſequitur Ioannes Monachus eiuſdem Monaſterij. Qui a nobis vel commemorandi, vt locus curioſis detur inueſtigandi Inſtitutum horum Monachorum. Tres Monachi. Nonaginta a Saracenis interfecti.

4 De quodam alio Abbate, & Monacho, Theodoro Santabareno nuncupato, nihil curandum: fuit enim, etſi ſpecie bonus, homo tamen peſſimus, magicæ arti deditus, verſipellis, ad fallendum aptiſſimus, atque ideo Photio chariſſimus; vt proinde ipſum pro ſua cauſa ad Ioannem Papam mitteret, & multos ab eo concupitos Epiſcopatus concederet. Baſilio quoque Imperatori ob magiam, & præſtigia charus effectus, Leonem ipſius filium in vitæ diſcrimen adduxit. Etenim contra eum innocentem calumniam ſtruxit, quod patrem occidere voluiſſet; ita vt propterea ipſum carceri tradidiſſet; licet poſtea liberauerit, occaſione accepta quod quidam palatij pſittacus ſæpius pronunciaſſet: *Heu, heu, Domine Leo*. Meruit proinde ab ipſo, mortuo Baſilio, flagris cædi, excæcari, & in exilium pelli. Talis enim exitus Monacho Curiali, iniuſtas cauſas peragenti, & clauſtra Monaſterij contemnenti, in exemplum poſterorum, iure debebatur. De illo ex Græcis authoribus Curopalates, Zonaras, & alij, quos audiunt Latini. Theodorus Santabarenus.

5 Similis farinæ videtur fuiſſe Abbatulus quidam eiuſdem Santabareni filius, ſeu diſcipulus, qui etſi in Studitarum Monaſterio alitus, iniquus tamen euaſit, Photio adhæſit, & ab ipſo Sacerdos ordinatus, particeps eius criminum effectus eſt. Sic habetur ex Epiſtola Styliani Neocæſareæ Metropolitæ, quam ſcripſit ad Papam Stephanum, & refertur a Baronio *ſub ann.* 886. Abbatulus.

6 Pro vno autem, vel alio Santabareno, & Abbatulo relatis infiniti prope alij Monachi erant veritatis amatores, & Photio non communicantes: quod notatione dignum animaduertimus pro aliquibus parum Monaſtici, & Regularis ſtatus profeſſorum beneuolis, qui ex paucis imperfectis, mali argumentatores, odio proſequuntur quamplures alios rectè in via Domini ambulantes. Id porro quod diximus, clare elicitur ex relata Epiſtola Metropolitæ, ibi. *Photius verò ſacerdotes Domini, & comminiſtros noſtros, magna vi; & multis verberibus, vel inuitos ad ſe conuulſit. Ego verò, & qui mecum erant Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, & omnes per Occidentem, & Orientem Præpoſiti Monachorum, & quietam vitam agentes, infinitus videlicet numerus* Monachi boni defenſores Eccleſiæ.

(no-

(notet lector) *diuina gratia inconcuſſi permanſimus, quamuis neque antea, neque poſtea Photio communicauimus.*

Ann. Chriſt. 883. & 884. Marini, & Hadriani III. Roman. Pontif. 1. Baſilij Imperat. Oriental. 17. & 18. Caroli III. Imper. Occident. an. 3. & 4.

Marini, & Hadriani III Pontificum ſucceſſio.

1 HIS duobus annis duo Summi Romani Pontifices in Petri Sede viſi ſunt. Ob obitum quidem Ioannis VIII. Marinus huius nominis I. qui poſtquam ſediſſet annum vnum atque dies viginti laudabiliter Apoſtolico munere perſunctus, eo præſertim quod ipſo ſuo ingreſſu Pontificatus Photium, cunctaſque res ab eo geſtas ad munus Epiſcopale pertinentes damnaſſet, & aliqua non recte geſta a Ioanne Papa reſcidiſſet, diem clauſit extremum, ſucceſſorem habens Hadrianum eius nominis III. Qui etiam poſt vnum annum, & aliquos menſes mortuus eſt, cum etiam ſui prædeceſſoris veſtigijs inhærens execratus & ipſe eſſet Photium tanquam Laicum inuaſorem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Hæc ex alijs Baronius cum recentioribus.

Pſeudo-patriarchæ.

2 Agendum fuit his temporibus Eccleſiæ Catholicæ cum Pſeudopatriarchis Conſtantinopolitano, & Aquileienſi circa proceſſionem Spiritus Sancti ex Patre, & Filio, & additionem illius particulæ *filioque* Symbolo Nicæno, debacchantibus; infauſta petra ſcandali Græcorum, in quam impingentes, Eccleſiæ tragœdias, & ſibimetipſis perpetuam ruinam, ſub iugo etiam Turcarum, prout de illis Prophetice præſagijt noſter S. Angelus Martyr in eius Vita *cap.* 14. excitarunt. Pertinet hoc ad noſtram hiſtoriam non ſolum quia communiſsimum Orthodoxis cunctis, ſed & quia ſpecialiter de hoc puncto inter noſtros pro veritate hac propugnatores plures extant, & inter alios B. Cyrillus Conſtantinopolitanus, qui, prout in eius legenda ab Apoſtolica Sede *pro die* 6. *Martij*, habetur, *Cum inter Patriarcham Conſtantinopolitanum*, & ipſum *diſſenſio de Spiritus Sancti proceſſione orta eſſet; nimirum illo aſſerente, a Patre ſolum, Cyrillo verò conſtanter affirmante a Patre, & Filio Spiritum Sanctum procedere; volens a Græcorum erroribus abeſſe, in ſomnis admonitus a Beata Virgine, omnia ſua pauperibus elargitus; Syriam verſus nauigauit; ad Montemque Carmelum peruenit: vbi ſumpto Dei Genitricis habitu, &c.* Quo tempore id contigerit, & quis hic Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum quo diſſenſionem habuit, fuerit, Tomo ſequenti dicemus. Et Guido, vulgo Carmelita, qui *in Summa de hæreſib.* Loquens de erroribus Græcorum *cap.* 1. neruosè ipſorum dogma confutauit.

Ann.

Ann. Chriſt. 885. vſque ad 890. Stephani VI. Rom. Pontif. 1. vſque ad 6. Baſilij Imperat. Orient. 19. & Leonis VI. 1. vſque ad 5. Carol. III. Imper. Occid. 5. vſque ad 8.

1 SVCCESSIT Hadriano Pontifici Stephanus Sextus, Quintus tamen appellatus, his annis Eccleſiæ gubernacula tenens, & perſtans cum ſuis prædeceſſoribus in Photij Conſtantinopolitani damnatione. Ex eo maximè commendatus inter alia (laudabile exemplum poſteris) *Quod miniſtros, & familiares hinc inde perquirens tales ſuis obſequijs aggregauit, qui & vitæ ſanctitate, & fidei ſinceritate, & ſapientiæ doctrina, & eloquentiæ facundia, & morum probitate pollerent.* Inſuper quia *Miſſarum ſolemnia quotidie celebrabat.* Ob obitum quoque Baſilij Imper. eius filius Leo VI. *Sapiens*, ſeu *Philoſophus* compellatus, pius, & valde commendatus, eo quod in exædificandis, & reſtituendis Eccleſijs laborauerit. Vt idcirco meruerit pluribus victorijs contra hoſtes obtentis a Deo remunerari. Mortuo etiam Carolo Craſſo Imperatore Occidentali ſciſsio Imperij facta eſt; nam in Italia Berengarius Rex, & Vvido, ſeu Guido Imperator; in Gallijs autem alij Reges appellati ſunt. Hæc ex Anaſtaſio, Curopalate, Reginone, & alijs vetuſtioribus nouiores Annaliſtæ.

Summorum Pontificum, & Imperat. ſucceſſio.

2 Inter geſta Baſilij Imperatoris refert hoc vnum Curopalates, & ex eo Baronius: *Templum Prophetæ Eliæ ad Pitium ſplendide renouauit, nouumque conſtruxit in aula Regia in nomen Domini Ieſu Chriſti, & Principis Apoſtolorum, & Eliæ Prophetæ.* Pergit infra: *Multa alia templa ſacra in palatio ædificanda curauit in nomen Eliæ Prophetæ.* Ex quibus habetur deuotiſsimum erga noſtrum Patriarcham extitiſſe: Quid ni erga ipſius Religionem? De alijs porro Templis eidem Eliæ ædificatis ſcribimus in noſtris Conſultis anno 1651. Venetijs impreſsis, *Conſulto* 2.

Templa Eliæ dicata.

3 Summus hic Pontifex Stephanus vnus ex illis eſt, qui largam illam Indulgentiam noſtro Ordini, & eius Eccleſias viſitantibus, ſeu domos fractas reficientibus, vel pro ipſarum Eccleſiarum fabricis munera dantibus, conceſſerunt; quam retulimus *ſub ann.* 868. de tempore Hadriani II. loquentes. Etſi enim Stephanus Papa ibi relatus Quintus appelletur; hic verò, de quo in præſenti tempore, non niſi Sextus; nihilominus pro comperto eſt, hunc verè fuiſſe Sextum, etſi Quintum appellatum, prout tradunt Genebrardus, Honufrius, Baronius, Ciaconius, & alij. Et ratio id ſuadet, quia ſi Pontifex qui hanc Indulgentiam conceſsit fuiſſet verus Stephanus Quintus, cum hic antiquior eſſet Leone IV. & Hadriano II. vtique ante illos recenſeri debuiſſet in Bullis Sixti IV. & Gregorij XIII. vbi recenſentur Pontifices qui Indulgentias Ordini noſtro

Indulgentia a Papa Stephano conceſſa.

elargiti fuerunt: cum tamen e contra contingat quod hic Stephanus poſt dictos Leonem, & Hadrianum referantur in dictis Bullis. Fuit ergo Pontifex iſte verè Sextus Stephanus, etſi a multis cum Platina dictus Quintus. Vnde autem huiuſmodi æquiuocatio ortum habuerit, legi poteſt apud Ciaconium. Alia quæ ſpectant ad hanc Indulgentiam habet lector *ſub ann.* 868. relatò. Et *ſub ann.* 847. ſub Leone IV. Solum addendum, quod cum Leo VI. Conſtantinopolitanus Imperator hoc tempore Eccleſijs exædificandis, & reſtituendis incubuerit, quod ſine dubio boni alij Chriſtiani ſimul imitarentur, potuit Pontifex pro illis cohortandis, qui in partibus, præſertim Syriæ, & alijs Orientalibus ſimili pio operi inſiſterent, Indulgentiam hanc concedere.

Samſon Abbas.

4 Pro anno 890. contigit mors clariſſimi vim Samſonis Abbatis S. Zoili Cordubæ in Hiſpania, qui tempore perſecutionis a B. Eulogio deſcriptæ, viuebat, prout Ambroſius de Morales *in ſcholijs ad primum librum Memorialis Sanctorum* eiuſdem Eulogij notat; vbi quod fuerit *Vir doctus, ſubtili ingenio, in Philoſophia, & Sacrarum litterarum ſtudijs verſatus.* Ibi quoque de Epitaphio quodam in laudem ipſius ab Archipresbytero Cypriano compoſito. Hæc porro hic notari oportuit, non quia Samſonem iſtum noſtro Ordini adiudicare velimus, ſed quia conſors fuit illorum Martyrum, quos noſtris Monachis in ſuperioribus adiunximus, & ob viri excellentiam, quam non ſolum teſtatur Morales loco relato, & *lib.* 14. *cap.* 31. ſed & Mariana *cap.*15. *lib.*17. Baronius *ſub hoc anno*, Tamaius de Vargas *in Notis ad Luitprandum circa ann.* 859. ex eodem Luitprando, & Iuliano, & Roa *cap.* 15. *rer. Malacitanar.*

Vintila Eremita.

5 Ad annum etiam 890. refertur obitus ſancti viri Eremi cultoris in Hiſpania, & Orenſi Diœceſi, *Vintila* nominati; de eo enim dicitur obijſſe Æra 928. quæ correſpondet huic anno. Eum commemorat Baronius, & a nobis commemorandus fuit, quia vita hæc eremitica ab hoc *Vintila* geſta æmulatorem eum denotat fuiſſe Eliæ, Ioannis Baptiſtæ, & ſimilium Orientis Eremitarum. Colitur vt Sanctus antiqua maiorum traditione.

Ann. Chriſt. 891. vſque ad 896. Formoſi Rom. Pontif. 1. vſque ad 6. Leonis VI. Imper. Orient. 6. vſque ad 11. Vvidon. Imper. Occid. 1. vſque ad 15.

Papę Formoſi geſta.

1 POST Stephanum Papam ſubrogatus eſt ex Epiſcopo Portuenſi Formoſus, tumultuaria tamen electione, propter eleuationem contra eum Sergij Diaconi. Laudatiſſimus hic Papa a multis fuit, etſi alijs non bene viſus, eo quod Vvidonem, ſeu Guidonem Lamberti Ducis Spoletani filium Imperatorem

rem coronauerit. De ijs Luitprandus, Frodoardus, ex quibus Baronius, impugnans Marianum Scotum, Sigebertum, & alios, eo quod de Romanorum Pontificum ſerie aliter ſenſerint. Sed ſi in re tam publica, & conſpicua, qualis hæc ſeries eſt, æquiuocatio hæc contingit, cur bonus author non excuſabit alios, qui in minutioribus alijs hiſtorijs quandoque hallucinari videantur?

2 Inualeſcebat hoc tempore ſecta quorumdam ex paganiſmi erroribus exorta, qua Epiſcopis, Presbyteris, vel alijs hominibus ſacras Deo fœminas inceſtare permittebatur, prout ex Frodoardo hiſtoriæ Rhemenſis authore in quadam Epiſtola ad Albredum Regem tranſmarinum, coniectari licet. Antiqua hæreſis ex Iouiniani, & ſimilium damnata doctrina prodiens, quam inter alios noſter hæreticorum maſtix in ſua *Summa de hæreſib.* acriter oppugnauit Guido, *Carmelita* dictus. Quin circa hoc idem tempus Eduuardus Rex Angliæ exercitum parauit aduerſus quendam Aechelualdum ſuum propinquum, qui Sanctimonialem virginem rapuerat, eumque in fugam adegit, & Monialem in ſuum Monaſterium reuocauit. Matthæus Vveſtmonaſterienſis *ſub ann.* 901. **Error quorundam.**

Ann. Chriſt. 897. vſque ad 900. Stephani VII. Rom. Pontif. 1. vſque ad 4. Leonis VI. Imper. Orient. 12. vſque ad 15. VVidonis Imper. Occid. 6. vſque ad 8. & Ludouici IV. 1.

1 POST Formoſi Papæ tranſitum Sedem Apoſtolicam inuaſit Bonifacius quidam; quam tenuit dies quindecim; ſed quia in Romana Synodo ſub Ioanne IX. damnatus fuit, ideo inter Pontifices non numerandus, etſi multi aliter ſentiant. Illud compertum, quod Stephanus Septimus dictus Sextus, eo pulſo, ſedem occupauit. Maximè tamen reprehendendus, eo quod Formoſi cadauer e ſepulchro extrahens, atque in Sedem Romani Pontificatus ſacerdotalibus veſtibus indutum collocans: cum tanquam viuenti exprobraſſet, quod nimia ambitione ex Portuenſi Epiſcopo Sedem Apoſtolicam occupaſſet, illum ipſum damnatum, ſacriſque mox exutum veſtimentis, ac tribus digitis mutilatum, quibus benedicere moris eſt, in Tiberim iactauit, cunctoſque quos idem Formoſus ordinauerat, gradu depoſitos iterum ordinauit. Hæc, & alia Martinus Polonus, Platina, Bergomenſis, Genebrardus, & Baronius, quem ſequuntur Spondanus, Gordonus, & alij; licet Ciaconius Baronij iugis ſectator, nihil de hoc; & Victorellus eius Scholiaſtes cum Panuino fabulam eſſe cenſeat. Optabile id eſſet, ne Sedis Apoſtolicæ detractoribus anſa præbeatur contra ipſam debacchandi, ob tam enorme facinus: cui fidem facit **Pontificum ſucceſſio.**

infamis mors eiuſdem Stephani, qua vitam finijt detruſus in carcerem, & ibi ſtrangulatus; prout ex Epitaphio ipſius ſepulchri habetur. Etſi Bergomenſis ex quorundam placito dicat, pœnitentia ductum reliquiſſe Pontificatum, & Monaſterium ingreſſum fuiſſe.

Simeon Anachoreta. 2. Circa hoc tempus, quantum ex Curopalate, & Cedreno, quibus adhæret Baronius *ſub ann.* 902. colligi poteſt, contigit, vt Legatus quidam Imperatoris Leonis miſſus in inſulam Cretam, veniret in Parum, ibique repererit Monachum quendam, Simeonem nomine, talis figuræ, & habitus, vt niſi caliginoſis oculis, Eliani, & Prophetici noſtri Ordinis alumnus non appareat. Sic enim ferme in principio narrationis hic Monachus deſcribitur: *Qui elegit habitare ſolitudinem, conuenienter magno Eliæ, & Ioanni.* Clarius in hiſtoriæ progreſſu: *Videmus repente Monachum profectum e ſolitudine, & progredientem e nemore, & ad nos venientem, vultu pallidum, genis macilentis, nudis pedibus, totum ſqualidum, tunica e pilis contexta, ſuperhumerali, & capitis tegumento tunicæ ſimilibus, zona pellicea cinctum circa lumbos, perinde ac fera hirſutum, tanquam Angelum propitium.* Quibus, ſi attendatur ad ea, quæ in ſuperioribus Tomis diximus de habitu Eliæ, Elianorum, & eorum, qui ipſorum veſtigia ſunt ſecuti, tunica ſcilicet piloſa, ſuperhumerali, zonaque pellicea, clariſſimè innoteſcet hunc Simeonem ex illis vnum fuiſſe. Pergit author. *Neque enim erat ſimilis viro qui cibo veſcitur: ſed carnis propemodum experti, & exangui, & vt ſemel dicam virtutum, vel ipſius potius Dei habitaculum.* De patria porrò, & genere interrogatus, ſic reſpondit. *Patriam quidem, & genus, & alia quibus gloriantur ij qui habitant Ciuitates, non poſſum dicere. Neque enim eſt mihi curæ aliquid ex ijs quæ ſunt in terra: neque delector ijs quæ fluunt. Pater verò mihi, & Dominus eſt Deus, cui ſoli vitam ago: propter quem ſolus per hanc errans ſolitudinem, pluſquam triginta annos perſeuero. Eſt autem mihi nomen Simeon, dignitas autem humilis Monachus, ſacerdos, & miniſter, & myſta viui, & incruenti ſacrificij.* Inferius verò vocem illam verè Monacho dignam protulit: *Huc veni, vt mea lugerem, non vt quæ ſunt ſupra me quærerem.* Hic verò talis, vt nec in prædicendo futura degener videretur ab Eliana familia, Legato illi Imperatorio prædixit iſta, quæ ita vt dixit poſtea contigerunt: *Nauigabis quidem Naxum, & cum illic in portu nauem tenueris vno die, ſecundo die poſt nauigans, tertio die venies in Cretam, nihil aduerſi reformidans, & tibi impoſitum munus obibis vt voles, & vt tibi iuſſit Imperator, & reuerſus pulchrè accipieris ab eo qui te miſit.* Pergit poſtea dulcem illi narrare hiſtoriam de S. Theoctiſte Lesbia, quam nos hoc loco ponimus cum eodem Simeone, qui eam retulit ex quodam pio viro venatore, qui ad eam Inſulam *Parum* venerat. Eo vel maximè, quod cum Monialis fuerit in Orientalibus partibus, in quibus Eliani orti, propagati, & continui coloni fuerunt, eorum Inſtitutum profeſſam fuiſſe non abs re ſuſpicari poſſumus. Vtvt res hæc fuerit Venator ille,

ſic piam hiſtoriam retulit. *Veni aliquando huc venator, & eum aſcendiſſem ad diuinam Ædem Dei parentis, adoraui, & precatus ſum, ſicut mihi ſemper erat mos. Cum autem poſt preces circumſpexiſſem vidi in ſolo parum aquæ in foſſa, & pauca grana lupinorum, quæ madeſiebant. Locus enim hic alit lupinos, quomodo reliquæ inſulæ herbas diuerſas. Nam alia quidem producit magnam marathri multitudinem, alia autem ſolummodo rutam, & alia ſatureiam, & alia thymum, aut aliquid aliud. Quod verò fert inter omnia eximium inſula hoc magis nutrit quàm alia, redditque floridius. Vidi ergo, vt dixi, lupinos, qui reddebantur teneri, & me quædam ſubijt cogitatio, quod eſſet omnino aliquis, qui hos demiſiſſet in lacum: & quod, vt eſt veriſimile, vir aliquis diuinus hanc habitet ſolitudinem. Hoc ergo reputans, feſtinabam venire ad ſocios, qui iam iuerant in ſyluam. Optabam autem magnam hanc prædam conſequi; ſperabam enim fore, vt magnum aliquod lucrum ab eo acciperem. Et cum multum quidem venati eſſemus, tendebamus ad nauem. Sed illi quidem iuerunt ad mare, ego verò me conuerti ad preces. Ingreſſus itaque hoc templum Dominæ noſtræ orabam. Video autem ad dexteram ſanctæ menſæ templi veluti quoddam ſubtegmen, quod vento agitabatur, & rurſus viſus ſum videre telam araneæ. Poſtquam autem progreſſus volui diſcernere, quod apparebat audiui vocem dicentem: Siſte gradum neque vltra progrediaris, o homo, neque accedas propius. Erubeſco enim cum ſim fœmina a te nuda conſpici. Hæc ergo cum audiuiſſem, & obſtupefactus fuiſſem re admirabili, volebam fugere. A carne enim mea pili exilierant, & erant ſpinâ acutiores. Nam quod inexpectatum repentè apparet deijcit, ac deprimit ſpiritus, etiamſi quis videatur eſſe audacis animi. Stabam itaque obſtupefactus, & ore aperto. Poſtquam autem ad me redij, animo confirmatus, rogaui quiſnam eſſet, & quomodo hanc habitet ſolitudinem. Rurſus vox extitit, dicens: Iace mihi, rogo, tunicam: & eum tecta fuero, quantum mihi iubet diuina voluntas, non dubitabo dicere. Cum me itaque ſuperiore amictu protinus exuiſſem, eum dimiſi, & extra portam ſum egreſſus. Illa autem eum accepit, & ſe induit. Paulò poſt verò reuerſus, video eam ſtantem vbi prius, & erat figura quidem mulier; id autem quod apparebat, erat ſupra hominem; pili albi, vultus niger, oſtendens parum alboris, pellis, quæ membrorum continebat compagem, cum nulla ineſſet caro, vmbræ ſimilis, forma quæ ſolum humanam ſeruabat ſimilitudinem. Hæc ergo, inquit, cum vidiſſem, timebam, contremiſcebam, maledictis inceſſebam, & meam reprehendebam importunitatem, quod cum eſſem curioſus, meos ſocios reliquiſſem. Tremebundus tamen, & pronus humi cadens, rogabam, vt precaretur, & obſecrabam, vt ab ea benedicerer. Illa autem primum quidem conuerſa ad Orientem, vt quæ forte vellet meum ſedare animum, ne ea videretur eſſe ſpectrum, extenſis manibus precabatur, parum ſubmurmurans. Conuerſa autem ad me dicit. Deus, o homo, tui miſereatur; ſed quanam de cauſa veniſti ad hanc ſolitudinem? Et quo opus habens, veniſti ad inſulam, quæ*

S.Theoctiſtes

 mi-

minime habitatur? Sed quoniam te diuina huc deduxit voluntas, meæ, vt exiſtimo, gratia humilitatis, de me te omnia docebo, vt voluiſti. Cum me ergo rurſus humi proſtrauiſſem, ea ſic cœpit loqui. Mihi, inquit, patria eſt Lesbos, Methymna Ciuitas, nomen Theocleſte, vitæ Inſtitutum Monachatus. Cum eſſem adhuc infans, orbata parentibus, a cognatis tradita ſum in Monaſterium Virginum, & induta ſum habitu Monaſtico. Nata verò decem & octo annos in diebus paſchalibus excurri in vicum propinquum Ciuitati, ſalutatura ſororem, habitabat enim in vico cum coniuge. Noctu autem irruentes Arabes Cretenſes, quorum Dux erat ille Niſiris, omnes adduxerunt captiuos. Manè verò cum pæana cecimiſſent, enauigarunt, & huic inſulæ appulerunt. Adductis autem captiuis, cum quærerent pecuniam, & pretia ſtatuerent, ego accepta occaſione contendens in ſyluam curſu feror in intima inſulæ, & de cætero non deſiiti fugere donec petris, & acutis lignis pedes perforaui, & conſcidi, & ſanguine terram infeci, & tandem defecta viribus cecidi ſemimortua, & totam quidem noctem non ferens dolores vulnerum acerbe tranſegi. Manè autem cum ſceleſtos prædones vidiſſem nauigantes, liberata ſum ab omni dolore, & repleta ſum maxima animi voluptate: & nunc iam triginta quinque annos, & paulo plus hic alor perpetuò lupinis, & herbis, quæ naſcuntur in ſolitudine, vel potius Dei verbo, recordata diuinorum eloquiorum, quod non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod proficiſcitur per os Dei. Nuda autem euaſi, confractis mihi pannis, cum quibus abducta ſum captiua. Induor verò, & tegor manu diuina quæ continet omnia. Proſequitur idem Author, qualiter Sancta Theoctiſtes poſtulaſſet a venatore, vt ſequenti anno Euchariſtiam illi deferret, & quod cum eam ipſi detuliſſet, poſt modicum tempus e vita migraſſe vidiſſet, & amputata ipſi manu nauem conſcendiſſe; ſed miraculoſe ad eundem portum reuerſum manum amputatam corpori applicaſſe; & pro ipſo tollendo ſocios redeuntes illud non inueniſſe. Quæ omnia magnam huius fœminæ ſanctitatem, ſimilem alteri Mariæ Ægyptiacæ oſtendunt. De hac hiſtoria Metaphraſtes, & Surius 10. *Nouembris*, Lippomanus *tomo 5.* & Martyrologium Romanum cum alijs ea die.

Ann.

Ann. Chriſt. 901. vſque ad 904. Ioannis IX. Rom. Pontif. 1. vſque ad 4. Leonis Imperat. Orient. 16. vſque ad 19. Ludouici IV. Imperat. Occident. 2. 3. 4. & Lamberti 1.

1 SÆCVLVM 10. quod hoc tempore inchoatur *infeliciſſimum* appellari ſolet, ob inopiam Scriptorum, ac ob multas, quibus Apoſtolica Sedes iactata eſt, procellas: ea præſertim de cauſa, quod ſæculi Principes, quantumuis Chriſtiani, tyrannicè ſibi Romanorum Pontificum electionem arrogabant, ex quo horrenda monſtra in eam intruſiſſe neceſſum fuit. Tribuitur hoc maxime Romanis quibuſdam, & Adelbertis Marchionibus potentiſſimis Tuſciæ. Anno autem 901. cum in locum demortui Stephani Papæ ſubrogatus eſſet quidam nomine Romanus, & ipſo poſt quatuor menſes defuncto, Theodorus eius nominis Secundus, qui ſedit tantum diebus viginti; ideo electus eſt Ioannes Nonus, qui Rauennæ Concilium congregauit, cum in Vrbe ob ſeditiones id facere non poterat, vbi geſta per Stephanum prædeceſſorem contra Formoſum Papam abrogata fuere. Ipſi etiam totum hoc tempus tribuendum. Panuinus, Baronius, Ciaconius, & alij, quibuſdam alijs diſſentientibus. Sæculi 10. infœlicitas.

2 Fuit autem is Ioannes Nonus, Monachus, prout eum appellant Panuinus, Genebrardus, Baronius, Gaulterius, & Gordonus. Sed cuius Inſtituti Monachus, tacent; Ciaconio tamen, Benedictinum eum exiſtimante, more ſibi ſolito, quo, vt non ſemel in ipſo animaduertimus, vir alioquin doctus, & prudens, dum audit Monachum, ſtatim credit Sancti Benedicti alumnum fuiſſe, ac ſi nullum aliud Monachale Inſtitutum in Orbe tunc eſſet, vel omne Monachorum genus ad vnicam tantum ſpeciem redactum. Haurire id potuit ex Illeſcas Hiſpano authore, qui idem ſcripſerat, eadem, vt creditur, leui coniectura. Vanam porro fuiſſe ex eo conuincitur, quod Abbas Trithemius diligentiſſimus ſui Benedictini Ordinis Hiſtoriographus, & qui, vt aliàs notauimus, ſæpius propenſior in ipſius commendationem, quam ſegnior conſpicitur, dum ex profeſſo *lib. 4. de Illuſtribus Viris Ordinis Sancti Benedicti* agit de Summis Pontificibus eius Religionis ſolum numerat 18. ſcilicet Gregorium I. Bonifacium IV. Adeodatum, Agathonem, Stephanum III. Leonem IV. & V. Silueſtrum II. Stephanum IX. Gregorium VII. Victorem III. Vrbanum II. Paſchalem II. Gelaſium II. Anaſtaſium IV. Adrianum IV. Clement. VI. & Vrbanum V. & *cap. 20.* eius libri, pro concluſione ponit quod qui alios Romanos numerant Pontifices Benedictini Ordinis præter relatos *videntur mihi* (inquit) *vel ignorantia* Ioannes Nonus Monachus.

rantia

rantia hiſtoriarum, *vel Ordinis laude ſeducti*. Simile argumentum deſumitur ex Mariano Scoto, & Sigeberto Gemblacenſi Benedictinis Monachis, & hiſtoricis; qui cum de hoc Pontifice Ioanne agunt, nihil prorſus de ipſius Monachatu loquuntur: prudenter ſanè exiſtimantes glorioſam, & pulcherrimam ipſorum familiam Eccleſiæ Catholicæ ornamentum eximium, fucatis huiuſcemodi pigmentis ornari non egere. Quod vtinam animaduerteret ſacerrimæ huius Religionis nobilis ſcriptor, qui 133. Pontifices Romanos Sancti Benedicti filios promiſit ſe elucidaturum. Nunc iam, cum Benedictinus Monachus Ioannes hic Papa non fuerit, & *Monachus* verè a relatis Hiſtoriographis nuncupetur, aptè exiſtimari poteſt ex illis vetuſtiſſimis Monachis fuiſſe, qui ſub Prophetarum, & Eſſenorum vexillo militantes, non ſub alio, commune nomen Monachi, & commune Inſtitutum Propheticum ſequebantur.

Euthymius Patriarcha Conſtantinopolitanus.

3 Congruentius id affirmari poſſe videtur de Monacho alio hoc æuo clariſſimo, *Euthymio* nomine, vt pote, qui ex Orientalibus, inter quos tale Monachorum genus vulgatiſſimum, erat. Fuit genere Iſauricus, in Monte Olympo diu Monaſticam vitam exercens, & inde tranſlatus ad Monaſterium ad Sinum Aſtatonum. Ab Imperatore Leone cognitus Patriarchæ Syncellus conſtituitur, & poſtea Patriarcha Conſtantinopolitanus, poſt Nicolaum cognomento *Myſticum* ab ea Eccleſia eiectum. *Prophetici ſpiritus participem* eum appellatum eſſe conſtat *in Præambulis Conſtantini in Porphyro nati ad edictum vnionis*, quo id quod diximus de profeſſione Prophetici Ordinis magis elucidatur. Probata eſt a Deo ipſius virtus, ſiquidem aliquibus poſt annis, cum habenas Imperij ſuſcepiſſet Alexander poſt Leonis obitum, Nicolaum reſtituit, & Euthymium noſtrum abdicauit, inſurgentibus in eum Clericis, & pugnis, ac colaphis eum percutientibus, Euthymio autem *clementer*, *ac æquo animo* hæc perferente. Sed Deus ſuum ſeruum vindicauit, acriter punito vno ex præcipuis ſui malefactoribus; & honorari voluit in tranſlatione ſui corporis, poſt mortem, Conſtantinopolim, ab Imperatoribus, totaque Vrbe, pompa maxima eum recipientibus. Quæ narrant Curopalates, Andreas Cæſarienſis, & alij.

Marcus Abbas.

4 Celebratur eodem tempore Marcus quidam Abbas, prædictionis ſpiritu dotatus, qui Leonem Imperatorem ab inſano percuſſum vecte in capite, dum ſolemni pompa ad Eccleſiam Sancti Martyris pro more incederet, non moriturum, ſed vitam ad decennium prorogaturum prædixit, prout contigit. Hæc Curopalates, & alij.

Ann.

Ann. Chriſt. 905. vſque ad 907. Benedicti IV. Rom. Pontif. 1. & 2. Leonis V. Chriſtophori, & Sergij III. 1. Leonis Imper. Orien. 20. vſque ad 22. Lamberti Imper. Occid. 2. vſque ad 4.

1. TRIENNIVM hoc ob inopiam ſcriptorum obſcuriſſimum, & ob tyrannidem Sedem Apoſtolicam inuadentium, teterrimum, vix aliquid certi habet circa Summos Pontifices. Illud credibilius quod anno nongenteſimo ſeptimo defunctus fuerit Benedictus Papa, qui poſt Ioannis Noni obitum Sedem Petri tenuerat. Subrogatus autem in locum eius Leo huius nominis Quintus, quem dies tantum quadraginta Eccleſiam gubernaſſe tradunt; pulſum verò, atque detruſum in carcerem a Chriſtophoro, quem poſt eum ſediſſe affirmant. Sed & Chriſtophorum poſt ſeptem menſes deturbatum a Sergio inuaſore. Sic ferme recentiores Analiſtæ. Pontificum ſucceſſio.

2. Chriſtophorum hunc e Papatu pulſum, & vinculis conſtrictum, coactum fuiſſe Monachatum amplecti, tradit Baronius; conformiter ad Marianum Scotum, D. Antoninum, Platinam, Panuinum, Genebrardum, & alios, quos ſequitur Ciaconius, cum alijs etiam. Nullus tamen eorum quos vidimus, (vno excepto Vvione *in ligno Vitæ lib. 2. cap. 6.* qui eum Caſsinenſibus annumerat) de Monaſtico Inſtituto quod ſubire Chriſtophorus coactus eſt, mentionem facit, aut de Monaſterio in quod fuit recluſus. Hinc propterea moleſta illa quæſtio, quæ in præcedentibus agitata eſt, denuo emergit; cui videlicet Ordini Religioſo hic Pontifex accenſendus; num Benedictino eo tempore, ſicut in omni alio æuo, celeberrimo, an Baſiliano vetuſtiori, an potius Eliano, & Prophetico vetuſtiſsimo, qui nedum Orientis partes, vbi exortus eſt, ſed Occidentales etiam incolebat. Lectoris tamen prudentis iudicio id relinquendum, ſi animaduertat, *Monachi* nomen in genere ſumptum pro Eliano illo, & Prophetico ſupponere debere, non pro aliquo alio ſpeciali. Sed in hoc puncto non multum immorandum, quia Pontifex iſte inuaſor Pontificatus fuit, & familiaris Leonis Quinti cum fuiſſet eum a Sede deturbauit, & carceri mancipauit, vt proptereà æqua lance, Deo ſic prouidente, idem ipſi contigerit, veluti iniquo graſſatori. Proh dolor! hæc de Chriſti Vicarijs vel audire. Chriſtophor. Papa Monachus.

Ann.

Ann. Chriſt. 908. & 909. Sergij III. Roman. Pontif. 1. & 2.
Leonis VI. Imperat. Oriental. 23. & 24.
Lamberti Imper. Occident. 5.
& 6.

Sergius Papa.

1 EXVRGIT hoc biennio Sergius dictus Tertius Papa, ſceleratiſſimus homo, quippe primo Antipapa contra Formoſum creatus, & expulſus, in cauſa poſtea fuit, quod Stephanus Septimus in eiuſdem Formoſi cadauer execranda illa exercuerit, de quibus nos in ſuperioribus (quam ob cauſam ipſi hoc immaniſſimum piaculum plures tribuunt.) Nec his contentus, Marchionis Thuſciæ Adelberti, & Francorum potentia fretus, Sedem inuaſit Chriſtophori Papæ, eumque in carcerem trudens Monachum vi effecit. Turpis etiam vita fuit: ex Marozia enim filia Theodoræ impudentis ſcorti (quæ Monarchiam in Vrbe obtinebat, & Caſtrum S. Angeli in ſua poteſtate) filium genuit, qui poſtea Papa fuit. Erat enim huius temporis deploratiſſimus Eccleſiæ ſtatus, in quo huiuſmodi ſcorta Vrbi imperabant, legitimè creatos Pontifices dimouebant, & nefarios homines ipſorum loco in Petri Sede collocabant. Videndi Baronius, Gordonus, Ciaconius, & Coriolanus poſt Luitprandum. Nec lector ſcandalizandus; potius Deus maximè collaudandus, qui huiuſmodi humanis ſceleribus non obuiantibus, Eccleſiam ſanctam ſuam a ſchiſmate, & hæreſibus liberauit, & fideles eidem obſequentes fecit, vt illud Chriſti adimpleretur: *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Nec permiſit improbos Sedis Romanæ inuaſores, aut in hæreſim prolabi, aut aliquid contra fidem definire.

Monachatus iactura.

2 Id tamen fiebat, vt Monaſteria, & Monaſtica diſciplina fere tunc collapſa manerent, ad imitationem ſane Eccleſiæ Chriſti Rectorum, quos, vtplurimum vt Paſtores æmulari ſolent, & ad ipſorum exemplum ſe componere. Sic enim dicebant PP. Concilij Sueſſionenſis in Gallia celebrati. *De Monaſteriorum verò non ſtatu, ſed lapſu quid dicere, vel agere debeamus iam pene ambigimus. Dum enim mole criminum exigente, & iudicium a domo Dei incipiente quædam a Paganis ſuccenſa, vel destructa, quædam rebus ſpoliata, & ad nihilum prope ſunt redacta: ſi tamen quorundam adhuc videntur eſſe veſtigia, nulla in eis regularis normæ ſeruantur inſtituta: ſiue namque Monachorum, ſiue Canonicorum, ſiue ſint ſanctimonialium, proprijs, & ſibi iure competentibus carent Rectoribus, & dum contra omnem Eccleſiæ auctoritatem Prælatis vtuntur extraneis, in eis degentes, partim indigentia, partim maleuolentia, maximeque inhabilium ſibi præpoſitorum facientium inconuenientia, moribus viuunt incompoſitis.* Et rurſus: *Nunc autem in Monaſterijs Deo dicatis, Monachorum, Canonicorum, &*

San-

Sanctimonialium Abbates Laici cum ſuis vxoribus, filijs, & filiabus, cum militibus morantur, & canibus.

3 Vt autem boni aliquid de hoc Pontifice referamus, illud proferendum, quod ipſe poſt Adrianum II. & Stephanum V. noſtro Ordini, eiuſque Eccleſijs eum fauorem, & Indulgentiam conceſſit, quæ nos de eiſdem Pontificibus loquentes in ſuperioribus adduximus, & quæ in Bullis Sixti IV. & Gregorij XIII. ibi relatis, his verbis relata ſunt: *Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. Ioannes X. & Ioannes XI. Sergius V. & Innocentius IV. qui dictum Ordinem confirmauit, omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus contritis, & confeſſis qui prædictas Eccleſias piè viſitarent in prædictis feſtiuitatibus, & earum octauis: ſeu qui domos fractas eiuſdem Ordinis reficerent, vel pro fabricis ipſarum Eccleſiarum munera darent: vel confratriam dicti Ordinis aſſumerent, & eam intrarent, aut calicem pro Miſſis celebrandis, vel tobalias, ſeu mappas erogarent: vel qui in præmiſſis, aut in quolibet præmiſſorum manus porrigerent adiutrices, vel qui in ſuis vltimis teſtamentis aliquid legarent: tertiam partem omnium peccatorum in Domino relaxarunt.* Indulgentia à Sergio Papa conceſſa.

Ann. Chriſt. 910. & 911. Anaſtaſij III. Rom. Pontif. 1. & 2. Leonis VI. Imper. Orient. 25. & 26. Lamberti Imperat. Occidental. 7.

1 DVOBVS his annis, & totidem menſibus poſt obitum Sergij ſediſſe ponitur Anaſtaſius huius nominis Tertius, vir probus, prudens, & modeſtus; de quo tamen pauca hiſtorici; quamuis multa mala de prædeceſſoribus ſcribant. Obijt etiam hoc tempore Leo Imperator Orientis, illi ſuccedentibus fratre Alexandro, & Conſtantino filio. Et in Occidente Lambertus Imperator, ſumma rerum relicta Berengario. Luitprandus, Baronius, Ciaconius, Gaulterius, & alij. Pontificum, & Imperat. ſucceſſio.

2 De anno 910. loquens Iulianus Archipresbyter S. Iuſtæ Toletanus *in ſuo Chronic. num.* 465. inquit: *Florebat hoc tempore Fabritius Abbas SS. Fabritij, & Philiberti in Oppido* Titulera, *nunc* Baiona, *& Concilio interfuit*, id eſt, Concilio cuidam Toletano, de quo tunc agebatur. Notandum id nobis fuit, quia noſtræ hiſtoriæ non extraneum, propter ea, quæ *tom.* 2. *ſub ann.* 283. *num.* 3. & *ſub ann.* 308. *num.* 6. diximus de huiuſmodi SS. Martyribus Fabritio, (alijs Fabritiano,) & Philiberto, & de Oppido *Titulera*, ibi *Titulcia*; ac maximè, quod Diui iſti Monachi Monachatus Eſſeni fuerint, ac perinde Eliani, & Prophetici. Quia etiam *ſub eo ann.* 308. *num.* 5. diximus ex Flauio Dextro ibi relato Sanctos hos Monachos Deo, & Beatiſſ. Virgini dedicaſſe Monaſterium SS. Fabritij, & Philiberti memoria.

in

in confluenti Fenanis fluminis, & Tagonis, vulgo *Henares*, & *Taxuña*; cum hoc tempore notetur floruiſſe Fabritius Abbas attitulatus *SS. Fabritÿ, & Philiberti*, indicatur ſanè vſque ad illud permanſiſſe tale Monaſterium, ac perinde etiam Monachos eiuſdem Inſtituti cum eo quod ipſi profeſſi fuerant. Vel, ſi cui placuerit contrarium, oſtendat quando, & quomodo talis mutatio facta eſt.

Anaſtaſius Vates.

3 Vocatur Anaſtaſius Papa, de quo in præſenti, *Vates*, in quodam Epitaphio eius ſepulchro affixo, quod refert Manilius, & ex eo Baronius, & alij; ibi.

Vatis Anaſtaſij requieſcunt membra ſepulchro:
Sed nunquam meritum paruula claudit humus.

Quia ergo *Vatis* cognomen proprium videbatur Prophetici, & Eliani Ordinis alumnorum, vt in ſuperioribus tactum, ideo cogitatio irrepſerat an ipſe ex illis vnus eſſet. Sed quia hoc leuis momenti fulcrum videtur, præſertim cum alij, nec Monachum fuiſſe dicant, idcirco prætermittendum.

Ann. Chriſt. 912. vſque ad 927. Ioannis X. Rom. Pontif. 1. vſque ad 16. Conſtantini VIII Imper. Oriental. 1. vſque ad 16. Imper. Occident. Vacant. & Berengarij I. vſque ad 9.

Geſta huius temporis.

1 POST transitum Anaſtaſij Papæ, & ſubrogationem Landi, ſeu Landonis, qui modico tempore in Papatu vixit, Theodora illa potentiſſimo Scorto, cuius memoriam fecimus *ſub ann.* 908. agente, Ioannes, quem (vt aiunt) illa turpiſſimè deperibat, ex Archiepiſcopo Rauennate in Petri Cathedram violenter intruſus eſt. Huius namque meretricis arbitrio cuncta in Vrbe fiebant, eo quod eius vna filia Marozia fuiſſet Sergio Papæ proſtituta; & altera filia Theodora Adelberto Marchioni Thuſciæ iuncta eſſet, & ex illa natus Albericus, qui patris potentia Romæ dominabatur. Dignum autem ſuis ſceleribus finem habuit; nam qui per impudicam fœminam Apoſtolicam Sedem inuaſit, per aliam æque impudicam, Maroziam videlicet, Vvidonis Thuſciæ Marchionis vxorem, factum eſt, vt in Palatio Lateranenſi comprehenſus cuſtodiæ manciparetur, in qua non multo poſt ſuffocatus ceruicali, vt dicitur, obijt, poſt 16. annos ſui Papatus. Hæc deploranda Luitprandus, Frodoardus, Baronius, Ciaconius, & alij. An poſt aliqualem pœnitentiam actam, inferius dicetur.

Inter

2 Inter nonnulla rectè geſta huius Ioannis X. iure recenſere poſſunt Carmelitæ noſtri, quod ipſis, & eorum Eccleſijs, ipſaſque viſitantibus, ſeu reficientibus, aut munera dantibus, conceſſerit eam Indulgentiam remiſſionis tertiæ partis peccatorum, quam pridem conceſſerant Adrianus II. Stephanus V. & Sergius III. Ita enim referunt Summi Pontifices Sixtus IV. & Gregorius XIII. quos attulimus in ſuperioribus de ea loquentes. Nec quis opponat hunc Ioannem, ſicut nec Sergium legitimos non fuiſſe Pontifices, ac perinde talem conceſſionem inualidam eſſe. Primò enim, vtvt res hæc ſit, primo dici poteſt, Hadrianum II. qui eandem omnium primus conceſſionem fecit, Innocentium IV. Sixtum IV. & Gregorium XIII. qui eam confirmarunt, legitimos Chriſti Vicarios in omnium ore eſſe. Deinde ipſoſmet Sergium, & Ioannem X. a Sixto, & Gregorio in ſuis diplomatibus etiam pro veris Petri ſucceſſoribus, & Romanis Epiſcopis habitos eſſe, eorum conceſſiones approbando. Pro hoc etiam, & ſimilibus ſcrupulis tollendis, qui circa alios ſimiles Pontifices Summos eſſe poſſunt, valde deſeruiunt quæ Baronius *ſub ann.* 897. *num.* 1. ſic dixit. *Quod autem intruſorum Pontificum alij, vt Pontifices poſtea recepti inueniantur, alij verò penitus abrogati, vt iſte, de quo agimus, Bonifacio, inde euenit, quod illi quantumlibet tyrannicè adepti fuerint Sedem, tamen accedente conſenſu Cleri, ſatius eſſe exiſtimantis eos qualeſcunque tolerandos, quam Eccleſiam ſchiſmate conſcindendam, vt legitimi Pontifices nouis Comitys, conſuetis ritibus ſint electi. Hæc vt dicamus, illud planè neceſſariò cogit, quod vniuerſa Eccleſia Catholica eos, vt legitimos Pontifices coluit, vſque obediuit, atque vt Chriſti Vicarios, Petrique ſucceſſores cognouit, ac cultu, germano Pontifice digno, eoſdemque frequentauit, quod nequaquam factum fuiſſet, niſi de facta poſtea electione legitima conſtitiſſet.* Mirabile tamen eſt, quod cum iſta rectè dixerit Baronius de Pontificibus hoc tempore intruſis; nihilominus poſtea loquens de Ioanne hoc X. & alijs ſimilibus intruſis *ſub ann.* 912. §. *Quæ tunc facies*, per antilogiam veluti dicat: *Quis enim a fortis huiuſmodi intruſos ſine lege legitimos dicere poſſet Romanos fuiſſe Pontifices? Nuſquam Cleri eligentis, vel poſtea conſentientis aliqua mentio, Canones omnes preſſi ſilentio, decreta Pontificum ſuffocata, præſcripta antiqua traditiones, vetereſque in eligendo Summo Pontifice conſuetudines, ſacrique ritus, & priſtinus vſus prorſus extincti. Sic vendicauerat omnia ſibi libido ſeculari potentia freta inſaniens, œſtro percita dominandi.* Similiter, quod etiam poſtea *ſub anno* 915. §. *Quod ad Ioannem* veluti retractans id quod dixerat, ſic ſcripſerit: *Quod ad Ioannem Papam nuncupatum ſpectat, potuit contigiſſe, vt qui inuaſor, fur, & latro ingreſſus erat, accedente Cleri conſenſu, haberi cœperit legitimus Romanus Pontifex: cuius quidem rei argumento ſunt legationes ex diuerſis Orbis partibus ad eum miſſæ.* Item *quod ſub anno* 922. §. *Quod verò* dicat: *Ex quibus,*

Indulgentia Ordini conceſſa.

ſicut & ex alijs multis, apparet Orbem Chriſtianum cognouiſſe Summum Pontificem Ioannem inuaſorem, nemine ſibi arrogante de Apoſtolica Sede iudicium tanti ponderis, exiſtimans vnuſquiſque nomen, etiam male licet vſurpatum, ipſius Romani Pontificis veneratione dignum. Ac tandem quod *ſub anno* 925. §. *Vidiſti Lector*, de eodem Ioanne loquens ſic dubitatiuè aſſerat: *ſi tamen ipſe Pontifex eſt dicendus.* Veruntamen in hac Baronij perplexitate ſine dubio tenendum cum concordi fermè Chronologiæ Eccleſiaſticæ Scriptorum ſententia, hunc Ioannem Decimum, ſicut, & Sergium Tertium, de quo in ſuperioribus, & Ioannem Vndecimum, de quo in ſequentibus, eſto malis artibus Pontificatum aſcenderint, imo potius vſurpauerint; nihilominus, accedente poſtea conſenſu expreſſo, vel ſaltem tacito, tum Romani Cleri, tum etiam totius Chriſtiani Orbis, ipſos, vt legitimos Pontifices habentis, pro talibus habitos fuiſſe, & in poſterum cenſeri debere; vt meritò proinde a poſterioribus Sixto IV. & Gregorio XIII. pro germanis, & legitimis habiti fuerint: ne dicamus, tempore quo ipſi regnarunt, ſine capite viſibili Eccleſiam veluti acephalam manſiſſe, ac ordinationes, & conſecrationes, tam ab ipſis, quàm ab Epiſcopis per ipſos ordinatis, & conſecratis factas, irritas, & nullas fuiſſe, quod in magnam Eccleſiæ confuſionem proculdubio cedere, & hæreticis ſcandalum parere poſſe nullus refragabitur: ac perinde, Indulgentiam ab ipſis conceſſam noſtris Eccleſijs (cuius occaſione ad hoc punctum Theologicum digreſſi ſumus) validam, & legitimam æſtimari debere. Præſertim, quia Ioannem, de quo in præſenti, male actæ vitæ pœnitentiam egiſſe, ita vt credi iure poſſit Sedis Apoſtolicæ ab eo inuaſæ, ratificationem, qua fieri poſſet, obtinuiſſe, ex eo elici datur, quod, eodem Baronio teſtante ex Actis Compoſtellanæ Eccleſiæ, Ioannes Papa, *Vt qui ex pluribus delictis conſcientia ſauciatus, animi dolore langueſceret, inter alia ſalutis ſuæ remedia, illud excogitauit, vt nomine ſuo Legatum mitteret Compoſtellam ad venerandum corpus Iacobi Apoſtoli. Cum & litteras dedit ad dictum eiuſdem loci Epiſcopum Sanctum Siſenandum, vt iuges preces pro ſe funderet apud eundem Sanctum Apoſtolum, vt propitius ſibi eſſet in hac vita, & in hora obitus ſui.* En iam qui vidimus Ioannem Papam peccatorem, conſpicimus etiam pœnitentem.

Ann.

Ann. Chriſt. 928. vſque ad 930. Leonis VI. & Stephani VIII. Roman. Pontif. 1. & 2. Conſtantini VIII. Imper. Orient. 17. vſque ad 19.

1 TRES iſti anni Pontificatus Romani (præter ſex menſes, quibus Sedem tenuit Leo VI.) Stephano VII. Octauo appellato, tribui poſſunt: loco enim Leonis in carcerem detruſi, & defuncti, ſubrogatus eſt. Hæc veluti veritati magis congrua inter Chronologorum varias ſententias circa Pontificum Romanorum ſucceſſionem, ex veteri Codice Vaticani hauſit Baronius, quem ſui ſequuntur. Pontificum ſucceſſio.

2 Clarus erat hoc tempore S. Gerardus Bronienſis Abbas, & Benedictinus Monachus, cuius vitam ab erudito quodam Monacho deſcriptam refert Surius *die* 3. *Octobris*. Notandus porro hoc loco fuit, quia, niſi noſtra nos fallit opinio, ex eo quod Sanctus hic Gerardus clariſſimæ Benedictinæ ſcholæ alumnus fuerit, ortum habere potuit quorumdam exiſtimatio refragantium alium S. Gerardum Venetum Epiſcopum, & Martyrem, quem hoc ſæculo, vel principio ſequentis vixiſſe, ſuo loco dicetur, noſtris Carmelitis accenſendum. Gerardorum varietas confuſionem in authoribus parere potuit, a nobis in ſequentibus enodanda. S. Gerardus Bronienſis.

3 Vrſus Badouarius Venetorum Dux, cum aliquando Reipublicæ præfuiſſet, Religionis ſtudio ſe dignitate abdicauit, Monaſticam vitam ſecutus. Sic Sabellicus *Ænead.* 9. *lib.* 1. & Gordonus *ſub hoc tempore*, hic notanda, quia quod Monaſticum Inſtitutum Dux iſte Venetorum amplexus fuerit, an nouum Benedictinum, an vetuſtius Elianum, incertum. Vrſus.

Ann. Chriſt. 931. vſque ad 935. Ioannis XI. Rom. Pontif. 1. vſque ad 5. Conſtantini VIII. Imper. Oriental. 20. vſque ad 24.

1 IN demortui Stephani Papæ locum intruſus eſt Ioannes Vndecimus, Sergij Papæ ex Marozia Scorto filius, vt creditur, potentia Vvidonis Thuſciæ Marchionis, & matris, occupantium in Vrbe arcem S. Angeli. Vt propterea condignè meruerit cuſtodiæ mancipari, & vitam malè finire. Sic ex Luitprando, & Frodoardo elicit Baronius, & alij poſt ipſos, licet alij Ioannes IX. Papa.

dubitent, vel taceant. Quamuis autem Baronius, & nonnulli ipſius ſectatores hunc Ioannem Pſeudo-papam appellent, nihilominus prudentiores alij, & ex vetuſtioribus authoribus pars maxima eum pro legitimo Petri ſucceſſore agnoſcere videntur. Etſi enim in Papatum illegitimè introductus dicatur, accedente tamen poſtea Romani Cleri, & Orbis Chriſtiani conſenſu, expreſſo, vel implicito, pro germano Chriſti Vicario habendus, propter dicta *ſub ann.* 912. de ſimili alio Papa Ioanne X. Ad quæ accedit quod Bellarminus Cardinalis *in Præfatione ad libros de Summo Pontifice* §. *huc acceſſerunt* ſimiles Pontifices Romanos malæ notæ pro legitimis cenſet.

Indulgentia Carmelitis conceſſa.

2 Eſt hic Ioannes XI. vnus ex illis Summis Romanis Pontificibus, qui Eccleſias noſtras viſitantibus, aut reficientibus, muneraue concedentibus, Indulgentiam remiſſionis tertiæ partis peccatorum elargitus eſt, poſt Hadrianum II. Stephanum V. Sergium III. & Ioannem X. quos in ſuperioribus retulimus. Quam potuit Ordo noſter rationabiliter ab ipſo poſtulare, etſi iam pridem a prædeceſſoribus conceſſam, & confirmatam, ob nouam emergentem cauſam euerſionis plurium Eccleſiarum, & Monaſteriorum a Saracenis totum ferme Chriſtianum Orbem inundantibus factæ: cui addebatur quod Arnoldus, ſeu Arnolphus Baioariæ Dux *Eccleſias, & Monaſteria eius Prouinciæ crudeliter deſtruxit, & poſſeſſiones earum militibus diſtribuit*. Otho Friſingenſis *lib.* 6. *cap.* 18.

Ann. Chriſt. 936. vſque ad 939. Leonis VII. Rom. Pontif. 1. vſque ad 4. Conſtantini VIII. Imper. Oriental. 25. vſque ad 28.

Leonis VII. Papatus.

1 IOANNIS XI. Papæ intruſo ſubrogatus eſt Leo quidam Dei ſeruus huius nominis Septimus; de quo pauca extant; vno excepto, quod diſciplinæ Monaſticæ in Vrbe collapſæ, nequiſſimorum proculdubio in ea habitantium conuerſatione, reſtitutor appellari poteſt: ſiquidem, medio Odone Cluniacenſium fundatore, id opus perfecit. Frodoardus, Hiſtoria S. Odonis, Baronius, & alij.

Odonis Abbatis geſta.

2 Quamuis autem clariſſimus hic Odo Abbas Benedictinæ familiæ nomen dederit, vt proinde merito inter Sancti Benedicti alumnos recenſeatur; ſi tamen eius hiſtoria diligenter inſpicitur comperiet lector, ipſum ante quam huius Sanctiſſimi Patriarchæ Regulam, & viuendi methodum arriperet, anachoreticam, Elianam, & Propheticam exercuiſſe; ac proinde a nobis ſpecialiter eius geſta ante Monachale Inſtitutum ſuſceptum, Annalibus noſtris inſeri debere. Ioannes ergo Italus Monachus eius diſcipulus in ipſius Vita libris tribus apud Surium *to.* 6.

pro

pro die 18. Nouembris digeſta ſic habet. Primo quidem capite libri primi, quod a patre infans e cunis ſublatus oblatus fuiſſet S. Martino Turonenſi; & capite ſecundo, quòd illi fuerit deuotione addictiſſimus primis ſuæ iuuentutis annis; ex quo elici valet quod Martini Inſtitutum eo tempore ſectatus fuerit; illud autem quale fuerit Tomo præcedenti, dum de ipſo egimus, oſtenſum manet. Anachoreſim porro illis annis exercuiſſe ex capite quinto eius libri habetur, vbi ſic Ioannes. *Contentus vir beatus cellula exigua ab omnium ſe mortalium oculis, & conſuetudine ſubduxit, vt vni placeret Deo.* Et infra: *Ad Beati Martini monumentum orandi cauſa ibat ſolus, quod quidem ab illa cellula duobus ferè millibus aberat.* Deinde cap. 6. *Cum autem diuerſos euolueret, atque perlegeret codices, in B. Benedicti Regulam incidit, eamque raptim percurrere volens, in eum impegit locum, vbi iubentur Monachi dormire veſtiti. Sed non ſatis eius ſententiam aſſecutus, triennio cubauit in veſtibus ſuis, & cum necdum erat Monachus Monachorum leue ferebat iugum.* En clarè Odonis eremiticam vitam ante Benedictinam Monaſticen indicatam. Alia ad intentum in ea hiſtoria reperiet lector, & plura diſciplinæ Monaſticæ cultoribus apprimè neceſſaria. Ex quibus notanda iſta: *Cum apud Turones in Eccleſia Sancti Martini Monachi degerent, cœperunt deſciſcere a moribus, & Inſtitutis Monaſticis, propriamque ſectando voluntatem, vitam profeſſionemque ſuam corrumpere. Abiecto enim Monachorum ſolito habitu, fucatos atque fluxos, & pallio ornatos induerunt cucullos & tunicas, calceis vtebantur adeo rotundis, & nitidis, vt vitrei viderì poſſent. Ad laudes Dei nocte celebrandas ne forte ad aliquid pedes offenderent cum luce diei ſurgebant, pluraque id genus alia faciebant. Quibus cum vellet Deus finem imponere, nocte quadam omnibus ſomno correptis, vnus ex eis vigilans, duos viros vidit in dormitorium ingredi vnum manu tenentem gladium, alterum imperantem ei, vt quos ipſe digito demonſtraret gladio percuteret.* En damnum quod incurrunt Monachi deformatè viuentes, & veſtibus curioſis ornati.

Ann. Chriſt. 940. vſque ad 942. Stephani IX. Rom. Pontif. 1. vſque ad 3. Conſtantini VIII. Imper. Oriental. 29. vſque ad 32.

1 DEFVNCTO Leoni VII. ſubrogatus eſt Stephanus Nonus, alijs Octauus, natione Germanus, opera Ottonis Regis; vt proinde tyrannorum odium adeo ſibi concitauerit, vt a quibuſdam ſacrilegis fuerit crebris ictibus faciem deformatus, in tantum vt a publico hominum congreſſu abſtinere coa- *Stephani IX. Pontificatus.*

ctus fuerit. Sic ferme ex *lib. de Roman. Pontific.* apud Baronium, quem poſteriores ſequuntur.

2 Orta eſt hoc tempore aduerſus Germaniæ Monachos non leuis quædam perſecutio, qua ipſorum numerum, & Monaſteria Fridericus Archiepiſcopus Moguntinus, vano ſub prætextu, minui, etſi in caſſum, pertentauit. Rem ex Vviticliino *lib. 2. prope fin.* habet Baronius *ad annum* 941. §. *Quo item anno*, ſic. *Grauis perſecutio Monachis oritur in diebus illis, affirmantibus quibuſdam Pontificibus melius arbitrari, paucos vita claros, quam plures negligentes ineſſe Monaſterijs oportere; oblitis ni fallor ſententiæ patris familias Matth.* 13. *probibentis ſeruos zizania colligere, ſed vtraque creſcere oportere, & zizania, & triticum vſque in meſſem. Quo factum eſt, vt plures propriæ infirmitatis conſcij, depoſito habitu, & relictis Monaſterijs, graue onus ſacerdotum deuitarent. Fuerunt autem quidam qui Summum Pontificem Fridericum hoc non purè, ſed fictè feciſſe arbitrati ſunt, quatenus venerabilem virum, & Regi fidelem Abbatem Fuldenſem Hadumarum, quoquo modo poſset, debonestaret.* Et infra de eodem Moguntino Archiepiſcopo loquens, ac modum perſecutionis ab eo tentatæ deſcribens inquit: *Humillima Monaſteria autboritate tentauit, vt ad excellentiſſima æqualiter procederet, ſed huiuſcemodi diſſimulationes in caſſum profuſæ, &c. cauſis interuenientibus Pontifex quod cogitauit, non impleuit.* Hæc Baronius ex Vvitichino.

Monachorũ perſecutio.

3 Porro circa hæc aliqua meditanda occurrunt, ad quæ, vt credimus, Sancti Eccleſiarum Antiſtites, maximè attendere debent, ſi Regularem obſeruantiam, in Monaſterijs, quæ ſub eorum cura ſunt, inducere anhelant. Primo quidem, id fieri non debere ex odio, inuidia, ſimultate, aut alia inordinata paſsione, prout in hoc forſan Moguntino Epiſcopo ſuſpicari poterat eueniſſe. Deinde maxime illis curandum, ne cum ſcandalo, aut iactura Monachorum, quos reformare ſtudent tale opus fiat. Charitas namque regina virtutum eſt, & erga homines Deo ſacros quam maxime debita. Ad hæc, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ authoritate fulti, cuius nutui Religioſæ familiæ ſemper obſequentiſsimæ eſſe debent, id efficere conuenit. Ac præ oculis habere ingentem Monachorum, ſeu Regularium numerum, ſi iuxta Regularia Inſtituta ſuorum Ordinum degant, nequaquam Eccleſiæ ſanctæ nociuum, aut inutilem vnquàm fuiſſe; potius è conuerſo vtiliſsimum, proficuum valde, & ipſius Eccleſiæ ornamentum ſingulare, & validiſsimum contra hoſtes propugnaculum. Id conuincunt manifeſtè plura ex ijs, quæ Tomo ſecundo præcedenti attulimus. Ibi enim dum de fœliciſsimis illis quarti, & quinti ſæculi Chriſti Redemptoris temporibus hiſtoriam ſcripſimus; innumeros pene Patres ex Monachis Eccleſiæ propugnatores numerauimus; prout conſpicitur in Baſilio, Nazianzeno Gregorio, Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo, Epiphanio, Alexandrino Cyrillo, Theodoreto, Iſidoro Peluſiota, Anaſtaſio Sinaita, & mille alijs. Innumeras

Notanda pro Monachorũ reformatione

quoque Monachorum veluti myriades, plurimaque ipſorum examina, etiam vſque ad Indiam Aſiæ propagata, tunc extitiſſe, vel in vno Iuliano decem millium Patre, & Baſiliſſa ſponſa plurimarum Virginum Deo ſacrarum, Matre; Antonio in Thebaide; Pachomio in Tabenna; Ammonio in Nitria; Oxyrincho Ciuitate, in qua, teſte Ruffino *libr.* 2. *Vit. Patrum cap.* 5. viginti millia Virginum, & decem millia Monachorum (vix tot hoc tempore in vna magna Prouincia Chriſtianitatis comperiuntur) morabantur. Quia, vt idem Ruffinus de ea Ciuitate inquit: *Repletam namque eam Monachis intrinſecus vidimus, & extrinſecus omni ex parte circumdatam. Ædes publicæ (ſi quæ in ea fuerant) & templa ſuperſtitionis antiquæ, habitationes nunc erant Monachorum, & per totam Ciuitatem multo plura Monaſteria, quam domus videbantur.* Quorſum ergo de ingenti numero Monaſteriorum, & Monachorum cauſari poterat Moguntinus iſte Antiſtes, vt propterea vellet ea, reformationis Regularis prætextu, minuere? Infeliciſſimum hoc decimum ſæculum fuiſſe Pontificum Romanorum intruſione a tyrannis effecta; Scriptorum paucitate, & ſanctorum virorum exiguo, præ alijs ſæculis anterioribus, numero, authores agnoſcunt: ſed nunquid fœlix propter hanc ab vno Germano Epiſcopo in Monachiſmum perſecutionem excitatam?

4 Sanè religioſius, & ſanctius, prudentiorique ſtylo, ac methodo, hoc tempore diſciplinæ Monaſticæ reſtitutioni adlaborabant non ſolum S. Odo Abbas Cluniacenſis, de quo in ſuperioribus, ſed maximè Adelbero Metenſis Epiſcopus, de quo Sigebertus Glembacenſis *in Vita S. Guiberti Confeſſoris* apud Surium 23. *Maij*. hæc ad intentum *cap.* 4. *Monachorum collecta caterua, &c. hos ad rectam morum volens informari regulam, ad Apoſtolicæ vitæ dirigi fecit lineam, per quam in initio fidei fundatam primitiuam compererat Eccleſiam. In quibus illud præcipuum erat, vt nulla eis propria, ſed omnia eſſent communia, vt quorum conuerſatio iam erat in Cælis, Angelicam quodammodo vitam degerent in terris.* In quibus notet lector, quod quemadmodum Lydius lapis coticula eſt, cuius attritu aurum proditur, ſic quoque Monaſtices illa primitiuę Eccleſiæ, quam ex Elia, & Prophetis inchoatam; & a Chriſto, eiuſque diſcipulis prædicatam, perfectam, ac conſummatam, primo horum Annalium Tomo ſæpius inculcauimus, norma & exemplar totius eius perfectionis eſt, quæ cernitur in alijs Religionibus, quæ veluti riui e fonte ex ipſa ſcaturiunt. Ac proinde iure, meritoque Adelbero iſte Metenſis, ad eam Regulam primitiuæ Eccleſiæ, veluti ad amuſſim certiſsimam Religionis, quam informabat, methodum componebat. Notet præterea, vnicam, & ſingularem rectè inſtituendi, renouandi, ſeu reformandi collapſam alicubi Regularem diſciplinam, eam formam eſſe, qua iſte Metenſis Antiſtes vtebatur, curare videlicet, vt Monachis illis *nulla propria, omnia eſſent communia*; hoc eſt, vt ſanctæ paupertatis, per obſeruantiam quoque *vitæ*, quam vocant, *communis*, ſectatores eſſent. Hæc enim baſis, & fundamen-

Methodus reformationis.

tum

tum totius Regularis diſciplinæ, murus Religionis, & theſaurus Monachorum eſt, prout ex Patrum, & Doctorum, qui ijs, & mille alijs glorioſis epithetis eam cognominant, diximus *in libro de Reformatione Regularium cap.* 16. & 17. Hæc igitur ſancta obſeruantia ſingulariter, exquiſitè, & quantum fieri poteſt, a Reformatoribus inquirenda, inſtituenda, & curanda ſemper eſt: & cum ipſa omnia, ac ſine ipſa nihil efficient.

Alia de Adelbero.

5. Hinc Adelbero, de quo agimus, prout in relati Guiberti Vita c. 8. legitur, ſuper Monaſticam diſciplinam laborans, *eam ad Apoſtolicæ vitæ redigere normam* ſtudebat. *Et incipiens a Gorzia, qui cæteris Monaſterijs erat præſtantior in ſua Parochia, vbi inſtitutæ Religionis vix ipſa apparebant veſtigia, non prius deſtitit quàm Monaſticæ vitæ profeſſores a ſeculi vanitate retractos, rectæ vie reddidit; & ante omnia radicem malorum, & malam Monachorum nouercam, ſcilicet proprietatum concupiſcentiam, mucrone paſtorali extinxit*. Omne igitur veræ reformationis punctum attigit proprietatem a Monachis eliminando.

De paruis Conuentibus extinguẽdis.

6 Quod autem, vt ad Fridericum Moguntinum ſermo redeat, ipſe tentauerit *humillima Monaſteria*, parua ſcilicet, & a paucis Monachis habitata, euertere, conueniens valde multis, etiam hoc tempore, cum hæc ſcribimus, videretur; quia talia (inquient) Monaſteria, Conuenticula ſunt, vbi nec diſciplina Regularis vigere, nec fratres, aut Monachi in ipſis degentes ad ſuæ Regulæ normam viuere poſſunt; quin potius pluribus expoſiti, tum ſpiritualibus, tum etiam temporalibus periculis, cum graui ipſorum Inſtituti iactura, & detrimento, prout ex rerum magiſtra experientia compertum eſſe dicent. Ex aduerſo autem plures inquient, tolerari debere, quia in ipſis diuinus cultus pro poſſe cernitur; vtilitas animarum medijs confeſſionibus, & prędicationibus, alijſquè ſubſidijs ſpiritualibus, quæ Chriſtiana plebs ex ipſis accipit, conſpicitur; ac exemplaris aliquorum vita, quæ ſæpius etiam in his paruis Cœnobijs reperitur, Deo gloriam, & fidelibus notabile profectus ſpiritualis incrementum afferre ſolet. Sed quia circa huiuſcemodi rei deciſionem grauiſſima quædam Congregatio authoritate SS. D. N. Innocentij his diebus, ex Eminentiſſimis nonnullis, & ſapientiſſimis alijs Prælatis extat Inſtituta; in qua maturiſſima cum diligentia rationes vtrinque adductæ expenduntur, idemque Sanctiſſimus, Bulla ſuper ea re edita ſuam ſanctam intentionem, & Religionis ſacræ zelum, iam oſtendit; humiliter eidem obtemperandum, & veluti diuino Oraculo ſtandum, ac promptè obediendum, prout decet Sanctos, & Eccleſiæ obſequentiſſimos.

Ann.

Ann. Chriſt. 943. vſque ad 945. Marini II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 3. Conſtantini VIII. Imper. Oriental. 32. vſque ad 34.

SVCCESSIT Stephano Papæ Nono Marinus Secundus, quem alij Martinum vocant, natione Romanus; qui totum ſe tradidit Cleri, & Monachiſmi reformationi. Sic ferme Baroniani Codices; quibus alij adhærent. Marinus Papa.

2 Contigit hoc tempore pia illa hiſtoria de tranſlatione famoſiſsimæ illius Imaginis Chriſti Redemptoris miraculo expreſſæ ab ipſo Chriſto viuente, & ad Abagarum miſſæ, e Edeſſa Ciuitate Conſtantinopolim, quam Curopalates, *in ſua hiſtoria*, ac maximè Conſtantinus Porphyrogenitus *in Oratione* apud Metaphraſtem, & Surium *die 16. Auguſti*, & alij deſcribunt; ex ea namque nonnulla pro Annalibus noſtris excipere poſſumus. Primò, ſacerrimam hanc Chriſti Seruatoris Iconem in itinere vectam, hoſpitij inſtar receptam fuiſſe in Monaſterio Sanctiſsimæ Deiparæ, quod vocatur *Euſebij Monaſterium*, in loco dicto *Optimatum*, abſ dubiè antiquorum illorum Eliæ alumnorum, qui ſub eiuſdem Virginis patrocinio ſemper extitere. Deinde, eſto poſt hæc, celeberrima iſta Redemptoris effigies Conſtantinopolim aduenirет, ibique ab Imperatoribus condigne recepta fuiſſet, nihilominus, vt Cardinalis Baronius *ad ann. 944. §. At vero poſtea*, ait: *At vero poſtea bellis ingruentibus, ipſa Conſtantinopolitana Ciuitate ſæpe capta, & ab hoſtibus direpta, atque a Catholica primum communione ſæpe diſciſſa, Dei prouidentia factum eſt, vt eadem Imago veneranda fuerit Romam perlata, vbi hactenus colitur in titulo Sancti Silueſtri*. Ex quibus aliquis elicere poterat Sanctiſsimam hanc Chriſti Imaginem apud noſtros Carmelitas aſſeruari; ſiquidem titulus Sancti Silueſtri alius non eſſe videtur, niſi ille qui quondam *Equitij*, nunc vero Sanctorum Silueſtri, & Martini in Montibus nuncupatur, & a noſtris poſsidetur. Cæterum, etſi verum ſit, vſque ad tempora Leonis X. Romani Pontificis non fuiſſe in Vrbe titulum aliquem Sancti Silueſtri, niſi præfatum *Equitij* quondam, & poſtea Sanctorum Silueſtri, & Martini in Montibus noſtri Ordinis fratribus datum; a tempore tamen eiuſdem Leonis extat alius titulus Sancti Silueſtri, ſcilicet Eccleſia Sancti Silueſtri in Campo Martio, in qua, vt dicitur, hæc præclariſsima Chriſti Icon aſſeruatur, & colitur; vt propterea Baronius ea quæ adduximus, ſcripſerit. Cui accinit Octauius Panzirolus in libro, cui titulus: *Teſori naſcoſti, &c.* dum loquitur de hac Eccleſia Sancti Silueſtri in Campo Martio. De Imagine Chriſti Redemptoris.

3 Etſi tamen cæleſti hac gaza titulus Sanctorum Silueſtri, & Martini

De Reliquijs Sanctorum in Eccleſia SS. Silueſtri, & Martini.

tini in Montibus non fruatur, pluribus tamen alijs Reliquiarum pretioſiſsimis gemmis, quæ in ea Eccleſia ſunt, valde decoratur. Prætermiſſis enim, quæ *ſub ann.* 844. & tempore Sergij II. Papæ, de Sanctorum Corporibus ibi reconditis, & ex Cœmeterio Priſcillæ translatis, diximus, ſunt quoque innumeræ fere aliæ minores Reliquiæ, quas Reuerendiſsimus noſter Philippinus *in lib.* cui titulus *Riſtretto, &c. pag.* 78. his verbis retulit, & quas hoc loco referre placuit, occaſione nacta, quod de ea Eccleſia ſermo increpſit. *Di più in alcuni Reliquiarij, e Caſſette ſi conſeruano le reliquie infraſcritte. Della Croce di Gieſù Chriſto noſtro Redentore: del velo della Beatiſſima Vergine; Della ſtola, del manipolo, e d'vna ſcarpa di S. Martino Papa; Parte di vna ſpalla di S. Sebaſtiano. Della Mitra, Stola, del manipolo, e di vna ſcarpa di S. Silueſtro Papa. Delle reliquie di S. Clemente Papa, e Martire. Della Porta Aurea, e di luoghi diuerſi di Terra Santa. Delle reliquie de' Santi Apoſtoli Pietro, e Paolo. Di S. Giuſta, Sofia, Theodora, Giuliana, Teopiſta, e d'altri Santi. Di più vi è traditione continuata che ſotto l'altare di S. Stefano ſiano molti corpi di Santi. Si tengono parimente in altre cuſtodie le reliquie infraſcritte de' Santi Martiri Baſilide, Tripodio, Magdalo, Martiale, e Giuliano, e del Sangue di altri Martyri. Del Sepolcro di Gieſu Chriſto. Di S. Alberto Carmelitano Confeſſore. Delle Sante Catarina, e Margarita. Di S. Marco Euangeliſta, di S. Geruaſio Martyre, di S. Innocentio Papa, e Martyre, di vn'oſſo di S. Martino Papa, del luogo doue S. Pietro pianſe, del luogo della piſcina Natatoria Siloe, del Monte Tabor doue Chriſto fece la traſfiguratione, del Monte Oliueto doue Chriſto aſceſe al Cielo, della caſa doue nacque la B. Vergine Maria, delle Sante Vergini, e Martiri Olimpia, Seria, Ruſtica, Giuliana, Anaſtaſia, Balbina, Niceta, Titiana, e Bibiana, di S. Iacomo Apoſtolo, de' Santi Felice, Bonifacio, & Aniceto Papi, e Martiri, di S. Franceſco, de' Santi Franco, e Simone Stoc Religioſi del Carmine, il quale Simone che fù generale hebbe in gratia dalla B. Vergine lo Scapolare che portano i Carmelitani. Inoltre de' Martiri infraſcritti. Paolino, Giuliano, Giulio, Gregorio, Stefano, Marcello, Groto, Feliciano, Orentio, Rofino, Marino, Giouanni, Pontio, Quirino, Antonio, Quiriaco, Apollonio, Laurenzo, Iacinto, Fabiano, Vittorino, Timoteo, Mario, Adriano, Maſſimo, Teodoſio, Romano, Abundio, Pietro, Placido, Simplicio, Pontiano, Domino, Amantio, Saturnino, Theodoro, Fauſtino, Ippolito, Siluano, Giuſtino, Ottantiano, Aleſſandro, Blaſio, Vicenzo, Antonino, Sebaſtiano, Longino, Claudio, e di S. Proto Veſcouo, e Martire, e d'altri Santi, i nomi de' quali non ſi ſanno.*

De Reliquijs Terræ Sanctæ.

4 Lætetur S. Mater Religio cæleſtibus tot reliquiarum gazis, quibus fruitur in hac Sanctorum Silueſtri, & Martini Baſilica; ac ſpecialius illius de *Porta aurea* Ieroſolymitanorum Vrbis; locis diuerſis *Terræ Sanctæ*; de *Sepulchro Chriſti Domini*; de *Piſcina Natatoria Siloe*; de *Monte Thabor*; de *Monte Olíueto*; de *domo vbi nata eſt Virgo Deipara*. Hæc enim veluti pignora ſunt Regionis, quam olim incoluit, & in qua

primo

primo fundata fuit; & ad quam, Deo adiuuante, & Chriſtianorum animos conciliante, quandoque redituram ſperare debet.

Ann. Chriſt. 946. vſque ad 955. Agapiti II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 10. Conſtantini VIII. Imperat. Oriental. 35. vſque ad 44.

1 MARINO Papæ decedenti ſucceſsit Agapitus Secundus, vir innocens, & gregis ſibi commiſsi diligens gubernator, vt propterea Eccleſiarum Vrbis reſtitutor, & Monachorum benignus benefactor prædicetur, & poſt Sedem obtentam ad decennium circiter de omnibus benemeritus e vita deceſſerit. Ciaconius, & alij. **Agapiti Papæ geſta.**

2 Eius tempore ſanctitatis opinione celebris valde erat in Orientis partibus Paulus *Latrus* dictus a loco, quem inhabitabat, anachoreſim ibi exercens; quem Eliadibus adiungendum ſuadet, tum vita ſimilis Eliæ, Ioanni, & alijs Prophetici Inſtituti cultoribus; tum quod in illis partibus vix alius viuendi modus Monachis erat, niſi qui ab ijs Prophetis, & alijs, qui ex ipſorum ſchola veluti riuuli e fonte prodierant, hauriebatur; tum præcipuè quia habitator etiam fuit cuiuſdam *Lauræ*, cuius curam geſsit: etenim huiuſmodi Lauras Orientales ſeminaria fuiſſe Prophetici, & Eſſeni Inſtituti ſæpius inculcauimus. Ipſum per litteras Conſtantinus VIII. Imperator, ſicut olim Magnus Conſtantinus, & eius filij Magnum Antonium, inuiſebat, conſulebat, & venerabatur. Id enim antiquis Imperatoribus in more fuit, vt Monachos, aut Anachoretas ſanctitate inſignes maximè colerent, prout non ſolum in modo relatis conſpicitur; ſed in Theodoſio etiam Imperatore, vt *tom. 2. ad ann. Chriſt.* 388. *num. 6.* notauimus. Nec ſine ipſorum magno fructu, ſicut in iſto Conſtantino cernitur, cui omnia dexterè contigebant, ſi ex Pauli ſententia agebantur, alioquin e contrario. Papa etiam (quod magis mirum) cum tanti viri fama apud eum veniſſet, Monachum quendam ad eum miſit, non alia de cauſa, quam vt eum ſalutaret, vitæque ipſius formam eidem referret. O magna ſanctitatis vis, quæ etiam Sanctiſsimum Chriſti Vicarium ad hæc induxit! Spiritu etiam Prophetico, & miraculis celebratur clarus, & in vertice montis *Latri*, vbi ſaxum attollitur columnæ inſtar, vitam Angelicam annis pluribus exercuiſſe, Baronius *ſub ann.* 944. *&* 956. ex authore vitæ ipſius latinitati e Græco Codice donatæ per Iacobum Sirmundum Societatis Ieſu profeſſorem. **Paulus Latrus.**

3 Fit etiam mentio in eadem hiſtoria de alio Anachoreta, Baſilio nomine, fratre relati Pauli, qui in Brachiarüs Montibus vitam Ana- **Baſilius Anachoreta.**

cho-

choreticam egit; & quo defuncto ipſe Paulus eandem vitæ normam ſecutus eſt, verticem montis *Latri* cognominati conſcendens, vt dictum manet. Item de Acacio eiuſdem montis Eremita, ac de Monachis Sinaitis, qui ob Saracenorum incurſus Dei monitu illuc migrarunt. De quibus etiam Ioannes Climax dictus.

Acacius.

Ann. Chriſt. 956. vſque ad 964. Ioannis XII. Rom. Pontif. 1. vſque ad 9. Conſtantini VIII. Imper. Orient. 45. vſque ad 49. Romani 1. vſque ad 3. Niceph. Phocæ 1. & 2. Ottonis Imper. Occid. 1. vſque ad 4.

Ioannis XII. Papæ geſta.

1 TVRBVLENTISSIMVM hoc nouennium in Petri Cathedra ſedentem vidit Ioannem XII. qui ſecundum aliquos primus eſt, qui nomen in Papatu mutauit; vocabatur enim antea Octauianus. Male Pontificatum ingreſſus, quia vix octodecimum annum agens, & potentia tyrannorum. Etſi poſtea Eccleſiæ conſenſu, & Romani Cleri, metu ſchiſmatis, approbatione toleratus. Ottonem Germaniæ Regem in Italiam a ſe vocatum Imperatoria corona decorauit, Ottone viciſſim plura Eccleſiæ promittente. Diſſenſione poſtea inter eos orta, deponitur ab Ottone in Conciliabulo, & Leo Pſeudo-papa intruditur, iniuſtè, & contra leges; vt proinde ipſe Ioannes deinde Concilium congregauerit pro damnatione rerum contra ipſum geſtarum. Male tamen obijſſe a diabolo percuſſum, dum cum vxorata quadam eſſet, aliqui ſcribunt. De his Luitprandus, Sigebertus, Baronius, Ciaconius, Gordonus, & alij, etſi nec ſibi omnes cohæreant.

Hierotheus.

2 Quæ porro noſtram Monaſticam, & Elianam tangunt hiſtoriam ſunt iſta. Primò, quod his temporibus propagabatur fides Chriſtiana apud Turcas (quod valde rarum eſt) miniſterio præſertim cuiuſdam Monachi pij, & Religioſi, Hierothei nomine, qui erat Turciæ Epiſcopus, a Theophylacto Conſtantinopolitano Antiſtite delectus, & qui eò profectus multos a barbaro errore ad Chriſtianam Religionem traduxit. Sic ferme Curopalates Græcus author. Secundò, quod, eodem Curopalate teſtante, hoc eodem tempore creatus fuit Conſtantinopolitanus Patriarcha, Polyeuctus Monachus, diutius in Monaſtica vita laudabiliter verſatus, & ob excellentem ſapientiam, ſimplicitatem morum, & inopiam (veras ſane boni Monachi notas) ab Imperatore electus. Oportuit ſane, vt his moribus prædictus ad eam Sedem eueheretur, vt vel ſic ſupplere poſſet Theophylacti ſui anteceſſoris hominis turpiſſimi, improba

Polyeuctus.

proba geſta, ſimoniaca, prophana, & ſacrilega; quæ Deus æqua lance puniuit: cum enim incredibili amore diligeret equos, ipſoſque nutriret amygdalis, piſtacijs, dactylis, & vuis paſſis mollioribus, ac vino, croco, cinnamomo, & balſamo, ab vno eorum ad quendam murum illiſus cauſam ſuæ mortis incurrit. Tertio, quod hoc etiam tempore clarus celebratur S. Lazarus Monachus in Galeſio monte iuxta Epheſum, prout ex Georgio Patriarcha elicit Baronius *ſub ann. 960. in fin.* Quarto, quod cum ſimiliter, relato Curopalate teſtante, Creta Inſula iampridem a Saracenis occupata a Chriſtianis ſub Nicephoro Phoca Orientis Imperatore recuperata eſſet, ad eius inſtaurationem a Deo miſſus fit vir ſanctiſſimus Nicon, genere Armenus, profeſſione Monachus in Monaſterio *Aureæ Petræ* dicto, in finibus Ponti, & Paphlagoniæ, qui a Deo miſſus, velut alter Ioannes Baptiſta, cuius æmulabatur Inſtitutum, vox erat clamantis in deſerto, vnde ab illa cognominatus eſt, & appellatus *Pœnitentiam agite.* Hic primum Apoſtolatus ſui primitias in conuerſione Armenorum; deinde in Cretenſium, reuelationibus, & miraculis a Deo dignatus; in Græciæ quoque prædicatione, vbere fructu ex illa collecto, impleuit. Sic ex Curopalate, & authore vitæ ipſius Niconis habet Baronius *ſub ann. 961. in fin.* Eum autem commemoratum in Menologio Græcorum, & Martyrologio Romano 26. *Nouembr.* eò libentius commemoratione dignum cenſemus, quod titulus ille honorabilis, quo decorabatur, ſcilicet *Pœnitentiam agite*, proprius Monachorum eſſe videtur; cum eorum vita, quia pœnitentialis ſemper eſſe debet, opere, & ſermone, iugiter clamare tenetur *Pœnitentiam agite.* Hæc porro, quæ de hoc, & alijs Monachis retulimus cò allata ſunt, quia, vt ſæpius repetere coacti ſumus, omnes iſti Monaſtici Inſtituti Profeſſores in Orientis partibus degentes ab vno illo fontali Eliano, Prophetico, & Eſſeno imitatione ſaltem originem trahebant.

S. Lazarus.

S. Nicon.

3 Huius etiam Nicephori Phocæ Orientis Imperatoris primis annis, prout idem Curopalates teſtatur, adeo feliciter res bellicæ ipſi contigere, vt è manibus Saracenorum Inſulam Cyprum vendicaret; eoſdem Tarſi, ac Mopſueſtiæ obſideret; Cruces ablatas Chriſtianis recuperaret; & pluſquam centum Vrbes, inter quas vna erat Antiochia, ab eis poſſeſſas auferret; atque reliquias Sanctorum apud ipſos inuentas Conſtantinopolim deferret. Quibus victorijs, & rebus ſtrenue geſtis, proculdubio Monachi, Anachoretæ, & alij tum Carmeli, tum aliorum Syriæ, & Terræ Sanctæ locorum indigenæ ſolatium aliquod, & in ſuis tribulationibus leuamen recipere potuere. Denigrauit autem hanc ſuam gloriam rebus poſtea male geſtis; & ideo Deus ſuæ gratiæ fluenta in ipſum, & Chriſtianos ſibi ſubditos iuſtè ſuſpendit.

Victoriæ Imperatoris.

Ann. Chriſt. 965. Benedicti V. Rom. Pontif. 1. Nicephori Phocæ Imperatoris Oriental. 3. Ottonis Imperator. Occident. 4.

Benedicti V. Papę hiſtoria

1. VOCAT nos hic annus ad hiſtoriam Summi Pontificis Benedicti V. quæ connexionem habet cum geſtis hoc tempore in Eccleſia; & cum Carmelitana, in qua verſamur. Etenim, vt ab hoc vltimo incipiamus, ſententia aliquorum Scriptorum noſtro Ordini exterorum eſt, hunc Papam eiuſdem Ordinis alumnum fuiſſe. Sic apparet ſenſiſſe Laurentium Beyerlinck *in Theatro Vit. human. tom. 6. lib. 16. verbo, Religioſus, Religio* dum de Ordine Carmelitico agit; etſi enim numerans Summos Pontifices, qui ex eo prodierunt, ſolum referat S. Dionyſium primum, & Teleſphorum, & ex aliorum ſententia adiungat: *Addunt alij Benedictum etiam Martyrem*; nihilominus in Catalogo Martyrum vtriuſque ſexus eiuſdem noſtri Inſtituti cultorum, ab eo in littera B, abſque illa limitatione refertur *B. Benedictus Papa, & Martyr*. Cum autem nullus ſit inter Pontifices Romanos *Benedictus* appellatos, cui titulus Martyris competat, niſi huic Benedicto V. propter ea quæ in ſequentibus de ipſo dicemus, proculdubio de ipſo loquitur. Idem ſequitur Ioannes Carthagena Minorita, qui *to. 4. homil. in Tractatu de Ordin. Carmelit.* inter Sanctos Martyres noſtros recenſet *S. Benedictum Papam, & Martyrem*, quo cognomine, vt diximus, ſolus Benedictus Quintus appellari ſolet. Fallitur tamen in eo quod dicit, videlicet de ipſo fieri Officium in Ordine noſtro; hoc etenim verum non eſt; ſicut etiam fallitur, hunc Benedictum Papam cum Benedicto XII. confundens, vt ſuo loco notabimus. Clarius autem cæteris Ægidius Gelenus Canonicus Colonienſis, Eccleſiaſticus, & Hiſtoriographus Archiepiſcopalis, dum in Opere de Coloniæ Agrippinę magnitudine *lib. 3. Syntagm. 43. §. 1.* de Ordine Carmelitico loquens dicit: *Sufficiat ad laudem dicti Ordinis quod is inter alios Diuos, ſex præclaros, ac Sanctos agnoſcat Romanos Pontifices, Clementem, Teleſphorum, Dionyſium, Siluerium, Zachariam, ac Benedictum iſtius nominis V.* Adhuc clarius, & luculentius id proſequitur Chryſoſtomus Enrriquez Ciſtercienſis in Faſciculo Sanctorum Ciſtercienſis Ordinis *lib. 2. diſt. 4. c. 1. pag. mihi 69.* vbi contendens Papam Benedictum XII. nullatenus ſpectare ad Carmelitarum Religionem, oppoſitum dicit de hoc Benedicto V. ſic ſcribens: *Habent quidem vnum ex Benedictis, ſed non duodecimum. Protulit enim inter cæteros ſanctos viros ſacra hæc Religio Deiparæ dicata Monachum quendam, qui tandem ad ſummum Pontificatus faſtigium fuit euectus, & Benedictus V. appellatus eo tempore quo Pſeudo-pontifex Leo VII. Petri*

ſedem

ſedem violenter inuaſerat. Et poſt alia: *Ideoque inter cæteros Carmelitica familiæ Sanctos meritò a doctiſſimo viro Ioanne Carthagena recenſetur lib. 27. de ſacris arcanis Deiparæ, & Ioſeph, hom.* 3. Et infra de eodem Benedicto V. intelligit epitaphium, quod a noſtris Benedicto XII. tribuitur, videlicet:

Hic iacet Benedictus
Quem Carmelus protulit,
Caſſinus aluit,
Vaticanus coronauit.

In rei autem confirmationem ſubiungit inferius: *Reuerendus etiam Pater Gaſpar Pincker Carmelitanorum Antuerpienſium Prior ſe vidiſſe fatetur antiquam Benedicti Martyris imaginem, vbi idem Pontifex in habitu Carmelitano, & gladio transfoſſus aſpicitur: ex quo liquido conſtat illum non XII. ſed V. Benedictum fuiſſe, de quo aliqui teſtantur eum in Germania Euangelium prædicaſſe, & tandem a Vvandalo vnà cum 60. presbyteris transfoſſum fuiſſe*. Ac tandem concludit: *Igitur Reuerendi Patres ſanctæ Carmelitanæ Religionis alumni, ſi iam lapis iſte offenſionis de medio ſublatus eſt, ſi æquiuocatio illa, quæ ex incerta nominum comparitate oriebatur, iam eſt ſemota, nulla de cætero ſit diſputandi occaſio. Gloriamini talem vos habere Patrem, re, & nomine Benedictum, qui ex ſolitudinibus Carmeli quaſi gigas fortiſſimus egreſſus, factus obediens Deo vſque ad mortem, non dubitauit pro ipſo animam ponere, & noſtrum nobis Benedictum relinquite, qui nec Martyr fuit, nec Romæ quieſcit*. Corroboratio.

2 Quoad hiſtoriam verò huius Benedicti, talis eſt progreſſus, tragicus ſanè, & indignus Sancto viro. Poſt Ioannis XII. Pontificis Romani obitum, cum Otto Imperator ab ipſo creatus abeſſet, ipſiuſque aduentum valde Romani metuerent, ſibi, & Eccleſiæ conſulentes, Benedictum in Papam eligunt, & Sedi Apoſtolicæ imponunt. Quo audito, Imperator Romam venit, obſidet, capit; Leonem, de quo ſupra dictum, vt Papam agnoſcit: qui Pſeudo-ſynodum celebrans Benedictum legitimè electum exauctorat, in terra ſedere præcipit, & in exilium deſtinari iubet. Hæc habet lector ex Reginone, & Luitprando non rectis iudicibus, vt pote, qui Ottoni Imperatori, & Antipapæ Leoni plus æquo fauere noſcuntur, contra Benedictum rite, & legitimè Papam electum. Quod enim prætendebant ipſius electionem irritam eſſe, quia fieri non poterat electio Papæ ſine Imperatoris conſenſu, ex conceſſione eiuſdem Leonis, friuolum eſt, propter multa, & inter alia, quia Pſeudo-papa fuit, nec potuit Eccleſiam ſuo iure priuare. Hinc paulo poſt diem clauſit extremum, & Ottonis exercitus ferme totus peſte diſſipatus eſt, in pœnam ſanè iniuriæ illatæ Summo Pontifici Benedicto. De quo exactè Ditmarus Epiſcopus Merſepurgienſis *in ſuo Chronico*, Adamus vetuſtus author *in ſua hiſtori.* & ex illis Baronius, Ciaconius, Coriolanus, Gordonus, & alij. Hiſtoria Benedicti Papæ.

In exilium missus.

3 Pro executione etiam exilij Benedicto Papæ a Leone ſchiſmatico indicti Imperator Otto in Saxoniam reuerſus ſecum eum detulit, Adaldago Archiepiſcopo Hamburgenſi cuſtodiendum commiſit; & Hamburg cuſtodiæ mandari præcepit, prout fecit Archiepiſcopus, honorifice tamen valde eum tractans. Sic Adamus *lib.2. cap.6.* de eo ſubiungens: *Nam vir ſanctus, litteratuſque dicitur fuiſſe, & qui dignus Apoſtolica Sede videretur a Populo Romano, niſi quod per tumultum electus eſt, expulſo eo, quem ordinari fecit Imperator.*

Quo titulo Carmelitis accenſendus.

4 Sed vnde occaſio, vt creditus fuerit Carmelitici Ordinis profeſſor, cum nec verbulum de hoc, aut eius Monachatu apud relatos habeatur authores, quin ſupponant omnes ex Diacono S. Rom. Eccleſiæ ad Papatus faſtigium euectum fuiſſe? Et propterea nunquid falſitatis, aut inſcitiæ redarguendi, qui hoc de ipſo opinati fuerunt? Certe, ni fallimur, huius aſſertionis aliqualem anſam habere potuerunt ex Adamo proximè relato authore ibi: *Quem ille* (ſcilicet Imperator) *Hamburg cuſtodiæ mandari præcepit*; hæc enim cuſtodia Monaſterium aliquod in partibus illis Saxoniæ exiſtens dubio procul eſſe videtur. Frequentiſſimus namque illius, & omnium ſæculorum mos fuit, vt Monaſteriorum clauſuræ, carceris inſtar, traderentur exules inſignes perſonæ; prout hiſtoriæ paſſim clamant, & conſpicitur in Siluerio Papa a Belliſario Monachali veſte induto, & in exilium miſſo, de quo aliqua diximus *ſub ann.* 537. Fauent, & illa eiuſdem Adami: *Igitur apud nos in ſancta conuerſatione viuens, alioſque ſancte viuere docens, &c.* hæc enim Monaſticam profeſſionem indigitant. Sed cur ſpecialiter Carmelæo Inſtituto ab authoribus relatis accenſitus? Sanè non video, niſi quia crediderint eam Monaſticæ vitæ rationem egiſſe in aliquo Prophetici Ordinis Cœnobio in illis partibus conſiſtente. Hæc de obſcuriſſimis temporibus, & Pontifice parum noto, quem alij Benedictum V. vocant, vt Platina, Genebrardus, Honuphrius, & Baronij ſectatores; alij VI. vt Faſciculus temporum (etſi poſtea eum quintum appellet) & Ciaconius; alij ſeptimum, vt Papyrius Maſo: alij Pſeudo-papam credunt, & Leonem legitimum, vt Regino, Hermannus Contractus, quibus fauet Faſciculus temporum, Honuphrius, & Bardus; alij legitimum Pontificem, vt Baroniani; alij vero vtrumque pro Romano Pontifice agnoſcunt, vt Marianus Scotus, Sigebertus, Gotfridus Viterbienſis. In tanta ergo authorum confuſione circa rem maioris momenti, qualis eſt vnius Chriſti Vicarij Pontificatus, & authoritas, mirabile non erit, vt de ipſius Monachatu (ſi verè Monachus fuit) lucidiora dici nequeant. Præſertim, quia nec de mortis ipſius modo omnino conſtat, cum aliqui apud Crantium dicant, quod Vvandalorum incurſu fuerit cum ſexaginta ſex presbyteris trucidatus; alij vero cum Adamo relato, quod non niſi Hamburg naturali morte obierit: quia tamen multa dira, & contumelioſa a Leone Pſeudo-papa paſſus, ideo Baronius eum Martyrem vocat,

cat, ſicut Pontianum, & Martinum Pontifices Romanos, quod ferè ſequitur Gordonus cum alijs. De eius autem tranſlatione, & Prophetia ipſe Baronius *ad ann.999.* §. *Eodem quoque tempore*.

Ann.Chriſt.966.vſque ad 972. Ioannis XIII. Rom. Pontif. 1. vſque ad 7. Nicephori Phocæ Imper. Oriental. 4. vſque ad 7. & Ioannis Zimiſcæ 1. vſque ad 3. Ottonis Imperat. Occidental. 5. vſque ad 11.

1 SVBROGATVS eſt hoc tempore, iubente Imperatore Ottone, in locum demortui Leonis VIII. Pſeudo-papæ Ioannes XIII. etſi viuente Benedicto, legitimus Papa eſſe nequiuerit. Hic Romanorum proceres ſibi infenſos fecit, & idcirco ab Vrbis Præfecto comprehenſus, in exilium miſſus, & in Campania cuſtodiæ mancipatus: poſtea tamen metu Imperatoris Romam venientis ab eiſdem Romanis ſuæ fuit Sedi reſtitutus. Luitprandus, Leo Oſtienſis, Baronius, & alij. Occiditur etiam Nicephorus Imperator machinatione ſuæ vxoris, ſuccedente Ioanne cognomento Zemiſce. Curopalates, & alij hiſtorici. Succeſſio Pōtificum, & Imperat.

2 Contigit hoc tempore noſtram Monaſticam tangens hiſtoriam, (quod vtinam in exemplū ſit Chriſtianis Dynaſtis, qui iniqua tributa, & gabellas Monachis imponere non formidant) vt quidam Cubicularius Imperatoris Conſtantinopolitani ab ipſo miſſus cuiuſdam tributi exigendi cauſa, Cœnobio S. Niconis, de quo ſupra *ſub ann.956.* actum, magnas propterea moleſtias exhiberet; quales ſimiles homines exercere ſolent; etſi Monachi, quibus auri nihil erat, immitem, & ferum precibus linire ſtuderent. At ipſe obſurdeſcens poſt atroces minas in carcerem eos detruſit, ac Monaſterium ipſum expilare, deprædarique vecors meditabatur. Quod cæteri audientes ad ſuum S. Niconem iam defunctum precibus exorandum ſe conuertunt, eius opem implorantes. Nec fruſtra: proxima etenim nocte Nicon Sanctus ad Cubicularium veniens multis cum verberibus puniuit. Vexatio intellectum dedit; mane enim & vinctos eduxit, veniam a Sancto petijt, & quæ abſtulerat reſtituere promiſit & fecit. Sic enim immunitas Monachorum a Deo protecta fuit. Hæc ex authore vitæ ipſius Niconis apud Baronium *ſub anno 969.* De gabella Monachis impoſita.

3 Ibidem etiam ſtupendum aliud exemplum (vtinam etiam Chriſtianis Principibus ruminandum) de quodam viro Illuſtri Michaele Defenſio Monaſterij.

Chæroſphacte nuncupato, qui, occaſione accepta leuiſſima, contra Monaſterium etiam eiuſdem S. Niconis, & Zoſimam Monachum ipſius procuratorem plura indigniſſima aggreſſus, nocte ſequenti eundem Niconem vidit acerrimè ipſum increpantem, ita vt illico febris, & cum febre peralyſis eum inuaſerit, & poſtea mors, ad oſtenſionem diuinæ iuſtitiæ, quæ ſæpius in ſacrilegos Monachorum inuaſores, ſic & alijs modis, exardeſcere ſolet.

Saracenorũ inuaſores.

4 Contigit etiam eodem tempore, vt Saraceni poſt expugnatas in Syria, & Cicilia Vrbes Ioannem Patriarcham Ieroſolymitanum viuum combuſerint, timentes quod eius monitis Imperator Nicephorus eos inuaderet. Incenderunt etiam Dominici ſepulchri Templum. Ita Curopalates, hiſtoria noſtra dignum; cum ex eo elici valeat coniectura magna, in hac tribulatione plura paſſos noſtros Carmeli, & Sanctæ Ciuitatis Aſcetas, Eò maximè, quod ſemper partes illas incoluiſſe colligi etiam poteſt ex dictis *tom.2. ſub ann.40. num.4. ſub ann.326. num. 4. & 5.* & quoad Sanctimoniales *num.3.* Vbi etiam in ſequentibus de ſimilibus Monaſterijs, Quibus etiam iungebantur illa, quæ *Lauræ* vocabantur, de quibus plura *in eo 2.to.* Ea enim verſus S.Ciuitatem ſita erant. Preſſuram ergo aliquam hoc tempore paſſa fuiſſe refragrabitur prudens nemo.

Ann. Chriſt. 972. & 974. Doni, & Benedicti VI. Rom. Pontif. 1. & 2. Ioann. Zemiſc. Imper. Orient. 4. & 5. Otton. I. Imper. Occid. 12. & Otton. II. 1.

Pontificum ſucceſſio.

1 POST obitum Ioannis XIII. Donus Papa, alijs Domnus, ſeu Domnion, ſucceſſor creatus, tantum ſedit per tres menſes: & in eius locum ſubrogatus Benedictus VI. per vnum annum, & aliquot dies Sedem Rom. tenens, a Bonifacio tamen Francone ſceleſtiſſimo Cardinali, violenter inuaſus, captus, incarceratus, & ſtrangulatus interijt. Baronius, Gaulterius, & alij; refragante Ciaconio, qui aliter rem geſtam narrat, & hunc Bonifacium inter Pontifices numerat. O tempora!

S. Romualdus.

2 Memoriæ noſtrorum tradendum, quod circa hoc tempus, quo Propheticus, & Eremitalis Ordo ab Elia primum in Carmelo cœptus, poſtmodum autem, Chriſto Duce opitulante, per Eſſenos, alioſque Anachoretas in Syria, Ægypto, aliſque Orbis partibus erat dilatatus, proculdubio ob perſecutorum Eccleſiæ tyrannidem, & hominum peccata veluti elangueſcens fere defecerat; Deo ſic prouidente, vnus Romualdus Rauennas, vt alter Baptiſta ex eremo prodiens, Nitrias, & Thebaidas anachoreſes in Italiam tranſtulerit. Sub magiſterio ſanè Marini Eremitæ, qui in Venetiarum partibus huic vitæ vacabat.

Erat

Erat autem Marinus inter cæteras virtutes vir ſimplicis animi, & ſinceriſſimæ admodum puritatis, qui nullo quidem magiſterio eremiticæ conuerſationis edoctus, ſed ad hanc ſolummodo bonæ voluntatis impulſu fuerat incitatus. Porro autem hunc viuendi morem habebat, vt per continuum anni circulum tribus hebdomadæ ferijs mediam panis buccellam, & pugillum fabæ guſtaret, tribus verò vinum, & pulmentum diſcreta ſobrietate perciperet. Pſalterium quidem per tres dies ſingulos totum canebat. Hæc & plura alia de ipſo Romualdo, & Marino ſanctitate, & doctrina percelebris author Petrus Damiani in Vita eiuſdem Romualdi apud Surium 19. *Iunij*, quæ vel indicanda hoc loco fuere, non quia Romualdum ipſum Carmeli familiæ accenſendum credamus, ſed quia Eremiticam vitam, in ea prius cœptam, etſi ſub alia Regula, in Orbe propagauerit; & quia Marinus iſte ipſam æmulatum fuiſſe videtur. Quod verò Elias Eremitarum omnium princeps, & anteſignanus fuerit, ſic habet relatus Petrus Damianus *tom. 3. Opuſculor. opuſc.* 15. *cap.* 12. de vita Eremitica loquens: *Huius vitæ normam, vt anteriora prætercam, Elias cœpit, Eliſeus verò aucto diſcipulorum collegio dilatauit.* Et *lib.* 5. *epiſt. epiſt.* 19. *ad Clericos, & Canonicos.* Vbi ſic: *Certe noſtri, non veſtri Ordinis, Moyſes, & Elias fuere, eremum qui incoluere; noſtri auctores greges Prophetarum, cum quibus reprobus Saul ſæpe cantauit.*

Ann. Chriſt. 975. vſque ad 983. Benedicti VII. Rom. Pontif. 1. vſque ad 9. Ioannis Zemiſc. Imper. Oriental. 6. & Baſilij, & Conſtantini 1. vſque ad 8. Ottonis II. Imper. Occident. 2. vſque ad 10.

1 NOVENNIVM hoc Pontificem Romanum Benedictum Septimum aſpexit, qui Bonifacium Sedis Apoſtolicæ inuaſorem exagitauit, & Roma abire coegit, multaque Monaſteria a ſolo vel reſtituit, vel fundauit, vt propterea vir optimus agnoſcatur. Platina, Ciaconius, & alij. *Benedict. VII. geſta.*

2 Memorandum valde, & hiſtoria noſtra dignum hoc tempore contigit in Anglia. Cum enim Edgarus Rex Abbates, & Monachos plures in Monaſterijs quibuſdam collocaſſet, eiectis Clericis qui vxores habentes in eis viuebant; Rege defuncto, clerici contra eos inſurgunt, & quorumdam optimatum fauore ipſos ab ijs Monaſterijs expulerunt, inductis de nouo clericis. Recurritur vtrinque ad Dunſtanum virum ſanctum, & Cantuarienſem Antiſtitem, qui pro ſententia ferenda Vvintoniæ Synodum congregauit, & pro Monachis reſtituendis ſententiam tulit. Cum autem interpellaretur, vt ea ſola vice clericis parceret, *Monachorũ perſecutio per clericos.*

ret, & in priſtinum reſtitueret, dum ad iſta ſilet, quaſi mente reſponſum ruminans, ecce quod imago Chriſti crucifixi in eo loco affixa (res mirabilis!) audientibus cunctis dixit: *Non fiet, non fiet; iudicaſtis bene, mutaretis non bene*. Clericis ergo, ſuiſque fautoribus confuſis, & elinguibus manentibus, Monachi ſuperarunt. Chriſto vtique protectore, per quem pij Monachi a ſimilibus vexationibus liberantur. Collectum poſtea Concilium fuit Calnæ, cum clerici aduerſus Sanctum Dunſtanum reclamarent ob pulſos ipſos, & ſubrogatos loco ipſorum Monachos. *Vbi, cum in cœnaculo, abſente Rege propter imbecillem ætatem, conſidentibus totius Regni Senatoribus magno conflictu hinc inde allegantium res ageretur, & Dunſtanum quaſi Eccleſiæ murum multorum iacula conuitiorum impeterent, nec vincerent: ſolarium ſubito totum quo conſidebant cum axibus diſſoluitur, & trabibus; omnibuſque interim truculenter eliſis, ſolus Dunſtanus ſtans ſuper vnam, quæ ſuperſtes erat, trabem, abſque læſione euaſit. Cæterum omnes partis aduerſæ, vel exanimati ſunt, vel languore perpetuo ſunt detenti. Hoc miraculum contulit pacem B. Dunſtano, & Monachis ab impetu Clericorum, & aliorum, gratia hæc & ſimilia operante diuina*. Matthæus Vveſtmonaſterienſis *in Flor. hiſtor. ann.* 975. Oſbertus *in Vita Dunſtani*, vbi non ſolum ipſum Dunſtanum, ſed omnes, qui ex parte illius erant, ſaluos factos ſcribit; Appendix ad Bedam, & ex illis Baronius *ſub ann.* 975. *&* 979.

S. Nilus. 3 Commemorat idem Baronius ſub his annis S. Nilum Monachum Græcum origine, ſed natione Calabrum, virum inſignis ſanctitatis; quem etſi Benedictinæ Illuſtriſſimæ ſcholæ iure aſcriptum cernamus, quia a Caſſinenſibus exceptus Monaſterium ad viuendum acceperit, nihilominus anterioribus annis antiquum illud Orientalium Monachorum Inſtitutum tenuiſſe videtur: dicit enim de ipſo author ipſius vitæ: *Nilus fugiens populi tumultum, & dilectum ſibi ſilentium ſemper complectens, exiuit a Ciuitate ad Templum S. Ioannis Baptiſtæ eremi cultoris, cuius etiam vitam imitabatur, & ibi cum Deo conuerſabatur, & meditationi operam dabat*. Apparet etiam in eodem authore Monaſterium eiuſdem Nili fuiſſe *tuguria circa Oratorium conſtructa*, quod in memoriam noſtris Carmelitis reuocat Carmeli antiquam habitationem, quæ erat, prout ex Regula colligitur, *Oratorium in medio cellularum*. Sed his relictis, vnum quod in ea hiſtoria refertur hic placuit apponere pro animarum noſtrarum ſpirituali vtilitate, & peccatorum terrore. Illud eſt, quod reuelatum fuiſſe dicitur *S. Simeoni in admirabili monte*, videlicet: *Ex decem millibus vix reperitur vna anima his temporibus, quæ ad manum Sanctorum Angelorum perueniat*. Væ mihi, & alijs miſeris peccatoribus!

Ann.

Ann. Chriſt. 984 vſque ad 995. Ioannis XV. Rom. Pontif. 1. vſque ad 12. Baſilij, & Conſtantini Imper. Oriental. 9. vſque ad 20. Vacantis Imperat. Occidental.

1 ALIQVOT menſibus exceptis, quibus Ioannes XIV. Pontificatum poſt Benedictum VII. tenuit; eo quod ab impio illo Bonifacio, violenter exturbatus, vinculis alligatus, & in munitione Sancti Angeli detentus fame perijt; & quatuor alijs menſibus, quibus ipſe Bonifacius Petri Cathedram tyrannicè obtinuit; totum hoc tempus Ioannis XV. Pontificatui tribuimus poſt ipſius Bonifacij repentinam mortem. Sic Baroniani Codices, quos ſequuntur poſteriores; etſi Platina, Honufrius, & anteriores alij Baronio non conſentiant. **Ioannis XV. Papatus.**

2 Celebris erat his annis S. Adalbertus Pragenſis Epiſcopus, qui Epiſcopatui cum Papæ licentia renuntians Monaſticum induit habitum, & mirabilia geſſit, quæ eius hiſtoria apud Surium *die* 23. *Aprilis* latè narrat. Ex qua pro noſtra illud habetur, quod in Monaſterio S. Bonifacij, vbi Romæ vixit ſub vno clauſtro Monachi erant (prout etiam notat Inchofer *in Annal. Regn. Hungar. ann.* 989.) tum Græci, tum Latini; iſti ſub S. Benedicti Regula, illi ſub S. Baſilio. Dicitur enim ibi: *Vſus vero illi maximus erat colloquia quærere ſpiritualium, & ſeniorum, qui porro illic pro charitate Abbatis plures confluxerunt: Græci, inquam, optimi venerunt, Latini ſimiles militarunt. Superioribus quatuor pius Baſilius, inferioribus quatuor magnus Benedictus Dux, ſiue Rex erat.* En quomodo ſub vnius Monaſterij tecto, alij Monachi ſub D. Baſilij, alij ſub S. Benedicti Regula conuixerint. Ex quo neruosè ſuadetur id quod *ſub an.* 606. *n.* 5. diximus, videlicet in vno Cœnobio plurium Patriarcharum Monachorum Regulas obſeruatas non ſemel fuiſſe, ac perinde S. Patriarchæ Benedicti Monaſticam Regulam non aliàs ſic abſorpſiſſe, vt nullibi comparerent, prout nonnulli pro comperto ſibi credere videntur. **S. Adelbertus.**

3 Oritur hoc tempore felici ſydere circa annum 986. prout aliqui autumant, noua Carmelo adiuncta proles, Sanctus ſcilicet Gerardus Epiſcopus Canadinenſis, & Martyr. Eum namque noſtris Carmeli Patribus aſciſcunt antiqui, & moderni Ordinis ſcriptores, ſpecialiter Arnoldus Boſtius, Ioannes Palæonydorus, Didacus Coria, Petrus Lucius, Symon Coëllius, ac de exteris Petrus Præmoſtratenſis in ſua Chronica, quæ incipit *Sapientis conſilium*, ſic ſcribens, prout Palæonydorus *lib.* 2. *cap.* 10. refert: *Tempore Benedicti IX. qui floruit anno Domini* 1030. *Gerardus Ordinis Carmelitarum Patriarcha Antiochenus in Vngaria ſuper bi-* **S. Gerardus.**

gam

gam ligatus , de alto iactus præcipitio martyrizatus eſt . Didacus Yepes Epiſcopus Tiraſonenſis , & confeſſarius Philippi II. Hiſpaniarum Monarchæ *in Vita S. Thereſiæ* , & Laurentius Beierlinck *in Theſaur. Vitæ humanæ verb. Religioſus , Religio* , dum de Ordine Carmelitarum agit : ab ipſo namque inter Patriarchas huius Ordinis refertur *Gerardus Patriarcha Antiochenus* , & inter Martyres *Beatus Gerardus Patriarcha* . Video etiam *in Legendar. Sanctor.* Nicolai Maneruij Veneti Italico vulgari deſcripto, quod in Calendario Sanctorum *pro 24. Septembris.* ſic dicatur : *Gerardo Confeſſore Carmelita* .

An Carmelita.

4 Nititur præcipue horum Doctorum aſſertum in vſu Religionis ab Apoſtolica Sede approbato celebrandi Sanctum Gerardum veluti ipſius Ordinis alumnum . Pro quo , vt vetuſtiora omittantur, extat decretum Capituli Generalis in alma Vrbe , & Carmelo S. Martini in Montibus anno 1564. celebrati (dum Sanctus Cardinalis Carolus Borromæus Protector Ordinis eſſet) quod tale eſt : *Sancti Ordinis noſtri redigantur in Catalogum , ſeu Calendarium Sanctorum ; & de illis fiat Officium duplex. Non amoueantur tamen ab ipſo Calendario Sancti, de quibus celebrantur Officia, & iamdiu celebrata fuerunt* . Cum enim ad normam huius decreti Calendarium Romæ typis ederetur eodem anno apud Antonium Bladum impreſſorem Cameralem , *pro die* 24. *Septembr.* ſic ibi habebatur : *Gerardi Epiſcopi Antiocheni , & Martyris Carmelitæ duplex* . Conformiter etiam ad dictum decretum , & Calendarium, de eodem Sancto Gerardo Officium , & Miſſa celebrabatur ſub titulo eodem , ſcilicet *Gerardi Epiſcopi Antiocheni , & Martyris Ordinis noſtri* . Prout ſpecialiter in Breuiarijs, ſeu Diurnis , ac Miſſalibus ſub Generali Rubeo Rauennate typis editis Venetijs anno 1574. cernitur, vbi hæc Collecta pro Officio, & Miſſa habetur : *Sacratum tibi Domine diem offerimus , quo B. Gerardum a vertice Montis præcipitem dederunt tui nominis hoſtes , ſuppliciter tuam clementiam exorantes , vt cuius ſolemnia colimus , veneranda illius paſſio nobis proficiat ad medelam. Per Dominum, &c.* Conſtat igitur ex prædictis , de Beato Gerardo Officij , & Miſſarum ſolemnia ſub titulo Sancti Ordinis noſtri celebrata eſſe .

Gerardus Sagredus.

5 Nec iſtis obſtat , quod Gerardus iſte Sagredus, de quo nunc agitur , Patriarcha Antiochenus non fuerit , ſed Canadinenſis Epiſcopus in Vngaria, ſeu Pannonia , Gerardus verò, de quo dictum eſt Officia celebrari , Antiochenus erat Patriarcha . Etenim cum Gerardus ille *Martyr* vocetur, & eo genere Martyrij quod in præfata Collecta denotatur , ac *pro die 24. Septembris* ; & hæc ſint propriæ notæ huius Gerardi Sagredi , qui tali mortis genere, & ea ipſa *die 24. Septembris* paſſus eſt , ideo eum fuiſſe, qui a noſtris pro Sancto Ordinis colebatur , etſi per errorem, & ipſum confundendo cum alio Gerardo Carmeli Eremita , qui Antiochenus Epiſcopus fuit , & de quo *ſub ann.* 1034. dicetur , congrue ſatis dici poteſt ; ac perinde Ordini noſtro adiudicari debere . Huius porro ,

quam

quam dicimus, æquiuocationis ſignum id eſt, quod cum poſtea ſub Gregorio XIII. de anno 1584. Carmelitanum Breuiarium ad formam Romani reformaretur, & ab ipſo plura Officia Sanctorum, ac inter illa feſtum S. Gerardi detracta fuiſſent, nihilominus cum deinde, ſub Paulo V. Apoſtolica etiam authoritate interueniente, plura illorum reſumerentur; inter illa quoque Officium S. Gerardi reaſſumptum eſt, ſub titulo quidem *Epiſcopi*, *& Martyris*, non tamen, vt primitus dicebatur *Epiſcopi Antiocheni*; vt conſtat ex Officio horum Sanctorum Romæ apud Iacobum Maſcardum anno 1610. typis editum: ibi enim pro 24. *Septembris*, ſic dicitur: *In feſto S. Gerardi Epiſcopi, & Martyris Ordinis noſtri, duplex minus, omnia de communi vnius Epiſcopi, & Martyris*. Conſequenter etiam in quinterno Sanctorum pro Patribus noſtris Diſcalceatis Romæ edito 1616. in Calendario, & in corpore ipſius quinterni pro dicta die 24. *Septembris*, ſic dicitur: *Sancti Gerardi Epiſcopi, & Martyris Ordinis noſtri*. Quod etiam habetur in illis quinternis, maximè de anno 1629. ſub Vrbano VIII. & alijs Breuiarijs conſequenter editis. Elici ergo ex dictis poteſt, Gerardum de quo Ordo noſter Officium celebrare conſueuit, hunc Gerardum Sagredum fuiſſe, etſi per errorem, vt diximus, vocatum Antiochenum Patriarcham ob ſimilitudinem nominis cum Gerardo alio Carmelita, cui hoc competit.

6. Præcipuum verò fundamentum, propter quod Carmelitana Religio de iſto Sancto Gerardo Sagredo Officium celebrat, ſumptum eſt ex decreto Sacræ Congregationis Rituum ſub Vrbano VIII. die 12. Iunij 1628. Vbi cum Officia propria Sanctorum Ordinis, & inter ipſa huius Sancti Gerardi Sacræ Congregationi pro approbatione obtinenda propoſita fuiſſent, eadem Sacra Congregatio tale edidit decretum. *Officia ſupraſcripta Sanctorum Ordinis Carmelitarum ad inſtantiam Generalis eiuſdem Ordinis, & fratrum Reformatorum, quos Diſcalceatos vocant, qui Breuiarium Romanum acceptarunt, ad vſum dicti Breuiarij Romani reformata ab Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Cardinale de Torres recognita, & ſubſcripta; & quorum aliqua alias ſub die* 20. *Iunij* 1609. *ab Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Cardinale Bellarmino de mandato Sacræ Rituum Congregationis reuiſa, & approbata fuerunt, eadem Sacra Congregatio, vt ab vniuerſo Carmelitanorum Ordine liberè, & licitè recitari, ac etiam pro maiori commoditate imprimi poſſint, licentiam, & facultatem dedit, & conceſſit. Die* 12. *Iunij* 1628. *Coſ. Cardinalis de Torres, F. Fuluius Benign. Secr. loc.* ✠ *Sigilli*. Officium porrò talis Sancti Gerardi euidentiſſimè monſtrat Gerardum hunc de quo in præſenti eſſe. Habet enim Collectam ſuperius relatam, & in 4. lectione hæc: *Gerardus Venetijs oriundus, &c.* Et conſequutiue totam ferme hiſtoriam eiuſdem Gerardi in 4. 5. & 6. lectione. Et ita Authores noſtri recentiores, hunc Gerardum Venetum Ordini annumerant, ſpecialiter Petrus Saracenus *In Menolog. Carmelitar. in eius Vita*. Michael Muñozius *in Propugnaculo Eliæ lib.* 2. *tit.* 3.

Officium S. Gerardi pro Ordine approbatum.

 cap. 1.

cap. 1. ar. 2. & Auguſtinus Biſcarretus *in Palmitibus vineæ Carmeli* in ipſo. Quo iure autem a Sacra Congregatione, & a relatis Authoribus, Gerardus iſte Ordini noſtro acceſeatur, maximè cum Patres Benedictini, & inter ipſos Arnoldus Vvion Belga diligentiſſimus author, familiæ ſuæ clariſſimæ alumnum credant, in ſequentibus quoad fieri poteſt enodabimus. Id ſolum, iuxta dicta repetentes, quod antiquiores noſtri Authores in hoc Gerardo, allucinati ſunt cum Gerardo alio Carmelicola, & Antiochenſi Antiſtite eum confundentes; prout etiam de exteris id fecit Author Faſciculi temporum *circa ann.* 1004. eum Gerardo alio Cameracenſi Epiſcopo hunc Gerardum inuoluens; dum idem mortis genus ab Hungaris ei illatum ſuo Cameracenſi tribuit. O tenebræ hiſtoriarum, huius æui!

S. Gerardi incunabula.

7 Gerardi porro huius incunabula ſic deſcribit Saracenus relatus. *Patriam habuit Venetiarum inclytam Italiæ Vrbem, quæ ab Henetis non in ſoli firmitate, ſed in aquarum inconſtantia, ſolido ingenio, conſtanti iudicio; ad Octauum Orbis miraculum extructa, in fortunæ campis, contra fortunæ impetus mirabiliter defenſa, nullo muro niſi Ciuium, quin triplici muro inexpugnabili, iuſtitia, fortitudine, prudentia ſtipata floret. Ex illuſtri, & antiqua Sagredorum familia flos aureus Georgij nomine baptiſmali renatus vnda inſignitur.* Conſonat & eius hiſtoria apud Surium 24. *Septembris*, quam ipſe fide dignam vocat; & quæ etiam habetur apud Benedictum Gononum *de Vit. Patr. Occident. lib.* 5. vbi ſic: *Beatiſſimus Gerardus huius lucis lumen per Venetos parentes ſortitus, Dei gratia illum præueniente ab ipſa pueritia cæpit Domino Chriſto eſſe deuotus, & doctrinæ Euangelicæ per omnia parere.* Ac maximè Vita ipſius latè deſcripta per Arnoldum Vvionem Benedictinum Belgam relatum, ex qua nonnulla ſuis locis inſerenda accipiemus.

Puer quinquennis oblatus Monaſterio.

8 Illud autem in præſenti, quod Sanctus hic Gerardus, a pueritia, cum quinque tantum annorum eſſet, Benedictinis Patribus Monaſterij S. Georgij maioris Venetiarum oblatus eſt, ibique S. Benedicti habitum ſuſcepit. Sic enim tradit præfatus Vvion *in ipſius Vita cap.* 1. & conſonat ea quæ eſt apud Surium, & Gononum relatos. Familiariſſimum autem fuiſſe in Benedictino Ordine, conformiter etiam ad ipſius Patriarchæ Regulam *cap.* 59. pueros etiam teneros pro oblatis admittere, latè proſequitur Benedictus Haeftenus eiuſdem familiæ *in Diſquiſ. Monaſtic. lib.* 4. *tract.* 1. *diſquiſ.* 3. & conſtat in Placido, Fauſto, Bertulpho, Gordiano, Eugendo, Beda, & mille alijs apud eundem Haeftenum. Inter hos ergo Gerardus nominandus. An verò ſemper in Benedictino manſerit Ordine, ſeu potius ad Canonicatum laicalem Eccleſiæ S. Marci Venetiarum poſtea tranſierit, in ſequentibus diſcutiemus; maximè *ſub ann.* 1004.

Ann.

Ann. Chriſt. 996. vſque ad 998. Gregorij V. Rom. Pontif. 1. vſque ad 3. Baſilij, & Conſtantini Imperat. Orient. 21. vſque ad 23. Otton. III. Imper. Occid. 1. vſque ad 3.

1 PAVLO poſt obitum Ioannis Papæ XV. ſubrogatus fuit Gregorius huius nominis Quintus, natione Germanus, & Ottonis Imperatoris conſanguineus: exagitatus tamen a Ioanne Decimoſexto appellato Papatus inuaſore, ab eodem Ottone defenditur, qui & viciſſim ab ipſo Imperator coronatur, cum antea ſolum ſub Regis titulo Germaniam rexiſſet. Ioannes vero ſchiſmaticus meritas ſoluit pœnas; etenim paulo poſt a Romanis captus, naribus, auribuſque præciſis, oculis etiam priuatus, aſello impoſitus eſt, vultu in caudam verſo, & eandem aſini caudam tenens per publicas vias perductus clamare coactus eſt: *Tale ſupplicium patitur, qui Romanum Papam de ſua Sede pellere nititur.* Hæc ex antiquioribus deprompta recentiores Chronologi Baronij ſectatores, apud quem etiam, Platinam quoque, Panuinum, & alios de electoribus Imperij, quæ veluti omnibus communia omittimus, ſpecialiora noſtræ hiſtoriæ quæritantes. Pontificum, & Imperat. geſta.

2. Inter quæ illud eſt quod Sanctus Nicon in ſuperioribus commemoratus, hoc tempore vitæ ſanctitate, & ſpiritu prophetico clarus valdè erat, & in Monaſterio Lacedemonienſi veræ phyloſophiæ antiquorum Monachorum egregiè vacabat. Item quod Gregorius Quintus huius temporis Pontifex, qui iuxta Ciacconium, propter largas eleemoſynas, & alia bona opera quibus claruit *minor Gregorius* appellatus eſt, Indulgentias noſtro Ordini conceſſit, vt teſtatur Ioannes Palæonydorus *lib.* 2. *cap.* 10. Quæ tamen fuerint non refert. S. Nicon.

Ann. Chriſt. 999. vſque ad 1003. Silueſtri II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 5. Baſilij, & Conſtantini Imperat. Oriental. 24. vſque ad 28. Otton. III. Imper. Occident. 4. vſque ad 6.

1 DECEDENTI ex hac vita Gregorio V. Gerbertus Archiepiſcopus Rauennas, Siluester Secundus nuncupatus, in Apoſtolico throno ſucceſſit; non ita in eum benemeritus, quem ſuis antea ſcriptis proſcindere, & Nouatoribus, vt vomitum ſorberent, anſam præbere, non prætermiſit. Occaſionem propte- Siluestri II. Papæ geſta.

rea multis præbuit, vt de ipſo plura obloquerentur, eum etiam Magum appellantes. Sed iure ab alijs vindicatur, quia non Magus, ſed Mathematicis ſcientijs addictus fuit. Hæc noui Chronologi, & Annaliſtę, quibus eò libetius aſſentimur, quòd alumnus Silueſter fuerit Monaſterij Bobieſis Inſtituti a S. Columbano, quem Ordini Prophetico addiximus in ſuperioribus, & Monachorum defenſor, proût ex eius epiſt. manifeſtè conuincitur.

S. Gerardi adoleſcentia. 2 Suppetunt autem nonnulla his temporibus noſtri Carmeli propria, & alia toti Monaſtico ſtatui communia. Inter priora quidem Gerardus Sagredus, de quo aliqua in præcedentibus diximus, & plura in ſequentibus dicemus. *Superatus ephæbis, moribus affabilis, Deo plenus, Deiparæ carus, ſanctitate magnus, ſtatura paruus, virtutibus ita dicatus, vt conciuibus omnibus magnæ eſſet admirationi*; prout de ipſo habet Petrus Saracenus *in Menolog. Carmelit.* his annis adoleſcebat. Spectat quoque ad propria Ordinis, quod Sanctus Hungariæ Rex Stephanus, qui hoc tempore mirabili ſanctitate, & pijs operibus clarus erat, inter alia egregia, vt teſtatur Chartutius Epiſcopus, qui ipſius vitam deſcripſit, *Extruxit in ipſa Ieroſolyma, vbi Dominus noſter Ieſus Chriſtus in carne verſatus eſt, Monachorum Cœnobium, idemque prædijs, & vineis, vnde eis quotidianus victus copia ſuppetat, ditauit.* Hoc etenim Ieroſolymitanum Cœnobium ex noſtris, qui in eis partibus, veluti coloni, & inquilini, morabantur Monachis, non ex alijs exteris, & Occidentalibus conſtitiſſe, non incongruè ſuſpicari poſſumus. Refert hoc factum Melchior Inchofer *in Annal. Hungar. ſub an.* 1010. & dicit hoc Cœnobium fuiſſe Monachorum Carmelitani, ſeu Baſiliani Ordinis: ſed pręſumptio pro noſtris ſtat; ſiquidem Patria illa ipſorum veluti propria erat, etiam ante D. Baſilij tempora, & ortum.

Monachi illuſtres. 3 Inter communia porro Monaſtici ſtatus non ſolum recenſendum, quod plures hoc tempore eius profeſſores Orbem illuſtrabant. Quales ſunt Sancti Nicon, Nilus, Romualdus recenſiti; Maiolus, Odilo, Petrus Damiani, Eberardus; Petrus Sublacenſis, Abbo Floriacenſis, & alij Benedictinæ ſcholæ egregij alumni; ſed etiam quod a magnis Principibus in ſummo pretio habebantur; ſicut videre licet in Othone Imper. S. Nilum inuiſente, & valde honorante. Deus quoque ipſe eorum protector cernebatur. Teſte namque Ditmaro huius temporis Scriptore, cum milites quidam prata Monaſterij S. Pauli inuaderent, quatuor ipſorum fulmine percuſſi fuerunt, cæteris aufugientibus. Adeo etiam Monachorum, Monialium, & Canonicorum Monaſteria in ipſa Romana Vrbe numero augebantur, vt, quemadmodum etiam Arnolphus Comes eiuſdem etiam temporis Scriptor apud Henricum Caniſium 2. *tom. lection. antiquar.* teſtatus eſt, *pro ruinis murorum, & veterum fanorum ſurgunt quotidie innumera ædificia Eccleſiarum, ſiue Monaſteriorum, è quorum incredibili numero (vt audiui a quodam ſene qui ſe dixit nutritum in eadem Ciuitate) viginti poſſidentur a ſanctimonialibus, quadraginta a Monachis, ſexaginta a Canonicis, exceptis ijs, quæ extra Ciuitatem ſunt, & in alijs Eccleſijs,*

ſiue

ſiue capellis, quæ in eadem Vrbe abundant. Fiebat etiam hoc tempore Eccleſiarum, & Monaſteriorum ædificatio, in Italia, & Gallijs præſertim, prout teſtatur Glaber *lib. 3. cap. 4.* dicens: *Tunc denique Epiſcopalium ſedium Eccleſias penè vniuerſas, ac cætera quæque diuerſorum Sanctorum Monaſteria, ſeu minora villarum Oratoria in meliora quique permutauere fideles.* Sapientiſſimè autem hoc modo a Deo pro ſua Eccleſia ſic prouidebatur eo tempore quo Pontificum vita laudabilis non erat, prout conſtat ex his quæ diximus in ſuperioribus. Etenim teſte Glabero relato *lib. 2. cap. 6.* dicente: *Quandocumque enim deficit religioſitas Pontificum, & marceſcit diſtrictio regularis Abbatum; ſimulque monaſterialis diſciplinæ vigor tepeſcit, ac per illorum exempla cætera plebs mandatorum Dei præuaricatrix exiſtit; quid aliud quam totum ſimul humanum genus rurſum in antiquum præcipitij chaos perditionis ſpontanea voluntate illabitur?*

4. Cum autem, iuxta ſuperius dicta, in Europæ partibus Monaſteria diuerſa hoc tempore extruerentur, credibilius redditur id quod *in Elogio Ordin. Carmelit.* Coloniæ impreſſo cum alijs Opuſculis *ann. 1643. pag. 124.* ſic dicitur: *Bopardienſe Monaſterium, omnium huius Ordinis in Germania primum, fundatum creditur circa annum Domini milleſimum: primus namque Prior huius Monaſterij, vt ex Epitaphio eiuſdem conſtat, obijt anno 1012.* Quæ ſi vera eſſent, non incongrue ſub hoc tempore, imo & anteriori etiam, contigiſſe credi poteſt. Cæterum, quia ex litteris P. Segeri Pauli, quas apud me habeo, ad Reuerendiſſ. Generalem Theodorum Stratium deſcriptis, & ex duplici Epitaphio huius Monaſterij conſtat primum Priorem ipſius, *Henricum* appellatum, obijſſe anno 1113. ideo credibilius non niſi poſt plures annos fundatum fuiſſe, ne dicamus, vel hunc Henricum ſupra centum, & plures vixiſſe, quod non facilè credi poteſt; vel ſaltem per multum tempus ſine Priore extitiſſe hoc Cœnobium, quod etſi incredibile non ſit, de facto tamen non ita accidiſſe congruentius videtur. Veritati ergo magis congruit dicere annis ſequentibus hoc erectum fuiſſe Cœnobium, prout dicemus *ſub ann. 1045.* Bopardienſe Monaſteriũ.

Ann.Chriſt. 1004. vſque ad 1008. Ioannis XIX. Rom. Pont. 1. vſque ad 5. Baſilij, & Conſtantini Imper. Oriental. 29. vſque ad 33. Vacat. Imper. Occident.

Pontificum ſucceſſio.

1 DEFVNCTO Silueſtro Papa ſubrogatum in ipſius locum fuiſſe Ioannem XVIII. appellatum, ipſique, cum tantum per quinque menſes ſederit, alium Ioannem XIX. dictum ſucceſſiſſe, aſſentiendum cum Indicibus veteribus Vaticanis, quibus adhærent Baronij Codices, ipſiuſque ſectatores; ſi tamen nullum interim præiudicium veritati inferatur circa Pontifices hoc nomine appellatos, an veri, an potius aliqui intruſi, & illegitimi appellandi ſint, de quo alij. Nos ad noſtræ hiſtoriæ propriora.

S. Gerardus Canonicus factus S. Marci Venetiarũ.

2 Inter quæ, quod ſub hoc tempore, vel circiter, Gerardum illum, de quo in præcedentibus, Monachali habitu indutum, in tenera etſi quinquennij ætate, vt in ſuperioribus dictum; cæterum, iuſtis poſtea, quas ignoramus, cauſis interuenientibus, Canonicum Eccleſiæ S. Marci inclytæ Venetiarum Vrbis factum fuiſſe, non leui fundamento affirmari poteſt. Pro hoc enim firmando teſtem primò habemus Epiſcopum Equilinum, Petrum de Natalibus cognominatum, qui in ſuo Catalogo Sanctorum *lib. 3. cap. 145.* dum huius Sancti Gerardi vitam, geſtaque recenſet, inquit: *Gerardus Epiſcopus, & Martyr, Venetiarum Ciuitate, ex nobilibus parentibus, videlicet de domo Sagrea Patritia oriundus; à pueritia Deo deuotus, Eccleſiæ Sancti Marci Canonicus fuit.* Diſplicet hoc placitum P. Vvioni in Vita S. Gerardi, dum in annotatione quadam ad hæc verba Petri de Natalibus ait: *De Sancti Gerardi Canonicatu ab alio authore præterquam a Petro Natali nihil ſcriptum reperio.* Nos tamen hunc Gerardi Canonicatum approbatum videmus ab alijs authoribus. Primò quidem a Petro Saraceno *in Menolog. Carmelit. in Vit. S. Gerardi*, ſic dicente: *Iuuenis illuſtris ex Petro de Natalibus lib. 3. cap. 146. Canonicus S. Marci Venetiarum, maximo illius Eccleſiæ ornamento creatur.* Deinde ab Emmanuele Romano in ſuis Elucidationibus, dum de Gerardo loquitur, *fol. 198.* & a Melchiore Inchofer Ieſuita *in Annalibus Hungariæ ſub ann. 1030.* de eodem ſic affante: *Hic natione Venetus ex antiqua familia Sagredorum, abdicato opimo S. Marci Canonicatu Monachatum induit in Monaſterio S. Georgij Martyris ſub B. Ioanne Mauroceno, primo eius Monaſterij Abbate.* Corrigendus tamen vir doctus dum Monachatum induiſſe dicit *abdicato Canonicatu*, & ſub *B. Ioanne Mauroceno*; hoc etenim toto cælo repugnat veritati, quia, vt diximus in ſuperioribus, & affert Vvion in Vita eiuſdem S. Gerardi Monachatum is induit

quinto ætatis ſuæ anno, quomodo ergo *abdicato Canonicatu?* Et ille Ioannes Maurocenus, prout probat ipſe Vvion, Abbas fuit eius Monaſterij S. Georgij ab *ann.* 982. *vſque ad* 989. quo tempore vix trium, aut quatuor annorum eſſe poterat Gerardus. Admittendus tamen cum Petro de Natalibus, Saraceno, & Emmanuele Romano in eo quod ſupponit fuiſſe Canonicum S. Marci. Pro quo Canonicatu S. Marci firmando, ipſemet Vvion teſtis adeſt *in Annotationib. ad Martyrolog. Monaſtic. die* 24. *Septemb.* vbi verbis, quibus Inchofer poſtea vſus eſt (ac perinde pari modo corrigendus) teſtatur S. Gerardum fuiſſe Canonicum S. Marci Venetiarum. Ex quo in ſequentibus proſequemur ius quod Carmelitana Religio habet ad hunc B. Gerardum, & cauſam ob quam a S. Congregatione Rituum noſtro Ordini aſcribi potuerit. Quamuis autem dixerimus, ob ignotas nobis cauſas S. Gerardum ex Monacho in infantia Benedictino effecto ad Laicalem Canonicatum S. Marci greſſum feciſſe, nihiloſecius non incongruè ſuſpicari poſſumus eam fuiſſe, quod, prout ex eius Vita ab Vvione late deſcripta elicitur, pro hoc tempore, vel circiter S. Gerardi pater, Gerardus etiam dictus, cum ad Terram Sanctam tranſmigraſſet, in ea diem vltimum clauſit; vt proinde matrem ſolaturus, ſicut propterea ex Georgio, qui antea vocabatur, Gerardus ſicut genitor appellatus eſt; ſic etiam ex Monacho S. Georgij Monaſterij Canonicus S. Marci effectus fuerit. Nec mirum id ſanè, non ſolum propter exemplum plurimorum, qui ex Religionis ſtatu ad ſæcularem, Deo etiam inſpirante, ob publicam vtilitatem, & maiorem Chriſti gloriam, tranſierunt; ſed & ſpecialiter quia cum Gerardus Benedictinum Inſtitutum in infantia ipſa ſuſceperit, poterat adulta, & maiori ætate, ante legitimam proprio conſenſu profeſſionem emiſſam, ad ſæcularem habitum reuerti. *Ca. firma autem* 20. *q.* 1. ex D. Baſilio, & *Ca. illud autem ibidem,* vbi id expreſsè deciditur ex Marcello Papa. Quamuis enim ab aliquibus is textus *palea* appelletur, quia tamen extat in omnibus vetuſtis exemplaribus, & ſine nomine *palea*, ideo authoritate non caret. Vnde in poſterioribus ſæculis idem ſtatuitur *cap. ſignificatum, & cap. cum ſimus de Regularib.*

3 Sub hoc etiam tempore, anno videlicet 1006. (teſte Iuliano Perez Toletano *in Chronic. n.* 521.) *Monaſterium Agalienſe vehementi quadam inundatione Tagi dirutum eſt, nec amplius a Toletanis Muzarabibus ædificatum. Monachi huius Monaſterij ſe contulerunt ad Cœnobium S. Felicis.* Hæc porro hic a nobis annotanda fuerunt, propter ea, quæ in præcedentibus, ſub anno præſertim 560. a nobis dicta ſunt: etſi credamus hoc tempore proculdubio Cœnobium hoc S. Religioni Benedictinæ ceſſiſſe, eſto prioribus ſæculis non niſi Eliano Monachiſmo, iuxta eo loco dicta. Monaſterij Agalienſis inundatio.

Ann. Chriſt. 1009. vſque ad 1011. Sergij IV. Rom. Pontif. 1. vſque ad 3. Baſilij, & Conſtantini Imperat. Orient. 34. vſque ad 36. Imper. Occident. Vacant.

Sergij IV. creatio.

1 CVM Ioannes Pontifex obijſſet, Romanaque Sedes vacaſſet, creatur Papa Sergius huius nominis Quartus; cui, cum antea Petrus vocaretur, in Principis Apoſtolorum reuerentiam, nomen mutari placuit, & Sergius nominari: etſi id factum, quia *os porci* antea vocabatur, Ditmarus, Ciaconius, alijque putent. Legendi Platina, Panuinus, Baronius, & Additionator Ciaconij.

Quis iſte Sergius.

2. Fuit is Sergius ſanctæ, & piæ vitæ reputatus, ac in pauperes liberalis, prout denotat, quoad noſtra attinet, quod ipſe vnus fuerit ex ijs Pontificibus, qui largas Indulgentias noſtro Ordini conceſſere. Etenim de illo habetur in Bulla Sixti IV. *Dum attenta* (vbi per errorem vocatur Sergius V. nullus enim fuit Sergius V. Papa) quod poſt alios prædeceſſores, quos ſuis locis nominauimus, *Omnibus Chriſti fidelibus verè pœnitentibus contritis, & confeſſis, qui prædictas Eccleſias* (ſcilicet Ordinis noſtri) *piè viſitauerint in prædictis feſtiuitatibus* (numeratæ fuerunt ſub Leone IV.) *& earum octauis; ſeu, qui domos fractas eiuſdem Ordinis reficerent, vel pro fabricis ipſarum Eccleſiarum munera darent; vel confratriam dicti Ordinis aſſumerent, & intrarent; aut calicem pro Miſſis celebrandis, vel tobalias, ſeu mappas erogarent: vel qui in præmiſſis, aut in quolibet præmiſſorum manus porrigerent adiutrices; vel qui in ſuis vltimis teſtamentis aliquid legarent, tertiam partem omnium peccatorum in Domino* relaxauit: Sic etiam habetur in Bulla *Cum laudes* Gregorij XIII. ablatis tamen illis clauſulis, quæ ſpectabant ad manuum adiutricum porrectionem. Meminit etiam huius Indulgentiæ Palæonydorus *lib. 2. cap. 10. & lib. 3. cap. 15.*

Templi Ieroſolymit. euerſio.

3. Quadantenus etiam noſtram concernit hiſtoriam, quod hoc tempore, ob Iudæorum vetuſtam malignitatem factum eſt, vt Templum Ieroſolymitanum per Principem Babylonis euerteretur; magno ſane dolore totius Chriſtianitatis, & Carmeliticæ noſtræ familiæ in illis partibus degentis. Diuina tamen fauente clementia, mater Principis, Maria nomine, mulier Chriſtiana, damnato filij facinore, Templum euerſum politis, & quadris lapidibus moliri cœpit, Chriſtianitate applaudente, & Iudæis pœnas debitas ſoluentibus. Glaber *lib. 3. cap. 7.* ex quo Baronius, Inchofer, & alij Annaliſtæ.

Matthæus Scandeli.

4 Occaſione porro cladis Ieroſolymæ Vrbis, & Templi relatæ, cum plures ſacra illa loca venerandi cauſa inuiſerent, vnus maximè Matthæus

Eſcan-

Eſcandeli, Hungariæ gloria, enituit; qui ardore fidei, cum omnia circum loca luſtraſſet (quid ni Carmelum vetuſtiſſimæ ſanctitatis emporium?) in receſſum Montis Sion ſe abdidit, & anachoretico per aliquot annos vacauit Inſtituto: inde ad Indos perrexit; hinc ad Sinas: vbi poſt mira patrata Martyrio illuſtri mortalis vitæ finem fecit. De eo Ioannes Lucena *lib.*10.*cap.*24. & Petrus Iarricius *lib.*4.*c.*6. dum Orientalis Indiæ hiſtoriam tractant, & Melchior Inchofer *in Annal. Hung. ſub an.* 1009. Quem noſtro Prophetico Ordini quadantenus accenſendum ſentimus, quia vitæ anachoreticum Inſtitutum, & locus Sion (vbi noſtri habitacula habuerunt, prout conſtat ex dictis in ſuperioribus) hoc ſubindicant: & quia, vt de eo loquitur Inchofer, *Religionem Mariæ a lacte infantiæ ſibi cognatam vbique* prætulit.

5 Pari iure de duobus Eremitis Andrea, & Benedicto Dalmatis, ſeu Polonis, qui hoc tempore in Hungariam venere, cenſendum. Etſi enim Eremitas Ordinis S. Pauli fuiſſe vetuſtus Codex manuſcriptus *de geſtis fratrum Eremitarum eius Ordinis* aſſerat, quis non magis credat præſumptionem ſtare pro antiquiſſimi Eremitarum Inſtituti Religione ab Elia inchoati, per Baptiſtam continuati, & per eundem Paulum (quem illorum ſectatorem fuiſſe *to.*2. oſtendimus) propagati, quam ſub nouitio alio? Præſertim quia Sozimi Abbatis ſectatores fuiſſe in Vita S. Mauri Quinqueeccleſienſis Epiſcopi apud Surium *tom.* 3. *ad primam Maij*, dicatur, quem Sozimam Elianum quoque extitiſſe Aſcetam in ſuperioribus diximus. De ipſis Inchofer ſupra latè ex alijs. Hæc in re incerta vel tetigiſſe ſufficiat, vt ad alia properemus. Andreas, & Benedictus Eremitæ.

Ann. Chriſt. 1012. vſque ad 1023. Benedicti VIII. Roman. Pontif. 1. vſque ad 12. Baſilij, & Conſtantini Imperat. Oriental. 37. vſque ad 48. Henrici Imper. Occid. 1. vſque ad 10.

1 BENEDICTVS Papa Octauus appellatus hoc tempore ſedit: etſi non pacificè, propter ſchiſma contra eum tentatum a Gregorio quodam, qui eum ab Vrbe pulſum ad Henricum Germaniæ Regem confugere coegit. Romam tamen rediens ipſum Henricum Imperatorem coronauit. Baronius, Ciaconius, Gaulterius, Gordonus, & alij. Bened. VIII. caſus.

2 Sub hoc tempore, iuxta P. Arnoldum Vvionem in Vita S. Gerardi *cap.* 3. 4. *&* 5. & in Annotationibus, idem S. Gerardus in Monaſterio PP. Benedictinorum degens, cilicio aſperriſſimo vtens, lectioni aſſiduè vacans, & fratribus cæteris Regularis diſciplinæ forma factus, officio Prioratus primum, Abbatis poſtea, decorari meruit; cum tamen antequam De S. Gerardo.

quam Abbas eligeretur, Bononiam ſtudij cauſa miſſus eſſet, & ibi per quinquennium circiter litteris vacans miros progreſſus egiſſet. Cæterum etſi hæc quæ Vvion narrat, quod ſpectat ad vitæ ſanctimoniam, & litteraria exercitia Gerardi, vt vero ſimilia valde credi poſſint; quod attinet verò ad habitationem cum Monachis in Monaſterio, Prioratum, & Abbatiam eiuſdem, cum non cohæreant cum ijs, quæ ſupra *ſub ann.* 1004. diximus de Canonicatu S. Marci, quem ex Petro de Natalibus, Melchiore Inchofer, & alijs geſſiſſe, retulimus, incerta videntur; præſertim, cum nec Petrus ipſe, nec author vitæ S. Stephani Regis, vbi multa de S. Gerardo; nec Bonifinius, Surius, Gononus, aut Inchofer qui multa quoque de ipſo; multominus Platina, Sabellicus, Ritius, Nauclerus, Bergomenſis, Tarcagnota, Feroldus, Sanſouinus, Doglionus, nec alij, qui ipſum commemorati ſunt, aliquam de his mentionem fecere: &, quod magni etiam ponderis eſt, nec Trithemius clariſſimus Benedictinus Abbas, & ſuæ ſacræ familiæ ſtudioſiſſimus; etſi haud ſemel de Gerardo ipſo *lib.* 3. *&* 4. *de Viris Illuſtrib. Ordin. S. Benedicti* locutus fuerit. Accedit quod Vvion ipſe *in Martyrolog. Monaſtic. die* 24. *Septembr.* impugnat Bugianum, eo quod dixerit S. Gerardum Abbatem fuiſſe illius Cœnobij S. Georgij; quia (inquit Vvion) *de Abbatia hiſtoria muta eſt.* Quomodo ergo contra ſeipſum eum Abbatem modo vocat? Cauſa porro, ob quam Benedictini Patres nonnulli, quos Vvion, & alij ſequuntur, Priorem, & Abbatem eius Monaſterij S. Georgij Venetiarum S. Gerardum eſſe putauerint, non ſolum ea potuit eſſe, quod eidem Monaſterio ab incunabulis ferme, ſub habitu etiam Monachali, oblatus fuerit, prout in præcedentibus aſſeruimus; ſed etiam quia, adhuc Canonicus effectus, valde quoque familiaris, & deuotus eius Monaſterij Monachis eſſet; ac cum illis ſæpius conuerſaretur, cum præſertim Eccleſia S. Marci, vbi Canonicus erat, non longe à S. Georgij Cœnobio diſtet. Nec deeſt exemplum in mirabili illa cunctis ſæculis S. Chriſtina Virgine, quam inter Moniales Benedictini Ordinis, idem, de quo nunc loquimur, Vvion in ſuo Martyrologio Monaſtico 23. Iunij recenſet: quod animaduertens Benedictus Gononus *de Vit. Patr. Occident. lib.* 5. *in Notis ad Vitam eiuſdem S. Chriſtinæ*, ſic loquitur: *Agit etiam de ea Arnoldus Vvionus in ſuo Martyrologio Monaſtico* 23. *Iunij, qui tamen fallitur cum dicit eam fuiſſe Sanctimonialem in Monaſterio S. Catharinæ Ordinis D. Benedicti iuxta S. Trudonem; nam in vita eius non legitur eam accepiſſe habitum Religionis, quamuis tamen frequenter, & familiariter in prædicto Monaſterio conuerſata ſit, & ibidem obierit.* Forſan enim idem dici poterit de Anonymis illis, quos Vvion ſequitur in Vita S. Gerardi, eum videlicet Priorem, & Abbatem eius Cœnobij exiſtimaſſe, quia frequenter, & familiariter cum Monachis illis conuerſaretur, & in pueritia eorum habitum geſtaſſet. Hæc porro neceſſaria nobis ſunt pro his, quæ in ſequentibus de eodem Gerardo dicemus.

3 Accenſendus videtur noſtro Prophetico, & Eremitico Inſtituto Symeon quidam Armenus ſanctitate inſignis, qui vitæ Anachoreticæ in cunabula in Palæſtina exercuit, vbi noſtrorum manſio iugiter fuit; inde diuino monitu in Occidentem migrauit, vbi plurimis miraculis emicuit. De illo Anonymus quidam, quem refert, & ſequitur Baronius *ſub ann.* 1016. ſic habet: *Non multo poſt tempore Dei ſeruus Symeon, exacto iam eremiticæ conuerſationis prælioſo tyrocinio, ſecundum quod alibi diuinitus reuelatum eſt, ſolitudinis antra deſeruit, & orationis ſtudio Romam peregrinus expetijt. Cumque multa Sanctorum corpora circumeundo viſitaret, quem nullus in orando labor vix aliquando ſuperaret, tandem ad Oratorium Sancti Ioannis Baptiſtæ Lateranenſis Eccleſiæ applicuit, vbi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificem Benedictum nomine cum multis religioſis Epiſcopis Orthodoxis viris in congregata Synodo reſidere inuenit. In quo cum deuotæ Orationis moram, vt ei ſemper conſuetudo fuerat, diu in longum protraheret, vnus ex Clero nequitiæ, ac ſuperbiæ furore plenus, Symeonem virum ſanctum, & catholicum omnibus in Synodo reſidentibus ore polluto infamauit hæreticum.* Subiungens: *Inſurgamus ergo in eum, & vt cæteri contremiſcant, aut lapidibus obruamus, aut viuum igne comburamus.* Hæc aiebat flagitioſus Clericus turbam commouens, & Romanum etiam Pontificem cum Epiſcoporum collegio conturbans. Dei autem prouidentia factum eſt, vt ibi aſſiſteret Epiſcopus quidam Armenus, qui fidem Symeonis explorans, eum verè Catholicum agnouit, ad Papam retulit, & commotionem ſedauit, Deo quoque cooperante, qui iniquum accuſatorem ab ſpiritu maligno arripi, ac pro illata Dei ſeruo contumelia diutiſſimè vexari permiſit: etſi Sanctus Symeon, ſigno Crucis ſuper ipſum facto, memor illius *benefacite his qui oderunt vos* a dæmone liberauerit. Subijcit verò Auctor, quod cum Symeon ab ipſo Pontifice honorificè exciperetur, & ſparſa de eius ſanctitate fama, plurimi ad eum conuenirent, vt ſanarentur, ijdemque curarentur, cum nimio populi totius plauſu coleretur ab omnibus, ab Vrbe diſceſſit, & peragrans Italiæ, & Galliæ, & Hiſpaniæ regiones, viſitans loca ſancta, demum Mantuæ ſubſtitit, ibique a Bonifacio Duce, & Richelda eius coniuge digne habitus, demum in pace quieuit illuſtratus a Deo tam viuens quàm mortuus multis miraculis. Hæc de Anachoreta iſto, Monacho etiam in ea hiſtoria nuncupato. De quo etiam Vvion *in Martyrolog. Monaſtic.* 26. *Iulij*, ipſum recenſens inter Benedictinæ ſacræ familiæ alumnos, eſto primum Baſiliani Ordinis Monachum fuiſſe dicat. Cæterum, etſi id quod de Benedictino Monachatu inquit, facilè credi poſſit, vel propter ipſius, & aliorum eiuſdem Inſtituti Scriptorum, quos refert, authoritatem; quod tamen primitus Baſilianæ Religionis profeſſor, potius quam vetuſtiſſimæ illius Propheticæ, & Elianæ, quæ in illis partibus ſemper viguit, extiterit, vnde hauſerit haud conſtat. Præſertim quod Summi Pontifices Benedictus, & Leo, ac Arſenius Patriarcha Ieroſolymitanus in litteris ab

Simeon Armenus.

ipſo

ipſo Vvione relatis, eum ſolum appellant *Monachum*, & *Eremitam*. Vnde locus ergo quod Baſilianus? Sed hac relicta contentione, hoc vnum præſtat magis in hoc viro Sancto mirari, ſi non imitari, quod Arſenius relatus de ipſo ait: *Panem non manducat, nec carnem, nec adipem, nec caſeum, nec oua*. Dixerat autem prius: *Deo, & Domino noſtro Ieſu Chriſto ſeruiendo circuit totum Orbem*. Hæc ſunt chariſmata meliora nobis æmulanda, & amplectenda pro poſſe.

Ann. Chriſt. 1024. vſque ad 1033. Ioann. XX. Rom. Pontif. 1. vſque ad 10. Baſilij Imper. Orient. 49. Conſtantini 49. vſque ad 53. & Romani 1. vſque ad 5. Henrici Imper. Occid. 11. & Conradi 1. vſque ad 7.

De Ioan. XX. Papa dicto.

1 IOANNES dictus XX. ſui prædeceſſoris Bened. VIII. (res rariſſima) germanus frater, hoc tempore Pontificatum geſſit, malis artibus aſcendens, ſed poſtea legitime receptus. Conradum Imperatorem creat ob obitum Henrici; a quo viciſſim a Romanorum violentijs, & clandeſtinis motibus protectus eſt. Volaterranus, Genebrardus, Baronius, & alij.

S. Martialis Apoſtolatus.

2 Confirmata eſt hoc tempore ſententia de Apoſtolatu S. Martialis, de quo, quia a quibuſdam hiſtoricis noſtris Eliano adiunctus eſt Inſtituto, Tomo præcedenti egimus *ſub ann. 52. num. 11. & 12.* hæc dicere oportuit: eo quoque quod Orientales Monachi duo Symeon, & Coſmas Sinai montis Eremitæ, qui etiam idem Inſtitutum redolere videntur, ſuffragatores adſunt, apud Baronium *ann.* 1029. qui eandem quoque hiſtoriam proſequitur *ann.* 1031.

De S. Gerardo.

3 Infra hoc etiam tempus, anno videlicet 1030. S. Gerardum Sagredum, de quo in ſuperioribus, Abbatia S. Georgij Benedictinæ Religionis, & Venetiarum Vrbe relictis, Ieroſolymam loca ſacra viſitandi gratia cum ſocijs perrexiſſe, contendit in ipſius Vita Arnoldus Vvion, grauis author Religionis eiuſdem, de quo nonnulla ſuis locis excepimus. Qui etiam addit, orta in mari tempeſtate ad quoddam Monaſterium appuliſſe, vbi cum per aliquod tempus permanſiſſet, Abbatis illius exhortationibus inductum fuiſſe, vt relicta Solymorum peregrinatione, in Hungariam (Pannoniam aliàs) proficiſceretur, pro fide in ea Prouincia propaganda: ac annuiſſe; & ibi gratanter ſuſceptum à S. Stephano Hungariæ Rege, detentumq; ab illo fuiſſe, ne Ieroſolymam, quo pergebat, perueniret. Cæterum, alijs prætermiſſis, S. Gerardum non ex præfata Abbatia, aut Monaſterio Patrum Benedictinorum, ſed ex Canonicatu Sancti Marci Venetiarum diſceſſiſſe, Hieroſolymam peregrinaturum, ea

quæ

quæ adduximus *ſub ann.* 1004. *&* 1012. aptè ſuadere videntur. Ijs accedit, quod cum ſæpius de ipſo agatur in ea hiſtoria, ſæpeque referantur, quæ ipſe cum alijs, & alij cum ipſo, & ſecum de eo dixerint, nunquam tamen dicitur fuiſſe Abbatem, aut Prælatum egregij illius Cœnobij S. Georgij; quod vtique taceri non deberet, vel pro maiori authoritate viro concilianda, tum apud Regem, tum apud Epiſcopos, tum maximè apud plebem, pro cuius inſtructione vocabatur. Accedit etiam, quod cum, ſicut ex eadem hiſtoria *cap.* 11. elicitur, plura Monaſteria in illis partibus eſſent, præſertim Baradini, Zaladini, Beel, Zobor, & Monte Pannonio, ex quibus, maior ſaltem pars, Patrum Benedictinorum eſſet, nihilominus quod S. Gerardus in huiuſmodi Monaſteriorum aliquo commoratus ſit, in ea non legitur, potius *cap.* 7. dicitur eum in domo quadam, priuata videlicet, hoſpitatum fuiſſe, & ad eam veniſſe ipſum inuiſendi cauſa Maurum Epiſcopum, & Abbatem Anaſtaſium. Credibile autem non ſit quod ſi ipſe tunc Benedictinus Monachus eſſet, vel propter obſeruantiam regularem, manſionē intra Monaſterij alicuius eius Inſtituti clauſtra non quæſijſſet. Item accedit, quod idem Arnoldus Vvion, qui pręcipuus huius Monachiſmi, & Abbatię S. Gerardi propugnator extat, nihilominus in Opere a ſe edito, cui titulus eſt *Lign. vitæ, lib.* 2. *cap.* 39. vbi de eodem Gerardo agit, nullam prorſus mentionem de ijs habet, ſolum dicens Monachum fuiſſe *Monaſterij Beel in Hungaria*. Alia ergo quæ habet in ipſius Vita de Monachiſmo, & Abbatiali dignitate Venetijs, pro incertis habuit, & pro talibus habenda, niſi quoad illa quæ nos diximus in ſuperioribus, ſcilicet de Monachatu in infantia, ſeu pueritia.

4. Sed his prætermiſſis, circa hunc Sanctum Gerardum Sagredum, non leuis, ſed grauis difficultas emergit ad noſtræ hiſtoriæ veritatem proximius accedens. Si enim Sanctus hic Gerardus, iuxta in ſuperioribus dicta, ab infantia Monachalem habitum Sancti Patriarchæ Benedicti veluti eiuſdem Sacræ Religioni Oblatus detulit; & deinde ad Canonicatum S. Marci Venetiarum aſcendit; poſtea Ieroſolymam tendens, a S. Rege Hungariæ ne eò pergeret detentus eſt, quo tempore potuit Ordinis noſtri habitum deferre; vt propterea de ipſo tanquam de Ordinis alumno Sacra Rituum Congregatio Officium conceſſerit? Ad quam plures nec contemnendæ authoritatis, qui nempe exiſtimant ipſum Gerardum in reditu è Hieroſolymis Pannoniam appuliſſe, non quando Hieroſolymam tendebat, facilè dicere poſſunt, cum primum Hieroſolymæ ſacra loca, Carmelumque ipſum viſitaſſet, ſtrictioris vitæ deſiderio Carmelicolarum habitum eremiticum ſuſcepiſſe, ac proinde iure optimo a Sacra Congregatione Sanctum hunc virum Carmelitico Ordini adiudicatum fuiſſe; eſto quod primis ſuæ ætatis annis ſanctiſſimæ Benedictinæ familiæ alumnus extitiſſet. Sic fermè ex noſtris Petrus Saracenus in S. Gerardi Vita §. 2. dicens: *Ad ſacri Carmeli Montis eremum in Paleſtina ſe recipit: ere-* (An Carmelitis accenſendus.)

mitico

mitico obtentu Deiparæ Virginis habitu, ignotus quidem in Oriente, notus autem in Cælo religioſiſſimis Carmelitarum inſtitutis diuturno inſeruire labore ſtudet. Eadem ferme Emmanuel *In Elucidationib. fol.* 198. & fauet Auguſtinus Biſcaretus *in Palmit. Carm. litt. G. in Gerardo*. Illis fauent de cæteris nonnulli, qui tradunt, Gerardum, priuſquam ad Hungariam veniſſet Sanctam Palæſtinam, & Ieroſolymam viſitaſſe: ex eorum enim placito credibilius redditur id quod noſtri aſſerunt de Eliano Monachiſmo ab ipſo in Terra Sancta ſuſcepto. Ex his porro vnus eſt Paulinus Klodauski *in Epitome de ſui Ordinis origine*, quem ſuperioribus annis Ioannem Vanouiczi eiuſdem Inſtituti Romæ euulgaſſe tradit Inchofer *in Annalibus Hungar. ann.* 1030. Aſſerit enim genus vitæ eremiticæ quod in Terra Sancta imbiberat, in Hungariam inuexiſſe. Etſi Klodauski non audiendus dum Gerardum videtur primum Inſtitutorem Eremitarum S. Pauli Eremitæ cenſere: cum compertum omnibus ſit, eum Ordinem non niſi ferme poſt 200. annos, ſub anno videlicet 1215. tempore Innocentij Papæ III. inchoatum fuiſſe, vt teſtantur Carolus de Tapia *In Authentic. Ingreſſi*, dum de hoc Ordine loquitur, & Barboſa *Iuris Eccleſiaſtic. lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 126. alios referens. Dom. etiam Cardinalis Baronius *to.* 11. *ſub ann.* 1042. *in princip.* ſatis clare indicat Gerardum Ieroſolymis primò fuiſſe, & inde redeuntem in Hungaria conſtitiſſe. Dicit enim: *Hic nobilis Venetus ab ineunte ætate Monaſticum amplexus Inſtitutum, pergens Ieroſolymam, rediens, in Hungaria a S. Stephano Rege detentus, illic conſiſtere cogitur cultor illius Eccleſiæ.*

Reſponſio data non admittitur.

5 Verumtamen etſi iſtorum placitum ſatis, ſuperque noſtro Inſtituto deſeruire poſset, cum ex eo facile oſtenderetur Gerardum Ordinis noſtri alumnum in Palæſtinæ partibus primitus fuiſſe, & inde ad patriam redeuntem, in Hungaria a Rege Stephano detentum conſtitiſſe; ex quo etiam congruè valde ſaluaretur a S. Rituum Congreg. noſtro Ordini adiudicari potuiſſe: cæterum quia conſtans hiſtoricorum, qui ipſius vitam deſcripſerunt, ſpecialiter illorum, qui apud Surium, & Gononum referuntur, item Petri de Natalibus, Bonfinij, Vvionis, Sanſouini, Doglionis, & aliorum, ſenſus eſt, quod dum Ieroſolymam peteret a S. illo Rege coactus ſit in Pannonia manere; quod etiam clare dicitur in legenda ipſius a S. Congregatione approbata, in quarta lectione; ideo operæpretium eſt inueſtigare an alia via defendi poſſit eiuſdem S. Congregationis decretum, quod retulimus *ſub ann.* 984. dum huius Sancti, & aliorum officia approbans, dicit: *Officia ſupraſcripta Sanctorum Ordinis Carmelitarum, &c.* quo Gerardum, & alios eiuſdem Ordinis profeſſores fatetur.

Alia proponitur.

6 Et ſanè congrua illa videtur, quam aliqui ex noſtris ingreſſi ſunt, putantes hoc tempore, de quo loquimur, Ordinis Cœnobium Venetijs extitiſſe, in quo Gerardus, Deiparæ, cui addictiſſimus erat, habitum ſuſcipere, & nomen dare poſset; ac proinde rectè ſaluari quod

Car-

Carmelitis a S. Congreg. annumeratus fuerit. Sic video ſuſtinuiſſe Auguſtinum Biſcarretum ſuperius relatum, dum dicit ex teſtimonio Leonardi Priuli Generalis Procuratoris olim, virique grauiſſimi, ac nobiliſſimi, hæc: *Tenet Leonardus Prialus tempore iſtius Sancti fuiſſe Venetijs erectum noſtrum Monaſterium, quod quidem eſt antiquiſſimum, vt apparet ex Imagine B. Virg. Mariæ, quæ eſt in frontiſpicio Eccleſiæ: & multa habentur antiqua inſtrumenta, præſertim vnum factum cum Parocho, & Presbyteris Eccl. S. Catharinæ Caſtellanæ Diœceſis an.*1206. *quo tempore adhuc non vocabatur Epiſcopus Venetiarum, ſed Caſtellani.* Fauet & Michael Muñozius, qui in ſuo Propugnaculo Eliæ *lib.*2. *tit.*3. *c.*1. *ar.*2. inquit: *Per ea Gerardi tempora Venetiarum Monaſt. Carmelitarum extructum traditio fert: inuenitur enim inſtrumentum publicum an.*1206. *conuentionis Fratrum cum Plebano, & Clericis S. Margaritæ circa recognitionem Parochialium per Bonifacium de Inuiciaco: & aliud confirmationis eiuſdem an.*1208. *per Andream Mudocium: ratificatum tandem an.*1321. *ad controuerſias ſepulturæ ſedandas*. Quorum opinioni non ſolum adſtipulantur ea quæ in ſuperioribus diximus de fundationibus Monaſteriorum Senenſis, & Florentini in Italia, & Leontinenſis in Sicilia, ex quibus, & alijs, quorum memoriam vetuſtas obliterauit, potuerunt fundatores huius Veneti Cœnobij prodire; ſed etiam quæ *ſub an.*999. tetigimus, & tanguntur a Chronologis de Monaſteriorum, & Eccleſiarum extructione, quæ circa hoc tempus, in Italia præſertim, & Gallia fiebat: ac maximè quæ habet Leo IX. Papa *in ep.*1. *to.*3. *epiſt. Sum. Pontif. c.*29. dicens: *Intra, & extra Romam plurima Græcorum reperiuntur Monaſteria, ſiue Eccleſiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur a paterna traditione, ſiue ſua conſuetudine, quin potius ſuadetur, & admonetur eam ſeruare*. Hi enim Græci Monachi, & Inſtituti Orientalis cultores, cur non eſſent (aliqui ſaltem) ex Carmeli Profeſſoribus, & cur non in inclyta Venetiarum Vrbe manſionem quæſiſſent? Fauent & de exteris Petri de Natalibus loco in ſuperioribus relato verba illa de eodem Gerardo: *A pueritia Deo deuotus, Eccleſiæ S. Marci Canonicus fuit; ſed ad vitam arctiorem anhelans, Religionis habitu ſuſcepto, dum ad ſepulchrum Dominicum pergeret viſitandum Pannoniam deuenit, vbi a S. Stephano Chriſtianiſſimo Hungariæ Rege, qui eum ſeruum Chriſti eſſe cognouit, retentus eſt, dimiſſiſque ſocijs, cum quibus pergebat, ibidem manſit, & in quadam Eremo, quæ Beel vocatur, per annos ſeptem ſolitariam vitam duxit*. In quibus, mi lector, ſi attendas, non obſcure totam ſeriem noſtri Gerardi vitæ, & intentum noſtrum, denotari conſpicies. Primò namque id quod in ſuperioribus diximus, & quod hiſtorici cuncti fatentur, de Monachatu Benedictino S. Gerardi, verbis illis *A pueritia Deo deuotus*, quia a pueritia, vt diximus, Monaſterio S. Georgij Venetiarum Benedictini Inſtituti oblatus eſt, ſub habitu etiam ſanctiſſimæ huius familiæ. Deinde Canonicatum Eccl. S. Marci eiuſdem inclytæ Vrbis, ad quem aſcendit, illis *Eccleſiæ S. Marci Canonicus fuit*. Præterea quod in aliquo Ordinis Prophetici noſtri Venetijs habitum Religionis ſuſceperit, illis: *Sed ad vitam arctiorem anhelans, Reli-*

gionis habitu ſuſcepto, &c. Quod vero Ieroſolymam pergens in Hungaria a Rege detentus ſit, & ibi in Eremo Beel commoratus (prout in ſequentibus dicemus) ibi, *Dum ad ſepulchrum Dominicum pergeret, &c.*

Officium ipſius S. Gerardi.

7 Idem, ni fallimur, a §. Congreg. denotatum videtur, dum *in 4. lect.* Officij pro noſtro Ordine approbati, inquit: *Gerardus Venetijs oriundus ab ipſa infantia Chriſti amore captus totum ſe eidem addicere decreuit. Quod vt liberius exequeretur, cuncta quæ ſunt mundi deſpiciens, parentibuſque vale dicens, ad Monaſterium ſe contulit, vbi Sac. Religionis habitu indutus in ſancta conuerſatione cum ſuaui bonorum exemplorum odore cunctis admirandus aliquandiu permanſit. Verum cum ei ſummum ſacra Palæſtinæ loca, quæ Chriſti Domini cum hominibus conuerſantis veſtigijs conſecrata fuere, viſendi deſiderium inceſſiſſet, arrepto de ſuperioris licentia (vt par erat) cum aliquot ſocijs itinere, contigit, eum per Pannoniam, vbi tunc S. ille Rex, qui primus in eam ſacrum Domini Euangelium induxit, Stephanus nomine, regnabat, pertranſire. Id vbi reſciuit Rex, qui de peregrinantibus maximè ſolicitus erat, cauſamque itineris intelligens, maiori eum proſequutus eſt dilectione, egitque cum eo, vt aliquot apud ſe dies remaneret.* Etenim per illud *Ab ipſa infantia Chriſti amore captus totum ſe eidem addicere decreuit*, proculdubio indicatur id quod ſæpius diximus de oblatione Gerardi infantis Monaſterio S. Georgij Benedictinæ Religionis. Per illud *cuncta quæ ſunt mundi deſpiciens, &c.* Canonicatus S. Marci, ac prouentuum temporalium ipſius abdicatio indigitata videtur. Ac per illud *ad Monaſterium ſe conferens, vbi ſac. Religionis habitu indutus, &c.* ſuſceptio habitus, & Religionis Eliæ. Per illud autem *in ſancta conuerſatione, &c. aliquandiu permanſit* excluſum videtur longum illud tempus, videlicet 40. annorum, quibus Vvion putat in Monaſterio S. Georgij relato permanſiſſe, ab anno ſcilicet 490. quando oblatus ei fuit vſque ad annum 1030. quando Ieroſolymam profectus eſt. Certe enim dictio illa *aliquandiu* niſi abuſiuè ſumatur, non poteſt 40. annorum ſpatium denotare. Sed exiguum aliquod tempus poſt infantiam peractam cum PP. Benedictinis; & adoleſcentiam, ſeu iuuentutem in Canonicatu S. Marci; & paucos annos, forſan non niſi menſes, cum Carmeliticæ Religionis alumnis, antequam diſcederet. Per alia verò ſubſequentia, geſta ipſius Sancti, de quibus in ſequentibus.

Alia ad intentum.

8 Nec extra rem erit annotare, id quod diximus de ſuſceptione habitus Carmelitici a S. Gerardo facta, non obſcurè ex vita, & geſtis ipſius, prout ab Vvione deſcriptis, elici poſſe. Etenim *in c.* 5. dicitur eum *ad Monaſt. S. Hieron. in Bethleem* proficiſci propoſuiſſe: hoc autem Monaſterium Ordinis Prophetici fuit, prout dicta præced. Tom. ſufficienter ſuadent, & ipſe Hieronymus, qui in Epiſt. 13. ad Paulinum, dum de primis Monaſtici ſtatus Inſtitutoribus loquitur, inquit: *Noſter Princeps Elias, noſter Eliſeus, noſtri duces filij Prophetarum.* Vnde id quod in eodem loco Vitæ S. Gerardi ſubiungitur: *Vt lectione librorum eius* (ſcilicet Hieronymi) *frueretur*, ſolum indicat, prout in Schola dicitur, finem *impulſiuum*, non *motiuum*. Propterea ipſemet Gerardus in *cap.* 7. eiuſdem

histo-

hiſtoriæ a Vvione deſcriptæ dicit: *Inerat mihi voluntas ſeruire creatori noſtro in Patria, in qua ipſe pro ſalute cunctorum ſe ſubdidit ſeruituti*. Sed vnde tale propoſitum ad Terram Sanctam veniendi, in Monaſterio Bethleemitico commorandi, & ibi Deo ſeruiendi, niſi quia in Monaſterio aliquo Carmelicolarum, qui in ea parte primi conuerſabantur, ad hæc deſideranda imductus fuerat?

9 Specialiter tamen facit ad intentum, quod, prout ex eius hiſtoria, vita, legenda, alijſque authoribus, qui de ipſius geſtis ſcribunt, habetur, poſtquam in Hungaria a pio Rege manere coactus eſt, id contigit quod in quinta lectione Officij pro Carmelitis approbati ſic habetur: *Cum ergo optimam eius conuerſationem non dictis tantum, ſed & factis conſpicuam, pius ille Rex deprehendiſſet, dimiſſis clam itineris eius ſocijs, inuitum apud ſe retinere conſtituit, ac ne fuga elaberetur, cuſtodes etiam aliquot adhibuit. Quod cernens Dei ſeruus, ne Spiritui ſancto, quem per Stephanum Regem loqui comperiebat, reluctari videretur, volens, & lubens conſenſit. Verum vt populares ſtrepitus effugeret, in eremum quandam ſeceſſit, vbi per ſeptennium diuinis contemplationibus, ieiunijs, ac vigilijs ab omni hominum conuerſatione, præterquam vnius Mauri Monachi, qui ei ad victum neceſſaria ſuppeditabat, ſeiunctus, vacauit.* Siſtat hic, obſecro, lector, nobiſcumque recogitet, quod cum Gerardus noſter iampridem alta mente concepiſſet Ieroſolymam pergere, & ibi arctiorem vitam, etiam in Bethleemitico olim D. Hieronymi Cœnobio, ſanctè ducere; cum iam ſe veluti compedibus conſtrictum videret ad manendum in Hungaria, nihilominus ſui, aut voti quod conceperat non immemor, Eremum iſtam *Beel* in hiſtoria vocatam, quaſi *Bethleem* ſibi pro manſione elegit; vbi, quam in patria (vt ſuſpicamur) inchoauerat, viuendi rationem, qua poſſet proſequeretur. Ibi Eccleſiam, exædificari curat, de more (inquit Saracenus) *antiquorum Eremitarum Montis Carmeli*. Ibi etiam quemadmodum Elias in Carith a coruis, Gerardus a beſtijs, colebatur, prout de ceruis, & lupo quodam, ipſius narrat hiſtoria. Eliciat proinde lector, Carmelicolarum apud Venetias delibatum Inſtitutum in Pannonia plenius exercere ſolicitè curaſſe. Eò clarius id patet, quod Eremitica vita, quam Gerardus eo loco agebat veluti propria Carmelitarum eſt, qui *Montis Carmeli Eremitæ* paſſim in diplomatibus Pontificijs appellantur, Benedictinorum autem PP. veluti extranea; quia magnus eorum Patriarcha Regulam ſuam veluti ſolum pro Cœnobitis cōpoſuit. Poſtquā enim *c*. 1. recenſuerat primò *Cœnobitas*, deinde *Anachoretas*, ſeu *Eremitas*; tertio *Sarabaitas*; poſtremo *Gyrouagos*, concludit: *His ergo omiſſis, ad Cœnobitarum fortiſſimum genus diſponendum adiuuante Domino veniamus*. Alia quoque.

10 Quamuis autem hæc quæ diximus aptè ſufficere poſſent, vt, ipſis perſpectis, Sacra Congregatio hunc S. Gerardum noſtri Ordinis profeſſoribus annumerare poſſet, ſuppetit nihilominus congruens alia ratio, qua ad id potuiſſet moueri. Ea porrò eſt, S. hunc Gerardum ſpecialiſsimè inter plures alios Deiparæ Virginis deuotum, ipſiuſque obſequijs ſingulariter valde addictum fuiſſe; vt propterea iure credi poſſet Carmeliticæ Congruens alia ratio.

Religionis, quæ ſpecialiſsimo titulo Ordinis eiuſdem Sanctiſsimæ Virginis gaudet, habitum induiſſe. Quod etiam ipſius Inſtituta in eiuſdem Sanctiſsimæ Matris honorem, prout ex eius hiſtoria etiam ab Vvione relato deſcripta, elicitur, oſtendunt. Primò enim Moriſenus Epiſcopus, vt in ſequentibus dicemus, factus, *Aram ipſi venerabilem erexit, ante quam argenteum thuribulum collocauit, eiuſque miniſterio duos prouectæ ætatis homines adhibuit, qui iugiter illic vigilarent, ne vlla vnquam hora thymiama ibi deeſſet. Singulis quoque ſabbatis diebus Epiſcopus, ſicut in Aſſumptionis eiuſdem Sanctiſſimæ Matris, magnis laudum præconijs deuotionis ſuæ Officium cum nouem lectionibus illic explebat. Eiuſdem etiam diebus opera miſericordiæ in pauperes maiori charitate exercebat. Cæteris autem diebus, matutinis, & veſpertinis precibus abſolutis, bis cum proceſſione eò venire ſolebat, quæ conſuetudo hodie quoque perſeuerat. Porrò laudibus, & venerationi eiuſdem Sacratiſſimæ Virginis tantæ humilitatis obſequio ſe ſubdere nouerat, vt ſi quis reus clam a Sancti viri familiaribus edoctus veniam ab eo peteret per nomen Matris Chriſti, mox audito nomine Matris miſericordiæ, Pater Sanctus lachrymis perfunderetur, & perinde, ac ſi ipſe reus eſſet, a reo veniam peteret. Filium quoque ſuum illum fore affirmaret, ſi eam ſyncere Dei crederet Genitricem. Ipſo auctore ab Hungarica gente non pronunciatur nomen ipſum Matris Dei, ſed Dominam eam vocant, Patronamque Hungariæ appellant. Si ſit autem pronunciatum illius nomen, ſtatim flexis genibus, & demiſſis in terram capitibus ſeſe inclinant. Atque adeo Pannonia a S. ſuo Rege Stephano familia S. Mariæ appellata eſt.* Hæc in Vita eiuſdem Gerardi *c.* 13. Cui conſequenter additur in Officio eiuſdem Sancti quod refert idem Vvion *lect.* 2. *Sicq́ omnium primus hic Sanctus vir B. Virgini ſabbatum diem conſecrauit, ipſoque auctore Pannonia a S. ſuo Rege Stephano, familia S. Mariæ appellata eſt.* Elegit etiam ſibi ſepulturam in Monaſterio B. Mariæ Virginis, cui *quingentarum marcarum pretium a Rege obtinuit cum decem pecijs purpurarum, & triginta pecijs pannorum; a Regina verò quatuor pecias purpuræ, & totidem ſyndones.* Sic in eadem Vita *cap.* 16.

Collectanea ex dictis.

11 Habeat ex ijs, alijſque in ſuperioribus adductis, pius lector, cauſas, ob quas S. Rituum Congreg. hunc S. Gerardum veluti Ordinis noſtri alumnum, eidem colendum ſub feſto etiam duplici, ac Miſſa, tradiderit. In quo id præcipuè expendendum quod quamuis Vita eiuſdem Gerardi ab Vvione edita (vbi accuratè ſatis is author contendit ipſum Benedictinæ Religioni, nulla facta de Carmelitana mentione, aſcribendum fore) *ſub ann.* 1597. typis edita fuerit, ac perinde per Orbem vulgata, & ab eadem Sacra Congregatione viſa, nihilominus poſt trigeſimum vnum annum, anno videlicet 1628. decretum edidit, de quo in ſuperioribus, in quo eum cum alijs noſtro accenſuit Ordini. Ex eo autem non leuis ponderis argumentum ſumi pro intento noſtro prudens nullus refragabitur. Ea porro a nobis adducta proteſtamur, non veritati vllo modo præiudicium afferendi, ſed Sacræ Congregationis authoritatis tuendæ, & noſtri iuris (qua docet modeſtia)

defen-

defendendi cauſa. Vt enim P. Inchofer *in Annal. Hungar. ſub an.*1030. ad intentum hoc dixit: *Illuſtris Ordo Carmelitarum, innumeris alioquin fœtus Martyrum, & Confeſſorum cuneis gloriari debeat; nec errore ſcriptorum alienum partum ſibi præoptet, qui alijs etiam ſuppeditare queat.* Alia de hoc S. Gerardo proſequemur in ſequentibus.

12 In præſenti autem id ſolum, quod ille Maurus Monachus, qui Gerardo in ſua Beel Eremo ſoli Deo vacanti deſeruiebat, ſecundum Petrum Calzolari de Bugiano Monachum Caſſinenſem *in ſua hiſtoria Monaſtica giornata* 1. *fol.* 104. erat Conuerſus, & poſtea cum eodem Gerardo Martyr. Cæterum iuxta Arnoldum Vvionem *in Vita S. Gerardi*, non niſi Monachus, ſacerdos, & doctiſſimus, ac poſt mortem Gerardi in eodem Epiſcopatu Canadienſi ſucceſſor. Quæ nos prætermittimus, ſolum ea leuiter tangentes, quia hunc Maurum eiuſdem Inſtituti, ac ipſius Magiſtrum Gerardum ſuſpicari poſſumus. De Mauro Monacho.

Ann.Chriſt.1034. vſque ad 1044.Benedicti IX. Rom.Pont.1. vſque ad 11. Michaelis Paphlagonis Imp. Oriental.1. vſque ad 8. Michael. Calaphatis 1. & Conſtantini Monomachi 1. & 2. Conradi Imper. Occident.8. vſque ad 13.

1 CVM Ioannes Papa ſub anno 1033. exceſsiſſet, eidem non legitimè ſubrogatus, ſed abuſiuè intruſus eſt, Alberici Comitis Tuſculani tyrannide, eius filius puer, ſecundum aliquos, decennis, duodennis alijs. O monſtrum, & portentum deteſtabile, puerum in Sacroſancta Petri Sede videre malis artibus collocatum! Sed ô *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei noſtri, & Monte ſancto eius*, Eccleſia videlicet, & Romana Vrbe! Eius namque infinita prouidentia actum, vt tanta tunc vigeret in Orbe Chriſtiano erga Romanam Eccleſiam obſeruantia, vt quemcunque audirent throno inſidere Petri, eum venerari non detrectarent; non ipſum, ſed eius cuius vices gerebat attendentes. Inſuper, quia, vt Bellarminus *in Chronologia* dixit. *His temporibus, quibus Pontifices Romani à pietate veterum degenerauerant, Principes ſeculi ſanctitate florebant: talis fuit Imperator Henricus cum vxore Chunegunda: Romanus, Imperator Græcus, Chnutus Rex Daniæ, & Angliæ: Stephanus Rex Hungariæ cum filio Sancto Emerico: Robertus Sanctus Rex Francorum.* Benedictus autem iſte ob turpitudinem ſuam ſchiſma paſſus eſt à Silueſtro III. & à Sede pulſus; licet poſtea eam occuparet, & Silueſtrum expelleret: ſed tamen ſponte ſe Pontificatu abdicauit, & iterum illum Bened. IX.

occupauit, & tandem cuidam poſt mortem apparens ſe damnatum aſſeruit. De his Glaber, Leo Oſtienſis, Petrus Damiani, & Hermannus ex quibus Baronius, Gordonus, & alij.

An ab eo fuerit S. Gerardus miſſus in Hungariam.

2 Huic Benedicto IX. etſi intruſo, & malè morigerato, pro Papa tamen habito, tribuit Petrus Calzolarius de Buggiano Caſsinenſis *in historia Monaſtica, giornata* 1. quod S. Gerardum Sagredum, de quo in ſuperioribus, miſerit in Hungariam ad prædicandum fidem Chriſti. Quod tamen meritò reijcitur, cum cæteri Authores, qui de Gerardo iſto loquuntur, nihil tale de hac miſsione cogitaſſe videantur; qui illum pro certo ſupponunt, toto hoc tempore in Hungaria manſiſſe, a Rege Stephano detentum, vitam eremiticam per ſeptennium apud Beelgentem, & inde ad Epiſcopatum Moriſſenſem, ſeu Canadinenſem, euectum, in quo cum ſocijs Euangelij prædicationi, fidelium conuerſioni, Eccleſiarum extructioni, & alijs pijs operibus, miraculis, & Propheti æ ſpiritu clarus emicabat. Sic enim ex legenda pro Carmelitis approbata, alijſque ſcriptoribus vitæ, & geſtorum ipſius elicitur. Vnde Arnoldus de Vvion relatus *in Martyrolog. Monaſtic. lib.* 3. *pro die* 24. *Septembris*, Buggianum in narratione caſtigatione indigere inquit. Sui tamen erroris anſam is Buggianus habere potuit ex eo quod idem Benedictus Papa Gerardum alium noſtri Carmeli eremitam è Terra Sancta ad ſe miſſum ad Germaniam, vt ſui Legatum remiſerit. Quod quia tangit hiſtoriam Ordinis propriam, ſigillatim expendendum, cum hoc tempore contigerit.

Gerardus alius Carmelita.

3 De ea autem noſter Arnoldus Boſtius *lib.* 6. *Specul. Hiſtorial. cap.* 1. ſic habet: *Anno Domini* 1041. *Henricus Imperator Vindelicos ſubegit ſuis contermin[a]les, qui fortunam adorabant. Huius tempore S. Gerardus Eremita Montis Carmeli aſſumptus eſt in Patriarcham Antiochenum, & veniens Romam ad faciendum querelas Chriſtianorum Principibus aduerſus crudelitates Paganorum, quos ſuſtinebant Chriſtiani in Terra Sancta, a Benedicto Papa IX. ſuſcipitur, & factus a latere Legatus Henrico Imperatori ſociatus eſt. Henricus autem Imperator anno ſequenti per orationem huius Sancti Gerardi, & aliorum Sanctorum virorum auxilio Dei ſibi procurato Odelricum Ducem Bohemiæ ſubiugat.* Ioannes etiam Palæonydorus lib. 2. cap. 10. eandem ita proſequitur, iiſdem ferme verbis. *Porrò anno Domini* 1041. *Henricus Primus Imperator ſubegit Vindelicos Sueuis conterminales fortunam adorantes. Huius tempore Sanctus Gerardus Eremita Carmeli, poſtea Antiochenus Patriarcha, Romam veniens facere querelas Chriſtianorum Principibus ſupe[r] crudelitate infidelium in Terra Sancta, a Benedicto IX. honorifice ſuſceptus eſt, & effectus ab eo a latere Legatus, ab eodem ad Imperatorem Henricum deſtinatus eſt.* Et poſt pauca: *Eodem tempore Henricus Bohemiæ Ducem Oldericum ſuperauit.* Palæonydorum porro ſequuntur Coria, Lucius, & alij poſteriores Chronologi noſtri.

Sed

4\. Sed examini ſubijcienda quæ primùm Boſtius, & ex eo Palæonydorus, ac ex iſto nouiores alij hauſerunt, vt veritati, quà poſſumus, conſulamus. Primo enim illud de Henrico Imperatore, non Henrico Primo, prout in Palæonydoro dicitur, ſed potius Henrico Secundo (quem alij Tertium vocant, quia inter Germaniæ Reges Tertius fuit) prout notat Coria, tribui debet. Primus etenim Henricus iam a multis annis viuis deceſſerat, imo, & ipſe Secundus Henricus, etſi eo anno 1041. ſolum Germaniæ Rex vocaretur, quia tamen poſtea *ſub an.* 1047. Imperator coronatur, ideo ab his authoribus Imperatoris nomine inſignitur. Victoria porro illa de Olderico Bohemiæ Duce, quam referunt, forſan eſt ea, quam de Ouone Hungariæ tyranno idem Henricus reportauit ann. 1043. & quam ibi commemorant Hermannus Contractus, Baronius, & Inchofer, Mutium, & Bonfinium referens. Facile enim huiuſmodi nominum æquiuocatio in bonos etiam Scriptores irrepit. Quod ijdem etiam authores aſſerunt de hoc Gerardo Carmeli Eremita Romam veniente, & querelas proponente Chriſtianis Principibus ſuper infidelium, qui Terram Sanctam obtinebant crudelitate, plus æquo credibile fit, ob miſerabilem ſeruitutis oppreſſionem, qua a Mahumetanis premebantur fideles. Quid enim facerent inimici Crucis Chriſti niſi ipſius ſectatores perſequi? Illud autem de miſſione Gerardi a Benedicto Nono pro Papa habito ad Henricum, non ſolum a noſtris authoribus aſſeritur, ſed ſubodoratum videtur a Bugiano Caſſinenſi relato dum hanc Gerardi miſſionem in Hungariam eidem tribuit: etſi erret in Gerardo, credens hunc a Benedicto miſſum fuiſſe Gerardum Sagredum, quod a veritate alienum eſſe ſupra oſtendimus. Dicere autem potuit miſſum fuiſſe Gerardum in Hungariam, quia hoc tempore Henricus eam Prouinciam peragrabat, ob tumultus in ea ortos poſt obitum S. Regis Stephani. Niſi dicatur Germaniam appellaſſe Hungariam ob Prouinciarum affinitatem, ac proinde noſtris authoribus contrarium non fuiſſe. Miſſum vero iſtum Gerardum pro Legato ad Henricum, prout ijdem referunt, nec incongruum, nec difficile creditu erit ea tempeſtate, & poſita Terræ Sanctæ neceſſitate. Difficilius creditu videtur quod is Gerardus Antiochenſis Antiſtes fuerit, prout etiam aſſerunt; præſertim cum in Catalogo ſimilium Patriarcharum non reperiatur. Sed tollitur ſcrupulus ſi dicamus a Benedicto Papa in talem Patriarcham Inſtitutum fuiſſe (vel titularem ſaltem, Eccleſiam tamen Orientalem ob inobedientiam erga Pontificem Romanum eum non acceptaſſe, vel ſaltem de eius electionis valore dubitaſſe, quia Benedictum pro legitimo Papa forſan non haberet. Aut forte etiam, quia Patriarcha Conſtantinop. qui, vt conſtat ex Epiſtola quadam Leonis VII. ad ipſum, quam refert Baronius *ſub ann.* 1054. ſibi ſubiugare conabatur Patriarchas Alexandrinos, & Antiochenſes, hunc Gerardum non admiſit. Credendum autem authoribus noſtris in rebus ſpectantibus ad proprium Inſtitutum, probauimus

Examinantur authores relati.

mus

mus *tom.* 1. *horum Annalium in Apparatu cap.* 10. *num.* 1. 2. *&* 3. et lucibus, & Doctoribus. Vnde hunc Gerardum Antiochenſem Patriarcham ſemper appellamus, quemadmodum in aliquibus Calendarijs, quæ retulimus *ſub ann.* 984. factum videmus; vel ad differentiam alterius S. Gerardi Sagredi, quem male cum iſto noſtrorum aliqui confundunt, vt eo loco notatum reliquimus.

Simeon Anachoreta.

5 Canonizauit hic Pontifex Benedictus S. Simeonem Monachum, & Anachoretam in partibus Syriæ. Primò, quidem ad ripam fluminis Iordanis cum alio Eremita ibi agentem, & in turri quadam incluſum. Secundò, in Bethleem in Monaſterio S. Mariæ. Tertiò, in alio Monaſterio ad radices Montis Sinai ſito. Quartò, in locis alijs ſolitarijs eius patriæ. Propter quæ ſuſpicari poſſumus eum illis locis ad vitæ genus geſſiſſe quod antiqui Patres, & Monachi Eliani, & Eſſeni Instituti ſectatores agebant: ac idcirco noſtris Annalibus accenſendum, vel propter ſingularem vitæ rationem ibi, & poſtea apud Treuiros, vbi miraculis multis claruit, geſtam. Eius vitam habent Surius 3. *tom.* 1. *die Iunij*, & Gononus *de Vitis Patrum Occidental. lib.* 3. cum alijs. Vvion etiam *in Annotationibus ad Martyrologium Monaſticum, die* 1. *Iunij*, de ipſo agit veluti de Benedictino Monacho. Sed pius lector animaduertat ea, quæ diximus, & conſulat ipſius hiſtoriam.

Ann. Chriſt. 1045. & 1046. Gregorij VI. Roman. Pontif. 1. & 2. Conſtantini Monomachi Imperat. Orient. 3. & 4.

Gregor. VI. Papa.

1 HOS duos annos tribui oportet Gregorij VI. Pontificatui, qui inter plures Pſeudo-papas pro legitimo a pluribus ſapientibus habetur. Etſi enim pecunia data electus dicatur, id tamen non Simoniæ vitio, ſed redemptioni vexationis ad pellendos intruſos Pontifices attribuitur: eò etiam quod ſanctæ, & religioſæ vitæ prædicetur. Nihilominus ab Henrico Germaniæ Rege, Imperatore poſtea, depoſitus eſt, & in Germaniam ductus. Hæc ferme Glaber, Petrus Damiani, & Hermannus.

S. Gerardus Regi reſiſtit.

2 Interim, cum ſchiſma quoque in Hungaria eſſet poſt obitum S. Regis Stephani, ſuccedente ei Petro, cui omnes fere fidem ſeruaturos iurauerant, & vno Abba nomine Regnum vſurpante; cum S. Gerardus Sagredus, de quo in ſuperioribus, in faciem ipſi reſtitiſſet, & vltionem futuram prædixiſſet, ac perſecutio Eccleſiæ in Hungaria orta eſſet, occaſio data eſt Martyrio ipſius, & ſociorum, prout in ſequentibus referemus.

Gerardi Eremitæ Carmeli geſta.

3 Gerardus autem alius ex Eremita Carmeli Antiochenſis Antiſtes vocatus, apud Henricum Germaniæ Regem exiſtens, parum, aut nihil

pro

pro Terræ Sanctæ defenſione efficere potens ob Chriſtianorum Principum diſſidia, Romanæ Eccleſiæ turbines, & ſchiſmata, qua potuit tamen animarum ſaluti incumbens ea egit, quæ noſter Boſtius *lib.6. Specul. hiſtorial. cap.*1. ſic narrat. *Porro is venerabilis Sanctus videns Guidonem de Malephayda Lemouicenſem nobilem militem in exercitu Imperatoris, induſtrium, & deuotum iuuenem, verbis diuinis eum adeo inflammauit, vt penè militiæ cingulum deponere, & venditis omnibus Montem Carmeli, locum pacis, & quietis adire diſponeret. Sed aliquibus diebus tranſactis quadam nocte viſionem habuit, vt ad patriam, & natiuum ſolum rediret. In craſtino autem viſitans Imperatorem, vt ab eo licentiam redeundi ad natale ſolum obtineret, cum eo ad Eccleſiam venit, quam cum ingreſſus eſſet inuenit ibidem Sanctum antedictum Gerardum Epiſcopum ſolum in parte ſeorſum cum vno Clerico. Mox Guido pedibus eius aduolutus confitetur humiliter ſe peccaſſe quod tanto tempore monitis eius, immemor beneficiorum Dei, non acquieuiſset. Tunc Epiſcopus manum eius apprehendens humo procumbentem deuotum militem leuauit, patriam reuiſere ſuam, vxoremque ducere, & filios procreare perſuaſit. Et cum idem miles de tanti viri conſilio ſubito mutato miraretur, addidit Epiſcopus dicens: De femore tuo duo luminaria magna hac nocte omnipotens Deus mihi oſtendit Eccleſiam Orientalem illuſtrantia procedere. Quod & poſtmodum contigit, vt in ſequentibus patet.* Eadem ferme Palæonydorus *lib.2. cap.*10. & alij hiſtorici Ordinis poſt illos. Qualiter autem id contigerit in ſequentibus notabitur.

4 Cum autem hoc tempore Gerardus iſte noſter Carmelicola in Germaniæ partibus, & apud Henricum Regem, Imperatorem appellatum, Legati Apoſtolici munere fungeretur, non incongrue ſuſpicari poſſumus, tunc primum, vel non multo poſt, Gerardo ſollicitante, & Henrico annuente, fundari cœptum Cœnobium Boppardienſe, de quo *ſub ann.*999. dicere cœpimus. Si etenim primus eius Prior, Henricus etiam appellatus, *ſub ann.*1113. diem extremum clauſit, prout eo loco dicemus ex duplici epitaphio in ea Eccleſia reperto, abs re non erit exiſtimare circa hoc tempus, vel non multo poſt, inchoatum, vel extrui cœptum. Credi etiam poteſt in Parochialem, ſeu matricem eius Vrbis (quæ quondam *Bodobriga* dicebatur) Inſtitutum hoc Cœnobium fuiſſe, quod video a Segero Paulo eius Prouinciæ, *Germaniæ inferioris* nunc appellatæ, doctiſſimo, & diligentiſſimo alumno, notatum in litteris ad Reuerendiſſ. Generalem Stratium è Moguntia 29. *Nouemb.*1638. datis, vbi ſic: *Eſt etiam notandum quod Monaſterium Carmelitarum Boppardienſe antiquitate præcedat ipſam Parochialem, ſeu Matricularem Eccleſiam eiuſdem Ciuitatis. Hinc in proceſſionibus, in conductionibus funeralibus, aliiſque actibus publicis Prior Carmelitarum cum ſuis fratribus ſemper poſtremum, ſeu digniorem locum obtinet præ Paſtore, ſuiſque ſacellanis. Vnde colligitur quod hoc idem Monaſterium, priuſquam Parochia moderna ædificaretur, ipſius Vrbis matricularis Eccleſia fuerit. Nam & ante paucos an-*

Conuentus Boppardienſis.

nos, cum in Eccleſia Parochiali funus quoddam ſepeliendum eſſet, noſtrique Fratres comitarentur, ipſi nihilominus digniorem, ſeu vltimum locum obtinuerunt: prout hæc mihi retulerunt qui etiamnum viuunt, & antedicto funeri præſentes interſuerunt.

Ann. Chriſt. 1047. & 1048. Clementis II. & Damaſi II. Roman. Pontif. 1. Conſtantini Monomachi Imperat. Orient. 5. & 6. & Henrici II, Imperat. Occidental. 1. & 2.

Clement. II. & Damaſi II. electio.

1 HI duo anni duorum Romanorum Pontificum Clementis II. & Damaſi II. Papatui tribuuntur. Gregorio enim VI. Papa depoſito, ſubſtituitur Clemens II. qui Henricum Germaniæ Regem, & coniugem eius Agnetem Imperiali benedictione ſublimauit, & ſimul cum Gregorio in Germaniam ab eodem Imperatore eſt abductus. Cum autem poſt aliquot menſes in Germania ex hac vita migraſſet, & Benedictus IX. iam pulſus Sedem inuaſiſſet, Damaſus II. electus eſt, & breui tempore mortuus, veneno ſublatus, vt quidam dicunt. Hermannus, Otto Friſingenſis, Leo Oſtienſis, ex quibus moderniores Annaliſtæ.

Obitus S. Gerardi Sagredus.

2 Pro hoc tempore, anno videlicet 1047. contigit pretioſa mors S. Gerardi Sagredi cum ſocijs, quam Officium eiuſdem Sancti apud Vvionem relatum, ſic narrat *lect. 7. Altera verò die ſacræ Miſſæ celebrationem dum Albam pergerent, vbi ad Danubij portum perueniſſent, a maxima Paganorum turba cum cæteris ſocijs lapidari cœpit, ipſe verò ex aduerſo benedictionem, & Crucis ſignum opponit. Vnde, Deo eum protegente, tangi non potuit. Impij verò ſubuertunt currum, Patremque humi abiectum magno impetu lapidare conantur. Tum inſtar Protomartyris Stephani primus Pannoniæ Martyr, poſitis in terra genibus, clamabat voce magna, dicens:* Domine Ieſu Chriſte, ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt. *Et cum hoc dixiſſet eo magis plebs impia irritatur, currum iam deturbatum rapit, bigiſque in montem fluuio Danubio prominentem ſubuebit, ſubiectumque ex prærupta rupe in ſubiecta ſaxa præcipitat, & dum adhuc palpitaret in pectore lancea perfoditur, & ſuper vnum lapidem capite, & cerebro contuſis, tandem glorioſus Martyr Chriſti ab ærumnis ſeculi huius ad æternam beatitudinem tranſmigrauit anno Domini 1047. Kalen. 8. Octobris.* Ex qua relatione ceſſat contrarietas quæ videbatur eſſe inter Officium eiuſdem Sancti a Sacra Congregatione pro noſtris Carmelitis approbatum, ac Orationem eiuſdem Officij, eo quod in Officio dicatur Lancea percuſſum obijſſe, in Oratione verò inſinuetur propter præcipitium a vertice montis animam dediſſe. Vtrumque namque verum eſt, vt explica-

plicatur in verbis relatis. Dicitur autem in noſtro Officio migraſſe in Cælum anno 1042. ſed credi poteſt errorem in numerum irrepſiſſe, ex anno 1047. ad annum 1042. quia non contigit niſi anno 1047. Ita enim, habet Baronius *in Annot. ad Martyrol. Rom.* Inchofer *eo an.* 1047. Vvion in ipſius Vita, & Officium relatum.

3 Alijs autem prætermiſſis de Vita huius Sancti illud præterire non poſſumus, ipſum videlicet Prophetico ſpiritu claruiſſe (vt vel ſic etiam ſuſpicio creſcat de Inſtituto ipſius pro Ordine Prophetico (vt conſtat ex Vita ipſius ab Vvione relato *cap.* 16. vbi ſic ad Capitulum, & Fratres, qui ſecum erant prædixiſſe deſcribitur. *Scindetur Hungaria, & ſoluetur a iugo Chriſtianitatis a ſacerdotibus vſque ad laicos, laborque, & prædicatio noſtra deſpicietur, & verbum Dei non recipietur. Clerus deſpectus habebitur. Monachi erunt varijs coloribus in habitu, & in diuerſis Conuenticulis morabuntur, deſerta fugient, & vitam ſolitariam non amabunt, multi etiam appetitu vanæ gloriæ laudes humanas quærent, & erunt populo in parabolam, & deriſum, propter inſtabilitatem ſuam, & præſumptionem.* Hæc adimpleta fuiſſe in Hungaria refert idem Vvion. Vtinam tamen per Orbem Chriſtianum non eſſent ſeculis ſequentibus adimpleta. Alia ipſius.

4 Reliquit idem S. Gerardus ſuæ ſanctitatis, & ſapientiæ indicia, ſcribendo videlicet, prout Franciſcus Sanſouinus *in deſcr. Ciuit. Venet.* & Vvion *lib.* 5. *cap.* 46. notant, *de laudibus B. Mariæ Virginis, lib.* 1. *Sermonum quadrageſimalium, lib.* 1. *Homiliarum de ſolemnitatibus totius anni, lib.* 1. Cui cohæret hiſtoria Vitæ ipſius *cap.* 9. vbi dicitur quod in ſua illa *Beel* Eremo degens *Orationum, & vigiliarum exercitijs deditus, dictabat libros, quos propria manu ſcribebat.* En, (quod non ſemel diximus) proprium Monachorum exercitium duobus illis indigitatum verbis *Oratio, & operatio.* A quo qui declinant, vix Monachi nomen merentur. Eius encomia ſic breui epigrammate concluſit quidam ex noſtris præclarus Poëta Belgicæ Prouinciæ alumnus, maiora daturus indicans: Monumenta S. Gerardi.

Gaudia vaniloqui fugiens fallacia mundi
Deuia Pannoniæ, teque Gerardus adit.
Gaudet in Eliaſis fixiſſe mapalia terris,
Vultque ſolo ignotus notus at eſſe polo.
Gemma ſed obſcuris hæc eſt dum tecta latebris,
Et poſita in media tanta lucerna domo.
Grandiſona hereticas ſuperabat luce tenebras,
Claudebatque vagas ad Phlegetonta vias.
Gorgoneo verum calefacta furore tyrannis,
Sancte Gerarde, tuum meſſuit enſe caput.
Gratia ſit feſſæ lychnum emunxiſſe lucernæ,
Sic magis hic poſito corpore lucis habet.

Ann.

Ann. Chriſt. 1049. vſque ad 1054. Leonis IX. Rom. Pontif. 1. vſque ad 6. Conſtantini Monomachi Imper. Oriental. 7. vſque ad 12. Henrici II. Imper. Occident. 3. vſque ad 8.

Leonis IX. geſta.

1 VACANTE Sede ob Damaſi II. obitum, Leo IX. Pontifex creatur, ab Imperatore Henrico delectus, a Romanis electus, & a Deo pro magno Eccleſiæ bono deſtinatus; vt poſt tenebras Rom. Vrbis tanti Antiſtitis fulgore Eccleſia illuſtraretur. Signis enim, ac virtutibus egregie claruit. A Lateranenſi Eccleſia, vbi morabatur, vſque ad S. Petrum priuato habitu, nudiſque pedibus, tribus per hebdomadam diebus, cum duobus, aut tribus Clericis noctu pſallendo, & orando pergere conſueuit. Peregrinationem quoque ſuſcepit ad S. Michaelem in Monte Gargano. De his, & alijs Leo Oſtienſis, Sigebertus, Petrus Damiani, & Hermannus, quos ſequuntur noui Chronologi.

Niceta Studita.

2 Spectabit forſan ad huius temporis, & noſtrorum Annalium hiſtoriam, quod de Niceta Monacho, qui & *Pectoratus* dicebatur, magni apud Conſtantinopolitanos nominis viro, refertur. Videlicet, quod cum ipſe libellum quendam contra Eccleſiam Latinam ediderit (qui extat ſimul cum confutatione ipſius *tom.* 11. *Annal. Baronij in Appendice*) poſtea illum coram Imperatore Conſtantino Monomacho, Nuntijs Romanis, alijſque proceribus, anathematizauerit; libelloque Imperatoris iuſſu combuſto, a Legatis in communionem receptus ſit, & eorum familiaris amicus effectus. Fuit hic Niceta Presbyter, & Monachus Monaſterij Studitarum, inter quos Theodorus Studita, & alij in ſuperioribus commemorati, de quibus ſuſpicari poſſumus antiquiorem illum viuendi ritum Orientalium Monachorum, & Eliæ ſectatorum, profeſſos fuiſſe, vt proinde a nobis commemorari meruerint.

De ſabbato Deiparę conſecrato.

3 Diximus *ſub ann.* 1024. dum de B. Gerardo Sagredo ſermo eſſet, quod cum Moriſſenus Epiſcopus inſtitutus eſſet, adeo Virgini Sanctiſſimæ Deiparæ deuotione aſtrictus erat, vt, prout ibidem retulimus, *Singulis ſabbatis diebus, ſicut in Aſſumptionis eiuſdem Sanctiſſimæ Matris, magnis laudum præconijs deuotionis ſuæ Officium cum nouem lectionibus illic explebat.* Imò, vt ibidem dictum ex Officio eiuſdem Gerardi apud Arnoldum Vvionem in ipſius Vita: *Omnium primus hic Sanctus vir Beatæ Virgini ſabbatum diem conſecrauit.* Hanc porro laudabilem conſuetudinem non ſolum ad Ordinem noſtrum, qui Gerardum pro ſuo Carmelita habuit, ſed ad alias Eccleſias celeriter deriuatam fuiſſe, ex B. Petro Damiani huius temporis egregio authore clarè elicitur. Etenim *lib.* 2.

epiſtol.

epiſtol. epiſt. 14. *ad Deſiderium, inquit: Vnde pulcher etiam mos in nonnullis Eccleſijs inoleuit, vt ſpecialiter ad eius* (ſcilicet Angelorum Reginæ) *honorem, per omne Sabbatum Miſſarum celebrentur Officia, niſi forte feſtiuitas, vel feria quadrageſimalis obſiſtat*. Quin, & ſæpius in eius Vita per Ioannem Monachum eius diſcipulum, Flaminium Forocornelienſem, Auguſtinum Fortunium, Hieronymum Rubeum, & alios deſcripta, eam conſuetudinem ſeruaſſe eundem Damianum habetur. Alia de huiuſmodi Sabbatina deuotione libellus noſter *de Maria Patrona, cap.* 5. *num.* 29. demonſtrat. Modo ea prælibaſſe ſufficiat, vel pro noſtræ hiſtoriæ curſu proſequendo. Non licet tamen prætermittere, quod, eodem Petro Damiano teſte, ſicut Beatiſſ. Virginis Officium recitantes condigno præmio a Deo decorantur, ſic illud contemnentes diuinitus affliguntur. Primum ex *epiſtol.* 14. ſic habet: *Quam fideliter æterna ſperabunt, qui Beatæ Reginæ Mundi quotidiana horarum omnium vota perſoluunt?* Secundum verò *libr.* 6. *Epiſt. epiſt.* 32. vbi notabilem caſum refert de Monaſterio quodam, quod peruerſi cuiuſdam Monachi, *Gozo* nomine, ſuaſu, Officium eiuſdem Dei Genitricis prætermiſerat, & propterea innumera mala, calamitates, ærumnas, & aduerſitates tolerauit, donec ad ipſam Matrem Miſericordiæ accurrens, & Officium prætermiſſum reſumens, meruit a tot incommodis releuari, & ad priſtinam pacem reduci. Hunc caſum cum alijs habet lector in noſtro *de Reformatione Regularium* opuſculo *cap.* 5. *num.* 17.

Ann. Chriſt. 1055. vſque ad 1057. Victoris II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 3. Theodoræ, Michaelis, & Iſacij Imperat. Oriental. 1. Henrici II, Imperat. Occidental. 9. & 10.

1 EIVS triennij Pontificium Victori II. tribuitur, qui poſt obitum S. Leonis Papæ IX. Cathedram Romanam aſcendit. Imperium etiam Conſtantinopolitanum primò Theodoram Porphyrogenitam, deinde Michaelem Stratonicum, ac poſtmodum Iſacium Comnenum Imperantes vidit: ſicut Occidentale obitum Secundi Henrici Imperatoris, cui ſucceſſit Henricus puer dictus Tertius, ſub tutela Agnetis matris. Leo Oſtienſis, Hermannus, Cedrenus, & alij anteſignani recentiorum. *Victoris II. Papatus.*

2. Dum hoc tempore Victor Papa celebrandis Concilijs pro Eccleſiæ reformatione incumbit, Iſacius Comnenus Græcorum Imperator contra Monaſteria, & Monachos ſæuiens, prout ex Curopalata Græco authore habetur, Conſtitutionem edidit, rigidam ſatis, & acerbam, qua omnia Monaſteriorum bona addixit Fiſco, relictis tantummo- *Iſacius Imp. in Monachos ſæuiens.*

do ſtipe Deo ſeruientium Monachorum. De qua quidem meminit verbis iſtis Curopalata. *Quibuſdam etiam Monaſterijs multas poſſeſſiones ademit, & relictis Monachis idoneis ſumptibus ad victum, quos computari iuſſerat, id quod ſupererat publico vendicauit. Rem ijs qui conſiderate iudicabant, dicentibus ex prompta impietate, & iniquitate ad ſacrilegium profectam, ſed nihil abſurdi perficientem committere alijs viſus; qui illam grauiter conſiderarent, atque ſpiritualiter, vt aiunt, vt quæ ad paupertatem eos qui ipſam profeſſi eſſent, adduceret, & Sybariticas epulas ad delicias auferret: neque tamen ijs quæ ad vſum neceſſaria eſſent, priuaret, & finitimos, id eſt, qui propinquos agros haberet a Monachorum moleſtia, & auaritia liberaret. Quod vtinam ad exitum ipſe feliciter perduxiſſet, non ſolum in Monaſterijs, ſed in omnibus rebus ad Eccleſiam omninò ſpectantibus.* Hæc Curopalata. Circa quæ Baronius *ſub ann.* 1057. *in fin.* ſatis piè hæc notat contra Monachorum perſecutores animaduertenda. *Cuius iudicium ipſa euenta plane fatuum arguerunt, cum aduerſus iſta patrantem Imperatorem cœlitus ictibus fulminum ab irato numine dimicatum eſt, vt idem ipſe inferius teſtatur Author; adeo vt vrgens metus adegerit eum exuere purpuram, & induere Monaſticum habitum, & inter Monachos obire ſeruitia Monachorum, qui Monachos ita perſequi aggreſſus eſt.* Hęc ex ipſo Curopalata notabimus in annis immediatè ſequentibus.

Card. Eccl. S. Chryſog. & SS. Siluest. & Martini.

3 Habemus etiam ex quodam Vaticano Codice, quem Baronius idem *ſub eodem anno* 1057. refert, aliquid ad noſtri Ordinis Eccleſias ſpectans, ideoque non prætermittendum. Quod videlicet ex quinque Patriarchalibus Eccleſijs Almæ Vrbis Romæ, quæ eo tempore erant, ſcilicet, Lateranenſi, Sanctæ Mariæ Maioris, Sancti Petri, Sancti Pauli, & Sancti Laurentij extra muros; in Patriarchali Eccleſia Sancti Petri (iuxta quam hæc ſcribimus in noſtro Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ Carmelitarum Cœnobio) inter ſeptem Cardinales, qui in ipſa ſeruiebant, computabantur Cardinales Sancti Chryſogoni, & Sanctorum Martini, & Siluestri, noſtri Ordinis Eccleſiarum hoc tempore.

Ann. Chriſt. 1058. vſque ad 1060. Stephani X. & Nicolai II. Rom. Pont. 1. vſque ad 3. Iſacij Comneni Imper. Orient. 2. & Conſtantini Ducæ 1.

Stephani X. & Nicolai II. Papatus.

1 IN demortui Victoris Papæ locum ſuffectus eſt Stephanus dictus X. qui ad ſeptem, vel octo circiter menſes Pontificatum geſſit, ex Card. tit. S. Chryſogoni euectus. Eidem ſeceſſit Nicolaus II. excluſo Antipapa quodam Bened. X. appellato, qui ſimoniacè, & per vim ac metum Pontific. occupauerat, Nicolaus ergo Papa Romæ in Later. Conc. Gen. celebrauit, pręſertim contra Berengar. Archid. Andegau. qui de præſentia Chriſti in venerabili Eucha-

chariſtiæ Sacramento, male ſentiebat, verſipellis homo, & verſutus hæreſiarcha, qui nunc veritatis fidei profeſſor, poſtea euerſor viciſſim conſpiciebatur. Leo Oſtienſis, Petrus Damianus, Lanfrancus, ac ex recentioribus, Baronius, Ciaconius, & alij.

2 Specialiter ad noſtram hiſtoriam ſpectare videtur id quod pluribus narrat Curopalates Græcus hiſtoricus de Iſacio Comneno Imperatore, quod ſcilicet, cum fulmine percuſſus deiectus equo eſſet, & humi ſpumas ex ore edens veluti Epilepticus deuolueretur, ad placandum ſibi Deum pœnitentiam amplexus eſt, & Imperatoriam poteſtatem deponens, vitæ Monaſticæ ſe dicauit, & Monaſterium Studitarum ingreſſus, omnem præſtitit Monaſterij Præfecto obedientiam, ita vt ianitor eſſet, & alia miniſteria obiret, magna animi æquitate, & modeſtia. Quæ retuliſſe expedijt, quia Studienſe hoc Cœnobium antiquam Eliætarum progeniem fuiſſe multis ſuaderi poſſet: Vnde noſtro Inſtituto hunc Imperatorem accenſent Coria, Caſſanate, & alij. Iſaaci Imperat. caſus.

Ann. Chriſt. 1061. vſque ad 1072. Alexandri II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 12. Conſtantini Ducæ Imper. Orienta1. 2. Roman. Diogenis 1. vſque ad 4. Michaelis Duc. 1.

1 POST tranſitum ex hac Vita Papæ Nicolai eligitur Romæ a S. R. E. Cardinalibus Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, patria Mediolanenſis, dictus Alexander II. Quod indigne ferentes factioſi Romanorum, & Henrico Germanorum Regi puero adhærentes, ipſum per Legatos monuerunt, ac Antipapam quendam Cadaloum nomine, Honorium II. appellatum, eligi fecerunt: quem Alexander toto biennio, in mole Hadriani obſidet, & ſuperat. Leo Oſtienſis, Petrus Damiani, Otto Friſingenſis, poſt quos Baronius, Ciaconius, & iuniores alij. Alexandri II. Pontificatus.

2 Veluti reſpirare videbantur hoc tempore Chriſtiani Ieroſolymis degentes, dum a Calypha Ægypti impetrarunt, vt eam partem Ciuitatis, quam collectitia piorum pecunia ædificauerant, poſſiderent, & pro Iudice ipſorum Patriarcham, cui ea pars cederet. Sic enim ex Vuillelmo Tyri Archiepiſcopo *lib.* 9. *de bello Sacro cap.* 17. & 18. elicitur. Ex quo etiam, quod Eliani noſtri perpetui S. Ciuitatis coloni ijs ſubſidijs ſubleuari poſſent. Qua etiam occaſione celebris inſtituta eſt Ieroſolymam peregrinatio ſeptem millium virorum, quorum Duces fuere Germani Antiſtites, ſcilicet Moguntinus, Traiectenſis, Bambergenſis, & Ratiſponenſis: qui etſi magna tum hominum, tum ſupellectilium iactura, ob barbarorum Arabum incurſionem, S. Ciuitatem nihilomi- Ieroſolymitanorum ſubleuatio.

nus peruenere, & loca illa Sancta piè venerati ſunt. Rem geſtam narrant Lambertus eius temporis ſcriptor, Marianus Scotus, & Ingulfus, qui vnus fuit ex peregrinis. Ex quo etiam habetur reperiſſe Chriſtianos iſtos peregrinos plurimam Eccleſiarum, & Oratoriorum ſummam ab Achim Soldano iamdudum deſtructam: ex quibus ſine dubio magna pars noſtrorum Eliotarum erat.

Gerardi Antiochenſis geſta.

3 Cum autem, iuxta in ſuperioribus dicta, Gerardus ille a noſtris Antiochenſis Patriarcha nominatus, ex Syriæ partibus querelas Chriſtianorum delaturus Romam venerit, & inde a Bened. IX. Germaniam ad Imperat. miſſus fuerit, nec conſtet de eius in Palæſtinam receſſu, credibile ſatis eſt hac occaſione, qua inſignis hæc peregrinatio inſtituta fuit, cum Germanis illis primoribus Ducibus reuerſum fuiſſe, & forſan piam hanc veluti expeditionem, præambulam alterius, quæ ſequentibus annis contigit, ſolicitaſſe. Illud pro comperto, nihil conſtare de alijs ipſius geſtis, aut obitu. Quæ enim de ipſius morte Boſtius, Palæonydorus, & alij ſcribunt, cum propria indicia ſint alterius Gerardi, Sagredi nempe, manifeſtè conuincunt vnum cum alio confudiſſe, vt notauimus in præcedentibus.

Guidonis Soboles.

4 Ea tamen quæ hunc Gerardum e Carmeli Eremo in Italiam, & inde in Germaniam venientem Guidoni de Malephayda nobili Gallo Lemouicenſi, dum militem apud Imperatorem ageret, prædixiſſe, narrauimus *ſub ann.* 1045. circa hoc tempus adimplebantur. Etenim is Guido ad proprios conuolans lares, & vxorem ducens, duos ex ea genuit filios Haimerum, (alijs Ademarum) Epiſcopum poſtea Podienſem, ſeu Anicienſem, qui pro bello ſacro in Palæſtina gerendo Legatus Apoſtolicus fuit; & Bertholdum de Malephayda primum Ordinis noſtri inter Latinos Generalem, ipſiuſque propagatorem, & reformatorem, de quo plura in ſequentibus, maximè Tomo quarto ſubſequenti. Sed præſtat, vt id audiamus ex Arnoldo Boſtio, & Palæonydoro, ex quibus alij hiſtorici, ſimulque menda quæ per incuriam in ipſorum verba irrepſerunt, emaculemus. Boſtius ergo *libro 6. Speculi hiſtoriarum, cap. 2.* ſic rem enucleat. *Porro Guido de Malephayda Lemouicenſis natione, miles prædictus, cum eſſet Salomoni Hungariæ Regi propter militares ſuas probitates acceptus, & carus, idem Rex tradidit dicto militi neptem ſuam in vxorem circa annum Domini* 1045. *de qua idem Guido poſtmodum genuit duos fratres, videlicet Haymerum Epiſcopum Podienſem venerabilem virum, & Sanctum Bertoldum primum Priorem Generalem Ordinis fratrum Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ Virginis in Monte Carmelo. Anno Domini* 1070. *Guido miles prædictus miſit duos filios ſuos, Haymerum ſcilicet, & Bertoldum Pariſios ad vniuerſale ſtudium, qui primo in artibus, deinde in Theologia proficientes magni in prædicta Vniuerſit. doctores effecti ſunt.* Palæonydorus autem *lib. 2. c. 10.* ſic. *Hinc Guido prædictus, cum Regi Hungariæ Soloni valde eſſet acceptus, nepotem Regis ſumpſit in vxorem circa annos*

Domini

Domini 1045. de qua poſt genuit duos filios, Aymerum, poſtea Pedie ſem Epiſcopum, & Bertholdum poſtmodum primum Generalem Latinum Ordinis noſtri. Qui a patre ad ſtudium miſſi Pariſienſe, poſt accepta Theologici Doctoratus inſignia reuocati ſunt.

5 Menda porro, quæ in hos authores irrepſiſſe diximus, ſunt primo illud de Solone, ſeu Salomone Hungariæ Rege, cuius neptem, eo quod Guido eſſet gratus Regi, in coniugem habuiſſe dicunt. Solon enim iſte, ſeu Salomon, quinquennis erat anno 1053. prout Melchior Inchofer diligens Hungaricorum Annalium deſcriptor,eo anno aſſeruit; etſi eo tempore Andreas ipſius parens eum coronari fecerit. Quomodo ergo ſtare poteſt quod hoc matrimonium ann. 1045. & intuitu amicitiæ cum Solone contractum fuerit? Deinde anno 1070. quo dicitur ab Arnoldo Guidonem miſiſſe Haymerum, & Bertholdum Pariſios, profecto natus Bertholdus non erat. Vt enim Tomo ſequenti dicemus B. Bertholdus obijt anno 1187. ætatis ſuæ anno 115. ex hoc enim, retrograda ſupputatione facta, clarè ſequitur circa annum 1073. natum, ac perinde impoſſibile fuiſſe mitti anno 1070. ad Pariſienſe ſtudium. De his prudens lector, & in hiſtoriarum lectione verſatus nullatenus mirari poterit, cum nihil communius,& familiarius in hiſtorijs, vetuſtis præſertim, conſpiciatur, quam ſimilium erratorum næuus; temporum iniuria, ſcriptorum, ſeu Typographorum incuria, & quandoque Authorum negligentia exortus. Habeamus ſaltem Guidonem hunc nobilem militem Hungarorum Regûm proſapia fœminæ ortæ matrimonio coniunctum, Haymerum, & Bertholdum noſtrum liberos genuiſſe, eos ſtudij gratia Pariſios deſtinaſſe, ibique ſuorum laborum præmia reportare potuiſſe. Alia autem, quæ antiquitas obliterauit, omittamus. *Menda correcta.*

6 Omittere tamen haud poſſumus, quod circa hoc tempus nouus quidam Sol, vir ſanè vndequaque clariſſimus, Petrus Eremita nuncupatus, mundo exortus eſt, cuius vibrantibus radijs, Deo excitante, & Vrbano II. Papa promouente, ſolemniſſima expeditio in Terram Sanctam a Chriſtianis inſtituta fuit, qua, Patria illa Ieſu Chriſti Saluatoris, ſanctiſſimæ eius Parentis, Prophetarum, & Apoſtolorum, de manibus Saracenorum erepta, & Eccleſiæ Catholicæ glorioſè reſtituta eſt. Eam porro hoc loco tangere ſolum placuit, in ſequentibus latius expendendam, quia celeberrimus iſte Petrus a pluribus haud leui fundamento *Carmelita* nuncupatur. Hi ſunt ex noſtris Ioannes Palæonydorus *lib.* 2. *cap.*11. Coria *lib.*10. *cap.*1. Petrus Saracenus *in Menolog. Carmelit. in Vit. S.Cyrilli quæſtiunc.*8.*& in Vit. B. Bertholdi*. Caſſanate *in Parad. Carmelit. decor. ſtat.* 3. *ætat.*12. *cap.*81. vbi in annotatione quadam dicit: *Damus Carmelitam Petrum Ambianenſem ex communiſſimo hiſtoriatorum Eccleſiaſticorum de geſtis Carmeli aſſenſu.* Illud porro haud leue fundamentum, quod huius aſſerti eſſe diximus, habetur ex Epiſt. quadam pij cuiuſdam Ordinis noſtri Religioſi, Leodio ad me miſſa 18. *Aug.*currentis *Petrus Eremita.*

anni 1651. Vbi alijs prætermiſſis ſic. *Hanc occaſionem effugere non potui, quam putaui futuram gratam, quia ſpectat ad hiſtoriam Ordinis, quam ſcribit, ad perſonam ſcilicet V. Petri Eremitæ Ambianenſis, quem tradit Veſtra Reuerenda admodum Paternitas eſſe Ordinis noſtri. Scribo enim quæ forte nunquam audiuit, aut legit. Hic Sanctus vir eſt ſepultus in Monaſterio Canonicorum Regularium S. Auguſtini, quod ipſe fundauit, ſito prope ſuum, quod eſt oppidum antiquiſſimum patriæ Leodienſis ad Moſam, diſtans ab ipſo Leodio quatuor leucis, vocatur autem illud Monaſterium Nouo-Monaſterium: ſic voluerat ſepeliri ſub dio, ſed pluſquam quadraginta annis poſt obitum effoſſum eſt eius corpus, & translatum in Eccleſiam, in qua iam iacet, & in ſepulchro inuentus eſt calix vino mero plenus, & adhuc ad conſecrationem apto, & corpus adhuc integrum cum barba, & corona Monachali: item coopertum erat cilicio ex pilis camelorum. Ita habent archiuia illius Monaſterij. Calix probat Sacerdotem, & corona Monachatum; cilicium Monachum Palæſtinum, quia in his partibus non habentur cameli. Sed quod maioris argumenti eſt fuiſſe Ordinis noſtri, in eadem Eccleſia eſt antiquiſſima Imago Crucifixi eleuata inter nauim, & chorum, facta ad normam illius qui extabat Hieroſolymis, quam idem Sanctus dicitur curaſſe fieri, & intus eſt repleta reliquijs quas retulit ex Terra Sancta. Ad pedem dicti Crucifixi idem Sanctus eſt depictus cum cappa alba, plane ſimili noſtris, & tunica ſubnigra, item manicæ etiam ſubnigræ apparent. Commiſſarius, qui hic nuper viſitauit, vidit ipſam imaginem, & archiuium etiam rogauit videre; imo quia prædicta imago eſt valde eleuata, & obſcura propter antiquitatem adhibitus fuit tubus opticus, & apparuit ad modum, quo eam ſic deſcribo. Commiſſarius prædictus ſtatuit hæc deſcribere ad V. R. admod. Paternitatem, ſed timeo ne non potuerit propter quotidianas occupationes: vnde ego volui eam de his dare.* Epiſtola hæc huius pij Religioſi ad me miſſa eo maiori pretio habenda quod de mandato R. A. P. Gabrielis ab Annunciatióne, Commiſſarij Generalis in illis partibus, ac viri moribus, & vita, integerrimi, ſcripta fuerit. Eo etiam quod Author ipſius promittit ſe de contentis in ipſa pleniorem informationem miſſurum ex Archiuijs Monaſterij, ſi expediens fuerit. Ad quod accedit, quod eximius iſte vir Petrus Eremita religioſus, & Monachus a pluribus, qui de ipſo ſcribunt, compellatur. Et cum Benedictinus non fuerit, cum nullus ex innumeris qui de ipſo ſcribunt, etiam ex eodem Sacerrimo Benedictinorum Inſtituto, id aſſerat, vno ſolo excepto Arnoldo Vvione, *in Lign. Vitæ, lib.*5. *cap.*104. qui leuiſſimo fundamento id dixit; imo Robertus Monachus, Benedictinus quoque, *in ſua Ieroſolyma hiſtoria, lib.* 1. eum acriter pungat, quod non faceret ſi eum pro Benedictino agnoſceret: nec etiam Auguſtinianus, vt poſſet aliquis exiſtimare eo quod quidam *Petrus, Eremita* etiam appellatus, in ea Religione nomen acceperit; quia hic floruit *ſub anno* 1192. vel circiter, prout habetur ex charta quadam Santij Regis Portugalliæ apud Pennotum *in hiſtor. Canoni-*

nonicor. Regul. lib. 1. *cap.* 35. *num.* 8. et multo minus ex Cœleſtinorum familia, prout quidam Anonymus ab eodem Vvione relatus, dixit, cum nonniſi poſt ducentos annos Cœleſtini Patres mundo primum innotuerint; proculdubio verum erit id quod Authores noſtri ſcripſerunt de ipſius Monachatu ſeu anachoreſi in Carmelo. De quo iterum in ſequentibus redibit ſermo.

7 In præſenti verò id diſcutiendum, quod quamuis communis, & vulgaris ſententia ferat hunc Petrum *Eremitam* omnium ore nuncupatum, Gallum, & Ambianenſem fuiſſe, nihilominus plures, & accuratiores forſan, eum Hiſpanum eſſe dicunt. Hi ſunt Albertus Abbas Stadenſis *in ſuo Chronic. ad annum* 1096. Helmoldus Presbyter *lib.* 1. *c.* 31. *Chronic. Slabor.* Trithemius *in Chronic. Hirſaugiæ in tract. de Gebhardo Abbate*, vbi dicit: *Petrus incluſus ex partibus Hiſpaniæ clauſtris egreſſus prædicat Cruciatam.* Et quod magis eſt Genebrardus Author grauiſſimus, & natione Gallus *lib.* 4. *Chronolog.* ſic inquiens: *Poſt orationem Vrbani in Concilio Claromontenſi, inſtigatore Petro Hiſpano Eremita anno* 1096. *expeditio maxima facta eſt contra Turcas, & Saracenos militum* 600000. *ad Hieruſalem recuperandam.* E contra vero Ioannes Molanus magnæ authoritatis ſcriptor, nec Hiſpanum, nec Gallum eum autumat fuiſſe, ſed potius Belgam, ſeu Germanum *in Natali SS. Belgij Iulij* 15. *in Appendice.* Quamuis autem in hoc valdè immorandum non ſit, quia *boni viri totus Mundus patria eſt*, vt commune proloquium affert; nihilominus diuerſa iſtorum placita ad concordiam trahentes, prudenti coniectura ducti exiſtimare poſſumus, hunc Petrum in Germania, vel Hiſpania natum, Ambiani tamen in Gallijs per multum tempus commorantem Galli, ac Ambianenſis titulum adeptum fuiſſe. Quæ porro cauſa fuerit, vt ex Hiſpania, vel Germania Ambianum confugiſſet, vetuſtas obliterauit. Illud tamen ſatis apparenter dici poteſt quod ſi ex Hiſpania diſceſſit, ideo fuit quia Mahumetanorum ſæuitia eam Regionem opprimentium pium Petrum aufugere coegit, ſicut & innumeros alios, quos commemorant Luitprandus *in Chronic. ad ann.* 815. Tamaius de Vargas *in Notis ad ipſum*, & alij apud eum.

Petrus Eremita cuius nationis.

8 Difficilius eſt eius natiuitatis tempus deſignare, cum nullus ex ſcriptoribus quos viderimus, hac de re loquatur. Illud veroſimilius, hoc tempore, vel circiter militiæ vacaſſe. Sic enim de ipſo Benedictus Gononus *de Vit. Patr. Occid. in eius Vita, lib.* 5. ſcribit: *Cum eſſet docilis, & bonæ indolis puer, curauerunt parentes, vt partim litteris, ſed præcipuè in re militari erudiretur. In qua arte ita excelluit, vt vix in tota patria, ne dicam in alijs multis, ſimilis ei reperiretur.* Cui etiam alij conſonant, ſpecialiter Paulus Æmilius *lib.* 4. *hiſtor. Francor.* dum ait: *Puer litteris imbutus, vbi ætas patiens laborum fuit, rei militari deditus.* Ioannes Pineda in Monarchia Eccleſiaſtica *lib.* 20. *cap.* 2. §. 4.

Natale ipſius incertum.

9 Ne autem lector deſideret qualis in naturæ dotibus Petrus eſſet; audiat

Qualis ſtaturæ. audiat hæc ex Vuillelmo Tyrio *lib.*1. *ſuæ hiſtor. cap.*11. vbi poſt alia. *Erat autem hic idem ſtatura puſillus, & quantum ad exteriorem hominem, perſona contemptibilis. Sed, maior in exiguo regnabat corpore virtus. Viuacis enim ingenij erat, & oculum habens perſpicacem, gratumque, & ſponte fluens ei non deerat eloquium.* Similia alij.

10 Quæ autem de ipſo ſentiat Petrus Doutremanus Ieſuita *in ipſius* Doutremani placitum. *Vita*, ipſi lectori ruminanda proponimus. *Venerabilis Petrus natione Gallus naſcitur Ambiani Picardiæ Metropoli anno* 1053. *regnante Henrico I. Gallorum Rege. Patrem habuit Renaldum Eremitam ex nobili familia in Aruernia oriundum, quam quidam ex Comitibus Claromontanis eiuſdem Prouinciæ deducunt ad Dominos Herimontij, Baraumontij, & aliorum dominiorum, traductam vlterius per nuptias Adelidis, ſiue Alixidis a Monteacuto in Picardiam. Iſdem Authores addunt ſubnomen Eremitæ familiæ aggenitum ex cuiuſdam dictæ familiæ in Eremo natiuitate, quem Domina Herimontij, Antiſiodorum ad S. Martini reliquias (eô Turonis ob Normannorum vaſtationes translatas) profecta, in Eremo eſt enixa, ſed quia hæc res dubios habet Authores, nihil certi de ea ſtatuetur; ſufficiet docuiſſe nomen Eremitæ Petro a genere ortus, non vitæ ſolitariæ inditum, & veroſimilius ab Opido l'Hermitano in eadem Prouincia Aruernorum ſito, cuius in præſentiarum etiam Domini ſunt ex hac familia oriundi: quare Guillielmus Tyrius vocat Petrum Eremitam nomine, & re, a parentibus, & vita Eremitica. Statura infra mediocrem fuit, facie parum liberali, & melius a dotibus animi, quàm corporis instructus, oculos tamen viuaces, & facundiam, miramque in loquendo gratiam habuit. Adoleſcens ſtudijs primo in Gallijs, deinde in Italia, demum in Græcia operam dedit, multumque in perdiſcendis varijs idiomatibus laboris impendit: inde reuerſus apud Geofridum Pariſienſem Epiſcopum fratrem Euſtachij Comitis Bononienſis diuertit, cui in primis charus ob indolem, & varias ſcientias ab eo ad vitam Clericalem inuitabatur, nec procul aberat cum mens ei iniecta militiam, & aulas ſequi; a qua cum dimoueri non poſſet a dicto Epiſcopo Euſtachio Comiti prolixè commendatur: a quo inter aulicos receptus commendationes etiam ſuperauit, & filijs dicti Comitis quaſi in pædagogum datus, cum Godefrido Bullonienſi & alijs armorum exercitia perdidicit. Nota hic Laurentium Leodienſem putaſſe Petrum Eremitam fratrem Arnoldum habuiſſe, quo cum Epiſcopo Theodorico Verdunenſi militaſſet; ſed errauit, nam dicti fratres Petrus, & Renaldus, fratres fuerunt Frederici Comitis Tullenſis, & Henrici Epiſcopi Leodienſis, de quibus in hiſtoria ſancta ſub Tullenſium nomine eſt crebra mentio. Militauit igitur in Flandria Richtildi Comitiſſæ Flandriæ, & Hannoniæ pro filio Arnoldo: arma ſequutus Euſtachij Comitis, qui cum Franciſco I. Gallorum Rege, dictæ Comitiſſæ contra Robertum Friſonem Arnoldi tutorem, & auunculum partes tuebatur, quæ primo conflictu ſuperata, & capta, victore, fugitiuos ardentius dum ſequitur, etiam per Comitem Euſtachium capto, permutata, ſecundo conflictu ad internecionem cæſa fuit, fugitiuis, vel*

vel captiuis qui ſupererant, e quibus Petrus Eremita, qui in carceris tenebris animi oculos aperiens ſanguine Chriſtiano arma vlterius non polluere decreuit, & tandem liber, armis poſitis, vxorem duxit Beatricem de Rouſſi, genere, & virtutibus quam diuitijs, & externa ſpecie clariorem, cum qua piè, & pacifice ſua ſorte contentus dum viueret duabus ex ea prolibus ſuſceptis Petro, & Alixide, repente eius morte viduum ſe miratus, decreuit immortali, & immutabili adhærere: quare facultatibus, & prolibus amicis reſignatis, ſacris Ordinibus initiatus, & presbyter factus in ſolitudinem ſe contulit ſoli Deo vacaturus. Authores certant de loco. Non improbabile videtur circa Oppidum Huenſe ſedem fixiſſe, quo poſt bella Palæſtina regreſſus, templum, & Monaſterium (in quo requieſcit) erexit. Hæc hic author, quæ an omnino veritati cohæreant, non eſt huius loci inueſtigare, Aliorum iudicio res mittenda, & interim communiori placito ſtandum. Alia in ſequentibus.

Ann. Chriſt. 1073. vſque ad 1085. Gregorij VII. Rom. Pont. 1. vſque ad 13. Michael Ducæ Imper. Orient. 2. vſque ad 6. Nicephor. Boton. 1. vſque ad 3. Alexij Comneni 1. vſque ad 5. Henrici III. Imper. Occid. 1. & 2.

1 MIGRAVIT ex hac vita ad æternam hoc anno Papa Alexander II. ſucceſſorem habens Gregorium VII. virum inter Catholicos laudatiſſimum, apud Politicos tamen, & Sectarios de mille criminibus calumnioſè notatum. De Gregorio Fuit eximiæ virtutis Pontifex, reformationis Eccleſiæ amator, libertatis Eccleſiaſticæ defenſor acerrimus, & contra Eccleſiæ rebelles inuictiſſimus: etſi non propterea euadere potuerit impiorum perſecutiones; ſiquidem ſacrilegi cuiuſdam Romani Præfecti aggreſſione captus, carcerique detentus fuit, quouſque per populum tumultuantem, & immane piaculum deteſtantem, ereptus, & priſtinæ libertati reſtitutus eſt. At a ſchiſmaticis poſtea plura perpeſſus. De ipſo, & geſtis eius, maximè contra Henricum IV. Germaniæ Regem, ab ipſo deinde Imperatorem coronatum poſt Romam captam, non armis, ſed auro, Lambertus, Marianus Scotus, Sigebertus, Bertholdus Conſtantienſis, Leo Oſtienſis, quos ſequuntur Genebrardus, Baronius, Gretſerus, Ciaconius, & alij.

2 Quo etiam tempore, ex ijs, quæ ad noſtram ſpecialius hiſtoriam De B. Berthol ſpectant, Bertholdus ille, de quo in ſuperioribus, poſtea noſter do noſtro. futurus Propagator, & Pater, Pariſijs, vt creditur, ſacris litteris cum Haymero germano fratre vſque ad Theologici Doctoratus lauream ſuſceptam,

ptam, fœliciter vacabat. Et, vt Boſtius de ipſo *lib.6. Specul. hiſtoriar. cap.2.* inquit: *Omni virtute proficiens per gradus Eccleſiaſtici Ordinis aſcendit, & ad ſacerdotalis Officij peruenit benedictionem.*

De Petro Eremita. 3 Petrus etiam ille clariſſimus, vulgò *Eremita* dictus, quantum ex ipſius vitæ Chronologis elici valet, hoc tempore, quæ Benedictus Gononus, qui eam ex ipſis collegit, *de Vit. Patr. Occident. lib. 5.* dixit, agebat: *Factus adoleſcens, & grandæuus, cum cerneret omnia quæ in mundo ſunt eſſe vana, & caduca, vitamque hominis multis periculis obnoxiam; volens ſuæ ſaluti conſulere, decreuit vale dicere mundo, & pompis eius. Nacta igitur occaſione fugiendi, inſcijs parentibus, ſeceſſit in quoddam deſertum, & incognitum ſolitudinis locum, vbi multis annis hominibus incognitus, Deo autem cognitus, in auſteritate magna permanſit.* Hæc, vel ſimilia alij ipſius geſtorum hiſtorici. Et Petrus Angelius Bargæus *lib.1. Syriados* hæc

- - - Solum montis ſeceſſit in antrum,
Cum primum obduxit teneras lanugine malas.

Quod autem *deſertum* illud, qui mons, ſeu antrum, quò Petrus confugiſſe dicitur, fuerit, verè incognitus locus fuit, nec vſque modo compertus, etſi quidam veluti diuinantes hunc vel illum fuiſſe ſuſpicati fuerint. Locus proinde noſtris erat oblatus; vt dicerent eum fuiſſe *Carmelum*. Vbi enim commodius *multis annis hominibus incognitus, Deo autem cognitus, in auſteritate magna* permanſiſſet? Ex quo proinde facilè erui poſſet Elianum Carmeli Inſtitutum eo tempore fuxiſſe. Sed ne a communi placito Doctorum ſecedamus, & quia aliud tempus occurret in ſequentibus, quo Carmelicolam eum fuiſſe comprobare poſſumus, ſolum dicimus de hoc occulto deſerto adhuc non conſtare, prout videntur ſupponere omnes ferme, qui de ipſo ſcribunt, ſpecialiter ex noſtris Didacus Coria *lib.10. Chronic. Carmelit. cap.1.*

Monachatus Nicephori Imp. 4 Hoc etiam tempore, circa annum ſcilicet 1080. vel circiter, Nicephorus Botoniates Orientis Imperator coactus ab Alexio Comneno eius ſucceſſore Monachus effectus eſt, in Monaſteriumque detruſus; prout late Curopalata, & ex ipſo alij poſteriores. Sed cuius Inſtituti Monachiſmum induerit, quamuis Vvion *in Lign. Vit. lib.4. cap.2.* dubitauerit an Baſiliani, an Benedictini; nos tamen conſequenter ad ſæpius dicta, de Benedictino parum dubitamus, cum Sacerrimus hic Ordo per Occidentis partes latiſſimè extenſus, vix tunc potuerit Orientalibus oris communicari, tempore maximè, quo propter ſchiſmaticorum peruerſa dogmata Latinos Græci auerſabantur. De Baſiliano prudenter id ſuſpicari licet. Sed an prudentius de antiquo illo, & vetuſtiſſimo Eſſeno, & Eliano, pro quo, niſi aliud probetur, ſemper ſtat præſumptio, vt quamplurìes tetigimus?

Quo

5. Quo etiam tempore, circa annum videlicet 1085. prout in ſuo Chronico ad tum annum *num.* 554. ait Iulianus Perez Toletanus; Rex Alfonſus volebat facere Cathedralem Eccleſiam de *Alfizen*, ſed Papæ non placuit. Quæ nobis annotanda fuerunt propterea, quæ *ſub ann.* 731. diximus de hoc Cœnobio noſtro de *Alfizen* primario in toto Orbe poſt Carmelum, & quod vſque modo in noſtrorum poteſtate manet. Cauſa porro cur Rex Alfonſus hanc noſtram S. Mariæ de *Alfizen* Eccleſiam in Cathedralem Eccleſiam erigere hoc tempore voluerit, ea in promptu eſt, quod licet eo anno 1085. inclytam Toletanam Vrbem e Mahumetanorum manibus liberauerit, hoc tamen pacto cum ipſis inito Ciuitas tradita Regi fuit, vt Cathedralis Eccleſia Mezquita ab eiſdem facta illorum vſui maneret. Vnde fiebat quod liberum Chriſtianitatis exercitium ſolum in Eccleſia de *Alfizen* Chriſtianis manſiſſet, non in Primaria Metropolitana, quæ adhuc ſub Maurorum erat poteſtate. Merito proinde Rex deſiderare poterat, vt ea, in qua Chriſtianitas exercebatur, Cathedralis fieret. Papa verò, quaſi futurorum præſcius, & cogitans quod non multo poſt Toletanum Templum primarium ad manus etiam Chriſtianorum deueniret; ne duæ Cathedrales Eccleſiæ in vna Ciuitate eſſent, renuit hunc titulum Templo S. Mariæ de *Alfizen* concedere. Quomodo autem id quod Papa præſagiſſe viſus eſt de Toletanæ Baſilicæ è Maurorum poteſtate ereptione contigerit *ſub an.* 1088. dicemus. Vbi etiam de reditu noſtrorum fratrum e Monaſterio S. Seruandi ad propriam Eccleſiam de *Alfizen*, eodem Alfonſo Rege per ſpeciale priuilegium id concedente, ſermo erit.

Cœnobium Toletanum.

6 Omittendum porro non eſt, quod tempore iſto quo Toletana Ciuitas a Chriſtiano exercitu obſidione premebatur, cùm valde, multumque belli tædium, inopia rerum, morbique per caſtra graſſantia noſtrorum animos ab armis diſcedere veluti cogerent, parumque deeſſet quin conuinterent, D. Iſidorus ex noſtris Eliadibus vnus, prout ex ipſius met teſtimonio, & alijs fundamentis *ſub an.* 578. *n.* 4. ſcriptum manet, in ſomnijs apparens Cypriano Epiſcopo Legionenſi, dicens: *Non placere obſidionem ſolui; intra quindecimum diem Vrbem Chriſtianorum futuram: eas ſedes diuinum ſibi numen in perpetuum delegiſſe.* Somnio igitur per caſtra euulgato, Regique nunciato, ſpes potiendæ Vrbis animis adiungitur, & inde fœlix euentus oraculi veritatem comprobans. Hæc Ioannes Mariana *de reb. Hiſpan. lib.* 9. *cap.* 16.

Viſio S. Iſidori.

Ann.

Ann. Chriſt. 1086. & 1087. Victoris III. Rom. Pontif. 1. & 2.
Alexij Comneni Imperat. Orient. 6. & 7.
Henrici III. Imper. Occid. 3.
& 4.

Victoris III. Papæ electio.

1 BIENNIO hoc Romanam Cathedram tenuit Victor III. Deſiderius antea vocatus, & vi ad Pontificatum acceptandum coactus, vt propterea electioni de ſe factæ renunciauerit, etſi precibus flexus eam poſtea admiſerit. Tandem moritur poſt tentatam expeditionem contra Saracenos, quos maxima clade oppreſſit. Leo Oſtienſis, Baronius, & alij.

Petri Eremitæ egregium opus.

2 Hoc tempore, iuxta hiſtoriæ Petri Eremitæ ſeriem, vnum ipſius pium, & egregium exercitium, quod in ſuo illo, in quo manebat, deſerto, Dei obſequio vacans, continuabat, operæpretium eſt referre. Erat Deiparæ Virginis deuotiſſimus, ipſam præcipue recitatione Salutationis Angelicæ *Aue Maria* repetitæ collaudans, ligneis quoque globulis filo, vel ſubtili chorda inſertis, ad numeri certitudinem. Sic enim habent ex noſtris Didacus Coria *lib. 10. Chronic. Carmelitarum*, *capit. 1.* dicens: *Siendo de perfecta edad dexo el Mundo, y retirose a vn desierto, donde estuuo algun tiempo haziendo vida heremitica: rezaua mucho, y era muy deuoto dela Madre de Dios, por lo qual frequentando a menudo la oracion Angelical de el Aue Maria para cumplir con el numero de ſu deuocion, hizo ciertas bolillas de madera y enſartolas en vn cordel, o cordon.* Item Caſanate *in Paradiſ. Carmelit. decor. ſtat. 3. ætat. 11. cap. 81.* ibi: *Ore aſſiduè, & corde Angelicam illam Salutationem ad Virginem mira in ore deuotione innata ferebat, vicibus pene innumeris, quotidie ſalutationem recitans Gabrielis Archangeli ad Virginem Matrem.* Fauet Gononus *in Vita ipſius*, dum eum *Beatæ Mariæ Virgini Dei Genitrici valde deuotum* appellat.

Qui eam ſacit authoré Roſarij.

3 Hinc plures ex authoribus hunc Petrum vocant primum authorem pijſſimæ illius deuotionis erga Dei Parentem Mariam ipſam obſecraudi per globulos filo inſertos, vulgo *Roſarios*. Hi ſunt Polydorus Virgilius *lib. 5. de Inuentoribus rerum, cap. 9.* Ioannes Balæus Anglus *in Catalogo Scriptor. Brittanniæ Centur. 2. in Appendice ad Florentium*, Molanus *in Natali Sanctorum Belgij 15. Iulij in Appendice*, Aubertus Miræus *de Canon.* Hieronymus Rubeus *in Hiſtor. Rauenn.* Poiret *de D. V.* Pontanus *in Chronolog.* Pineda *lib. 20. Monarch. Eccleſiaſt. capit. 2. §. 4.* Arnoldus Vvion *in Ligno Vitæ, lib. 5. cap. 104.* Benedictus Gononus *in Vita eiuſdem Petri Eremitæ*, & ex noſtris Didacus Coria *ſupra*, Petrus Saracenus *in Menolog. in Vit. S. Bertholdi*, referens etiam Iacobum de Vitriaco, & Polydorum relatum. Iunge etiam Caſanate *in Parad. Car. vt ſup.*

Nec

4 Nec inde, aut leuiter ſanctiſsimæ Dominicanæ familiæ, eiuſue glorioſis alumnis, qui cum magno Chriſtiani populi emolumento ipſorum Illuſtriſsimum Patriarcham Dominicum, & alios eius Sacerrimæ Religionis Patres primos huius pijſsimi Inſtituti recitandi Coronam, ſeu Roſarium, Anteſignanos prædicant, derogari intendimus. Nam præter dicta ad hoc intentum *in Tract. de Maria Patrona, cap.* 11. *num.* 21. cum ſancti Roſarij, ſeu Virgineæ Coronæ inſtitutio, quæ ſub Dominicanorum Patrum diſciplina, inſtructione, & prædicatione clareſcit, & modo viget in Eccleſia Dei, Summorum Pontificum diplomatibus, Principum, & Dynaſtarum patrocinio, & totius ferme Chriſtiani Orbis communi ſuffragio recepta ſit, ipſis veluti eximijs propagatoribus accenſeri debet: non alijs, qui non niſi priuata authoritate, vna vel alia occaſione, his vel illis dumtaxat fidelibus, piam hanc exercitationem inchoaſſe dicuntur. Vt enim *to.* 2. horum Annalium *ſub ann.* 36. *num.* 10. tetigimus, familiariſsimum eſt, tum ſacris, tum prophanis litteris, vt is primus alicuius rei author appelletur, qui ab alio inceptam, & inchoatam perficit, & amplificat. Quod varijs exemplis eo loco oſtendimus. Priuatis autem perſonis hunc recitandi ritum familiarem fuiſſe, præter alibi dicta, confirmat Guiſius in Annalibus Annoniæ, dum ſcribit Adam Theodorici Aruernenſis coniugem, quæ anno 1080. clareſcebat, ſexagies per diem ſalutationem Angelicam Reginæ Cœli præſentaſſe, viginti ſupino corpore, viginti genuflexo, & viginti erecto. Imo ritus iſte per numeroſos globulos orandi, apud Ethnicos Indiæ Orientalis, ante omnem memoriam fuiſſe a quibuſdam dicitur. Tollitur autem omnis, ſi vel ſpecie ſolum, controuerſia apparere queat, ex eo ſane, quod aliud eſt, de Roſarij, aut Virgineæ Coronæ per globulos numero determinatos, videlicet 63. vel 150. recitationis, veluti ſolemnis, & authenticæ primo Inſtitutore agere; aliud vero de ſimplici aliqua, & priuata *Salutationis Angelicæ* per ipſos globulos indeterminatos, & arbitrarios, repetitione: etſi ergo primum illud præclariſsimæ Prædicatoriæ familiæ Patribus, & alumnis debeatur, toto acclamante Orbe, & Summis Pontificibus ſuis diplomatibus accinentibus; hoc tamen poſtremum huic Petro Eremitæ concedi poſſe, non tam Ordinis noſtri authores, quam alij exteri Scriptores, ex quibus plures ſupra retulimus, id vltro fatentur. Fuerit ergo Petrus hic noſter ſolum clariſsimæ alterius Roſarij, & Coronæ Inſtitutionis poſtea futuræ veluti vmbra, & typus.

Quomodo id accipiẽdum.

Controuerſia ſublata.

Ann. Chriſt. 1088. vſque ad 1099. Vrbani II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 12. Alexij Comneni Imper. Orient. 8. vſque ad 19. Henrici III. Imperat. Occident. 5. vſque ad 16.

Vrbani II. creatio, & geſta.

1 DEFVNCTO Victore Pontifice creatur Vrbanus II. Otho antea nuncupatus, vir egregius, eloquens, & litteris valde peritus. In principio ſui Pontificatus Primatum Eccleſiæ Toletanæ in totis Hiſpaniarum Regnis, *ſecundum quod* (inquit in litteris) *eiuſdem Vrbis antiquitus conſtat extitiſſe Pontifices*, Bernardo Archiepiſcopo confirmauit; vt mirum ſit aliquos adhuc extare, ſublimiſſimam hanc dignitatem huius Sacroſanctæ Eccleſiæ refragantes. Confirmauit quoque nouum quoddam Inſtitutum, non tam Clericorum, & Monachorum, quam ſæcularium vtriuſque ſexus, qui ad formam primitiuæ Eccleſiæ, & Apoſtolorum, vitam communem ſub obedientia Eccleſiaſticorum, in partibus præſertim Germaniæ, magna cum populi Chriſtiani ædificatione profitebantur. Vt merito proinde ſuſpicari poſſimus, idcirco Deum iuſtiſſimum præmiorum retributorem Terram Sanctam Chriſtianis hoc tempore tradere voluerit, quòd ipſi huic Angelicæ vitæ in ea patria ab Eliadibus Prophetis inchoatæ, a Chriſto præſertim inſtitutæ, & ab Apoſtolis prædicatæ ſtudioſè incumbere affectarent. Qualiter autem hæc hiſtoria de Terræ Sanctæ reſtitutione contigerit, præſertim cum ex ipſa plura pro noſtra Prophetica habeantur, ſic, ab ouo, vt dicitur, rem auſpicantes, enucleamus.

Petrus Eremita.

2 Vidimus in præcedentibus Petrum illum, *Eremitam* vulgo vocitatum, in quadam Eremo, locoue deſerto ſolitariè commorantem, Deo vacantem, & Beatiſſimæ ipſius Genitricis deuotioni pijſſimè attendentem; ipſamque cum Angelo Gabriele per *Aue Maria* crebrius ſalutantem, globulis etiam ligneis ad id munus pro memoria adhibitis. Hinc pia ipſum inuaſit cupido ſacra ea loca Syriæ, & Palæſtinæ, quæ tum Chriſtus, tum eius inclyta Mater, tum Prophetæ, & Apoſtoli ſuperſtites vita conſecrarunt, deuote inuiſendi. Itinere igitur fœliciter aggreſſo, ad patriam ſibi deſideratam, poſt terræ mariſque labores perpeſſos, tandem peruenit. Quia ergo Carmelus Mons noſter maris promontorium eſt, & Syriam accedentibus veluti primus occurrit, eò adijt, ibi egit, ibique, vt in ſequentibus dicemus, Carmelitano Inſtituto nomen dare potuit. Carmelum porro inuiſiſſe ſic cecinit Petrus Angelius Bargæus nobilis Latinorum Poematum ſcriptor *lib. 1. Syriados* circa medium, dum de hoc Petro Eremita, eiuſque in Palæſtinam peregrinatione agit, & hæc ipſius nomine recitans.

Namque

Namque Palæſtinas nuper nouus aduena terras
Dum peragro, & Solymæ veſtigia cuncta videre
Preſſa Deo iuuat, atque ipſi aduigilare Sepulchro,
Et modo Carmeli Montes, modo viſere Idumam
Palmiſeram, &c.

Ex Bargæo id accipiunt ex noſtris Petrus Lucius *in Compend. cap.* 11. Caſanate *in Paradiſ. Carmelit. decor. ſtat.* 3. *ætat.* 12. *cap.* 81. Ante illos tamen id aſſecutus eſt Ioannes Balæus malæ fidei author in ijs quæ ad Catholicam ſpectant, in hiſtorijs etſi Ordinis noſtri, ex quo transfuga, & apoſtata fuit, verſatiſſimus. Is ergo *in Catalog. Scriptor. Britann. in Appendic. ad Florentium, Centur.* 2. loquens de Carmeli Eremitis, qui poſt ann. 1090. eum Montem colebant, ait: *Ad quos poſtea ſolitarios infra ſexennium venit famigeratus ille Petrus Eremita, qui preculas illis, earum primus inuentor dedit, & Mariæ Pſalterium docuit.* Sexennium hoc, infra quod (Balæo teſte) Petrus ad Carmeli Anachoretas acceſſit, huic tempori ſuæ peregrinationis aptatur, & ita intentum manifeſtè noſtrum corroborat. Idemque confirmat Didacus de Coria Chronologus noſter *lib.* 10. *cap.* 1. verbis inferius referendis.

3 Si autem aliquo tempore id quod *ſub ann.* 1061. dicere cœpimus de habitu Carmelitico ab iſto Venerabili Petro ſumpto contigit, ſanè congruentiſſimè de iſto, quo Carmeli antra incolebat, Eremitis illis Pſalterium Beatiſſimæ Virginis, & eius preces per globulos tradens, aſſirmari debet. Cum enim ipſe Terram illam Chriſti greſſibus ſanctificatam, & Sanctam, proprijs iam cerneret oculis, eamque ſub infami Mahumetanorum iugo proſterni videret, anxijs ſuſpirijs ad Deum miſſis affectauit, ipſam, ſi fieri poſſet, eiuſdem Chriſti cultoribus, omni poſtpoſita mora, vindicari. Quia ergo ad hoc eximium opus explendum, & Occidentalium partium hominem Saracenis inuiſum occultandum congruum ſatis erat, vt habitum eorum Carmeli Eremitarū aſſumeret, qui in ea Patria, antiquiſſimi veluti incolæ, a Saracenis ipſis etiam cogniti, & pretio habiti, erant, ob Sanctorum Prophetarum Eliæ, & Eliſei reuerentiam, quorum Inſtitutum ſectabantur, eodem quo ipſi loco, Carmeli Monte, eodemque habitu, etſi quoad pallij colorem ex albo in variegatum mutato, iuxta ſcripta *ſub ann.* 642. *a n.* 5. Idcirco diuino ſpiritu actus eorum ritum, modumque viuendi a Montis Archimandrita poſtulauit, obtinuit, ſuſcepit. Sed quid non faceret qui eremitica vita ab incunabulis ferme, & Dei Genitricis Sanctiſsimæ deuotioni addictiſsimus fuerat? Eo enim loci ſacram Eremum ab Elia, Eliſeo, filijſque Prophetarum, alijſque ſucceſſoribus cultam, & ſub eiuſdem Deiparæ titulari vexillo, ac circa primam eidem Capellam a naſcentis Eccleſiæ tempore, vt oſtenſum eſt Tomo præcedenti, ſitam, militare conſpiciebat. Quo etiam prudentiori ſtylo ſuſpicionem, quam homo exterus *An Carmeli. Inſtitutum aſſumpſerit.*

ex Occiduis partibus veniens Turcis afferre poterat, auerteret, niſi habitum, & Inſtitutum eorum, qui cum ipſis a ſæculis habitauerant, ſuſcipiendo; ſicque abdita quæque loca luſtrando, & occultiſsima inimicorum Crucis conſilia prudenter exquirendo? Hæc porro omnia ante nos Didacus Coria diligens noſtrarum hiſtoriarum indagator ſua patria lingua, ſic, relato loco expreſsit. *Auia a la ſazon en toda aquella Prouincia entre otros religioſos que auia los de el Orden de nueſtra Señora de el Carmen, y como el dicho Pedro fueſſe tan religioſo, y tan deuoto de la Madre de Dios, y vieſſe lo que tanto auia deſſeado, que fue ver Orden de la Madre de Dios aquien el era tan aficionado, y mas en aquellas partes do ſe auian obrado los Sanctos myſterios de nueſtra redempcion: dio orden como quedarſe Religioſo en eſta meſma Religion: hablo al Abad de el Monte Carmelo pidiendole el habito de el Sacro Orden, y ſin dificultad ninguna alcanzo lo que tanto auia deſſeado, con eſto tuuo mayor libertad para luſtrar, y eſcudriñar toda aquella tierra, y ſus ſecretos, y la commodidad y medios que auria para ganarſe delas manos delos infieles, y eſto ſin ninguna contradicion, ni ſoſpecha, porque los Moros teniam mucho reſpecto, y deuocion a aqueſta Religion; por ſer de los Sanctos Prophetas, aquien ellos tanto reuerenciau, y por quien ellos hazian tanto bien a ſus Religioſos, como ya en el libro a tras queda dicho.*

Facta congruentia.

4 Nec incongruè cogitare etiam poſſumus ſanctum illud conſilium quod Petrus concepit de liberanda Terra Sancta e impiorum manibus, in Carmelo ipſo noſtro primo conceptum, & a Deo inſpiratum fuiſſe. Prudenti coniectura ducti id affirmari poteſt, eo quod Gerardus ille, a noſtris appellatus Patriarcha Antiochenus, eiuſdem Carmeli Anachoreta, & forſan hoc tempore ſuperſtes, (quod neſcitur) iam pridem tempore Benedicti IX. ad Europam veniens, querelas Chriſtianorum contra barbaros Mahumetanos detulerat, ſubſidia expoſtulans; etſi re infecta ad propria redierat Petrum de ijs commonuiſſet, ad ſimilia peragenda calcaria præſtitiſſet, & modum ea perficiendi præſcripſiſſet, vt propterea tam arduum opus noſter Eremita ad fœlicem exitum peruenire poſſe exiſtimaſſet. Indicat hoc Coria loco relato.

Qui modus viuendi tunc Carmeli anachoretis.

5 Prius tamen quam eiuſdem Petri geſta proſequamur, diſcutere congruum erit, qualis viuendi ratio, quique mores noſtrorum Carmeli incolarum tunc erant, vt idcirco a tam egregio viro meruerint viſitari, & adeo coli, vt eorum conſortio adiungi voluerit. Ea verò, noſtris authoribus prætermiſsis, vnus Balæus loco ſuperius relato ſic affert, differentiam aſsignans inter tempus, quo ab Aymerico reformati fuerunt, ac ante illud, (quod eſt præſens.) *Prius enim ex fide Deo noti, nunc fiunt ex fucatis ceremonijs mundo cogniti. Quos ſuos tunc Deus ex cordibus agnoſcebat, nunc per cucullas pro ſuis mundus agnoſcit. Prius autem in ſpiritus humilitate, fide, & verbo Chriſto parebant; nunc veſtibus, ceremonijs, hominum placitis,*

tis, atque externis operibus, mundo, ac ventri inſeruiunt. Capimus iam miſerum hunc apoſtatam Lutheri fæcibus inquinatum, nullam bonorum operum munditiam, præter inanem fidem agnouiſſe; ſacros, & Religioſos ritus contempſiſſe, & ideo nequitia plenum, hæc, quæ retulimus; turpiter eructaſſe. Ex quibus, alijs contemptis, ad intentum elicimus, quod Carmeli Anachoretæ eo tempore ante reformationem ſub Aymerico factam, de qua Tomo ſequenti, *Deo noti ex fide erant*, etſi inter Infidos Mahumetanos commorantes; *ſuos Deus ex cordibus agnoſcebat*, quos dira tyrannorum oppreſſio in eximia plura externa opera prodire non tolerabat; *in ſpiritus humilitate, fide, & verbo Chriſto parebant*, ante faciem etiam tribulantis. Iure ergo potuit Petrus eorum conſortio frui deſiderare, quos vno, & eodem ſicut ipſe ſpiritu in via Dei incedere conſpiciebat.

6 Iam eius proſequamur hiſtoriam Benedicti Gononi verbis *in eius Vita* ex Paulo Æmilio, Guillelmo Tyrio, & alijs deſumpta. *Tota meſſis ſeruata fuit Petro Anachoretæ, qui poſtquam (vt diximus) diu in Eremo verſatus fuiſset, cum Hieroſolymam per id tempus nauigaſſet Chriſti ſepulchrum viſurus, ex Simeone Hieroſolymitano Patriarcha, & alijs Chriſtiani nominis, qui pauci numero in his locis agebant, edoctus, quàm miſerabili ſeruitio ea terra premeretur, vbi olim eſſet omnium gentium ſalus quæſita, nullumque eſſe locum tam ſanctum, quem gens impia non cæde, rapinis, ſtupris prophanaſſet, tam valide Petri viſcera ad compaſſionem pupugerunt hæc, quod totus in lachrymas reſolutus conſilium dedit, vt ſcriberetur Summo Pontifici, quatenus Chriſtianos Principes ad eis auxilium præſtandum poſſet incitare. Quod cum optimum viſum eſſet, ipſe iterum ad ſanctum Sepulchrum ſe contulit, Deum pro populo, & ſancta Ciuitate rogaturus. Cum autem ferè totam noctem in oratione tranſegiſſet, & præ laſſitudine paululum ſe quieti dediſſet, ſubito apparuit Angelus Domini in ſpecie egregij adoleſcentis, qui eum monuit, vt Italiam petens, Summo Pontifici, Principibuſque Chriſtianis nunciaret, vt Terram Sanctam ab infidelium poteſtate liberarent. Sed cum non ignoraret inimicum generis humani ſæpius ſe in Angelum lucis transformare conſueuiſſe, expergefactus, rogauit quod ſi eſſet verus bonus Angelus eidem iterum appareret. Quod & factum eſt. Sed cum adhuc dubitaret, Chriſtus Dominus, & Rex Angelorum ei apparuit, iubens, vt Romam peteret, Summoque Pontifici inſinuaret, placere ſibi, iubereque eam terram piorum armis a Turcarum impietate vindicari, in qua pro publica ſalute, & naſci voluiſſet, & pati. Hoc inſtructus oraculo Sanctus Eremita, rediens ad Patriarcham narrauit quæ viderat, & audierat. Cumque eum conſolatus fuiſſet, acceptis eius litteris, profectus eſt Romam, Summumque Pontificem Vrbanum conueniens ei Patriarchæ litteras dedit, quas ſine lachrymis, & exclamationibus legere non potuit, præcepitque ei vt Alpes tranſgrediens ad omnes Galliæ Principes, cæteroſque duces Chriſtiani nominis deferret Oraculum, omneſque Ciuitates, & Eu-*

Alia geſta Petri Eremitæ.

ropæ populos ad eam expeditionem hortaretur.

Ex Petro Droutemano 7 Sed rem ne deſideret lector ex Petro Droutemano Societatis Ieſu alumno, ex ipſo hæc enucleata damus. *In ſolitudine concepto deſiderio Chriſti Domini ſepulchrum viſendi in Palæſtinam venit, & Hieroſolymis apud Ciuem Chriſtianum diuerſatus, ab eo mala, & oppreſſionem Terræ Sanctæ didicit, & oculis hauſit: quare hinc amore locorum Sanctorum, quæ in dies luſtrabat, inde dolore eorum quæ Chriſtiani patiebantur euictus, Patriarcham Simeonem adijt, & de remedijs contulit; a quo accepit nihil efficacius fore, quam vitæ in melius per Chriſtianos commutatione placato Numine, Principes Europæ ſociatis armis Turcas de facili ſuperandos inuadant; a Græcis propriæ opis indigis, nec ſibi ſufficientibus, nihil expectari poſſe: rem in ſe recipit Petrus, & litteris Patriarchæ ad Papam, Reges, & Principes inſtructus itineri ſe accingit; prius tamen Domini miſericordiam poſtulaturus ad Sanctum Sepulchrum vigilias inſtituit, quas prolixis orationibus, & gemitibus dum peragit, ex fatigatione ſomno obrutus, Chriſtum reſurgentis ſpecie videt ſibi approximantem, & his verbis compellantem: Surge fili dilecte Petre, accelera tibi impoſita negotia, nihil timeas, quia ego tecum ſum: tempus enim adeſt, in quo ſtatui Sancta hæc emundari, & ſeruos meos liberare. Euigilat Petrus ex terrore nimio, & vigil miratur animi, & corporis robur inſolitum ſibi additum: quare accepta a Patriarcha benedictione, nauim conſcendens, ſecundis ventis Barium Apuliæ appulit, & inde Vrbanum Pontificem (ſibi Climaci dum patruum religioſum viſeret notum) adit, & gerendorum totius denique legationis ſuæ fidem edocet a quo perbenignè exceptus, & Principibus commendatus cum facultate concionandi, & omnes ad ſanctam expeditionem animandi dimittitur in Franciam, quo ſpondet propediem S. Pontifex ſe venturum. Petrus itaque totam Italiam ſuis concionibus, & verbis igneis inflammat, inerat ei vox pura, & maſcula, oculus vocis æmulus animos peruadens, zelo corda, & mentes accendens, concurſu populorum opes, perſonas, omnia denique offerentium obruebatur: inde Alpes tranſgrediens in Franciam venit, vbi pari applauſu, & concurſu exceptus non parum profuit parandis animis ad Vrbani aduentum.*

Ex Abbate Guiberto. 8 Abbas etiam Guibertus eidem Venerabili Petro coæuus *lib. 6. Hiſtor. Hieroſol.* ita de ipſo ſcribit: *Petrus l'Hermita Cruciatam prædicauit; vidimus eum in finem illum vbique diſcurrentem tanto populi concurſu, tantis muneribus, tot honoribus cumulatum, & vulgo ſanctum nominatum, vt ei ſimilem non viderimus: multa ei dabantur, verum quæ in pauperes elargiretur, magna in lucrifaciendis fœminis vitæ ſolutioris gratia pollebat, quas marito, & dote emendabat, lites ſopiebat, diſſenſiones reconciliabat mira authoritate, & fide; nam ijs quæ ab ipſo tanquam Dei viro ſtatuerentur, nefas omnes arbitrabantur non acquieſcere; tanta denique fuit in veneratione, vt paſſim loco reliquiarum pili muli quo vehebatur vellerentur, & aſſeruarentur (de quo tamen nihil aſſero) ſubucula lanea ad carnem vtebatur,*

tunica

tunica capuciata talari, & nudipes incedebat, carnibus nunquam, pane rarò, eoque modico, piſcibus vitam ſuſtentabat, nullo vel modico vino adhibito. Notet poſtrema hæc lector, & ex illis conijciat non abs re huius egregij viri vitam Carmeli anachoreſim redolere exiſtimari poſſe. Quæ hunc viuendi ritum quaſi proprium agebat.

9 Quæ porro ſubſecuta fuerint, quamuis a pluribus litteris exarata ſint, ea tamen a noſtris Authoribus mutuata hic tradimus: a Palæonydoro præſertim, qui *lib. 2. cap. 11.* Arnoldi Boſtij *lib. 6. Speculi Hiſtor. cap. 3. & 4.* veſtigijs inhærens, hæc habet: [Poſtquam Aymerus ab Vrbano II. anno Domini 1088. Podienſis Epiſcopus extiterat ordinatus, idem Vrbanus propter Saracenos Eccleſiam Orientalem deuaſtantes in Aluernia Galliæ, quæ Clarus Mons appellatur Concilium generale anno Domini 1092. celebrauit, & aliud Turonis pro ſubſidio Terræ Sanctæ. Omnibus igitur Eccleſiæ Prælatis conſentientibus, Aymerus Podienſis Epiſcopus totius militiæ Chriſtianæ Legatus præficitur: qui aſſumptis ſecum fratre ſuo Bertholdo, & Petro Carmelita, magnæ ſanctitatis viro Eremita, profectus eſt cum Rege Franciæ Philippo, & Duce Lotharingiæ Gotfredo de Bulion, ac alijs Regibus, Principibus, Ducibus, & Nobilibus, exercitu quoque Chriſtianorum innumerabili. Iſti poſtquam ventum eſt in Terram Sanctam, exterminatis pluribus Saracenorum locis, & caſtris, Antiochiam peruenerunt, & ſtatim obſederunt. In hac erat quidam Turcarum admiratus dictus Pyrrhus. Hic fama Boëmundi allectus, fœdus cum eo iniens tradidit eidem filium ſuum obſidem, & tres turres. Capta tandem Ciuitate Chriſtiani *Kyrie eleiſon* alta ſonantes voce, huiuſmodi ſigno a Turcis diſtinguebantur. Rege autem, & Domino Ciuitatis fugiente, & ad terram Francreo commiſſam perueniente, ibidem cognitus illico ab Armenis capite truncatus eſt. Tunc aliquibus Turcarum in Caſtrum ſe recipientibus quod eminet Ciuitati tali poſitione loci, vt nullatenus alicuius artificium machinæ timere habeat, Corroberandus eorum Princeps, qui ad auxilium Antiochiæ fuerat a Calypha perfidæ gentis Apoſtolico deſtinatus, coagulauerat ſibi innumeras ferè gentes. Damaſcenorum etiam Regem, & Hieroſolymorum Admiraldum. Hi a Senſadolo Caſſiani filio antedictum Municipium, ſeu Caſtrum recipientes, Ciuitatem adeo vehementer obſederunt, vt grauiſſima fame opprimerentur Chriſtiani, ita vt pauci ab humanis carnibus ſe continerent. In hac tribulatione S. Bertholdus de Malephayda magno mœrore confectus, promiſit ſe Deo, & Beatæ Mariæ Virgini iugiter in Monte Carmeli ſeruiturum, ſi Dominus reſpiceret plebem ſuam. Tunc eidem Ieſus ſplendidam Crucem ſuper caput geſtans cum Beatiſſima Matre ſua, & S. Petro apparens, durè increpauit Chriſtianis beneficia collata fornicantibus, atque ingratiſſimis. Cumque minaretur ſe vindicaturum, Sanctiſſima & pijſſima Virgo Maria, Miſericordiæ Mater cum B. Petro ad pedes

Alia geſta.

des

des Domini corruit, ſupplicans, vt iram clementia ſua mitigaret. Deinde ait Dominus Bertholdo presbytero. Vade dic populo meo, Lupanar, proſtibulum, & omnem a vobis abuſum proijcite, & optimum præſtabo vobis auxilium. Si reuerſi fueritis ad me, ego quoque reuertar ad vos. Cantetur diebus quinque Reſp. ***Congregati ſunt inimici noſtri***. Eodem tempore cuidam alteri Religioſo apparuit B. Andreas Apoſtolus demonſtrans locum in Eccleſia S. Petri, vbi inuenienda eſſet Lancea Saluatoris. Igitur non multo poſt ignis in Caſtra Turcarum de Cœlo deſcendit. Quod videntes Chriſtiani poſt Lanceam Domini inuentam, 36. die obſidionis contra Corberandum in prælium exierunt, dulci pluuia ipſis, & eorum equis recreatis. Et ecce de montibus innumerabilis exercitus Cruce ſignatus, vexilla alba in manibus geſtans deſcendere viſus eſt, cuius Duces Georgius, Demetrius, Mauritius, Mercurius, Sancti Dei Martyres æſtimati ſunt. Tunc Aymerus Epiſcopus exclamauit voce magna dicens: O fortiſſimi milites Chriſti, ecce auxilium Domini, pugnate viriliter. Igitur in conflictu diei illius ceciderunt Turcarum fortium armatorum, tam peditum, quam equitum, plusquam centum millia, præter illos cœleſti igne conſumptos, anno Domini 1098. in vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli. His viſis, Admiraldus Caſtro præſidens, Chriſtianus cum trecentis militibus effectus, ſe & caſtrum tradidit Boemundo; ſicque captata pace in die Kalendarum Auguſti Aymerus Epiſcopus Podienſis migrauit ad Chriſtum.]

Similia ferme Coria ſuperius adductus, prudenter adijciens, cauſam propter quam Bertholdus ſpeciatim vouerit ſe obſequio Deiparæ Virginis de Monte Carmeli dicaturum, eam fuiſſe, quod ab ipſius patre, qui ſimili deſiderio tenebatur, prout notauimus *ſub ann.* 1045. & a Petro Eremita, qui etiam, vt ſcripſimus ſuperius, eiuſdem montis Anachoretis accenſitus erat, eiuſdem etiam Religionis notitiam hauſerat. Sed expendamus, quæ ex Palæonydoro retulimus.

Hiſtoria perſecutio.

10 In quibus aliqua, quæ luce egent, explananda. Primo id quod dicitur de Concilio Claramontenſi anno Dom. 1092. celebrato errorem in calculo continet, Typographi incuria forſan: etenim non niſi anno 1095. id contigiſſe communiter hiſtorici aſtruunt. Deinde, quod Aymerus ille Podienſis Epiſcopus fuerit frater noſtri B. Bertholdi, poſtea Generalis Ordinis, conſtat ex dictis *ſub ann.* 1045. *&* 1061. vbi etiam qualiter vtriuſque ortus prædictus fuerit a noſtro Gerardo Carmeli Montis incola. Tertio, apparitio illa Beatiſſ. Virginis, & D. Petri a Palæonydoro relata habetur etiam apud exteros authores; etſi Bertholdum cui facta fuit proprio nomine non appellent, ſed ſub titulo *Sacerdotis*, *&* *ſerui Dei*, prout ex Doutremano habetur. Benedicto Gonono excepto, qui *in Chronic. SS. Deiparæ ad ann.* 1099. Bertholdum ipſum nominat, & fratrem Aymeri appellat. Circa numerationem eorum, qui huic Sacræ expeditioni pro Terræ Sanctæ recuperatione nomen dedere, error

etiam

etiam videtur irrepſiſſe in eo quod Rex Franciæ Philippus inter ipſos cenſeatur. Non enim Rex ipſe, ſed ipſius frater, Hugo magnus vocatus, is erat: neque alij Reges perſonaliter, eſto plurimi Principes, & nobiliſſimi Dynaſtæ inter ipſos numerentur. Quales ſunt is Hugo Magnus Philippi Francorum Regis frater, Gothefridus Buglionius Lotharingiæ Dux, & fratres eius Balduinus, & Euſtatius: Robertus Flandriæ; Robertus item alius Guilielmi Regis Anglorum filius, & Normandiæ Comes. Ex Italia Boemundus Princeps Tarentinus, Roberti Guiſcardi filius, & eiuſdem ſororis filius Tancredus, & alij, quos ex noſtris refert Arnoldus Boſtius *lib.6. Specul. Hiſtor. cap.3.* Alios habet lector ex Doutremano relato.

11 Ad promouendum autem ſacrum hoc bellum, cum cœleſtis Numinis conciliatio neceſſaria eſſet, ad omnium mediatricem Dei Genitricem recurrendum piiſſimè decretum fuit. Vnde Vrbanus Papa eodem Claromontenſi Concilio egit; vt horariæ illæ preces, & laudes, quæ vulgo *Officium Dei Genitricis* appellari conſueuerunt, a Clericis recitarentur, addita, & diei Sabbathi, quem in eius honorem tunc ſolemniter conſecrauit, obſeruatione. In cuius etiam venerationem ſtatuit, vt in Miſſarum eiuſdem Beatiſſimæ Virginis præfationibus diceretur: *Et te in veneratione Beatæ Mariæ ſemper Virginis, &c.* D. Antoninus *part.* 2. *tit.*16. *cap.*1. Nauclerus *tom.*2. *Gener.*37. Rationale *diu. lib.*6. *cap.*2. & Arnoldus Vvion *de Ligno Vitæ, lib.*5. *cap.*20. Quæ noſtra hiſtoria digna ſunt propter dicta de Sancto Gerardo Sagredo *ſub an.*1024. *n.*10. ſimilia fermè inſtituente, ac de Petro Damiano *ſub ann.*1049. *n.*3. ea exequente.

Recurſus ad Deiparam.

12 Proſequuntur communiter ſcriptores huius ſacræ expeditionis progreſſus, & geſta: ſed quia illa obuia cunctis ſunt ex Paulo Æmilio, Vvillelmo Tyrio, (qui Petri *Eremitæ* cognominati egregia nonnulla refert *lib.*6. *cap.*15. *&* 16.) Doutremano, & alijs; ac fuſiora quam a nobis deſiderentur, ſolum aliqua noſtræ hiſtoriæ propriora tangemus, ex noſtris Scriptoribus. Ex quibus Arnoldus Boſtius poſt hiſtoriam relatam de Antiochiæ recuperatione, & morte Aymeri Podienſis fratris (vt diximus) Bertholdi noſtri, de illo eodem *lib.*6.*cap.*4. hæc ſubiungit. *Huius vero Sancti Pontificis Germanus, Bertholdus nomine, eadem ſanctitate fulgens, cui Dominus Ieſus in Antiochia, vt dictum eſt, apparuerat, Petro Eremitæ ſe poſt hæc ſociauit, & tandem cum Dei militia ad terram promiſſionis peruenit.* Accinit, & Palæonydorus loco ſupra relato ſubiungens: *Bertholdus autem cum Petro prænominato ab Antiochia cum exercitu Chriſtiano Tripolim aduenit, deinde Achon, poſtea Ieruſalem.* Coria etiam in ſuperioribus commemoratus, alia. Ex quibus pro noſtris accipimus Annalibus, hanc Bertholdi cum Petro ſocietatem indicare ſanè ideo a Bertholdo procuratam, quod ipſe cauſa, voti a ſe emiſſi in Antiochena obſidione, animoſe iam decreuerat, finito bello ſacro, Carmeli Inſtituto ſe aggre-

Progreſſus.

aggregare, cuius ſectatorem Petrum animaduertebat, ac propterea eius conſortio frui ardenter deſiderabat.

Alij progreſſus. 13 Relicta ergo Antiochena Ciuitate, Ieroſolymam verſus, cum Cruce ſignatorum exercitus properaret, primò Tripolim, deinde Achon, tunc Caypham, quæ eſt ad pedem Montis Carmeli, & poſtea Cæſaream, cuncta perluſtrantes peruenere. An Petrus, & Bertholdus tunc Montem, & ipſius incolas Eremitas inuiſerint, res ſub dubio eſt, & ſatis credibilis, niſi deſiderium ad ſanctam Ciuitatem perueniendi eos impediſſet. Ad eam tandem properantes, Deo duce, ipſam ingenti gaudio, nec ſine lachrymis ob conceptam lætitiam videre potuerunt. Hæc cum alijs noſter Boſtius *lib.6. Specul. Hiſtor. cap.5.* Vbi hæc etiam noſtræ hiſtoriæ attexenda, quia ſolitarius de quibus in ijs fit ſermo, forſitan ex noſtris Anachoretis eam regionem tanquam patrium ſolum incolebant, vnus eſſet. *Fames, & ſitis noſtros plurimum arctau t* (intellige in obſidione Hieroſolymitanæ Ciuitatis) *ſ d paucis diebus elapſis famem naues cibis onuſtæ extinxerunt; vehementem tamen ſitim extinguere non potuerunt. Tanta enim ſitis erat in obſidione, vt tellurem cauarent, & glebas humentiores ori apponerent, rorantiaque marmora lamberent. Vnde hac ſatis peſtilentia ingraueſcente viſum eſt Primatibus Populi ex conſilio Epiſcoporum, & Cleri, qui aderant, vt conſulerent quendam virum Dei de antiquis Eremitis Terræ Sanctæ, qui erant in antiqua Turri proceræ altitudinis in Monte Oliuarum ſolitarius, quid agerent, quid primum inſiſterent, reuelantes ei quanto deſiderio ad ingrediendam Vrbem, & ſepulchrum Domini videndum æſtuarent, & quanta in via pro hac fide, & voto pericula ſuſtinuiſſent. Vir autem Dei, audita eorum intentione, atque deſiderio, conſilium protulit, quatenus primum in afflictione ieiuniorum, & continuatione orationum deuotè inſiſterent, & poſt hæc muris, & Saracenis tutius inferrent aſſaltum.*

Hieroſolyma capitur. 14 Refert poſtea idem Boſtius ſequentia: *Capta eſt ergo Hieruſalem anno Domini* 1099. *die* 18. *menſis Iulij poſt annos quaſi ducentos, & octoginta quinque, ex quo poſt mortem Caroli Magni a Saracenis capta, & poſſeſſa fit.* Et *cap.6. ſeq.* qualiter poſt captam Ciuitatem electus in Regem fuit Gothephridus Bullonius, qui etſi Regis titulum non abnuerit, *coronam verò* (inquit Boſtius) *auream reiecit, indignum arbitrans illic aureo diademate hominem vti, vbi Rex Regum Chriſtus ſpineam coronam pro redemptione humani generis tuliſſet.* Similiter quod in locum Simeonis Patriarchæ, qui è viuis deceſſerat, in Patriarcham elegerint Arnolphum, ſeu Arnoldum Archidiaconum Sanctæ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ. Item *cap.7.* de inſigni victoria Chriſtianorum contra Admiraldum Babyloniæ apud Aſcalonem, quæ cum alijs omittimus, quia ad noſtram hiſtoriam propriè non accedunt. Illud propius, quod ex alijs habet Molanus *in Natali SS. Belgij Iulij* 15. *in Appendice*, de Petro Eremita, videlicet. *Tunc ſumma cum gratulatione exceptus fuit a Chriſtianis, a quibus ante*

quinque

quinque annos ſuam legationem acceperat. Quæ adeo per ſe ipſa credibilia fiunt, vt nulla confirmatione egeant. Dixerat autem in antecedentibus: *Vſque poſt captam Ieroſolymam, in multis vtilis cum exercitu Dei perſeuerauit*. Ex quibus corruere prorſus videntur quæ de tanto viro aliqui ſcripſerunt, ſpecialiter Robertus Monachus Francus, quem ibi notat Molanus, & notari videtur a Petrarcha de vita ſolitaria *lib.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 1. eo quod ſcripſerit Petrum in Antiochenæ obſidionis occaſione transfugam fuiſſe. Quod prorſus chimæricum eſſe, vel ex eo euincitur quod cum Gulielmus Tyrius transfugas numeraret, inter ipſos Petrum non recenſuit. Et ſane, ſi hanc notam ſuæ famæ adiunxiſſet, non fuiſſet poſtea tantæ authoritatis apud Principes, ſicut fuiſſe conſtat. Etenim ex prædicto Droutemano habentur poſt captam Ciuitatem Hieroſolymam hæc. *Petrus igitur in Principum conſilio pro ea qua pollebat authoritate longa, & diſerta oratione oſtendit Monarchiam huic ſtatui omnimode neceſſariam, & Ariſtocratiam inter multos æquales futuram exitialem. Egit deinde priuatim apud Principes pro electione Ducis Godefridi, & intentum obtinuit, in quo non minus Reipublicæ Chriſtianæ profuit, quam exercitus colligendo ad Terræ Sanctæ acquiſitionem, cum eius conſeruatio non minoris quam acquiſitio momenti eſſet*. Deinde: *Rex igitur creatus, Petrum, cuius virtutem ab adoleſcentia ſuſpexerat, ſibi a conſilijs intimum eſſe voluit, Regnum exorſus a domo Dei, ſui Regni primitias ei dicauit, Canonicos ſancto Sepulchro attribuit, & alijs locis varia variorum Ordinum Monaſteria fundauit, & dotauit, pietatem Regnorum baſim, & fulcrum non immeritò ratus eſſe*.

15 Quid porro de Petro Eremita noſtro poſt captam Ieroſolymam actum fuerit, diſſentiunt Scriptores. Aiunt quidam, quos ſequitur Gononus *in Vita Petri Eremitæ*, hæc. *Interea verò poſtquam capta fuit Ieroſolyma, & Rex Chriſtianus in ea conſtitutus, quidam ad propria redierunt, quidam etiam remanſerunt, inter quos fuit Petrus Eremita, qui manſit Conſtantinopoli, vbi & diem extremum clauſiſſe fertur*. Accinit, & idem Gononus *in Notis*, dicens: *Memini me legiſſe alicubi inuidia quorundam fuiſſe veneno ſublatum, & Conſtantinopoli in Baſilica Beatæ Dei Genitricis Mariæ in Blachernis ſepultum*. Ioannes autem Molanus ſupra commemoratus, ſic de ipſo ſcribit: *Cum autem Vrbe feliciter occupata in Belgium rediſſet, fundauit in ſuburbio Hoienſi nouum Monaſterium, in quo Prior obijt. Cui poſtea Hugo de Petraponte Epiſcopus Abbatis dignitatem adiecit. Fundauit autem id potiſſimum ſumptibus Cononis Comitis Montis-acuti, & Lamberti Comitis Clarimontis, qui cum in Terræ Sanctæ ſubſidio naufragium paſſi Deo Eccleſiam vouiſſent, mox ſerenitatem obtinuerunt*. Ex noſtris autem authoribus, cæteris conticentibus, Caſanate *in Paradiſ. Carmelit. decor. ſtat.* 3. *ætat.* 12. *cap.* 81. ſic de eo. *At Petrus noſter remeans in Carmelum ſpolijs gloriæ decorus, & onuſtus, quibus glorioſiſſimæ feliciſſimam adhibuit coronam, ad aſtra inter ſuos Carmelicolas voluit Chriſto Ieſu*,

De eodem Petro Eremita.

Ieſu, *anno* 1100. *ſub Paſchali II. Summo Clauium Dominatore*, *& Occidentis Imperatore Henrico Nigro*, *iuxta computum Claudij*. Sed ex iſtis aliqua accipientes, alia reſpuentes, id credimus cum Caſanate, quod etiam Coria in ſequentibus referendus ſcripſit, Carmelum poſt victorias reuiſiſſe, exinde Conſtantinopolim remeaſſe, ſed tandem Belgij obijſſe ſub anno 1115. vt ſuo loco dicetur.

Godefridi Regis geſta.

16 Cæterum ad pium Gothefridum Solymorum Regem reuertentes, memorabile eſt illud, quod de ipſo Vvillelmus Tyrius *lib.* 9. *Hiſtor. cap.* 9. teſtatum reliquit: *Quæ autem & quanta ſint*, *quæ Eccleſijs Dei pia liberalitate conceſſit*, *longum eſſet enumerare: ex tenore tamen priuilegiorum Eccleſijs indultorum colligere eſt quot*, *& quanta ſunt*, *quæ vir Deo plenus*, *pro animæ ſuæ remedio*, *locis venerabilibus erogauit*. Hinc propius ad noſtram, quam verſamus, hiſtoriam, Coria noſter in ſuperioribus relatus, inquit: *Hizo merzed de cierta limoſna perpetua a los Monaſterios de Palæſtina de nueſtra Orden*, *como lo refere el Padre Mantuano en la Apologia contra detractores Carmelitarum*; *los inſtrumentos deſta merzed eſtan en los archiuos de la Orden*. Mantuanus autem loco a Coria relato, ſic habet. *Habeo apud me decretum Godfridi*, *qui capta Hieroſolyma de Syris triumphauit*, *ſuper quadam pietate quam omni Sabbato iubebat exhiberi fratribus noſtris*, *qui tunc incolebant montana Iudææ*, *per quæ tranſiuit Mariæ cum ad ſalutandum Elizabet ſe conferret*. *Floruit autem Godfridus circa annum Chriſti milleſimum centeſimum ante Franciſcum*, *& Dominicum ſaltem annis centum*. *Attulit autem decretum hoc ex Cypro*, *cum quatuor Bullis Romanorum Pontificum in fratrum noſtrorum fauorem ad Patriarchas Hieroſolymitanos olim miſſis*, *frater Iordanis Mantuanus Ordinis noſtri*, *qui loca Terræ Sanctæ viſitauit*, *& ad videndas pyramides Regum Ægyptiorum Memphim quondam Vrbem clariſſimam*, *modo Cayrum appellatam vſque peruenit*. Hæc Mantuanus noſter magnæ authoritatis vir.

Monaſterium Burdegalenſe.

17 Cum autem hoc tempore, Deo dante, & eius Genitrice Maria interceſſionibus opitulante, veluti reſpirare cœpiſſet Carmeli Montis Religio, & facilior eſſet tranſitus ad Occiduas Galliarum partes (ex illis, qui ex noſtris ad eas partes cum Gallis militibus aduenerant) Cœnobium Burdegalenſe erectum eſt, prout his verbis Michael Muñozius *in Propugnacul. Eliæ lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. *art.* 2. expreſsit. *Anno* 1099. *Burdegalenſe Carmelitarum Cœnobium per Dominum de la Landa fuiſſe fundatum*, *fidem facit marmoris monumentum extans prope maius altare poſterioris Cœnobij*, *cum antiquum Monialibus inhabitatum iam adhuc Carmen vulgo compelletur Vetus*. *De quo videndus Fronto du Duc Ieſuita in Apologia ad Dominum dell'Vrbe*, *& Michaël la Forcada Carmelita in Defenſorio iſtius fundationis*. Meminit etiam fundationis iſtius Segerus Paulus *in Chronolog. Vit. S. Simeon Stoch* §. *Et quia ſupra*.

Alia de eodẽ Conuentu.

18 Cæterum, dum hæc typis mandantur, hanc ex Burdegala pro huius Burdegalenſis Cœnobij extructione relationem accepi.

Hæc

Hæc omnia ex Annalibus Burdegalenſibus, Archiuijs Conuentus Burdegalenſis Carmelitarum, nec non Monumentis lapideis Eccleſiæ dicti Conuentus extracta ſunt.

CONuentus Burdegalenſis Carmelitarum tribus vicibus extructus eſt in tribus diuerſis locis Ciuitatis Burdegalenſis, intra tamen ambitum eiuſdem Parochiæ, quæ dicitur Sanctæ Eulaliæ Virginis, & Martyris.

Primò fundatus fuit anno Domini 1100. vi voti facti in honorem B. M. V. de Monte Carmelo per Illuſt. D. de la Lande, eo fine, vt victoriam obtineret contra Gigantem, ſeu hominem proceræ ſtaturæ, qui ex parte inimicorum Burdegalam obſidentium ad ſingulare certamen cum aliquo Burdegalenſi ineundum deſtinatus erat, vt de Summa belli diſceptarent. Obtenta victoria ope Deiparæ Conuentum Carmelitarum extruxit; quem deinde aliûs eiuſdem familiæ dictus Gagliardus de la Lande reedificauit in alio loco, anno Domini 1217. Tandem tertiò extructus fuit dictus Conuentus anno Domini 1497. liberalitate Dominæ Catharinæ de la Lande.

In hoc Conuentu celebrata ſunt quinque Capitula Generalia, vt videre eſt in ſecunda claue Viridarij Ioannis Groſſi. In eodem Conuentu fundata eſt, & erecta Vniuerſitas, ſeu Academia Burdegalenſis per Bullam Eugenij IV. anno Domini 1441. ſeptimo idus Iunij, anno Pontificatus ſui 11. Tunc temporis R. P. Ioannes Sayus Carmelita Prouinciæ Toloſanæ delegatus fuit a Ciuitate Burdegalenſi ad dictum Eugenium Quartum, vt erectionem Vniuerſitatis Burdegalenſis ad inſtar Academiæ Toloſanæ obtineret; quod feliciter præſtitit. Ab eo tempore congregatur ſemper in dicto Conuentu Carmelitano præfata Vniuerſitas Burdegalenſis. Et Conuentus vnum ex ſuis Religioſis deſignat, qui vocem, & locum habeat in dicta Vniuerſitate, tamquam Doctor, & Profeſſor Theologiæ. Hæc omnia confirmata fuerunt a Rege Chriſtianiſſimo Ludouico XI. per litteras patentes datas Burdegalæ anno Domini 1472. & Regni anno 12. De his nos ſuis locis.

19 De Bopardienſi etiam Cœnobio pro hoc eodem tempore ſic habet idem Segerus Paulus ſupra relatus. *Bopardienſe in Germania ad Rhenum fluuium circa idem tempus* (annum ſcilicet 1099.) *loci receptione adquiſitum; cuius primus Pater. Ven. Henricus de Bopardia vitæ ſanctimonia clarus obijt ann.* 1113. Verumtamen quia Segerus huius ſuæ ſententię ſolidum aliquod fundamentum non affert, nec innititur niſi ſoli ſuſpicioni, habita ratione ad tempus quo Henricus ille primus Prior obijſſe Monaſterium Bopardienſe.

dicitur, ſtare poſſumus dictis *ſub ann.* 1045. & ſuſpicandum eo tempore primo erectum hoc Cœnobium, quo Gerardus ille noſter Carmeli incola in Germaniæ partibus munus Legati Apoſtolici ad Imperatorem gerebat, prout noſtri hiſtorici ſcribunt: ipſius namque auſpicijs hanc nouam fundationem cœptam fuiſſe prudenter cenſeri poteſt.

Colonienſe Cœnobium. 20 Hoc etiam tempore, anno videlicet 1098. contigiſſe Colonienſis Monaſterij primam fundationem putat Erhardus Vvinhein Carthuſienſis in libro cui titulus *Sacrarium Agrippinæ*, loquens de Eccleſia Carmelitana *num.* 21. Cæterum Segerus Paulus iam relatus errorem in annorum numerum irrepſiſſe, pro anno videlicet 1198. apponendo annum 1098. ſcripſit *in Informatione huius Conuentus*. Cui annuendum, propter viri authoritatem, & quia veluti proprium negotium res iſta, ab eo tractabatur. Sic autem habet eo loco. *Ad celebris Carmeli Colonienſis primordia inueſtiganda (cuius primus fundator vnus ex Aſiæ victoribus intitulatur) prænotandum, quod cum anno Chriſti* 1187. *Saladinus Babyloniæ Rex Ieroſolymorum Regnum Chriſtianis eripuiſſet, multique Principes Europæ intra ſubſequens triennium ſacram militiam ſuſcepiſſent, præſertim Fridericus Primus Romanorum Imperator cum exercitu* 150000. *Richardus itidem Angliæ Rex, Philippus Rex Franciæ, & ex Germania noſtra Moguntinus Archiepiſcopus cum Epiſcopo Verdenſi, & alijs: ex quibus tamen Fridericus Imperator poſt deuictum in prælio Saladinum, captiſque multis Iconij Ciuitatibus an.* 90. *in Armenia caſu ſubmerſus interijt, Richardus verò Angliæ Rex anno* 91. *deuicto, & fugato turpiter Saladino, Regnum Ieroſolymorum eidem eripuit, quod & eodem anno in patriam reuerſurus Henrico nepoti ſuo reſignauit. Vnde tunc Chriſtiani merito victores Aſiæ dici potuerunt, quando nobiliorem Aſiæ partem, Regnum videlicet Ieroſolymorum, Terram Sanctam Saracenis eripuerunt. Audientes tamen Chriſtiani Principes in Palæſtina anno* 97. *filium Saladini valido cum exercitu contra ipſos venire, ſimulque mortem Henrici VI. Imperatoris, timore perculſi in patriam ſuam plerique eorum reuerti cœperunt. Quapropter, & tunc nobilis quidam Colonienſis nomine Bruno de Bonneroff (qui cum antedictis Principibus ſacram militiam ſuſceperat) ad propria ſimiliter reuerſurus, cum inter alia ſacra Palæſtinæ loca ipſum quoque ſacerrimum Carmeli Montem venerabundus aſcendiſſet, nonnullos inde huius Sacræ Religionis Fratres ſecum Coloniam Agrippinam adduxit ſubſequenti anno* 1198. *ſuiſque in ædibus recepit, donec tandem cum huius Brunonis, tum aliorum ciuium beneficentia, hanc quæ modo extat Eccleſiam cum eius Cœnobio in honorem Sanctiſſimæ Virginis Deiparæ ijdem Fratres Carmelitæ fabricarunt anno Chriſti* 1219. *Licet non in ea qualitate, & amplitudine qua nunc idem Monaſterium cernitur, quæ ſucceſſiuis temporibus acceſſerunt. His præmiſſis ad eiuſdem Colonienſis Carmeli fundationem antedictam roborandam, primo ſpectant ea quæ R. P. Erhardus VVinheim Carthuſianus in ſuo Sacrario Agrippinenſi edito Coloniæ anno* 1617. *ſcribit fol.* 175. *Verum illa priuſquam hic adfe-*

adferantur præmonendus lector de errore, Typographi incuria illic admiſſo: nam pro anno 1098. *legendum eſt* 1198. *quod inde patet; quia alioquin Brunoni Receptori noſtro aſſignandi eſſent ad minus anni vitæ centum ſexaginta, quod nemo facile admittet: ſi enim ipſe anno* 1098. *poſt multos actus bellicos ex Palæſtina cum noſtris Patribus Coloniam redijt (vt apud præfatum Ezhardum legitur) ad minus eſſe debuit annorum* 30. *miles ſtrenuus, & ſic ſequetur annus Chriſti* 1068. *primordialis vitæ ipſius: ſi verò ſpectentur monumenta antiqua, tam huius Conuentus Colonienſis, quàm ei adiacentis Parochialis Eccleſiæ, de quibus infra, fateri neceſſe eſt eum adhuc ſuperuixiſſe poſt annum Domini* 1219. *eo quod, ædificata Eccleſia noſtra anno iam dicto, fundationes in ea fecerit, & tandem inibi ſepultus fuerit. Inter annum autem* 1068. *&* 1219. *intercedunt anni plus centum quinquaginta. Porro præcedens error anni* 1098. *facillimo negotio irrepere potuit, ita vt Typographus vnitatem numeri aliquanto craſſiori charactere expreſſam putauerit fuiſſe O in longum deductum, ſed caſu atramento ad intra repletum, & ſic pro .I. poſuerit O.*

Reditus noſtrorũ ad Monaſt. S Mariæ de Alfizen Toletanum.

21 Eſt quoque Ordini noſtro glorioſum valde, quod hoc tempore, Æra videlicet 1133. quæ anno 1095. correſpondet, ex Toletanis hiſtorijs contigiſſe compertum eſt. Cum enim, iuxta dicta in ſuperioribus, Toletana Ciuitas ab Alfonſo Rege VI. e Maurorum manibus *ſub ann.* 1085. erepta eſſet, Chriſtianiſque Hiſpanis reſtituta; & ſolum deſiderari poſſet, vt etiam Toletana Baſilica, quæ, ex pacto cum Mauris inito, ipſorum vſui adhuc cedebat, Chriſtianitati reſtitueretur, Deo prouidente actum eſt, vt Rege abſente, Regina, quæ aderat, cum alijs Proceribus hanc ſacram Baſilicam Chriſtianorum gemmam pretioſiſſimam e Mahumethanorum poteſtate vi, & armis eriperet. Diſplicuit ſane hoc factum Regi ob fœderis cum Mauris initi ſacramentum, ſed ipſis acquieſcentibus, ea Baſilica Chriſtianitatis vſui tandem pacificè vindicata manſit. Oportuit ergo, vt ex Eccleſia noſtra de *Alfizen*, in qua, prout præmiſimus *ſub annis* 731. & 1073. Antiſtes Toletanus, & Clerus ſedem habebant, interim noſtris in Monaſterio Sancti Seruandi conſtitutis, ad propriam Baſilicam, noſtra relicta, remearent. Noſtris ergo a Rege id poſtulantibus, vel ipſo liberaliter concedente, Eccleſia Sanctæ Mariæ de *Alfizen* Ordini noſtro reſtituta a Rege eſt, multis etiam conceſſis priuilegijs; prout hæc omnia ex ipſius Regis priuilegio in eodem Cœnobio Toletano reſeruato, quod talis tenoris eſt, ſic habetur.

Priuilegium Alphonſi Regis VI.

EGo Aldophonſus Dei gratia Toletani Imperij Rex, & magnificus triumphator, cum conſenſu dilectiſſimæ vxoris meæ Vertæ, facio hanc teſtamenti ſeriem ad Monaſterium ſeruorum Dei Seruandi, & Germani, quod erat fundatum extra Toletanam Vrbem, Tago flumine diſcurrente intra Ciuitatem prædictam, & S. Germani Eccleſiam ſuper riuum fundatam. Extat miro opere ſons, ad exitum cuius ſuper montem expoſitum illud Monaſterium firmo muro cum multis turribus, profundoque vallo munitum. Cui ego ob peccatorum meorum remiſſionem dono libertatem, vt omnes qui in illo loco fuerint commorantes non timeant Saionem, nec Rauſum, nec homicidium, nec foſatera, nec manualia, nec aliquem fiſcum Regalis palatij, & proinde quia locum ipſum meo pretio fundaui, & poſt multas fames, & ſites atque inſomnia acquiſiui (& auxiliante Domino) cum maximo mei ſenſus diſpendio, ac cum multorum Chriſtianorum fuſo ſanguine, proprijs armis a paganorum perfidia liberaui, volo eſſe liberum ab omni ſeruitute, & offero ex mei ſudoris acquiſitione montem illum cum ſuo Caſtello, & prætendo ſibi terminum fluuio Tago per vallem, quæ tranſit ad Sanctum Felicem, ſicut & ipſa vallis prætenditur in via de Calatraua, in quo loco incipit alia via; per quam deſcendunt vſque in viam publicam ſuper Armuniam Regis, quæ via incidit vſque ad Tagum, quicquid cultum, vel incultum quod laborari poteſt infra iſtum infraſcriptum fuerit inuentum totum tribuo Monaſterio S. Seruandi, & ibidem Deo ſeruientibus. Et pro augmento conſeruationis Monaſticæ, & ſuorum famulorum, & pro Hoſpitum receptione, teſtor illi antiquam Eccleſiam quæ dicitur S. Maria de Alfizen, quæ nunquam Chriſtianitatis titulum perdidit, & quamuis ſub poteſtate Paganorum non deſijt de Chriſtianis incoli, & venerari, licet ſub iugo perfidæ gentis: ita quomodo eſt intra Ciuitatem ſuper murum eiuſdem Ciuitatis concluſa cum domibus ſibi circumiacentibus, vbi adijcio ad augmentum cibi, & potus integram villam de Acuquieia, quomodo eſt concluſa per ſuos terminos antiquos; cum omni quoad profectum hominis in ea eſt, de vineis, ac terris cultis, & incultis, pratis, paſcuis, paludibus, & arboribus fructuoſis, & infructuoſis. Æra 1133. Idibus Februarij.

Obſeruanda in hoc priuilegio. 22 In hoc autem Regis priuilegio nonnulla meditatu digna lectori noſtro proponimus. Primo, Regis huius Diplomatis ſtylum rudem, obſoletum, & impolitum, eius temporis calamitati, quo Chriſtiani ſub Maurorum ferme iugo manebant, vel in caſtris certantes militabant, bonarum litterarum exercitio vix illis permiſſo, attribuendum: niſi forſan dicamus ob characterum vetuſtatem verba aliqua immutata fuiſſe, vel non ſatis intellecta ab ijs, qui ipſius copiam exemplari fecerunt ex originali in Toletano Cœnobio reſeruato. Deinde ex verbis ipſius maniſeſtè conuinci hoc S. Seruandi Monaſterium a Rege Alfonſo conſtru-

ctum,

ctum, ditatum, & e Saracenorum manibus ereptum fuiſſe. Id enim ſuadent verba illa: *Proinde, quia locum ipſum meo pretio fundaui, & poſt multas fames, & ſites, atque inſomnia adquiſiui, & (auxiliante Domino) cum maximo mei ſenſus diſpendio, ac cum multorum Chriſtianorum fuſo ſanguine, proprijs armis, a paganorum perfidia liberaui, volo eſſe liberum, &c.* Res ergo ſic contigiſſe videtur. Anno 719. Toletum a Mauris capitur, ſicut *ſub ann.*714. annotatum reliquimus. Sed nihilominus in ea Vrbe, & Eccleſia S. Mariæ de *Alfizen*, tunc manſerunt noſtri, eo quod ea Eccleſia vna ex ſeptem fuerit pro Chriſtianorum vſu, pacto cum Mauris inito, relictis, prout etiam ibi notatum. Quia tamen Archiepiſcopalis Matrix Toleti Eccleſia Maurorum perfidia violata fuit, & idcirco ad Eccleſiam de *Alfizen* translata, quemadmodum *ſub ann.*731. ſcripſimus; coacti proinde noſtri ad alium locum, nobis incompertum, ſe tranſtulere. Siue autem hic locus fuerit Monaſterium hoc S. Seruandi extra Ciuitatem poſitum, a Mauris etiam permiſſum; ſine alius, quem vetuſtas nobis oblitteraui, illud ſpecialiter nobis modo comprobandum, quod tempore huius priuilegij dati, in Monaſterio illo S. Seruandi a Rege fundato, adquiſito, & proprijs armis, & ſanguine liberato, noſtri Religioſi erant, & illi, quibus Rex Alfonſus Eccleſiam S. Mariæ de *Alfizen* conceſſit, ſimul cum relatis priuilegijs, & libertatibus.

23 Id primo ſuadet congruentia ex adductis deſumpta. Sancta enim Eccleſia de *Alfizen* vetuſtiſſima Ordinis noſtri poſſeſſio erat, prout dicta *ſub ann.*590. & 714. oſtendunt, & ſolum ipſa Ordo priuatus pro tempore quo Cathedralis ſedes in ea Eccleſia reſidebat: æquum ergo ſane videtur, vt, hoc impedimento ablato, proprijs dominis ſtatim reſtitueretur. Eſt etiam pro hac cauſa egregium teſtimonium Petri Sancij Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ Portionarij in Hiſtoria ſua *Morali, & philoſophica* atticulata, quam ſcripſiſſe dicit ætate matura poſt aliorum librorum editionem, & variarum antiquitatum notitiam. Ibi ergo 3. *par. in Vita Romuli, & Remi* §.7. de Monaſterijs Vrbis Toletanæ agens, ſic Hiſpano idiomate, inquit, dum de iſto Carmelitarum noſtrorum Cœnobio ſcribit: *Eſte Monaſterio es el mas antiguo que ſe fundo en Toledo. El Rey Don Alonſo que gano a Toledo dio a los monges de S. Seruando eſta caſa que antes ſe llamaua S. Maria de Alfizen, donde eſtubieron haſta el año de* 1501. *ſiendo clauſtrales, y porque no quiſieron ſer obſeruantes fueron hechados deſte Monaſterio por los Reyes Catholicos, y ſe dio a las monjas de S. Fee, y en el eſtubieron dos años, haſta que los frailes truxeron executoriales de Roma para que les bolbieſen ſu caſa: en la qual eſtubieron ſin recibir la obſeruancia haſta el año de* 1530. *que fueron reformados por diligencia de frai Pedro Prouincial de Toloſa.* Latinè ſic: *Hoc Monaſterium* (Carmelitarum videlicet) *antiquius cæteris alijs eſt inter Toleti fundata. Rex Alphonſus, qui Toletum liberauit, dedit Monachis S. Seruandi hanc Ædem appellatam S. Maria de Alfizen, vbi permanſerunt vſque ad annum* 1501. *ſub clau-*

Monachi S. Seruandi erat Carmelitæ.

ſtralitate, & quia noluerunt obſeruantiam recipere, a Regibus Catholicis eiecti ſunt ex iſto Monaſterio, & illud traditum Monialibus dictis de Sancta Fide; quæ in ipſo permanſerunt ad biennium, donec fratres è Roma literas exequutoriales attulerunt, vt ipſis propria domus reſtitueretur. In qua fuerunt non acceptantes obſeruantiam vſque ad annum 1530. *quo diligentia fratris Petri Prouincialis Toloſæ eam receperunt.* Luculentum hoc huius Authoris eiuſdem patriæ teſtimonium manifeſtè concludit Monachos illos, quibus Rex Alphonſus Toletanæ libertatis aſſertor Ædem S. Mariæ de *Alfizen* conceſſit, Carmelitanos fuiſſe; de illis ſiquidem veriſſima ſunt, vt ſuis locis dicemus, ea quæ in ipſo referuntur; videlicet de eiectione Catholicorum Regum Ferdinandi, & Eliſabethæ tempore facta ex ipſo Cœnobio, quia obſeruantiam admittere noluerunt; & reſtitutione eiuſdem Sedis Apoſtolicæ authoritate poſt biennium; ac reformatione per Petrum Prouincialem Toloſæ ibi introducta. Fauet Chriſtophorus Granados inſignis Concionator Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis in concione habita ad Capitulum Eccleſiæ Toletanæ, & Senatum eiuſdem Vrbis anno 1635. 25. Maij, qua die hæc Imperialis Ciuitas de Maurorum manibus vindicata fuit. Fauet etiam Iulianus Perez, ſeu Petri Archipresbyter Sanctæ Iuſtæ Toletanæ *in Tractatu de Eremiterijs, nu.* 15. alibi etiam a nobis relatus, ſic dicens: *Eremiterium Toleti in ſuburbio S. Mariæ de Alf. . . . a temporibus antiquiſſimis 3. Templa Toletanorum, quo venerunt olim Monachi Carmelitæ, & tempore captiuitatis fuit Eccleſia Regis Alphonſi VI.* Illud enim *S. Maria de Alf. . . .* pro comperto eſt Ædem hanc S. Mariæ de *Alfizen* denotare, ſed imperitia Typographi ſic ſcriptum, ſicut & illud 3. *Templa Toletanorum*; denotat enim hanc Ædem fuiſſe tertium Templum Toletanorum, prout ex ipſomet Iuliano oſtendimus *ſub ann.* 590. Illud autem, *quo venerunt olim Monachi Carmelitæ*, ſiue de primo aduentu primitiuæ Eccleſiæ tempore, quando Carmeli Eremitæ cum Elpidio aduenerunt, ſiue de hoc ſecundo intelligatur, ſemper fauet noſtro intento, vt patet. Nam ſi de primo, cum ratione illius ius adquiſierint ad illum locum, mirum non erit, quod a Rege iuſto illum impetrauerint. Si verò de hoc ſecundo accipiatur, clarius comprobat id quod intendimus. Pari modo accipiendus Ioannes Mariana de rebus Hiſpanicis *lib.* 9. *cap.* 17. dum inquit: *Erat Epiſcopi ſedes pro tempore in B. Mariæ collocata Æde, Carmelitis nunc Monachis attributa, vt fere conſentiens opinio eſt eorum, quibus iſta perſcrutari curæ eſt.* Illud enim *Carmelitis nunc Monachis attributa* ad præſens tempus referendum; cum, vt poſtea expendemus nullum aliud reperiatur talis conceſſionis. Corrigendus tamen eſſet Mariana in illo *attributa*, æquius enim diceret *reſtituta*. Suffragantur antiquæ poſſeſſioni huius Cœnobij, quod in ipſius Archiuijs reperiantur plura inſtrumenta donationum, quæ Carmelitis factæ ſunt ab antiquis valde temporibus. Vnum maxime de anno 1290. in quo ſupponitur deuotio erga illos a multis

antea

antea annis. Sed præcipuè ſuffragatur, quod quamuis in hac S. Æde, eiuſque Archiuijs, ſeu ſcrinijs, plura vetuſtæ antiquitatis monumenta cernantur, ſepulchra plura, Capellæ, Altaria, Imagines, & ſimilia, nullum, vel minimum, vſque modo veſtigium repertum eſt, quod in ipſa alij Monachi, aut Religioſi præter Carmelitas vnquam extiterint. Ibi per plures annos, tum Philoſophiæ, tum etiam Theologiæ ſtudijs vacaui, Præfectus ſtudentium, quin & ipſius Monaſterij ad tempus fui; plura vidi, pleraque audiui; nunquam tamen vel leui fama, aut rumore comperi aliorum fratrum, vel Religioſorum eam domum aliquando fuiſſe. Cum tamen in huiuſmodi Monaſterijs, quæ alterius Ordinis primo fuerunt, ſemper aliqua veſtigia ipſius remanere ſoleant. E conuerſo autem Carmelitani Ordinis extitiſſe Diuorum imagines, ſtemmata, vexillaque oſtendunt. Ac inter alia, quod circa Cœnobij ianuam, quę reſpicit viam tendentem ad *Zocodober* (ſic vocant forum publicum, & in Ciuitate celeberrimum) cernebantur olim Sancti, vel fratres Ordinis cum variegatis, ſeu barratis pallijs, qualia Tyrannorum ſæuitiam aſſumere coegiſſe *ſub ann.*642. *nu.*5. ſcripſimus, & pro hoc tempore, de quo loquimur, in vſu noſtrorum erant.

24 Corruunt ergo ex dictis, quæ nonnulli autumant de Monachis, quibus iſta Eccleſiæ de *Alſizen* facta conceſſio eſt, illos exiſtimantes Benedictinæ Sacræ Religionis alumnos fuiſſe. Ea enim quæ adduximus ſolidiora ſunt, quam hac opinatione, ei ſolum fulcro nixa, quod Monachi nomine ſolum PP. Benedictini vulgo credantur, infirmari queat. Nec poſſunt hi aliud pro ſe fundamentum afferre. Eo præſertim quod ſi Benedictinor. PP. hæc domus aliquando fuit, quærendū, cur eam reliquerint, quando, quaue occaſione, quo ſe tranſtulerint, quam ob cauſam? Inclytam totius Hiſpaniæ Vrbem deſerentes; cum in ea nullum aliud Cœnobium habeant. Nec dicent, nec dicere poterunt; nec aliquod antiquitatis monumentum, aut vetuſtum authorem pro ſe afferre. Quod autem Thomas Tamaius de Vargas vir alioquin eruditione præclarus *in Notis ad Luitprandum circa ann. Chriſt.* 653. referens ſe ad *cap.*12. *rerum Toletanar.* dixit, nempe Monialibus Benedictinis aliquando hanc domum ceſſiſſe, & poſtea Carmelitis, minoris ponderis videtur: cum nec vllum veſtigium talium Monialium Monaſterij inter huius Eccleſiæ monumenta cernatur, nec credi fas eſt, Virgines Deo ſacras permiſſas fuiſſe eſſe in loco ſupra flumen Tagum ſito, in quo millia quotidie cernuntur virginali pudicitiæ prorſus aduerſantia; qualia ſunt homines nudi in fluuio ſe lauantes, vulgaria ſcommata repetentes, inhoneſta canentes, & alia, quæ vel dicere pudet, actitantes. Corollarium ex dictis.

24 In hoc ergo celebri, & peruetuſto Ordinis noſtri Toletano Cœnobio plura cernuntur, tum nobilitatis, tum venerabilis vetuſtatis indicia. In primis valde mirabilis Chriſti in Cruce viui pendentis, & in agonia poſiti Imago, tantæ deuotionis, & pietatis, vt paucis ſimilis in Celebris Crucifixi Imago.

Orbe

Orbe Chriſtiano merito credatur, & inter Catholicæ Hiſpaniæ pretioſiſſimas reliquiarum gazas iure numeretur. Hominis perfecti ſtaturam præfert, neruis, oſſibus, venis, iuncturis, alijſque humani corporis membris affabrè ſic delineatis, vt omnium oculos in ſui admirationem rapiat. Creditur, nec ſine fundamento, a quibuſdam, mirabilem hanc Imaginem ab Apoſtolorum æuo, ſub Elpidio primo eius Vrbis Antiſtite, & huius Templi fundatore, prout ea, quæ Tomo ſecundo diximus, affatim oſtendunt, ſic mirabiliter effigiatam, vt Angelicis potius, quam humanis manibus efficta videatur: vel ſaltem a tempore Toletanæ captiuitatis ſub Saracenico iugo, quo Eccleſia illa Sedes Archiepiſcopi, & vna ex Muzarabibus erat, ibi manſiſſe. Reperta tamen fuit prope annum 1593. in trabe maioris Capellæ veteris, dum noua fabricanda erat; & magno tunc populi concurſu venerata, ac ſequentibus annis in nouo Sacello apprimè elaborato repoſita, ac deuotiſſimè apud illius inclytæ Vrbis ciues, & vicinorum oppidorum incolas ſolemniſſimè celebrata. Singulis præſertim ſextis totius anni ferijs, ac permaximè quadrageſimalibus. A Catholico etiam Hiſpaniarum Rege, dum Toletum veniret, piè viſitata, venerata, & commendata, prout ex relatione eius Conuentus accepi, fuit.

Imago Deiparæ de Alfizen.

26 Eſt etiam in eadem Eccleſia celebris alia Imago Deiparæ ſanctiſsimæ, quæ etſi nuper renouata, creditur tamen ea fuiſſe, quæ *S. Mariæ de Alfizen* titulo in hiſtorijs eius Ciuitatis ſæpius appellatur. Vulgo vocatur *Subterranea*, quia forſan in inferiori aliquo ſub terra Sacello aliquandiu a Chriſtianis coleretur, ſicut modo ſub choro. Pluribus miraculis olim claruiſſe fertur, prout vel ex quibuſdam litteris Confraternitatis, quæ in Archiuio Conuentus inuentæ ſunt, manifeſtè conuincitur. In eis enim Caſtellano peruetuſto idiomate, ſic habetur. *Nos frai Diego de S. Ioan de la Palma Doctor en S. Theologia, e Vicario General en los Reinos de Caſtilla de la Orden de S. Maria del Carmen, e Prior del Conuento de Toledo de la dicha Orden. Veiendo, & ſauiendo los muchos miragros, e marauillas, que Nueſtro Senor Dios face de cada vn dia por ruego de la Virgen S. Maria ſu Madre en la Capilla que eſta ſituada en el dicho Monaſterio, y a titulada de la Virgen S. Maria de Soterrana, aſsi en hombres, como en mugeres, e en criaturas, ſanandolas de muchas enfermedades, e de otros peligros e trabajos, e ſanando las beſtias, e animalias, e guardando las heredades de aquellos, que a la S. Virgen ſe encomiendan deuotamente, &c.* Latinè ſic: *Nos frater Didacus a S. Ioanne de la Palma S. Theologiæ Doctor, & Vicarius Generalis in Regnis Caſtellæ Ordinis S. Mariæ Carmelitarum, ac Prior Conuentus Toletani eiuſdem Ordinis. Videntes, & ſcientes multa miracula, & mirabilia, quæ Dominus Deus noſter quotidie facit interceſsione Virginis S. Mariæ eius Matris in Capella ſita in eodem Monaſterio, intitulata Virginis S. Mariæ Subterraneæ, tam in viris, quam in fœminis, & infantibus, eos ab infirmitatibus, periculis, & malis eripiendo; eorum etiam animalia ſanan-*

ſanando, & agros eorum, qui ipſi deuote ſe commendant cuſtodiendo, &c. Datæ porro dicuntur hæ litteræ in vim cuiuſdam conceſsionis datæ Romæ anno 1447. & præſentatæ ante honoratum, & ſapientem virum (verba ſunt conceſsionis) Ioannem Alfonſum Baccalaureum in vtroque iure, & Vicarium Generalem in Archiepiſcopatu 6. Nouembris anno 1448.

27 Monaſterij fabrica, ea ex parte qua *Tagum* flumen reſpicit, mirabilis ſtructuræ eſt; inter inſigne artificium dictum *de Iuanello*, & mirabilem pontem de *Alcantara*, collocata: & maioris Capellæ celſitudo, tam notabilis, vt vix ſimilis in partibus illis reperiatur. Sepulchrum eſt Illuſtriſsimorum Comitum de *Fuenſalida*, ex nobiliſsima familia de *Ayala*, eorum gentilitijs ſtemmatibus, alabaſtriniſque figuris apprimè decoratum. Illam comitantur nobilium quoque aliarum familiarum Patronis attitulatæ minores Capellæ. Monaſterij fabrica.

28 Regum quoque Caſtellæ priuilegijs, Capellanijs, ſeu Anniuerſarijs hæc Eccleſia valde illuſtratur. Ioannis videlicet Secundi Regis donatione 1500. marauedinorum ſupra gabellam vini Vrbis Toleti, intuitu fundationis cuiuſdam Capellaniæ pro ſua, & Henrici Regis parentis animabus. Item eiuſdem Regis Ioannis II. alterius donationis 400. marauedinorum in perpetuum. Item pro Henrico Rege ſeniore alterius donationis 400. marauedinorum, ratione duorum Anniuerſariorum. Regum priuilegia.

29 Nec minus decoratur Viris illuſtribus, tum ſanctitate, tum doctrina, qui eius Conuentus alumni fuere, & quorum memoria Tomis ſequentibus fuſius celebrabitur. Ex quibus ſunt Bartholomæus Sanchez Doctor Salmanticenſis, & in ea celeberrima Academia Decanus, Vicecancellarius, & Cathedræ publicæ moderator iubilatus. Chriſtophorus a Toleto Doctor Toletanus, & in Monaſtico regimine valde celebris. Alfonſus Loarte Carreño Doctor Valentinus, & tam inſignis Concionator, vt propter eloquentiæ flumen, quo fulgebat, Cicero, vel Demoſthenes Toletanus vocaretur. Ioannes Vanegas Complutenſis a Mauris apud Algerium interfectus, vt propterea *Martyr* a noſtris appelletur, etſi in hoc expectanda ſit Sedis Apoſtolicæ declaratio. Philippus a S. Iacobo vir doctiſſimus, & publicus in S. Theologia Toleti profeſſor. Ioannes Carranza ſanctitate celebris. Michael a Fonte ſanctitate etiam, alijſque chariſmatibus a Deo ſic decoratus, vt de eius vita, ac ſanctitatis ſignis proceſſus formatus, & ad S. Congregat. Rituum miſſus Romam in Archiuio Tranſpontinæ latinitati donatus reſeruetur, expectans etiam Vatic. Oraculum quod circa ſeruorum Dei canonizationem, eſſe ſolet. Magiſter Andreas de Lezana meus ex vtroq; parente Germanus frater, decennio maior, & morum ſuauitate, ac Concionatoris munere præclarus. Illuſtriſſimus D. Franciſcus Romerus Archiepiſcopus Lanciani, & Epiſcopus Begeuenſis in Lombardia. Ioannes Orbea nobiliſſimus, Viri illuſtres Conuentus Toletani.

ſimus, tum ſanguine, tum moribus, animi generoſitate, liberalitate, ac zelo augmenti ſuæ Religionis, cui plurima, ipſaque magni pretij beneficia contulit. Magiſter Michael a Fonte alterius eiuſdem nominis iam commemorati nepos, vir doctiſſimus, publicus, tum S. Scripturæ, tum Veſpertinorum Cathedræ Toleti moderator, S. Officij a qualificationibus, & cui negotia S. huius Tribunalis ob viri doctrinam fidebantur. De his, & alijs ſuo loco, & tempore fuſius dicetur.

Ann. Chriſt. 1100. vſque ad 1117. Paſchalis II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 18. Alexij Comneni Imper. Orient. 20. vſque ad 37. Henrici III. Imper. Occid. 17. vſque ad 23. & Henrici IV. 1. vſque ad 7.

Paſchalis II. Papa.

1 IN demortui Vrbani II. locum ſuffectus Paſchalis II. hoc tempore Pontificatum geſſit. Ipſius fortitudo, & conſtantia in eo maximè enituit, vt Guibertum Antipapam iam pridem ſub nomine Clementis Eccleſiam vexantem longe pelleret, tyrannos, ſeu perduelles aliquot Romanos domaret, Henricum III. Imperatorem in Concilio Romano anathemate feriret, & Regi Angliæ inueſtituras denegaret. Henrico autem Quarto iuniori inueſtituras dare renuens captiuus ab eo abducitur, & poſt longum carcerem tandem ad ipſas concedendum, & Imperatorem coronandum flexus: diſſidia propterea Catholicorum perpeſſus eſt. Hæc ſub compendio ex ijs quæ eius temporis authores, & moderniores poſtea, Baronius, Ciaconius, Gordonus, & alij ſcripſerunt. Nos interim ad propriora accedimus, quæ in Orientis partibus contingebant.

Balduini Regis geſta.

2 Mortuo enim Gothefredo Ieroſolymorum primo Rege, eius frater Balduinus Edeſſanus Comes Rex vocatus inungitur. Volens autem Chriſtiani nominis, & ſui Regni gloriam ampliare, congregatis militaribus copijs, ad Carmeli noſtri partes accedens, primo *Arſur*, ſiue *Antipatridam*, cepit; deinde *Cæſaream*; poſtea *Acconem*, *Ptolemaidem* nuncupatam perueniens, eam Ianuenſium claſſis auxilio fultus obtinuit. De his Vvillelmus Tyrius *lib.* 10. Iacobus de Vitriaco *in hiſtor. Ieroſolymit. cap.* 23. *&* 24. Dixerat autem *cap.* 22. Chriſtianorum exercitum viuente Gothefrido Rege *Ioppen*, *& Ramulam* cœpiſſe, *Cayphan etiam, quæ alio nomine dicitur Porphyria in littore maris ſub prima parte Carmeli Montis ſitam, ab Accon quaſi milliaribus quatuor diſtantem*. Vnde addere potuit Coria *lib.* 10. *cap.* 1. ipſum Gothefridum hac occaſione captæ Ciuitatis Cayphæ Carmeli Monaſterium noſtrum, ad cuius pedes ſita erat,

erat, viſitaſſe, ac eleemoſynam Palæſtinæ Cœnobijs impendiſſe, prout in præcedentibus ex Mantuano diximus.

3 Cum autem poſt Cæſaream, Acconem, & Caypham de Turcarum manibus ereptas, & Chriſtianis vindicatas, iam pars illa Carmeli noſtri, qui ipſis adiacet, veluti in ſecuro loco, terra, marique, conſtituta eſſet, conijci datur, eo tempore Bertholdum, de quo in ſuperioribus Carmelum adijſſe, ac ea geſſiſſe quæ Arnoldus Boſtius *lib. 6. ſuæ hiſtoriæ cap. 9.* ſic deſcribit. *Porrò, cum ſic, vt præmittitur, Terræ promiſſionis loca Sancta, tam glorioſe a Principibus Chriſtianis bellico apparatu recuperarentur, S. Bertholdus ſupradictus, qui Petro Eremitæ poſt mortem Aymeri Epiſcopi Podienſis Germani ſui adhæſerat, & vſque ad introitum S. Ciuitatis Ieruſalem ſecutus fuerat, inæſtimabili gaudio replebatur. Quapropter imbre multo lachrymarum ſinguli loca Sancta perluſtrans de tantis victorijs magna cum deuotione immenſas Deo gratias peragebat. Deinde votum ſuum, quod Deo, & B. Mariæ Virgini in Antiochia, obſidionis, & famis tempore promiſerat, reddere diſponens, iuxta Scripturam dicentem: Vouete, & reddite, locum Carmeli Montis adijt; viſitatiſque ſingulis antiquis Patribus Eremitis eiuſdem vberrimi Montis per diuerſas eorum ſeparatas cellulas, imitator ſanctiſſimæ vitæ illorum, ac Sanctorum Eliæ, & Eliſei Prophetarum fieri decreuit. Quod cum omnibus illis Eremitis valdè gaudenter placuiſſet, ab eiſdem habitum Religionis cum oratione ſolemni ſuſcepit. Verum ipſe Sanctus in ſancto propoſito in dies proficiens tandem Eremiticæ vitæ finis, & cœnobiticæ diſciplinæ ibidem extitit recuperator eximius.* Accinunt Ioannes Palæonydorus *lib. 3. cap. 1.* & Didacus Coria *lib. 10. cap. 1.* Palæonydorus ſic: *Poſt Terræ Sanctæ recuperationem Bertholdus de Malefayda Pariſienſis Doctor eximius, votum quod in totius Chriſtiani exercitus anguſtia vouerat Antiochiæ fideliter impleuit. Aſcendit itaque Montem Carmeli, & Religionis habitum, quem poſtulauit, dignè recepit. Tandem adeò inter eos profecit, vt ferè omnium eximius virtutibus, & ſanctitate clareſceret.*

Bertholdus ſuſcipit habitum in Carmelo.

4 Addit Coria, ſimul cum Bertholdo Petrum Eremitam, ipſius veluti Ductorem, Carmeli iuga ſubijſſe; quod credi facile poteſt, ſi ea quæ *ſub ann.* 1088. ſcripta ſunt recolantur. Eò etiam quod cum Bertholdus Gallus natione eſſet, & defuncti Haimeri Podienſis Epiſcopi, & totius Expeditionis Apoſtolicæ Legati Germanus, iure debebatur, vt is Petrus eidem Haimero valde familiaris, & eius Expeditionis primus ſollicitator, ipſi aſſociaretur in hac pia, & religioſa reſolutione perficienda.

Coriæ meditatio.

5 Ad hæc accedunt quæ Iacobus de Vitriaco *in hiſtor. Ieroſolymit. cap.* 51. de eo tempore poſt recuperationem Terræ Sanctæ loquens, ſic dixit. *Ex tunc cœpit Orientalis Eccleſia reuireſcendo florere, & cultus Religionis in partibus Orientis ampliari, & vinea Domini nouos botros germinare. Ita quod in ea videretur impletum, quod ſcriptum eſt in Canticis*

Iacobi de Vitriaco teſtimonium.

Can-

Canticorum : Hyems tranſijt , imber abijt , & receſſit , flores apparuerunt in terra noſtra , tempus putationis aduenit . A diuerſis enim Mundi partibus , ex omni tribu , & lingua , & omni Natione , quæ ſub Cælo eſt , odore Sanctorum , & venerabilium locorum tracti deuoti Deo peregrini , & homines Religioſi ad Terram Sanctam confluebant . Reparabantur Eccleſiæ veteres , nouæ fabricabantur ; Monaſteria Regularium , largitione Principum , & eleemoſynis fidelium in locis idoneis conſtruebantur : Eccleſiarum miniſtri , & alia ad ſeruitium , & ad cultum diuinum pertinentia , ſufficienter , & competenter ordinabantur vbique . Viri autem ſæculo renunciantes varijs affectionibus , & deſiderijs tracti , & feruore Religionis accenſi , eligebant ſibi loca propoſito ſuo , & deuotioni magis competentia . Alij exemplo Domini , &c. Merito igitur inter iſtos numerandus Bertholdus noſter , pro Ductore , & Patrono habens Petrum Eremitam iam olim in Carmelo agnitum , & cooptatum .

Ex Ioanne Balæo.

6 Accedunt quoque quæ in ſuperioribus adduximus ex Ioanne Balæo , etſi impuro authore , de puritate vitæ Eremicolarum Carmeli . Si namque , vt ipſe vel inuitus fatetur , tunc erant *ex fide Deo noti* , & tales vt *ſuos tunc Deus ex cordibus agnoſcebat* , quia videlicet *in ſpiritus humilitate , fide , & verbo , Chriſto parebant* , quid ni ſui deſiderio traheret pium Bertholdum , ipſorum Societati , ob votum in Antiochenæ Vrbis obſidione emiſſum , iam deſtinatum , & cum fideli ſocio Petro in ea vitæ ratione expertum ? Alia de ipſis in ſequentibus .

Cœnobium Montis Thabor.

7 Extat pro hoc tempore , anno ſcilicet 1113. memoria cuiuſdam Cœnobij in Monte Thabor ſiti , de quo Robertus a Monte *in Appendice ad Sigebertum Gemblacenſem pro hoc anno* , ſcripſit : *Turci Cœnobium in Monte Thabor ſitum funditus euertunt , Monachos interficiunt , & omnia ſibi diripiunt* : Et de quibus Baronius *eodem anno* , dixit : *Quamobrem iure exiſtimare liceat quot Monachos cæſos , tot laureatos Martyrij corona Martyres e Monte Thabor aſſumptos in cælum* . Quamuis autem idem Baronius hos Monachos , & Cœnobium germina Cluniacenſium Monachorum exiſtimet , leui ſanè fundamento ductus , quod ſcilicet Petrus Cluniacenſis *lib.4. epiſt.44.* ad eos ſcribat , & eorum Monaſticam obſeruantiam commendet ; acſi ſolum Cluniacenſibus hæc competere potuiſſent : cæterum , quod Ordinis noſtri fuerint plura , & grauiora ſuadent . Primo , quod VVillelmus Tyrius *lib.22.cap.26.* Illud Monaſterium fuiſſe *Græcorum* aſſerat , Cluniacenſes autem Monachi ſemper ex Latinis fuere . Secundò , quia illud fuiſſe *ſub titulo S. Eliæ* idem aſtruit VVillelmus , qui titulus congruentius credi debet ab Eliæ filijs , quam ab alijs impoſitus . Tertiò , quia grauis author Marinus Sanutus *de Secret. fidel. Cruc. lib.3. par.7. cap.3.* referens illos qui Cœnobia , ſeu ſacras manſiones in Terra Sancta poſt ipſius recuperationem erexerunt , ſcilicet in deſerto dicto *Quarentena* iuxta aquas ſanatas ab Eliſeo Propheta , in Monte Carmelo , in ſolitudinibus Iordanis , & alijs locis , ſubdidit : *Alij Monte Thabor*

qui

qui ſublimis eſt, & arduus valdè. Etſi enim non exprimat qui fuerint iſti qui Thaboris montana coluere, ſi tamen animaduertantur ea quæ hoc loco Sannutus dicit, ſumpſiſſe ferè ad litteram ex Iacobo de Vitriaco *in Hiſtor. Ieroſolymitana cap.* 53. *&* 54. & quod ibi Vitriacus fundatores Cœnobij Taboritæ appellet eos qui propè fluenta Iordanis ſibi habitationes conſtruxerunt, quos ex noſtris fuiſſe Hiſtorici domeſtici in ſequentibus referendi dicunt, liquidò conijcitur eoſdem quoque fundatores huius Cœnobij Thaboris Montis extitiſſe. Vitriaci verba ſunt hęc: *Elias autem, & Eliſæus aquis Iordanicis Eliæ pallio percuſſis, & in duas partes diuiſis per ſiccum tranſierunt. Multi igitur ex viris Religioſis propter fluminis ſanctitatem, & aquarum opportunitatem vicinas fluuio conſtruxerunt habitationes. In Monte Thabor, qui ſublimis eſt, & arduus valde, in quo Dominus coram Petro, & Iacobo, & Ioanne, præſentibus Moyſe, & Elia, transfiguratus gloriam futuræ reſurrectionis oſtendit, propter loci reuerentiam, & honorem, Monaſterium conſtruxerunt.* Alia de hoc Cœnobio dicemus Tomo ſequenti.

8 Anno 1115. qui huic tempori, & Pontificatui Paſchalis II. correſpondet, obitus contigit celeberrimi illius Petri *Eremitæ* dicti, de quo plura nos in præcedentibus, quod magno iure credamus noſtris Carmeli Eremitis accenſendum. Rem ſic narrat Ioannes Molanus *in Natali Sanctorum Belgij Iulij* 15. *in Appendice*. Lucem præbens alijs, qui in hoc variè hallucinati fuere. *Cum autem Vrbe* (ſcilicet Ieroſolyma) *feliciter occupata in Belgium rediſſet, fundauit in ſuburbio Hoyenſi nouum Monaſterium, in quo Prior obijt, cui poſtea Hugo de Petraponte Epiſcopus Abbatis dignitatem adiecit. Fundauit autem id potiſſimum ſumptibus Cononis Comitis Montis-acuti, & Lamberti Comitis Clari Montis, qui cum in Terræ Sanctæ ſubſidio naufragium paſſi, Deo Eccleſiam vouiſſent, mox ſerenitatem obtinuerunt.* Subiungit deinde: *Proclamatur autem annuè in loco B. viri memoria ſequentibus verbis. Octauo Id. Iulij ann. Dom.* 1115. *obijt Dom. Petrus Venerabilis Sacerdos, & Eremita, qui primus prædicator Sanctæ Crucis a Domino meruit declarari. Hic poſt adquiſitionem Terræ Sanctæ, cum reuerſus fuit ad natale ſolum, ad petitionem quorundam virorum nobilium, & ignobilium, fundauit Eccleſiam iſtam in honorem S. Sepulchri, & S. Ioannis Baptiſtæ, in qua idoneam elegit ſepulturam.* Item poſtea: *Elegerat autem vir humilis ſepulturam in Cœmeterio, ſed reliquiæ eius poſtea tranſlatæ ſunt ad cryptam, anno, vt marmori inciſum eſt,* 1242. *& tunc integer inuentus eſt cum barba.* Cohærent iſtis Aubertus Myræus *in Colleg. Regular. cap.* 53. & Gabriel Pennotus *in hiſtor. Canonic. Regular. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 6. Et ea quæ ex Epiſtola Leodio ad me miſſa dixi, *ſub anno* 1061. Ex qua occaſione ſumpta, magno cum fundamento aſſerere poſſumus, Carmeli Eremitarum conſortio adiunctum fuiſſe, prout monſtrant cappa alba, tunica, & manicæ ſubnigræ, quæ ſunt

Mors Venerab. Petri Eremitæ.

propria Religionis noſtræ ſigna. Nec refert quod noſtri Ordinis aſſeclæ cappas barratas, ſeu variegatas, non ſimpliciter albas hoc tempore geſtarent, prout liquet ex dictis in præcedentibus. Eſto enim id ita fuerit; attamen, quia vel illa ipſius effigies depicta fuit tempore quo iam cappas albas reſumpſerunt, vel ſaltem quia hic erat legitimus capparum color, etſi ob tyrannidem Agarenorum impeditus, potuit propterea eo modo depingi.

Epiſtola. 9 Corroborantur præterea omnia dicta ex nouiſſimis alijs litteris ad me Leodio 4. Octobris 1651. a Reuerendo admodum Gabriele ab Annunciatione Commiſſario generali Ordinis noſtri per Germaniam, non ſine ſpeciali Dei prouidentia, vt credo miſſis, quarum tenorem quoad rem præſentem ſpectat, hic apponere placuit. *Admodum Reuerende Pater Magiſter Salus in Chriſto plurima. Dudum ſcriptioni ſuperſedi quod vererer grauiores curas Reuerendæ admodum Paternitatis veſtræ noſtris litterulis interpellare, at cum præſens ſcribendi cauſa ſe obtuliſſet, officio deeſſe nolui, & tot beneficijs vt aliquid reponerem his incluſam inſtructionem de vita, & Monachatu Carmelitico Venerabilis Petri Eremitæ Ambianenſis tranſmiſi, quam laboribus, quos pro Ordinis elucidatione ſuſcepitis dignam, & pietati veſtræ acceptiſſimam fore non dubito. In ea legetis dictum Venerabilem Petrum Sacerdotem, Monachum, & Carmelitam, idque ſepoſita omni dubitatione. Caſu dum Eccleſias Ciuitatis Hurenſis perluſtrarem feriatus a viſitatione noſtrarum Monialium, incidi in monumentum lapideum dicti Venerabilis Petri, & cum ſtudio veteriora diſcendi totam Eccleſiam ſcrutarer, nihil inuenire poteram. Quare ad loci Priorem me contuli, & enixè rogaui, vt ſi quid in ſcrinijs, aut libris de dicti Venerabilis Petri vita haberet, pandere dignaretur, quod illicò pro ſua ſumma humanitate vir admodum ſenex præſtitit, & in antiquiſſimo Martyrologio diem tranſitus, & tranſlationis dicti Venerabilis Petri oſtendit, quod poſtea inſtrumento Notarij publici extractum volui. Addidit dictus ſenex Eminentiſſimum Cardinalem Carraffa leuaſſe ex illa tumba Reliquias Venerabilis Petri, & ſarcophago honeſtiori clauſas in Sacriſtiæ Theſauraria recondidiſſe, quæ cum leuarentur, corpus adhuc ſatis integrum repertum, calicem verò vini meri plenum ita integrum perſtitiſſe, vt adhuc inde Sacrum confici potuiſſet. Hæc cum lætus didiciſſem, vidiſſemque clare ex corona Monachum, ex cilicio Aſianum fuiſſe, reſtabat vt Carmelitam haberem: verum cum nullum eius rei veſtigium habere poſſem, diſceſſurus in medio templi coram Imagine Crucifixi miro artificio elaboratæ, quæ in trabe per medium chori tranſuerſa ſubſiſtebat, oraturus genuflecto, & dum Crucifixi Imaginem toga veſtitam, & pedes ſeorſim clauis affixos habentem contemplor curioſius, video Imaginem ligneam cubitalem ſub pedibus dicti Crucifixi in ipſo Crucis corpore contentam, quam aduerto veſtitu Carmelitico ad plenum effictam. Aſcendo igitur euangeliſtare, quod*

ante

ante Crucem dictam eminebat, & de proximo video imaginem veri Carmelitæ genuflexam habentem barbam ſatis prolixam, & coronam Monachalem, caput, & manus ad Chriſti effigiem eleuantem. Peto a Priore (de quo ante) cuius illam imaginem eſſe putet: reſpondet, haberi ex traditione imaginem eſſe Venerabilis Petri loci fundatoris, & illius Crucis, quam multis pretioſis Reliquijs impleuiſſet (vt deprehendit Eminentiſſimus Cardinalis Caraſa) erectoris. Loquens poſt pauca de Vita eiuſdem Petri, inquit. *Quam a quodam Patre Doutreman Societatis Ieſu deſcriptam habui, qui tamen hæc monumenta ignorauit, & ſcribit corpus quaſi integrum cum barba prolixa inuentum, cuius in Martyrologio nulla fit mentio: idem tamen probat ex Guiberto Abbate contemporaneo dicti Venerabilis Petri, illum in habitu heremitico longa talari toga, & caputio inceſſiſſe, etiam antequam Cruciatam in Europam primus inuexiſſet, docet etiam primum Roſarij inuentorem.* Quod qualiter accipiendum ex dictis in ſuperiorib. conſtat.

10 Inſtrumenta verò ab hoc eodem Patre ad me miſſa ſunt iſta: Alia inſtrumenta.
[Extractum ex vetuſtiſſimo Martyrologio in pergameno manuſcripto inſignis Eccleſiæ Sancti Ioannis Baptiſtæ in nouo Monaſterio Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini antiqui Inſtituti. *Ad octauam Idus Iulij hæc habentur.* Anno Domini milleſimo centeſimo decimoquinto, obijt Dominus Petrus piæ memoriæ Venerabilis ſacerdos, & Eremita, qui primus Prædicator Sanctæ Crucis a Domino meruit declarari. Hic poſt acquiſitionem Terræ Sanctæ, cum reuerſus fuit ad natale ſolum, ad petitionem quorundam virorum nobilium, & ignobilium fundauit Eccleſiam iſtam in honore Sancti Sepulchri, & Sancti Ioannis Baptiſtæ, in qua idoneam elegit ſibi ſepulturam. *Ad decimam ſeptimam Kalendas Nouembris, hæc habentur.* Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo quadrageſimo ſecundo indictione decimaquinta, XVII. Kalendas Nouembris, Hermannus Abbas ſecundus, totuſque huius Eccleſiæ Conuentus diuino vſi conſilio, tranſtulerunt Reliquias Domini Petri Venerabilis ſacerdotij dicti *Eremitæ* a loco extra Eccleſiam, ſcilicet a ſtillicidio huius Templi verſus auſtralem plagam contra altare Beati Stephani Protomartyris, vbi olim cauſa humilitatis in ſarcophago lapideo, tumba marmorea deſuper conſtructa, decenter humatæ fuerant, & in cripta eiuſdem Eccleſiæ ante Altare Apoſtolorum Philippi, & Iacobi, cum Miſſarum ſolemnijs, pulſantibus ſignis, Abbate, & Priore exequias peragentibus, cum calice plumbeo vini meri pleno in ſignum ſacerdotij, vt mos eſt, appoſita, honorifice traduntur ſepulturæ: euolutis a die obitus ſui annis ferè centum triginta. Cumque, vt ſupra diximus, dictæ Venerabilis Petri a quodam ſacerdote de tumulo leuarentur Reliquiæ, Abbate, & Conuentu circumſtantibus, inuentum eſt caput ad modum Monachi tonſuram habens clericalem, atque crines canos, & criſpos

circa coronam abundanter aſperſos, ſed & cilicium, vt credimus de pilis camelorum contextum circa lumbos inuentum eſt, vt ipſe cum eſſet in carne (ſupple, portauerat) tanquam fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, non immemor illius præcepti Domini dicentis; ſint lumbi veſtri præcincti. Franciſcus Ottho Delbrouk Notarius collatione facta cum originalibus. Ego Notarius infraſcriptus requiſitus a Reuerend. admodum Patre Gabriele Commiſſario generali Germaniæ, Bohemiæ, & Principatus Leodienſis Ordinis Carmelitarum, attente vidi, & inſpexi in eodem templo, de quo ante quandam imaginem ex ligno ſculptam immediate poſitam ſub pedibus Crucifixi in medio templi ſupra trabem poſiti, quæ imago erat viri genuflexi, caput, & manus ad Chriſti imaginem eleuantis, porrò dicta imago erat veſtitu Monachi habentis albam chlamydem ſatis criſpatam, & caputium eiuſdem coloris, manicæ verò quæ extra chlamydem ante a ſummo deorſum apertam, & ex brachijs fluentem exerebantur, erant ſatis latæ, & fuſci coloris. Porro dicta imago ex traditione putatur eſſe repræſentatio fundatoris iſtius templi Venerabilis Petri Eremitæ, eſtque eiuſdem cum imagine Crucifixi operis, & antiquitatis, in qua dictus Venerabilis Petrus recondidit multas reliquias ex locis ſacris illatas, vt ſatis omnibus eſt notum. Quod ita teſtor hac 24. Septembris 1651. Franciſcus Ottho Delbrouk Notarius ad præmiſſa requiſitus.]

11 Celebratur inſignis iſte Petrus Ambianenſis a quodam ex noſtris non ignobili Poëta ſic.

Elogia de Petro Eremita.

Plaudite ſiderei penna crepitante puelli,
Et date purpureas ad mea verba roſas.
Plectite iucundis Peſtana roſaria dextris,
Ad Carmelicolam, ſertaque ferte Petrum.
Primam namque roſis conflauit ab ore coronam,
Impoſuitque tuis Virgo Maria Comis.
Petrus habet primum; pariter compone ſecundo
Dominicum ſuper hac diua roſeta loco.
Priſca probatorum quiſquis monumenta virorum
Vultque perantiquos currere mente libros,
Per noſtrum inueniet plantata Roſaria Petrum,
Dominicumque nouo compoſuiſſe modo.
Proh Carmele, tuum quo veſtit honore popellum
Nobile ſtemma Petrus, nobile ſtemma Simon.

Sed hæc quoque quomodo limitanda ex dictis a nobis in ſuperioribus innoteſcit.

Eiuſdem

12. Eiuſdem quoque vltima geſta ex Petro Droutemano relato, qui omnes alios de Petri Vita ſcriptores videre potuit, hic pro coronide adiungimus. *Rebus Paleſtinæ compoſitis Petrus operam ibi ſuam non vlterius neceſſariam ratus, vrgentibus eius Comitatum varijs Belgij Primatibus, vale facto Regi Balduino, qui eius abitum grauiter admodum ferebat, nauim conſcendit cum Cunes Comite Montis-acuti, Lamberto Comite Claromontano ad Moſam Leodienſem, & varijs nobilibus, & ciuibus Huyenſibus. Verùm, in mari vehementi orta tempeſtate, periclitabantur, cum Petrus omnes ad ſpem in Chriſtum, & Sanctos animans in tantum omnium corda accendit, vt Comes Claromontanus vouerit ſi ſoſpites portum tenere poſſent, in honorem S. Sepulchri, & S. Ioannis Baptiſtæ Monaſterium in ſuis fundis ponere, quo voto facto, ſtatim ceſſauit tempeſtas. Inde ad propria rediens, votique executionem Venerab. Petro commiſit. Adiuuit pium opus Comes Montis-acuti, iuuere, & alij nobiles, quorum opibus in valle amœna ad tractum Moſæ, non procul ab Opido Huenſi templum ſub titulis voti, & iuxta illud Monaſterium erexit, in quo Canonicos S. Auguſtini ad diuina peragenda ſtatuit. Hæc domus a nouo opere noui templi nomen ſortita, illud nunquam dimiſit. Volebat Venerab. Petrus Superiorem ex illis præfici: verum alium ab ipſo renuerunt: præfuit igitur annis paucis ſub titulo Prioris: ſucceſſores anno* 1200. *a Hugone Petraponte Epiſcopo Leodienſi mitra, & pedo inſigniti Abbates dicuntur. Rebus igitur Monaſterij egregiè compoſitis, obijt anno* 1115. 8. *Iulij, an. ætatis* 62. *amplius laboribus, quàm annis fractus; corpus magno populi concurſu tumulatur extra Eccleſiam in Cœmeterio ex vltima diſpoſitione humilis viri, cui ex antiqua ſimplicitate Religioſi non ſunt auſi contrauenire. Tanta tamen fuit de ipſius ſanctitate opinio, vt quotannis ex Martyrologio dies tranſitus eius enuntiaretur, quare anno* 1242. *de eius corpore eleuando actum fuit, maxime eius memoria reuiuiſcente ex libris Iacobi de Vitriaco Epiſcopi in Achon editis de geſtis Cruceſignatorum. Mauritius igitur dicti Templi Canonicus ſedulo apud Abbatem ſuum Hermannum, & Epiſcopum Leodienſem Robertum agit pro Sanctis Reliquijs honeſtiori loco locandis. Intentum impetrat, & ecce dum paucis Comitib. Corporis Reliquias ſcrutatur, illud integrum, & incorruptum videt, barbam habens more peregrinorum prolixam, quod eleuatum miris populorum concurſibus celebre, reponunt in Sacello Sepulchri Chriſti in extremitate Templi, additis parieti cancellis ferreis, quibus tranſeuntibus conſpici poſſit: marmori ſepulchrali hos verſus inſculptos aſſerit Ægydius Aureæ vallis antiquus ſcriptor Leodienſis:*

Alia ipſius geſta.

Inclyta per merita clarus iacet hic Eremita
Petrus, qui vita vere fuit Iſraelita,
Hac modo Petre petra premeris, quamuis ſuper aſtra
Viuere cum petra Chriſti credaris in æthra.

Tranſlatio contigit 16. *Octobris anni* 1242. *Nicolaus de Campis, & Andreas Tenetus multum hic laborant æſtimantes Venerab. Petrum Conſtan-*

tino-

tinopoli in Legatione non ſine veneni ſuſpicione occubuiſſe, & ſepultum eſſe ibi ad Sanctos Martyres. Verum quod Tenezi authoritas, & Græcorum fides, ſint parui ponderis, illis præponderare debent Monaſterij fundatio, ſepultura, libri, obitus, quæ contrariam opinionem deſtruunt. Hæc Droutemanus adaptanda tamen ijs, quæ de eodem Petro nos in ſuperioribus diximus.

Obitus primi Prioris Conuentus Boppardienſis.

13 Pro anno 1113. qui huic tempori correſpondet, mors contigit Henrici de Boppardia primi Prioris Conuentus Boppardienſis, de quo *ſub ann.* 1045. aliqua diximus. Huius autem Patris memoria ex duplici Epitaphio ibi reperto, & a Segero Paulo diligenti antiquitatis ſcrutatore commemorato, in Epiſtola ad Generalem Theodorum Stratium miſſa Romam 29. *Nouembr.* 1638. e Carmelo Moguntino, ſic habetur. *Quantum ad Epitaphia hactenus promiſſa, ſciendum extare in eodem Carmelo Boppardienſi (quæ Ciuitas quondam Bodobriga nomen habuit) lapidem ſepulchralem immenſæ molis, ſeu craſſitiei cum ſculptura Monachi cuiuſdam huius Ordinis, quem antiqua iſtius Cœnobij fert traditio fuiſſe primum eiuſdem loci Priorem. Hunc lapidem in ambitu ad læuam ingreſſus Eccleſiæ poſitum è terra eleuari, & in altum erigi fecit Reuerendiſſimus P. M. Henricus Syluius Prior Generalis huius Ordinis, dum hanc Prouinciam Alemanniæ Inferioris viſitaret, & in hoc Boppardienſi Cœnobio degeret, ne tale monumentum antiquitatis paulatim pedibus attritum penitus periret. Fuit autem idem Reuerendiſſimus Pater cum ſocio ſuo Prouinciali Neapolitano ſedulus per duos dies continuos in perueſtigandis characteribus dicti lapidis ſepulchralis, propter eorum vetuſtatem, ac verborum quorundam abbreuiaturas. Tandem ex eadem inſcriptione ipſi aliud Epitaphium fecerunt, illudque in charta rubro, ac nigro colore alternis verſibus deſcriptum ſupra tabulam ligneam muro infixerunt ad dexteram ingreſſus Eccleſiæ è regione prædicti lapidis, prout hæc mihi retulit quidam iſtius Conuentus Pater ſenior, qui dum prædicta fierent, ijs præſens, & oculatus teſtis fuit. Porro iſtud Epitaphium, quod etiam in fine Anniuerſariorum libri illius Conuentus reperitur, deſcriptum eſt huiuſmodi cum titulo præfixo.*

Epitaphium R. P. Henrici, primi huius Monaſterij Prioris.

Iam ſol mille ſuo curſu compleuerat annos
Virgineo a partu, centum ſimul & duo luſtra
Et tres exactos, fatalis terminus inſtat
Octobris, nigro vere ſignanda lapillo
Vltima lux, rapuit virtutum luce coruſcum
Parca ſeuera virum, quem ſacri gurgitis vnda
Abluit Henricum, rara virtute Priorem
Ordinis agnoſcit ſacri ſententia, nomen
Qui ſibi Carmeli diuino munere poſcit,

Atque

Atque Vrbs fauſta colit ſanctè Boppardia, ſaxum
Oſſa tenet, cubat hic gelida tumulatus arena
Virtutum exemplar, fulgens Henricus, at aſtra
Mens tenet, & ſuperum felici ſede moratur.

Ipſiuſmet verò lapidis inſcriptio per circuitum incipiens in media linea lateris dextri, non quidem literis illic exaratis, ſed noſtris characteribus hic præſentata, talis eſt, duobus aut tribus verbis exceptis, quæ coniecturare nullus noſtrum potuit.

Anno milleno cum bis deno, nonageno
Et terno pleno . . . .
Floribus ornatum virtutum fac tibi gratum
Rex pie, ſit ratum facies ei famulatum.
Henricus dictus Prior hic, non crimine victus
Horrens conflictus ſit dum mite necis ictus
Sereno Octobris fine
Talis memor eſto ruinæ.

Ann. Chriſt. 1118. vſque ad 1124. Gelaſij I. & Calliſti II. Roman. Pontif. 1. vſque ad 6. Alexij Comneni Imper. Orient. 38. & Ioann. Comnen. 1. vſque ad 6. Henrici IV. Imper. Occid. 8. vſque ad 14.

1 SEPTENNIO iſto in Petri Cathedra ſederunt, Gelaſius, vno circiter anno; Calliſtus autem Secundus per ſex. Gelaſius a quibuſdam dira, & indigna paſſus, poſtea Catholicis liberatus, & coronatus, fugere nihilominus ob aduentum Henrici Imperatoris coactus eſt, & deinde in Galliam nauigare. Calliſtus autem Gelaſij ſucceſſor Pontificatum, etſi inuitus acceptans, digna plura Sancto Pontifice geſſit. Generale Concilium Rhemis celebrans, Imperatorem rebellem excommunicans, Eccleſias plures dedicans, S. Iacobum Apoſtolum Hiſpaniarum Patronum honorans, & Compoſtellanum Epiſcopum Metropolit. titulo exornans. De quibus Baronius, Ciaconius, Gordonus, & alij poſt vetuſtiores. Summorum Pontificum geſta.

2 Ad hoc tempus, cum pro illo Chriſtianorum cauſa ob victorias contra Agarenos obtentas, in melius procederet, referre poſſumus, quæ B. Cyrillus noſter huic ſæculo ſynchronus, affert in Epiſtola ad Euſebium Eremitam apud Speculum Ordinis *lib.* 8. *cap.* 1. his verbis: *Placuit ei* (ſcilicet Deo) *Ciuitatem Ieruſalem anno Dom.* 1099. *& conſequenter totam Terram Sanctam pedetentim a perfidis Saracenis liberare, & eam,* Carmelitarū progreſſus.

ac

ac indigenas eius fideles poteſtati, & dominio Chriſtianorum reducere. Propter quod cœpit tunc cultus Religionis in Carmeli Monte ampliari. Quamplures enim deuoti peregrini, qui ab Occidente ſuperuenerant, odore huius ſancti loci tracti, & deuotione Religioſorum Eremitarum Montem hunc inhabitantium permoti, mundo renunciabant, & pro contemplatione cæleſtium ſe eorum contubernio iungebant. Quod expreſſius, & diſtinctius Gulielmus de Sannico eiuſdem Montis Eremita, ſic ſcripſit *in Chronica de multiplicat. Religion. Carmelitar.* apud idem Speculum Ordinis *lib.* 9. *cap.* 1. ſic. *Poſt hæc autem ann. Dom.* 1099. *Godofredus de Boylon Dux Lotharingiæ, & exercitus Chriſtianorum Cruce ſignatus Ciuitatem Ieruſalem de manibus infidelium recuperauerunt, & eam, totamque Terram Sanctam, infidelibus hominibus paulatim excluſis, ad dominium, & poteſtatem Chriſtianorum reduxerunt. Propter quod cœpit tunc cultus huius Religionis iterum in Terra Sancta dilatari. A diuerſis enim Mundi partibus multi deuoti Chriſtiani deſiderantes Terram illam videre, in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus fuit natus, conuerſatus, baptizatus, tentatus, transfiguratus, paſſus, mortuus, ſepultus, reſuſcitatus, in Cælum aſſumptus, accedebant ad eam, luſtrantes tunc ſecure non ſolum loca Sancta, in quibus Sancti Patres veteris teſtamenti magnifica egerunt, ſed præcipue illa, in quibus Chriſtus Ieſus ſacram redemptionem generis humani adimpleuit. Hos itaque deuotos diuerſarum nationum aduenas ſancta conuerſatio, & abundans iuſtitia illorum Religioſorum Montis Carmeli ita ædificabat, & ad contemplationem cæleſtium trahebat, vt multi ex ipſis aduenis intuentes dictos Religioſos in pulchritudine pacis æternæ, & in mentis requie virtutibus opulenta in antris Carmeli Montis reſidere, ſe felices putarent, cum per deuotionem relictis mundi oblectamentis poterant eorum conſortio aggregari. Qui cum ita multiplicati fuiſſent, vt in Monte Carmeli omnes commodè recipi non poſſent, repleuerunt deſertas Terræ Sanctæ ſolitudines, in quibus prædeceſſores eorum antiquitus habitauerant, quarum famoſiores hic commemorabo. Aliqui enim eorum ſequentes veſtigia Sanctorum Patrum huius Religionis, videlicet B. Ioannis Baptiſtæ, & filiorum Prophetarum, conſtruentes ſibi modica tabernacula in ſolitudine Iordanis latuerunt. Quidam autem ipſorum deſertum Montis Quarentenæ elegerunt, vt illic vitam ſolitariam in modicis cellulis Domino ducerent, prope fontem, cuius aquas ſteriles, & amaras Eliſeus Propheta ſanauit, & in quo deſerto Dominus Ieſus Chriſtus quadraginta diebus, & quadraginta noctibus ieiunauit. Alij verò eorum in Eremo illa, quæ adiacet mari Galileæ, in qua Ieſus frequenter turbis prædicauit, & ex quinque panibus ordeaceis, duobuſque piſcibus, multitudinem magnam hominum ſaturauit, & varijs miraculorum ſignis illuſtrauit ſolitariam ſibi elegerunt habitationem.*

De Ordinis reformatione ſub B. Bertholdo.

3. Huius porro dilatationis, tum Eccleſiæ Sanctæ, tum noſtræ Religionis tempore, anno videlicet 1121. credunt plures, etiam ex noſtris, ac inſignioribus Scriptoribus, B. Bertholdum, tunc in Carmelo com-

commorantem Haymerico Antiocheno Antiſtite promouente, in Priorem Generalem conſtitutum fuiſſe, illique ſubiectos, & obedientiæ vinculo aſtrictos omnes quotquot eo in monte conuerſabantur, eos maximè, qui ex Occidentis partibus nuper aduenerant; ipſiſque traditum librum Ioannis Ieroſolymitani Patriarchæ, latinitati redditum, vt ſecundum eum ſub Regulari diſciplina in poſterum viuere deberent. Sic tradidiſſe creditur omnium primus B. Cyrillus ſuperius relatus in ea Epiſtola ad Euſebium Montis Neroi Eremitam apud Speculum Ordinis *lib.* 8. *cap.* 2. Sequitur Ioannes de Vineta in Tractatulo, qui incipit *Cum quidam fratres noſtri* in Speculo Ordinis *fol.* 57. & 58. Arnoldus Boſtius *in Specul. hiſtor. lib.* 6. *cap.* 9. Ioannes Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 1. Thomas de Ieſu *lib.* 1. *antiq. Ord. cap.* 9. etſi non ad annum 1121. ſed ad annum 1120. rem referat, Ioannes Balæus, non niſi cum rubore inter noſtros referendus, quia primitus Deiparæ Carmelitanæ filius, & poſtea diaboli ſatelles, *in Catalog. Scriptor. Britan. Centur.* 2. *in Append. ad Florent.* & alij poſteriores, a quibus id accepere exteri nonnulli; ſpecialiter Carolus de Tapia *in Authentic. Ingreſſi verbo, Monaſteria cap.* 17. Laurentius Beyerlinck *in Theatr. Vit. hum. lib.* 16. *tom.* 6. *verbo Religioſus, Religio*, dum de Carmelitis agit, Claudius Robertus *in Gallia Chriſtian.* dum etiam de Carmelitis.

4 Mirandum tamen inter doctos, & diligentes Scriptores hoc mendum ſic inualuiſſe, vt nullus ipſorum animaduerteret, toto cælo a veritatis tramite deuiaſſe, qui pro anno 1121. Antiochenæ Eccleſiæ Patriarcham Haymericum autumaret. Cum apud hiſtoricos cunctos, Annaliſtas, ſeu Chronologos omnes, pro comperto, & ſine controuerſia ſit, eo anno illum Patriarchatum geſſiſſe Bernardum quendam: prout diſerte habent Genebrardus, Honuphrius, Bardus, Baronius, Gualterius, ac innumeri alij. Et Haymericum non niſi ad annum 1137. vel circiter, eam Cathedram aſcendiſſe: vt cum Honuphrio, Bardo, Marchardo, Pineda, & alijs, eo tempore dicemus. Quomodo ergo in temporis indagatione *ſine qua*, vt Baronius *tom.* 1. *ſub ann.* 70. *num.* 3. inquit, *interdum labi in portentoſos errores neceſſe erit*, ſic allucinati noſtri fuere? Certe, quod ad B. Cyrillum, in cuius Epiſtola hic primò cernitur error, attinet, omnino refugit animus credere, eum ſic exiſtimaſſe, vel ſcripſiſſe, cum hoc ſæculo vixerit, Haymerum, & Bertholdum forſan agnoſcere potuerit, nec illius patriæ, quam ſimul cum Carmelo coluit, tam perſpicuam hiſtoriam ignorauerit. Credendum igitur eam Epiſtolam quoad hunc annorum numerum ex anni 1141. cum 1121. tranſpoſitione a ſciolo aliquo poſteriori vitiatam fuiſſe. Quod facile contingere potuit, cum numerus 1141. cum 1121. vna dumtaxat numerali nota excepta, omnino conueniat. Eo quoque mendum contingere potuit, quod Epiſtola illa Cyrilli non niſi poſt 300. ferme annos, typis cuſa fuerit. Non enim niſi circa annum 1200. ſcripta fuit, typis autem man-

data Venetijs primum *ſub ann:* 1507. Hinc ex noſtris oculatiores alij, qui hunc animaduerterunt errorem, caſum non ad annum 1121. ſed ad 1141. retulere. Hi ſunt Petrus Lucius Belga *in Compend. hiſtor. Carmelitar. cap.* 12. Michael Muñozius *in Propugnac. Eliæ lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. *ar.* 2. De hoc autem iterum in ſequenti Tomo.

Inſtitutio Ordinis Militaris S. Ioannis.

5 Pro hiſtoriæ quoque noſtræ, & Annalium complemento operæpretium eſt referre, quod paulo ante hoc tempus (certus autem annus neſcitur) contigit, celeberrimi, & Illuſtriſſimi Ordinis Militantis Equitum S. Ioannis Ieroſolymitani prima inſtitutio, vel ſaltem magna excitatio, aut promotio, vt abſtineamus a varijs authorum placitis, qui diuerſimode ea de re ſcripſerunt. Res porro ſic accidit, prout, alijs relictis ex Iacobo Boſtio diligenti, & cordato huius Religionis hiſtorico *par.* 1. *Hiſtor.* colligitur. Originem habuit in S. Ieroſolymorum Ciuitate poſtquam per Gotfredum Bughonum Chriſtianæ claſſis Ducem Chriſto recuperata fuit. Occaſionem verò ex eo quod ante aliquot annos, dum Terra Sancta ſub iugo Barbarorum maneret, cum quidam Amalphitani Ciues qui mercaturæ gratia cum Ægypto, & Syria commercium haberent, & inde ſæpius loca Sancta etiam ſanctæ Ciuitatis piè viſitarent, ac in ea pro Latinis (quales ipſi erant) nullam Eccleſiam poſſiderent; licentia impetrata a Calypha Ægypti, locum ampliſſimum in ipſa obtinuerunt iuxta Templum S. Sepulchri, vbi Eccleſiam, & Monaſterium ſub titulo *S. Mariæ de la Latina*, ad differentiam aliarum Eccleſiarum, quæ a Chriſtianis Græcis, & ritu Græco colebantur, ædificarunt: eo inter alios fine, vt ibi Chriſtiani peregrini reciperentur, & pro poſſe hoſpitium congruum haberent. Et quia inter fideles peregrinos plures quoque piæ fœminæ erant, quæ loca illa Chriſti veſtigijs conſecrata, venerationis cauſa frequentabant; nec pro illis receptandis honeſtus aliquis locus eſſet, idcirco apud Cœnobium illud virorum, fœminarum, aliud in honorem S. Mariæ Magdalenæ conſtruxerunt. Inſuper, quia peregrinorum numero creſcente, duo illa Cœnobia, etſi pro poſſe benignè, & charitatiuè ipſis in neceſſarijs prouidere curarent, nihilominus pro omnibus recipiendis anguſta, & incapacia cenſebantur, pij Amalphitani relati decreuere, Hoſpitale, ſeu Xenodochium quoddam circa duo illa Monaſteria etiam conſtruere, in quo cuncti peregrini congruam habitationem, & alimoniam habere poſſent. Hoc porro Xenodochium, Capella, & Oratorium in eo ſita S. Ioannis Baptiſtæ titulo cognominata fuere; ea de cauſa, quod audierant fundatores Zachariam Prophetam S. Præcurſoris Ioannis parentem, cum locum orationis ergò frequentare ſolitum fuiſſe. Cum autem hoc modo per plures annos actum eſſet, & præfatum hoſpitale ſub vno gubernatore, ſeu Rectore regeretur, Deo ſic prouidente, contigit, vt Sancta illa Ciuitas, & Regio, Chriſtianorum iuri, Saracenis propulſis, ſub Gotfredo nominato cederet. Quo tempore, deuotus quidam, & honeſtus vir *Gerardus* viro-

rum

rum in eo Xenodochio commorantium curam, vti Rector, & Gubernator gerebat, ſicut in Monaſterio Monialium quædam *Agnes* nomine, nobilis Romana Gubernatrix. Hæc de fundatione Illuſtriſſimæ huius Religionis Boſtius relatus, etſi diuerſimode alij ſentiant; quod quia ad noſtrum intentum parum refert, vltro prætermittimus.

6. Quod autem ad rem noſtram propius accedit, illud eſt, quod *Gerardum* illum pro Hoſpitalis Sacræ huius Religionis gubernio tempore recuperatæ Ieroſolymæ repertum, noſtri Ordinis alumnum, non leuibus fulcris nixi exiſtimare poſſumus, quantumuis exteri authores, vel alij eiuſdem Militaris Ordinis Scriptores, nihil de hoc dixerint. Et præ alijs audiendus noſter Arnoldus Boſtius, cuius in *lib.* 1. *Specul. hiſtoriar. cap.* 19. hæc ſunt verba: *Hoſpitalariorum Militaris ſacer Ordo S. Ioannis Baptiſtæ de Ieruſalem, ſiue Rhodis, licet quidam putant incœpiſſe tempore Apoſtolorum, eo quod tunc inuenitur in Ieruſalem honeſtus Conuentus nigro habitu propter mortem Chriſti veſtimento ſuo exteriori cruce impreſſa non ad militandum, & bellandum, ſed potius ad orandum, & a bellatoribus mala patiendum inſtructus. Qui quidem Ordo non durauit, ſed pereunte Ciuitate Ieruſalem per Titum, & ipſe perijt: ſed anno Domini* 1179. *octo annis antequam a Saladino Ieruſalem caperetur, primo fuerunt regulariter Inſtituti ſub Patre Gerardo Eremita, ſeu fratre Montis Carmeli, vt patet in hiſtoria Ieroſolymitana, quæ ſic incipit,* Terra Sancta promiſſionis, &c. *Hic inquam Gerardus cum fuiſſet inſtitutus per S. Brocardum Priorem Montis Carmeli ad vitam Eremiticam, tandem in Ieruſalem miſſus eſt, Monialium ſororum eiuſdem Religionis non longè a ſepulchro Domini procurator. Is ſiquidem non erat ſacerdos, ſed frater laicus, & fratres laicos ad talia Officia in Monte Carmeli poni erat conſuetum. Qui videns ex militantium defectu Chriſtianis periculum imminere, & Ordinem Templariorum in cunctis proſperè ſuccedere, S. Ioannem Baptiſtam, & S. Virginem Catherinam eligens in patronos, nouum militiæ Ordinem inchoauit. Videns autem Balduinus Rex Ieruſalem Almarici Regis filius zelum fratris Gerardi, & eum bellicis rebus induſtrioſum, dedit ei in Ieruſalem hoſpitale cum prouentu Eccleſiarum eius, & inde dictus eſt Ordo ille ab illo die Ordo Hoſpitalariorum S. Ioannis; & quia exercitium militare, & exercitium in Monaſterijs degentium ſunt diuerſa, ideo præfatus Gerardus non accepit Regulam S. Baſilij, ſed S. Auguſtini, ſuperaddens ſtatuta intentioni vitæ militantium congrua, & honeſta, quæ & approbata ſunt.* Adhæret Ioannes Palæonydorus *lib.* 3. *cap.* 1. vbi loquens de tempore circa annum 1148. inquit: *Gerardus interea Ordinis Carmeli, atque Montis, frater laicus, procurator Monialium Ordinis noſtri in Ieruſalem, perpendens Chriſtianis continue periculum imminere, in ſubſidium peregrinorum inchoauit nouum Ordinem Militantium Hoſpitalariorum S. Ioannis Baptiſtæ ſub Regula S. Auguſtini.* Idem latè proſequitur Coria *lib.* 9. ſuæ Chronicæ *cap.* 30. exactè probans hunc Gerardum ab Arnoldo, & Palæonydoro pro Inſtitutore Ordinis Militaris S. Ioan-

De Gerardo fund. Ordinis Ioannitarum.

S. Ioannis Baptiſtæ nominatum, Carmelitanum Monachum conuerſum, ſeu laicum fuiſſe. Vnde circa illius capituli principium ad excuſandum Authores, qui id non agnouerunt, hæc habet veluti pro præfatione. *La alteza del ſacro Orden Militar de S. Iuan y ſu antiguedad y por conſiguiente la pobreza del ſacro Orden Mendicante de la Madre de Dios la ſiempre Virgen Sancta Maria de el Monte Carmelo, y el poco tiempo, que de inſtitucion ſegun Orden Mendicante tiene, haze a los eſcriptores de las antiguedades andar atiento, diciendo cada qual a ſu guſto lo que imagina de eſta Sancta Religion hoſpitalaria, y militar de S. Iuan. Y aunque diuerſos auctores anſi antiquos como modernos eſcriuen de ella, y entre todos ellos los doctiſſimos Eſpeculadores, y indagatores de los ſecretos hiſtoriales, el maeſtro Alonſo de Villegas, y el P. Fray Iuan de Pineda Minorita, ſacaron vna breue recapitulacion: como no leyeron nueſtros Anales vanſe con la corriente de lo que allaron eſcripto, y dicen lo que otros dixeron, de lo qual no ſe les ha de imputar a culpa coſa alguna en eſte caſo, porque fiados de la verdad que los primeros ſucintamente dixeron, eſcriuieron lo que hallaron eſcripto; pero ni ellos ni los auctores paſados (ſi bien ſe quiere mirar) dexaron en breues palabras de decir la ſubſtancia de el caſo, y la verdad de el hecho como paſo, ſegun los Carmelitas en muchas palabras lo dizen. Y por que ſe vea ſer a ſi ponderare a qui los dichos de los vnos, y de los otros, y infirire de todo lo que con verdad en el principio propuſe (eſto es) que la Orden hoſpitalaria, y militar de S. Iuan de Malta la principio, y inſtituyo vn Religioſo lego llamado fray Gerardo de el ſacro Orden Monachal de nueſtra Señora de el Carmen.* Proſequitur autem in ſequentibus varijs fundamentis id confirmare, quorum aliquà nos etiam afferemus. Accinit etiam Petrus Saracenus, qui, *in Menologio Carmelitarum in Vita S. Gerardi*, fusè etiam contendit inſtitutorem Sacri huius Ioannitarum Militaris Ordinis fuiſſe Gerardum Ordinis noſtri alumnum: etſi valdè decipiatur hunc Gerardum confundens cum alio Gerardo Sagredo Veneto Epiſcopo, & Martyre, de quo nos in præcedentibus latè egimus. Cæteris autem accuratius, & diligentius Marcus Antonius Alegre de Caſanate *in Parad. Carmel. decor. ſtat. 4. ætat. 13. cap. 2.* ſic ſcribit, loquens de anno Chriſti 1166. *Gerardus Carmeli Montis Monachus laicus ex his quos in Ordine iſto, fratres de obedientia vocant, natione Palæſtinus, vir fuit miro in pauperes feruidus amore, & ſingulariſſimum hoſpitalitatis in peregrinos exemplar: egregiæ ſane indolis, & ſolertiæ vir, prudentia, fortitudine, & multo virtutum nitore clarus. Is cum Procuratoris vices gereret pro Abbate Carmeli in Cœnobio Sanctimonialium Ieroſolymæ, vt refert Palæonydorus, pro ſubleuandis peregrinorum neceſſitatibus, & ærumnis a Saracenis in aduenas illatis, & leuandis vtriuſque ſexus ægrotis, ex varijs Orbis partibus confluentibus illò, vt ſacra redemptionis noſtræ loca, & glorioſum Chriſti Domini ſepulchrum venerarentur, & exoſcularentur, Cœnobia Carmelæi Ordinis duo vetuſta, quæ Saracenorum infeſtationibus penè erant depopulata de licentia Abbatis*

Gene-

Generalis Carmeli in duo inſignia Xenodochia charitate feruidus erexit. In ijs ipſe a Calliſto II. Papa pro viris factus eſt Rector, & Praſes, primuſque co firmatus inſtitutor, Anteſignanus, & Magnus magiſter nobiliſſimæ Militiæ Hoſpitalariorum, quos nunc vocant Milites Sancti Ioannis Baptiſtæ in Melite, ſiue Malta: pro fœminarum alendarum Xenodochio altero Ioannam, ſiue Agnetam quandam Romanam Europæam Rectricem Gerardus inſtituit. Religio iſta Militaris nobiliſſimorum Eccleſiæ Militum ſub ſtatutis primùm a Gerardo, & Raymundo de Podio immediato ſucceſſore, Magnoque Religionis Magiſtro datis, aliquando militauit; ſed tandem ex decreto Concilij Lateranenſis ab Innocentio III. celebrato Sancti Auguſtini Regulam, quam modo profitentur, amplexata eſt, ſub qua, & certis Ordinis decretis iuxta varia illius Comitia, ſiue ſambleas, clariſſime floret. Porrò cum excellentiſſimis charitatis exemplis erga peregrinos, & ægrotos nouos ſuos Milites Gerardus inſtruxiſſet, zelo noui augendi Inſtituti totus ebibitus, poſt annos ſexdecim a ſua Equitum, ſiue Hoſpitalariorum Sancti Ioannis Baptiſtæ in Ieruſalem inſtitutione Ieroſolymis in ſuo Xenodochiali Cœnobio è ferculo vitæ in pace deſcendit, propè annos Chriſti Ieſu 1166. *ſub Alexandro III. Pontifice Optim. Maxim. & Occidentis Imperatore Federico Ænobarbo iuxta computa Claudij.* Subiungit autem annotationem iſtam: *Infirma nos, & maleſida ſcriptorum aliquorum cogit mens, originem illuſtriſſimæ Militiæ Maltæ Laconicè perſtringere; vt probemus Gerardum Carmelitam illius fuiſſe genuinum inſtitutorem, & Magnum Magiſtrum in Ordine nobiliſſimorum Equitum Sancti Ioannis Baptiſtæ primum. Initium igitur huius Religionis fuit, ſi grauiſſimo eiuſdem monumento fideliter ex Malta Archiuijs educto, manuque fideliſſimi Militis Maltæ exarato adhibenda erit fides* (dicit autem hoc monumentum haberi cum ordinationibus Samblearùm M. S. in Bibliotheca Cœnobij Cæſarauguſtani Carmelitarum) *Cœnobium, ſeu Xenodochium quoddam Ieroſolymis a tempore Machabæorum erectum pro ſubleuandis neceſſitatibus ægrotantium militum, vel ſepeliendis iiſdem in bello occiſis. Cum igitur ſub regimine Ioannis Hircani Equitis nobiliſſimi, ingenuique Prophetæ Iudæ Machabæorum Ducis ſucceſſoris Ciuitas Sancta ab Antigono Epiphane tetra obſidione premeretur, coactus eſt Hircanus reconditi theſauri in monumento Dauid partem vnam exhibere, vt obſeſſi reſpirare ab inimico aliquando poſſent, & partem pro ædificando Cœnobio (ſic loquitur manuſcriptum citatum) ſeu Xenodochio ad imitationem S. Iudæ Machabæi largiter expendere, vbi ægroti curarentur, & cura pro mortuis ſepeliendis ſuſciperetur ab aliquibus inibi degentibus viris. Xenodochium hoc Hircani, vt vetuſtiſſima tradunt Militaris huius Ordinis monumenta, vſque ad tempora peruenit Chriſti, qui illud ſua pluries ſacrauit ſacratiſſima præſentia, multaque miranda ferunt, & eximia charitatis, & amoris opera cum ſuis Apoſtolis operatum eſſe in eo. Huius Cœnobij, ſeu Xenodochij pia in pauperes exercitamenta vſque ad tempora Titi, & Veſpaſiani perdurarunt, & capta a*

Tito Ciuitate deſecere; vt poſtea tempore dante in Cœnobia duo Carmelitarum ſexus vtriuſque, quod credimus, vt aſſeritur, dira illa Titi perſecutione tranſacta, erigerentur. Eapropter interim peregrini vndique viſendi Sacri Sepulchri Seruatoris Ieſu ſtudio ibi confluentes dirè a Barbaris vexati, preſſi fame, ærumnis afflicti, ſine domo, ſine protectione, & vmbraculo hac illacque errantes miſerè peribant. Quorum miſertus pro cordis ſui affectu pius quidam poſt multa tempora Religioſus vir (quem vetuſtiſsimæ hiſtoriæ Girar vocant, noſtræ Gerardum) ad imitationem antiqui illius Iudæ, & deuotiſsimi Hircani Cœnobij, ſeu Xenodochij e duobus illis Cœnobijs virorum vno, & altero fœminarum iam pridem erectis a Carmelitis, & iniurijs Barbarorum penè depopulatis quæ propè Chriſti Sepulchrum fuerant erecta, duo Xenodochia Gerardus ille qui Procuratoris vices pro Abbate Carmeli in Cœnobio Sanctimonialium gerebat, ſtruxit, cui nomen vni dedit Sancti Ioannis Baptiſtæ, alij autem quod pro reficiendis mulieribus erigebatur, Sanctæ Mariæ Magdalenæ: fertur ab alijs inſignitum eſſe primum nomine Sanctæ Mariæ de Latina, eo quod Latini quidam nundinatores aliquandiu ibi fuiſſent recepti quod poſtea ijdem dotibus annuis auxere hoc nomine decorantes. Author Gallus (in Catalogo Magiſtrorum Militiæ Sancti Ioannis Gallicè ſcripto, prout notat in margine) addit a Religioſis fuiſſe adminiſtratum virorum Cœnobium. Lequel eſtoit gouuernè par des Religieux du Carmel. Pro viris conſtituit ſe adminiſtrantium Gerardus Rectorem, pro fœminis Annam quandam, ſiue Romanam Agnetem præpoſuit, non voto, ſ. iuramento omnes ſexus vtriuſque ibi miniſtrantes aſſiſtere aſtringens ægrotantium neceſſitatibus, & ſeruitio. In his ergo cum tot pietatis operibus, vt numerari nequeant, in peregrinos, & valetudinarios exhibitis, Gerardus, & Anna cum miniſtris ſuis ſplenderent, noua Maltenſes quidam nundinarij, & Principes alij confluentes illò charitate deuicti pretioſis datis dotibus Xenodochium temporalia breuiter auxere: eaque, vt Catalogus Magiſtrorum Militiæ ex Gallico Authore affirmat ſub Sedis Apoſtolicæ protectione recepta ſunt, & grandibus priuilegijs a Lucio Secundo Summo Pontifice quamprimum aucta, qui ſtatim Gerardum rectorem illorum Apoſtolica confirmauit authoritate, & ſacras conſtitutiones pro regimine miniſtrantium ſiue degentium in Cœnobijs illis, ſeu Xenodochijs, quas Gerardus ſcripſerat, Apoſtolica item benedictione communiuit anno ſalutis 1144. vt affirmat Pineda. Ex quo factum eſt, vt aſſiduo Xenodochij illius, quod Cœnobium vocant vetuſtæ Ordinis memoriæ, ſeruitio multi ſeſe deuouerunt, non ſolum ægrotos reficere, ſed armis etiam eos ab infeſtationibus Barbarorum defendere in honorem gloriæ Chriſti, amoris, & fidei eius Catholicæ, Iudam, & Hircanum imitantes, qui vna manu peregrinis ſubueniebant, & altera pro defenſione legis enſe viriliter dimicabant. Hanc etiam Carmelitarum cauſam tuentur Oliuanus, & Franciſcus a Sancto Angelo, eodem Caſanate referen-

Ex

7 Ex his porro præter ſolitum modum a nobis prolixius relatis, liquidò innoteſcit, haud leuiter, ſed magno authoritatis fundamento, Ordinis noſtri authores hunc Gerardum Carmeli Eremicolam Militum Sancti Ioannis Ieroſolymitani Ordinis primum lapidem exiſtimaſſe; quantumuis plures, qui de eius Religionis prima inſtitutione egerunt, vel nullum Gerardum inſtitutorem agnouerint, vel ſaltem, Carmelitam fuiſſe, prorſus ignorarint, ſilentioue prætererint. Nec mirum id erit animaduertenti ſanctam hanc Ioannitarum Religionem, etſi in ſe conſpicuam, & clariſſimam, in ſui tamen prima inchoatione obſcuriſſimam extitiſſe, vt apertiſſimè patet in tot, tamque varijs Doctorum placitis circa ipſius initium. Vt enim teſtatur eorum præcipuus Chronologus Boſſius relatus, adeo in ea quidam allucinati ſunt, vt a tempore etiam Samuelis præfatum Xenodochium eius Ordinis primordiale fundamentum, erectum eſſe dixerint; etſi ſub Iulio Cæſare, & Antiocho Antiochiæ Rege reædificatum, Chriſto (etſi nondum nato) in ſomnijs apparente, ac reuelante: alij a Iudæ Machabæi ſtrenuiſſimi Iudæorum Ducis æuo: alij ſub Ioanne Hircano Simonis Machabæi filio, eius auſpicia deſumenda arbitrentur. His porro hiſtoriæ tenebris anſam præbere potuit, quod in Ptolemaidæ, ſeu Acconis expugnatione a Saracenis circa an. 1291. facta Milites iſti S. Ioannis cum Ciuitate pretioſa multa ſcripta, quæ pro ipſorum Religionis elucidatione vtiliſſima eſſent, amiſerunt, prout idem Boſſius eo ſub anno teſtatur: vel quia Vvillelmus Tyrius egregius Orientalis hiſtoriæ huius temporis Chronologus iſti Ioannitarum Religioni parum beneuolus, potius aduerſarius, Boſſio ipſo teſtante, extiterit, pauca de ipſa referens; adeo vt Baronius ipſius Vvillelmi, in rebus Orientalibus perpetuus ſectator, parcè etiam nimis de ea familia toti Orbi conſpicua dixerit, cum in alijs minoris ponderis hiſtorijs fuſior conſpiciatur. Quidni ergo hæc Militum Sancti Ioannis Religio ſui primi fundatoris conditionem, ſeu ſtatum ignorarit? An Carmelita Gerardus

8 Noſtrorum porro ſententiam circa hunc Gerardum, quod videlicet ex Carmeli Montis Eremitis fuerit vnus, credibilem eſſe ſuadent plura. Primum, quod, vt Coria ſuperius rectè notauit, *Eſte Sacro Orden de Nueſtra Señora del Carmen fue fundado en Tierra Sancta por los Santos Prophetas Elias, y Eliſeo, de los quales con ſucceſsion hereditaria, ſin Iamas aber quiebra, como dizen los Summos Pontifices, ſe ha venido deriuando eſta Religion*. Potuit igitur ex iſtis vnus, loco, & tempore vicinus, prima Ioannitarum Ordinis fundamenta iacere. Secundum, quia, vt idem Coria ſubiungit: *La Religion Carmelitana Iamas deſde ſu Inſtitution ha perdido la poſſeſſion de Tierra Sancta, aunque los infieles la ganaron muchas vezes de los Chriſtianos*. Ad ipſam ergo veluti primogenitam in ea patria nouellæ Religionis primordia promouere ſpectare poterat, ſi non debebat. Tertium, & proximius ad intentum, quod non ſolum hæc Carmelitana Fundamenta noſtrorum.

Religio ab Elia in Terra Sancta primum inchoata eſt, & in ipſa iugiter durauit, vt Coria teſtatur, ſed etiam, quia, veluti id eſſet Carmelitanum munus proprium, eiuſdem Terræ Sanctæ ſubuentioni, pro poſſe, & gnauiter incumbebant. Teſtantur hoc litteræ Nicolai Sorgini, huiuſmodi Hoſpitalarij Ioannitarum Ordinis magni Magiſtri (apud Claudium Robertum *in Gallia Chriſtiana* 21. inter Generales huius Religionis) & Guillelmi de Bello loco Magiſtri militiæ Templi, ad Bonif. VIII. Roman. Pontif. miſſæ: & aliæ Prælatorum eiuſdem Terræ Sanctæ ad eundem Bonifacium tranſmiſſæ, quæ habentur in Speculo Ordinis *fol.* 80. & apud Vualdenſem *tom.* 3. *tit.* 9. *cap.* 89. in quarum prioribus, ſic dicitur: *Obſeruanda ſubſidia, quæ fuerunt a priſcis patribus approbata. Inuenimus ſiquidem in noſtræ memoriæ tabula exaratum, quod Ordo fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo in ciſmarinis partibus a tempore quo memoria non exiſtit, a prædictis Patribus in eiuſdem Terræ ſolatium extitit inſtitutus: cuius alis opitulatione diuina extenſis, fratres eiuſdem Ordinis ſubuentioni dictæ Terræ ſe deuotius deuouerunt*. In poſterioribus autem ſic habetur: *Non ſunt antiqua prætermittenda ſubſidia, quæ nunc, prob dolor! æmulationis conculcata lolio, a priſcis Patribus fuerunt approbata. Credimus enim vos non ignorare, Pater Sanctiſſime, qualiter Ordo fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli, qui inter cæteras ſacras Religiones Apoſtolicæ Sedi deuotas claret deuotione conſpicua, fuit in ciſmarinis partibus a tempore, cuius non extat memoria, a prædictis Patribus, in eiuſdem Terræ Sanctæ ſolatium inſtitutus. Cuius alis late, longeque poſtmodum opitulatione diuina extenſis, fratres eiuſdem Ordinis ſubuentioni eiuſdem Terræ Sanctæ deuotioni pene ineffabili deuouentes, quæ manus pietatis ſubminiſtrauit, eiſdem tenui particula pro ſuis ſupportandis neceſſitatibus retenta, fratribus domorum ſuarum præmiſſarum partium miniſtrabant, deuotius in ſæpe dictæ terræ ſubſidium conuertenda*. Cum ergo ex ijs litteris habeatur quod Carmeliticus noſter Ordo *in ſolatium Terræ Sanctæ fuerit inſtitutus*, & fratres eiuſdem *ſubuentioni dictæ Terræ ſe deuotius*, vel *pene ineffabili deuotione deuouerint*, & eleemoſynas illis erogatas in eiuſdem *ſubſidium* conuertiſſent, proculdubio credibile etiam valde erit, primæ inſtitutioni huius Militaris Ordinis, qui ſimiliter ad *ſubuentionem*, *ſubſidium*, & *defenſionem* eiuſdem Terræ Sanctæ erigebatur, operam nauaſſe: medijs videlicet ſui Carmeli Eremitis, qualis vnus is Gerardus agnoſcitur. Accedit quartum, quod cum in S. Ieroſolymorum Ciuitate, vel circa illam, iuxta fluuium præſertim *Laura* cognominatum, iugiter, ac continuo, etiam dum erat ſub Saracenorum iugo, fuiſſent Carmelitani Ordinis Domus, ſeu Cœnobia, quæ idcirco *Lauræ* appellabantur, prout plura, quæ in præc. Tomo, & in iſto in ſuperioribus ſunt adducta, haud leuiter ſuadent: Ordo autem iſte Ioannitarũ inter cæteros Militares ſub titulo veræ Religionis, & ipſius alumni ſub titulo ſpeciali *fratrum* Inſtituti fuerint,

in

in eadem quoque Solymorum Vrbe, quis facilè credat Gerardum ipſius primum inſtitutorem hominem mere laicum fuiſſe, non vero Regularem, imo & illius patriæ veluti propriæ Religionis, Religioſum, qualem noſtrum Gerardum aſſerimus? Creſcit robur huius fundamenti ex celeberrimi Authoris Abulenſis teſtimonio, qui *tom.*1. *fol.*37. *in Epiſt. D.Hieronym. ad Paulin. cap.*7. inquit. *Spiritus Sanctus fuit effuſus in cœnaculo Sion, id eſt, in quadam domo magna, quæ erat in Monte Sion, ſcilicet in alto loco Ciuitatis. Et ibi cœnauit Dominus cum Apoſtolis. Eſt nunc ibi domus illa, a qua incœpit Ordo, qui dicitur Hoſpitalariorum.* Etenim locus iſte Montis Sion antiquiſſima Ordinis noſtri manſio fuit, prout probant ea, quæ ex Ioanne Ieroſolymitano, Thoma Vvaldenſi, & alijs adduximus *tom. præced. ſub ann. Chriſt.*40. *num.*5. Si autem iſte Sion Montis locus Carmelitarum veluti proprius fuit, ſane Ioannitarum Religio in eo loco (vel circiter) erecta, ad ipſos ſpeciali iure ſpectabit; fundationis nempe titulo, per Gerardum Carmelicolam inchoatæ. Iuuant quoque quæ eodem Tomo *ſub ann. Chriſti* 326. *num.*3. dicta manent, de extructione Cœnobij Monialium *in loco Dominici Sepulchri* per Helenam Conſtantini Imperatoris Matrem facta: etenim ſi conſulamus ea quæ ſuperius ex Arnoldo Boſtio adduximus, conſpicue cernemus quod iſte noſter Gerardus *Procurator* erat *Monialium ſororum, non longe a Sepulchro Domini.* Iure ergo potuit Inſtitutionem Militum Sancti Ioannis promouere. Præſertim etiam, quia in eadem S. Ciuitate, teſte eodem Boſtio, *eo ann.*326. *num.*10. relato, habebant Eremitæ Carmeli, *virorum duo Monaſteria, ſcilicet in Monte Sion, & in Porta aurea, & vnum in Monte Oliueti.* Ex aliquo ergo iſtorum prodire potuit hic Gerardus noſter. Eo etiam quod Marinus Sannutus *de ſecret. fidel. Cruc. lib.*3. *par.*7. ſequens etiam Iacobum de Vitriaco *in hiſtor. Ieroſol. cap.*64. vocat eum virum *ſanctæ vitæ, & probatæ Religionis.* Religioſus igitur erat.

9 Quamuis autem ea quæ adduximus ſufficienter euincant noſtrorum authorum placitum, in materia præſertim temporis vetuſtate, monumentorum amiſſione, incuria etiam vtriuſque Religionis Scriptorum abolita fere, & derelicta; nihilominus vnum aliud occurrit quo tam authores, qui hunc Gerardum hominem mere laicum exiſtimant, quam noſtri, & alij apud ipſos, qui ipſum fratrem Conuerſum Carmelitarum autumant, ad concordiam redigi poſſunt. Si videlicet dicamus Militare hoc Hoſpitalariorum Sancti Ioannis Inſtitutum ſub hoc præcisè Hoſpitalariorum titulo a Gerardo illo ſæculari primitus erectum fuiſſe; cæterum ſub Regulari, & Religioſo nomine, cum trium ſubſtantialium Religionis veræ votis obſeruantia, alijſque ceremonijs Regularibus, non niſi poſt aliquod tempus a prima ſui inſtitutione, a Gerardo alio, etſi eiuſdem nominis, re tamen diuerſo illo videlicet noſtro Procur. Cœnobij Monialium Ieroſolym. Quod ſic accidiſſe, nec voluntariè, aut ſine fundamento, id a nobis dici, elici poteſt ex contextu hiſtoriarum Confirmatio.

eius inclytæ Religionis. Cunctæ namq; ſupponunt, in prima ſui erectione non ſub Religionis titulo, tribuſue eſſentialibus votis, aut inſtitutis Regularibus, ſed potius ſub ſæcularium Hoſpitalariorum munere, onere, & titulo erectam fuiſſe; etſi poſtea ſub veræ Religionis forma, & dicta obſeruantia. Indicatur id etiam a noſtro Arnoldo Boſtio ſupra relato, dum inquit: *Primo fuerunt regulariter inſtituti* (nota lector verba) *ſub Patre Gerardo Eremita:* Indicans aliam priorem inſtitutionem, ſed non *regulariter*. A quo dicendi modo non diſcordant alij ex noſtris. Cui ſanè ſtandum, dum maiora non ſuppetant fundamentorum fulcra pro aliqua ex relatis ſententijs. Hæc porro a nobis dicta ſint, ne vel credatur huius Militaris Religionis clariſſimæ hiſtoricos, quaſi indignum putantes quod ignotus Conuerſus alterius Ordinis ſui Inſtituti primus author fuerit, ad nobilem illum Gerardum ſæcularem recurriſſe; aut noſtros Scriptores, gratis, & ſine fundamento oppoſitum ſomniaſſe. Eò præſertim, cum Boſtius pro hac parte afferat quandam Ieroſolymitanam hiſtoriam, quæ incipit *Terra Sancta promiſſionis*; & Caſanate afferat etiam exteros authores id profitentes.

Conuentus maior Panor. mi.

10 Congruit huic tempori, anno ſcilicet 1118. vel circiter, prima erectio Conuentus noſtri maioris Panormi Vrbis inclytæ Regni Siciliæ. Pro quo extant duo antiquitatis monumenta. Alterum eſt inſcriptio quædam trabi tecti eiuſdem Monaſterij Eccleſiæ poſita, ſub his numeris grandiori charactere ſculptis M. C. XVIII. Alterum, inſcriptio altera cuidam Sepulchro eiuſdem Eccleſiæ adiuncta ſub his M. C. XXI. quæ duo ſimul collata arguunt *ſub eo ann.* 1118. eam erectam, vel fundatam fuiſſe, & 1121. aliquem defunctum eo loco conditum. Etſi autem plura de hoc Cœnobio, viris Illuſtribus, qui in eo vixerunt; Reliquijs, quę ibi ſeruantur, & alijs ſimilibus, dici poſſent, de quibus Tomo IV. nonnulla; nunc vero illud non prætermittendum, in ea Eccleſia maximè coli Deiparæ Virginis marmore ſculptam deuotiſſimam Iconem; ad quam pie venerandam tota Ciuitas a Paſchate Dominicæ Reſurrectionis vſque ad Pentecoſtes feſtum ſingulis quartis ferijs a mane vſque ad tertiam noctis horam annuatim concurrit. Inter eiuſdem etiam Eccleſiæ pretioſiſſimas gazas locum primum tenet Spina quędam ex Chriſti Domini corona, Summorum Pontificum authoritate authenticata, & quæ ſingulis quadrageſimalibus ſextis ferijs ſolemniſſime in maiori altari exponitur: & muſica, concionibus, populique concurſu, ac proceſſione per cœmeterium celebratur. Eo etiam, quod vt dicitur, in illius extremitatis parte, veluti ſignum Chriſti ſanguinis aliquid adumbratur. Idcirco etiam prima Dominica Maij ſolemni Officio, ac Proceſſione per Vrbem, Prætore, & Senatoribus aſſiſtentibus cum cereis accenſis religioſè defertur.

Ann.

Ann.Chriſt.1124 vſque ad 1129. Honorij II. Rom. Pontif. 1. vſque ad 5. Ioannis Comneni Imper. Orien- tal. 7. vſque ad 11. Henrici IV. Imperat. Occiden- tal. 15.

1 POST tumultus aliquot a ſeditioſis excitatos tandem Honorius II. legitimus Papa creatur, hoc toto tempore Eccleſiæ clauum tenens; eò felicior quod primo ſui Pontificatus anno Henricus Imperator, nulla relicta maſcula prole, ex hac vita migrauerit, qui non parum Eccleſiæ aduerſarius extitiſſe deſcribitur. Felix quoque quia S. Bernardi Clareuallenſis Abbatis conſilijs per epiſtolas exhibitis dirigi potuit. Laborauit etiam pro quiete Caſsinenſis Monaſterij, cuius nonnulli Monachi deficere videbantur a primæua Summis Pontificibus obedientia exhibita. Diuitiæ enim, & opulentia ſolent prauos hos fœtus inter Sanctos etiã parturire. De ijs noui Chronologi, & Annaliſtæ, authorum huius temporis veſtigia ſectantes. Honorij II. Pontificatus.

2 Augebantur in dies Chriſtianorum vires in Terra Sancta, vindicata præſertim paulo ante Tyro inexpugnabili, & inclyta Ciuitate de Turcarum manibus, Dei miſericordia, & Venetorum claſſe, qui propterea optimè meriti de Chriſtianitate haberi meruerunt. Ad quod tempus, vel non multo poſt, referri videntur quæ hiſtoricus noſter Arnoldus Boſtius *lib.6. ſuæ hiſtoriæ cap.* 9. ſic ſcripta reliquit, ſimilia ſanè ijs, quæ B. Cyrillus, Guillelmus de Sannico, & alij ſcripſerant. *Dum cultus diuinus propter Chriſtianorum proſperitatem in Terra Sancta augmentari cœpiſſet, quamplures deuoti peregrini, qui ab occidente quotidie ſuperuenerunt, odore huius ſancti Montis tracti, & deuotione Religioſorum Eremitarum Montem hunc inhabitantium permoti, Mundo renunciabant, & pro contemplationem cœleſtium ſe eorum contubernio iungebant. Inſuper a diuerſis etiam mundi partibus multi deuoti Chriſtiani deſiderantes Terram illam videre, in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus fuit natus, conuerſatus, baptizatus, tentatus, transfiguratus, paſſus, mortuus, ſepultus, & poſt reſurrectionem in Cœlum aſſumptus, accedebant ad eam, perſcrutantes tunc ſecurè non ſolum loca Sancta in quibus Sancti Patres veteris teſtamenti magnifica egerunt, ſed præcipue illa in quibus Chriſtus Ieſus Sacramenta redemptionis generis humani adimpleuit. Hos itaque deuotos diuerſarum nationum aduenas ſancta conuerſatio, & abundans iuſtitia dictorum Religioſorum Montis Carmeli, ita ædificabat, & ad contemplationem cœleſtium trahebat, vt multi ex ipſius aduenis intuentes dictos Religioſos in pulchritudine pacis viuere, & tranquilla mente in antris Carmeli Montis reſidere, ſe felices putarent cum per deuotionem ſpretis, & relictis mundi oblectamentis poterant eorum conſortio* Terræ Sanctæ, & Ordinis noſtri progreſſus.

tio aggregari. Qui cum ita multiplicati fuiſſent, vt in Monte Carmeli iam recipi commodè non poſſent, repleuerunt etiam deſertas Terræ Sanctæ ſolitudines; in quibus prædeceſſores eorum antiquitus habitauerunt, quarum famoſiores hic commemorabo. Aliqui enim ſequentes veſtigia Sanctorum Patrum huius Religionis, ſcilicet Beati Ioannis Baptiſtæ, & filiorum Prophetarum, conſtruentes ſibi modica tabernacula in ſolitudine Iordanis, latuerunt. Quidam autem ipſorum deſertum Montis Quarentenæ elegerunt, vbi Chriſtus a Diabolo tentatus fuit; & illic vitam ſolitariam in modicis cellulis Domino ſeruierunt propè fontem cuius aquas ſteriles, & amaras pater noſter Eliſeus Propheta ſanauit. Alij verò eorum in Eremo illa quæ adiacet mari Galilææ, in qua Chriſtus frequenter turbis prædicauit, & ex quinque panibus ordeaceis, & duobus piſcibus multitudinem magnam hominum ſatiauit, & varijs miraculorum ſignis illuſtrauit, ſolitariam ſibi elegerunt habitationem.

Ex Abbate Trithemio.

3 Alludit ad iſta Ioannes Trithemius notiſſimus author, qui in libro *de laudibus Carmelitarum*, cap. 8. ſic ſcribit. *Manſerunt itaque fratres in Monte Carmelo, ſolitariam vitam in paupertate non modica ducentes donec multis euolutis annis, Terra Sancta per Chriſtianos iterum fuit reparata, & peregrinis iter ad illam in pace compoſitum. Facta fuit hæc Terræ Sanctæ recuperatio per Ducem Gotfredum anno Domini milleſimo nonageſimo nono. Deinde poſt annos paucos confluentibus vndique peregrinis, & maxime de regione Europæ, numerus fratrum in Monte Carmelo valdè multiplicatus eſt, intantum, vt præ multitudine Montes implerent, & vrbes. O ſi tunc Ordinis Carmelitici decorem in ſua maieſtate vidiſſes, nunquam fuiſſe ſimilem alium exclamares! Erat videre delectabile fratres innumerabiles circa Montem Carmelum habitantes in cellulis, & cauernis petrarum, id ipſum omnino ſapere, Deo Maximo die noctuque quam deuotiſſime ſeruire, mundum cum ſuis voluptatibus pro Chriſti amore contemnere. Summa tunc apud illos erat Religio, ſumma Regularis vitæ perfectio, cum fratres in carne manentes, carnem ipſam cum vitijs ſuis fortiter euicerunt. Floruit in pace Religio, quæ paulo ante turbata perfidorum incurſibus deficere putabatur. Venerunt ex omni Europa fratres peregrini, & colla Monaſticis diſciplinis in Monte Carmelo humiliter ſubmiſerunt.*

De habitu Præmoſtratenſibus a Virgine SS. conceſſo.

4 Circa hoc tempus, prout Hiſtoriæ Præmoſtratenſium ſcribunt, & ex ipſis Benedictus Gononus *in Chronic. S S. Deipar. ad ann.* 1125. ipſa Deipara S. Norberto Præmoſtratenſium patri candidum ſui Ordinis veſtimentum tradidit, & ante aliquot annos, eodem Gonono *ſub ann.* 1109. teſtante, eadem ſacerrima Virgo Alberico ſecundo, Abbati Ciſtercienſi egregio cultori ipſius etiam habitum album conceſſit. Quibus ſi iungantur quæ in ſuperioribus de Caſula, ſeu Planeta S. Ildephonſo ab eadem Sanctiſſimæ Dei Genitrice data, diximus, & quæ de ſimilibus donarijs pijs, & ſanctis viris ab ipſamet conceſſis *in lib. de Maria Patro-*

Patronâ cap. 5. *num.* 17. ſcripſimus, maius robur accipient ea quæ in ſequenti Tomo de donatione Scapularis noſtro B. Simoni ab eadem Dei Matre facta dicemus. Clareque conſpicietur rectiſſime a Sacra Congregatione Rituum in Officio Commemorationis ſolennis eiuſdem pro Carmelitis conceſſo appellari *Munificentiſſimam*, ſeu *Magnificentiſſimam*, propter hæc magnifica dona, & munera ſuis deuotis conceſſa.

5 Maius hinc quoque fulcrum habebunt, ea quæ ſecundo Tomo præcedenti circa *ann.* 42. *num.* 5. exarata reliquimus, de Epiſtola eiuſdem Deiparæ ad Meſſanenſes deſcripta. Quæ enim *Munificentiſſima*, & *Magnificentiſſima* Virgo eſt, habitum, veſtem, ſcapulare, caſulam, ſeu planetam, ſimiliaque donaria ſuis deuotis concedens, cur non ſibi deditiſſimæ Ciuitati Epiſtolam ſcriberet? vel in gratiam nouæ ipſius conuerſionis ad fidem, & legatiæ ad eam miſſæ? Plura de hac traditione egregij plures authores ſcripſerunt; nonnulla & nos loco relato diximus, quibus etiam non pauca addi poſſent. Sed multis omiſsis, vnum non reticendum, quod, vt ex fido valde teſtimonio accepimus, ipſamet Sacerrima Virgo, ſua ex benignitate, fœminæ cuidam piæ, religioſæ, ac ſibi deuotæ, reuelare dignata eſt eiuſdem traditionis veritatem, pleraſque etiam ipſius circunſtantias, cohærentes valde cum eis, quas nouiſſimè P. Paulus Belli eo loco adductus *in lib. de Gloria Meſſanenſium* diligentiſsimè cumulauit. Ex proceſſu coram Ordinario compilato id conſtare dicitur, expectarique Sedis Apoſtolicæ, & Sacræ Congregationis Oraculum, quo obtento, adgaudendum erit inclytæ Meſſanæ Vrbi, pluribus etiam alijs titulis decorandæ, quod pro huiuſmodi ſuæ pretioſiſsimæ gazæ defenſione, non ſolum è terra, ſed è Cælo etiam, ab ipſa quoque Cælorum Regina, teſtimonium habere mereatur. De Epiſtola SS. Deiparæ ad Meſſanenſes.

Ann. Chriſt. 1130. vſque ad 1140. Innocentij II. Roman. Pontif. 1. vſque ad 11. Ioannis Comneni Imper. Orient. 12. vſque ad 22. Lotharij Imper. Occiden. 1. vſque ad 6. & Conrad. Reg. Roman. 1. & 2.

1 HORVM annorum hiſtoria tertium hunc Tomum complebit; etſi non Innocentij II. Pontificatum; rationem præcipuè habentes ad noſtri Ordinis euentus, qui *ſub anno* 1141. & ſequentibus notabiliores fuerunt. Vt quarto Tomo in principio oſtendemus. Poſt Honorij ergo II. obitum Innocentius Petri Cathedram aſcendens, Petrum Leonem Antipapam, Anacletum Horum annorum hiſtoria.

electum ſecundum appellatum, ſibi aduerſarium paſſus (cuius fautores immania ſacrilegia perpetrarunt.) Gallias petens, ab Ordinibus Monachorum, Regibus, & Principibus ſuſcipitur, Ludouicum Francorum Regis filium conſecrat, & legitimus Pontifex approbatur in Concilio Rhemenſi, ac defuncto Anacleto, & Victore etiam Antipapa humiliato, Eccleſiæ pacem reſtituit, ac ſchiſmaticis veniam præbet. D. Bernardus, Petrus Cluniacenſis, Baronius, & alij, tum vetuſti, tum moderni.

De Cœnobio Luxouienſi. 2 Luxouienſe Cœnobium, de quo *ſub ann.*560. plura diximus, quia a B. Columbano Monachiſmi Prophetici cultore, vt eo loco oſtenſum, erectum fuit; hoc tempore enormiter deformatum cernebatur, quod olim fuerat obſeruantiæ Monaſticæ lucidiſſimum ſpeculum. Pro illius ergo reparatione in priſtinum laborabat Innocentius Papa, etſi fruſtra, prout ex litteris clariſſimi viri Petri Cluniacenſis ad eundem Summum Pontificem *lib.* 3. *epiſt.*23. innoteſcit. Vbi celebris illa ſententia Religioſorum Ordinum Reformatoribus penſitanda: *In negotio Religionis facilius poſſunt noua fundari quam vetera reparari.* Eſto autem nec ipſe Papa, nec Petrus iſte, eius in hac cauſa adminiſter, aliquid magni ponderis facere potuiſſent, Dei tamen ſapientiſſima prouidentia actum, vt paulo poſt Carmeli Religio, in ipſomet Monte, vbi totius Monachiſmi ab Elia primaria fundamenta ſunt iacta, ſub B. Bertholdi diſciplina, magnum incrementum acciperet, prout in ſequenti Tomo demonſtrabitur.

B. Bertholdi geſta. 3 Interim porrò Bertholdus ipſe omnibus virtutis, & Religionis obſeruantia factus a noſtris celebratur. Specialiter a Petro Thoma Saraceno in Menologio Carmelitarum in Vita ipſius, ſic dicente: *In ſacra igitur Religionis palæſtra, ſe Chriſti athleta exercens, cæteros Eremitas noſtros vitæ aſperitate vincere conabatur. Vnica in die contentus refectione, radicibus, & coctis oleribus frugali menſa vtebatur, quam ſacris meditationibus, & lectionibus gratiſſimam reddebat palato; veſtibus laneis, illiſque Eremitarum noſtrorum vſu rudibus incedebat amictus. Nulla ſane decurrebat hora diei, quæ ſuſpirijs, ac orationibus Deiparam Virginem humi aduolutus non ſalutaret, non conueniret. Quoſdam ex noſtris ſæpius audiuimus referentes hunc Sanctum virum in præruptis Carmeli Montis ſepties quotidie reclinatum mediterraneum Mare Angelico* Aue *Religioſo vſu conſalutare; in illius nubeculæ memoriam, quam Dux noſter Elias e marinis fluctibus aſcendentem ſeptima vice conſpexit, futura Incarnationis ſacrum prognoſticon. Imo his quoque temporibus vſu publicè venit, vt vniuerſi Ordinis noſtri fratres in ſingulis horis Canonicis flexis genibus Canticum illud mellifluum maximo deuotionis ardore recitare conſueſcant.* Inferius etiam: *Fama fertur apud noſtros Sanctiſſimum Patrem noſtrum Bertholdum ingenti quidem feruore ad augendam piorum deuotionem cooperatum eſſe modo orandi per globulos in annorum Beatiſſimæ Virginis Mariæ piam commemoratio-*

rationem. Quem orandi modum primùm excogitaſſe Petrum Eremitam noſtrum belli ſacri incentorem, teſtantur Iacobus Vitriacus lib. 1. *Hiſtor. Orient. cap.*16. *&* Polydorus *Virgilius lib.*10. *imo globuli iſti, ſeu calculi a Petro ipſo excogitati ex ligno ad orandum in via militibus monſtrabantur. Quod & B. Bertholdus ſuis Coëremitis paſſim præſtabat, vt Virginem glorioſiſſimam ordinatè, & attentè conſalutarent.* Qualiter hæc poſteriora abſque præiudicio Sacerrimæ Religionis Prædicatoriæ intelligi debeant conſtat ex dictis ſuperius circa annum 1086.

4 Ad idem tempus, annum videlicet 1137. tribuenda videtur aſſumptio Haymerici de Maleſaida, natione Galli, patria Lemouicenſis, de villa appellata Salamiacum., ex Antiochenæ Eccleſiæ Decano ad eiuſdem Patriarchatum. Etſi enim in hoc contradictorem habeamus Dominum Baronium, qui non niſi anno 1143. hanc aſſumptionem accidiſſe putat, quem ſine maiori diſcuſſione aliqui ſequuntur; at nihilominus pro nobis ſtat, tum multorum grauium Doctorum authoritas, tum maximè Gulielmus Tyrius, cuius veſtigijs inhærere Baronius exiſtimauit. Ex illis ſunt Honufrius Panuinus *in Chronologia Eccleſiaſtica*; Pineda *lib.*18. *Monarch. cap.*8. ex Genebrardo, Hieronymus Bardus *in Chronolog.* Maſchardus Freherus *in Chronolog. vtriuſque Imper.* ac ex noſtris Petrus Lucius *in Compend. hiſtor. Carmelitar. cap.*12. & Michael Muñozius *in Propugnaculo Eliæ lib.*2. *tit.*3. *cap.*1. *art.*2. Huius autem Patriarchæ Haymerici memoria in benedictionibus ſemper Ordini noſtro erit, quod ipſo promouente ſingulariſſima Carmeli reformatio contigit, in primum Priorem Generalem ex Latinis B. Bertholdo ipſius conſanguineo electo; Regula, quæ vſque ad id tempus Græco idiomate ſcripta erat, latinitati eiuſdem Aymerici induſtria donata, & quibuſdam, qui ex Occidentis partibus nouiter venientes Eliæ Religioni nomen dederant, in meliorem formam redactis. Quæ omnia, & alia ipſis cohærentia, Deo duce, ſequenti Tomo in principio, elucidabimus. Solum in præſenti cum Domino Baronio agendum, quatenus ipſe conatur ann. 1143. Aymerici ad Patriarchatum promotionem contigiſſe, ac proinde ea, quæ adduximus non niſi poſt id tempus euenire potuiſſe. Cæterum ipſum in hac hiſtoria falli non ſolum ex authoribus pro nobis relatis, quibus annus 1137. vt diximus, potius arridet; ſed ex alijs quoque fundamentis id deſumi poteſt. Ex quibus illud Baronio validiſſimum eſt, quod ex Vvillelmi Tyrij grauiſſimi eius temporis, & Patriæ ſcriptoris authoritate depromitur. At hic author *in hiſtor. lib.*15. *cap.*15. *&* 16. habet, quod cum Albericus Cardinalis Oſtienſis ab Innocentio II. Legatus in Orientem miſſus eſſet contra Rodulphum, ſeu Radulphum Antiochenſis Patriarchatus poſt Bernardum inuaſorem, eum ad Concilium Antiochiæ celebratum de varijs, & grauibus criminibus accuſatum, & vocatum, accedere nolentem, depoſuerit; & carceratum Principi Antiocheno tradiderit; ac quod in Monaſterio quodam iuxta mare catena-

Aſſumptio Haymerici ad Patriarch. Antiochenũ.

tus

tus manſerit, donec inde elapſus Romam venerit, & cum redire maturaret, veneno hauſto miſerabiliter interierit. Ex hoc enim elicitur, ſtatim poſt depoſitionem illius, quam *ſub ann.* 1136. Baronius refert, ſubrogatum fuiſſe Haymericum, de quo nos in præſenti, non expectata morte illius Rodulphi. Eo quoque quod Antiochenus Princeps infenſus valde erat huic Rodulpho, vt propterea credendum illico poſt ipſius depoſitionem, & incarcerationem curaſſe, vt alius eius loco ſubrogaretur, ne Eccleſia viduata remaneret, & eiecto ſpes ad ipſam redeundi omnino tolleretur. Eo ſimiliter, quod, vt ex eodem Vvillelmo refert Baronius *ſub ann.* 1136. quidam Petrus Armenius Præſidij Ciuitatis Antiochenſis cuſtos, cuius nepos erat Haymericus, eum in Sedem illam prouehere cupiebat, *quod & factum eſt* (inquit Vvillelmus) Nacta ergo occaſione depoſitionis Rudolphi, ſtatim ſine mora eum prouehere fecit; ac perinde anno 1137. vel circiter. Quorſum ergo ad annum 1143. ſperaret? Maximè id elicitur ex eo quod idem Vvillelmus *lib.* 16. *cap.* 3. *in princ.* ſupponit Aymericum pro anno 1142. Patriarchatum egiſſe; vnde clarè elicitur non anno 1143. vt Baronius autumat, ſed 1137. aut paulo poſt eam dignitatem exercuiſſe, tempore ſanè quo Eccleſia veluti viduata manebat ob depoſitionem Rudolphi. Tyrij en verba. *Anno Incarnationis Dominicæ* 1142. *Præſidente S. Rom. Eccleſiæ Dom. Eugenio Papa III.* (fallitur in hoc) *Antiochenæ Domino Americo, Ieroſolymitanæ Domino Vvilhelmo, &c.*

APPEN-

APPENDIX

Ad dicta Tomo II. horum Annalium, & in hoc III. circa Baſilicam, SS. Siluestri, & Martini in Montibus dictam.

HÆC eſt illa in Vrbe inſignis Eccleſia, & totius Ordinis noſtri, ob priſcam vetuſtatem, & innumerabilium SS. memorias, quæ in ea reconduntur, gaza pretioſiſſima. Ad Exquilias in regione *Orphea* dicta ædificata iuxta Thermas *Domitianas*; quæ poſtea *Traianæ* cognominatæ ſunt; prout diximus *tom.* 2. *ſub ann.* 81. *&* 99. Prædium prius locus ille erat Equitij Presbyteri, in quo, vt pote ſibi ab eo donato, S. Silueſter Papa *Oratorium*, ſeu manſionem prius habebat; quo vita tranquilliori, aëre puriori, ac pro Eccleſiæ regimine commodiori fruiturus, & a negotijs feriatus receſſit: & vbi Chriſtianis aduenientibus Sacramenta miniſtrare, & pia ſalutis dogmata impertiri curabat; vt propterea S. Silueſtri camera, ſeu cubile ex vetuſta fratrum Ordinis traditione illud Oratorium, & circumiacens cellula appellata iugiter fuerint, iuxta dicta eodem *tom.* 2. *ſub anno Chriſti* 313. *nu.* 5. ex antiqua Inſcriptione hac in eodem Oratorio, ſeu Capella priſco charactere Gothico ſimili vſque ad hæc tempora reſeruata: Eccleſia S. Martini.

Fracta vetuſta nimis, ſoliſque relicta ruinis,
Ne Silueſtri obeat noctis amica domus.
Presbyter hanc renouat, ſacrumque Altare vetuſtum
Repparat, hincque Dei, Præſulis hincque decus.

Cum autem perſecutio Gentilium in Chriſtianos graſſaretur, ex hoc Oratorio coactus eſt Sanctus Papa Silueſter in montem Soracte non longe ab Vrbe poſitum fugere; & ibi cum Clericis latere, donec vel Imperator Romam rediret, vel populi furor conquieſceret. Prout referimus eodem II. Tomo *ſub anno* 319. *num.* 2. Cum verò currente tempore Dei prouidentia actum eſſet, vt Conſtantinus tunc Imperator incurabili lepra vexaretur, & ab ipſa humano remedio curari non poſſet, quod medio Silueſtro è Soracte monte accerſito, & baptiſmatis lauacro rece- S. Silueſter.

pro omnino mundaretur corporis, & animæ ſalute obtenta, pro beneficio ſibi a Deo collató plures Baſilicas, tum in Vrbe, tum extra magnis exornatas muneribus dicauit, ac dicari permiſit. Quo etiam tempore Silueſter Imperatoris fauore confortatus in dicto prædio Equitij ſui Presbyteri, vbi Oratorium, & manſionem, vt præmiſimus, erexit, Eccleſiam & titulum Romanum ſub eiuſdem Equitij nomine conſtituit, quæ eſt inſignis iſta Baſilica, Carmelitarum iuri poſtea cedens. Sicut eodem II. Tomo *ſub anno Chriſti* 324. *num.* 2. ex Pontificali Damaſi Papæ, & alijs ſcripta reliquimus. Vbi etiam *num.* 3. quod hæc Eccleſia ſedes fuit eiuſdem Silueſtri, & *num.* 4. quod Deiparæ Virgini dicata fuerit, ac *nu.* 6. quod ſacerrimus hic locus a S. Silueſtro in Eccleſiam dicatus, & ornatus eodem anno 324. decoratus fuerit Synodo Romana ab eodem Papa ibidem celebrata præſentibus 284. Epiſcopis, multis Presbyteris, Diaconis, & ſubdiaconis, ac ipſo Conſtantino Imperatore cum Helena matre, & Calphurnio Vrbis Præfecto.

S. Silueſtri corpus. Sancto autem Silueſtro è vita mortali ad æternam migrante ad annum 335. ſacrum eius corpus in Cœmeterio Priſcillæ Via Salaria tertio ab Vrbe milliario ſepelitur: & inde a Sergio Secundo Papa cum alijs plurimorum Sanctorum reliquijs ad dictam Eccleſiam translatum fuit. Quemadmodum ex veteri Inſcriptione marmori inciſa, quam ex Ciaconio, & alijs retulimus, *ſub eo anno* 335. *num.* 2. annotauimus.

Symmachus Papa. Temporis autem progreſſu, cum circa annum Chriſti 500. Symmachus natione Sardus Summus Pontifex eſſet, videns, & dolens quod prima Eccleſia prædicta a S. Silueſtro erecta, quæ per annos 177. frequentata erat, iam eſſet ſubterranea, & decliuis, difficilis, & incommoda fidelium ſolitæ frequentationi, iuxta ipſam immediate integram, & intactam permanentem; aliam ſecundam in eodem loco conſtruxit, & in plano ædificauit, quam donis plurimis argenti, & auri, exornauit, ipſamque conſecrauit ſub nomine, & titulo Sanctorum Silueſtri, & Martini Epiſcopi Turonenſis, cuius deuotione etiam flagrabat. Et ex tunc hæc Eccleſia Sanctorum Silueſtri, & Martini Epiſcopi Turonenſis nomen accepit, non verò Sancti Martini Papæ: hoc quippe erat impoſſibile, quia Sanctus Martinus Epiſcopus octogeſimum annum primum agens mortuus eſt anno 402. Sanctus vero Martinus Papa floruit viuens anno 644. ſub Conſtante Imperatore longe poſt Symmachum Papam 144. annis. Ita notauimus ex Anaſtaſio Bibliothecario, Baronio, Ciacconio, & Reuerendiſſimo noſtro Ioanne Antonio Philippino ſupra *ſub anno Chriſti* 499. *num.* 2. vbi & *num.* 3. quanta magnificentia hæc Baſilica a Symmacho extructa fuerit, in tres naues diuiſa, & viginti quatuor marmoreis columnis, ac capitellis Corinthij ordinis ornata. Diximus etiam *ſub ann.* 772. *num.* 2. ex eiſdem Anaſtaſio, & Philippino, qualiter circa id tempus hæc Eccleſia S. Silueſtri reparata, & renouata fuerit ab Hadriano Primo Summo Pontifice, ipſius tecto refecto; forſan

quia

quia propter vicinitatem cum Eccleſia a Symmacho extructa detrimentum hoc paſſa fuerit. De quo idem Philippinus *ſupra pag.* 56. *&* 57. Addimus quoque *ſub ann.*796. Leonem III. piiſſimum amatorem Monachorum, veſtibus, & donarijs pretioſis eandem Baſilicam exornaſſe, id teſtante eodem Anaſtaſio. Eam quoque poſt plures annos Gregorius Quartus Summus Pontifex donis illuſtrauit, prout etiam animaduertimus *ſub anno Chriſti* 827. *num.*1.

Ornata maxime, & inſigniter reſtaurata fuit a Sergio Papa Secundo, iuxta ea quæ *ſub anno* 844. tacta a nobis ſunt. *Hic enim*, vt Anaſtaſij Bibliothecarij verbis vtamur; *pia deuotione ſollicitus pro deſiderabili dilectione Sanctorum Silueſtri, & Martini, Eccleſiam, quæ ſancto eorum nomini fuerat conſecrata, quam ab exordio ſacerdotij ſui vſquequo ad Pontificatus culmen deductus eſt, ſtrenue gubernauit, & quæ per olitana tempora detecta, vetuſtate marcuerat, ruiniſque confracta, diutina antiquitate lacerata manebat, Dei clementia annuente, in meliorem, pulchrioremque ſtatum a fundamentis perfecit. Abſidem quoque ipſius aureis muſiuo perfuſam coloribus ingenti amore depinxit. Et ad honorem Omnipotentis Dei, eiuſdem beatiſſimi Præſulis corpus cum Beatiſsimo Fabiano, atque Stephano, & Sothere Martyribus, & Pontificibus collocauit, ſimulque Aſterij martyris corpus cum ſanctiſsima filia eius, ſanctoque Cyriaco, & Mauro, Largo, & Smaragdo, ac Anaſtaſio, & Innocentio Pontificibus, vna cum Sancto Quirino, ac Leone Epiſcopis, pariter Artemio, Nicandro, & Creſcentiano Martyribus, cum quibus Beata Sotheris, atque Paulina, necnon Memmia, Iuliana & Quirilla, Theopiſte, & Sophia virginibus, atque Martyribus, & Beata Cyriaca vidua cum alijs multis, quorum nomina ſoli Deo ſunt cognita, eoſque ſub ſacro altari dedicans collocauit.* Ne his contentus idem Sergius Papa donaria plura eidem Eccleſiæ contulit, quæ referunt Baronius, & Reuerendiſſimus Philippinus ex dicto Anaſtaſio, & nos eo loco *ſub num.* 4. Sergius II.

Maxime repetenda Inſcriptio ſupra relata, & in marmorea tabula exarata ab huius Sergij Papæ tempore quæ vſque modo in hac Baſilica cernitur, quam etiam Baronius, & noſter Reuerendiſsimus Philippinus referunt, & nos eo loco adduximus. Talis autem eſt: *Temporibus Domni Sergij Iunioris Papæ recondita ſunt in hoc Sacro altari Corpora Beati Silueſtri, & Martini Pontificum. Item corpora beatiſsimorum Fabiani, Stephani, & Sotheris Martyrum, ac Præſulum. Adſunt etiam corpora Aſterij, & ſanctiſsimæ filiæ eius; nec non Corpora Sanctorum Cyriaci, Papiæ, Mauri, Largi, Smaragdi & ſociorum. Item corpora Siſenij, Anaſtaſij, & Innocentij Pontificum vna cum ſanctis Epiſcopis Quirino, & Leone pariterque Artemio, Siſiano, Pollione, Theodoro, Nicandro, Creſcentianoque Martyribus. Cum quibus adhuc repoſita fuerunt Corpora Beatorum Sotheris, Paulinæ, Memiæ, Iulianæ, Quirillæ, Theopiſtis, ac Sophiæ virginum, & Martyrum, nec non Beatæ Quiriacæ viduæ, Beatæque Iuſtæ cum alijs multis vtriuſque ſexus, quorum nomina Deo ſoli ſunt cognita, quorum corpora Sa-* Inſcriptio.

cro altari illud ipſis dedicans, collocauit. Sunt autem hæc Sanctorum corpora translata de Cœmeterio Priſcillæ Via Salaria, & dictus Pontifex conceſſit ſingulis ad hanc Eccleſiam Sanctorum Silueſtri, & Martini deuotè venientibus in feſtiuitatibus iſtorum Sanctorum tres annos, & tres quadragenas de vera Indulgentia.

Aliæ reliquiæ. Præter huiuſmodi autem Sanctorum corpora, & reliquias ſunt quoque innumeræ ferè aliæ minores, quas ex eodem Reuerendiſsimo *ſub anno* 493. etiam retulimus, vt merito propter illas Baſilica iſta inter clariores, quæ in Vrbe ſunt, cenſeatur. Eo vel maxime quod a S. Leone Papa Quarto religioſis operibus ſedulo inſiſtente, aucta & perfecta eſt hæc Eccleſia, prout ex Baronio, & noſtro Philippino, ac ex vetuſto monumento in eadem Eccleſia reperto, & a nobis relato *ſub anno* 847. *num.* 3. clarè innoteſcit. Illud autem tale eſt:

Sergius hanc cœpit Præſul, quam cernitis Ædem,
Cui moriens nullum potuit conferre decorem:
Sed mox Papa Leo Quartus, dum culmina ſumpſit
Romanæ Sedis, diuino tactus amore
Perfecit ſolers melius quam cœpta manebat,
Atque pia totam pictura ornauit honeſte,
Cœnobiumque ſacrum ſtatuit, Monachoſque locauit,
Qui Domino aſſiduas valeant perſoluere laudes,
Talibus vt donis cœleſtia ſcandere poſſit
Regna, quibus Martinus ouans, Silueſter & almus
Præfulgent, gaudentque ſimul cum Præſule Chriſto,
Quorum pro meritis hæc templa dicata coruſcant.

Hæc porro, quæ diximus robur accipiunt ex teſtimonio exteri authoris, Pauli Aringhi Romani Congregationis Oratorij Presbyteri in ſuo celebri, & egregio Opere *Roma Subterranea* nuncupato, vbi *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 44. hæc habet.

DE

DE SVBTERRANEIS DOMITIANIS, Siue TRAIANIS THERMIS,

Et de antiqua Beati Silueſtri Papæ intra eaſdem Thermas Eccleſia, quæ non multis abhinc annis Vrbi innotuit.

QVONIAM de Subterraneis potiſsimum Vrbis Romæ locis mentio incurrit, in quibus Chriſtiani, dum ingruerent perſecutionum procellæ, ad ſacra obeunda munia, & ad ſynaxes de more peragendas conuenire conſueuerant, hic de Domitianis, ſeu Traianis Thermis, quæ diu ſubterraneas inter tenebras ab oculis procul toti Chriſtiano Orbi inuiſæ delituere, & vel ab ipſis Chriſtianæ fidei incunabulis in ſacrum Eccleſiæ vſum deſtinatæ, confluentibus illuc fidelibus, nobilis inſtar aſyli inſeruientes, ad diuinorum participationem myſteriorum tuto omnes, qui illuc confugiebant ſinu excepere. *De locis ſubterraneis.*

Cum enim B. Silueſter Romanus ad Summi Pontificatus apicem euectus tunc temporis fuiſſet, quando Chriſtianis haud palam agere perſecutorum metu fas erat. Quippe etſi Conſtantinus iam probe de Chriſtianorum Religione ſentiret, adhuc tamen eorundem fides male admodum apud Senatum, vrbanaſque Præfecturas olebat, ijdemque haud pacifice, vbi erant, verſari permittebantur. Quamobrem vt Baronius in ſuis ad Romanum Martyrologium Notis ediſſerit, Silueſter paterna relicta domo, quæ ad Campum Martium eo loco ſita erat, vbi nunc Monaſterium, & ſub eiuſdem Sancti Silueſtri titulo Eccleſia conſpicitur, deliteſcendi gratia in Exquilinum collem intra ſacerdotis cuiuſdam prædium ſe recepit, cui nomen *Equitius*, & quo ſatis familiariter vtebatur. *De S. Silueſtro.*

Porro collis hic præclaris olim, vt hiſtoriæ narrant, habitatoribus, & inquilinis mirifice nobilitatus eſt. Hic enim Pompei Magni, & Ciceronis domum, & aliam inſuper, in qua ipſe Octauianus Auguſtus *Collis Exquilinij incolæ.*

 edu-

educatus fuerat extitiſſe fama percrebuit. Eodem in Colle recolendæ amplitudinis, ac magnificentiæ ædificia quamplura ſuſpiciebantur. Inter quæ potiſsimum Titianæ Thermæ extabant, quæ a Tito Veſpaſiani Imperatoris filio erectæ primum fuerant, & poſtmodum Domitianæ, ac Traianæ, vtpote ab eiſdem Imperatoribus aquarum riuulis abunde locupletatæ, ac multiplici adauctæ ornamentorum genere, dictæ ſunt. In peculiari verò Thermarum, quas modo deſcripſimus, parte, *Equitius* præclari nominis vir domum obtinebat, apud quem cum beatiſsimus Pontifex habitationis locum elegiſſet, ibidemque ſedem manſurus fixiſſet, Oratorium ſibi extruxit, vbi clam Pontificalia munia de more exercens, fidelibus illuc iugiter confluentibus Sacramenta impertiri, mœſtoſque inter aduerſa, quæ tunc ingruebant ſolari conſueuerat. Extat adhuc eodem in Oratorio picturis exculto marmoreum altare, ſupra quod B. Silueſter Omnipotenti Deo incruentum offerre ſacrificium in more habuit, & nonnullorum inſuper Sanctorum Imagines ibidem ad hæc vſque tempora conſpiciuntur. Ne hic autem locus antiquitate, ac Sanctiſsimi incolatu Pontificis iugiter recolendus condigno venerationis cultu deſtitueretur, ſacerdos quidam hoc nobili poſtmodum titulo inſignitus, characteribus Gothico quam ſimilibus, parieti inſcriptis eundem poſtmodum illuſtrauit, quæ ſtudioſo lectori hic recitare voluimus:

Fracta vetuſta nimis, ſoliſque relicta ruinis
Ne Silueſtri obest noctis amica domus.
Presbyter hanc renouat, ſacrumque altare vetuſtum
Repparat, hincque Dei, Præſulis hincque decus.

De eodem Silueſtro.

Porro in præmemorato Equitij titulo multorum annorum ſpatio Silueſtrum Pontificem delituiſſe, vel ex eo probabile fit, quoniam etſi Conſtantinus Imperator Chriſtianis propenſius faueret, tamen ab Vrbe procul eſſet, & Vrbs truculentam Maxentij tyrannidem pateretur, Chriſtianis clam inter tenebras degere opus erat; vel tum præſertim quia poſtquam Conſtantinus Chriſti fidem amplexus eſt, Idolorum cultores acriter in Chriſtianos proſiliebant. Quapropter Silueſter, vt ſe Gentilium furori (quod Chriſtus in Euangelio edocuit) dando locum furentium iræ ſubtraheret, iterum ab Vrbe exul apud Soracten montem latebras quærere compulſus eſt. Sed Conſtantino deinde in ſomnis diuinitus admonito, quanam ratione a lepræ, ſi vellet, contagio liber euaderet, dum ſalutari ſcilicet Baptiſmate ablutus Chriſto nomen daret, prophaniſque Idolorum ſuperſtitionibus nuncium remitteret. Quapropter ſuperno ipſe afflatus numine ad conquirendum Silueſtrum exploratores in Soracten miſit, quos cum a longe vidiſſet, imperterriti animi ſacerdos iam præ foribus optatum martyrij tempus adeſſe ratus, ad ſuos

con-

conuerſus ait: *Ecce nunc tempus acceptabile*, ac ſi mox ad tormenta, ad carnificinam, ad necem ob fidei confeſſionem ſiſtendus eſſet. Sed res optime Chriſtianorum Religioni ceſſit: Silueſter quippe in Vrbem euocatus, benigne ab Auguſto exceptus, haud illatas ſibi contumelias, ſed honores vltro ſibi delatos præter animi expectationem deprehendit. Mox igitur Imperator baptiſmali fonte ablutus, & immane innocui ſanguinis balneum deteſtatus a lepra diuinitus expurgari meruit. Quo tempore illud pro Chriſtianis faciendo reſcripſit, vt vbique nimirum Templa, & Eccleſiæ erigerentur, vel quæ iam a Chriſtianis erutæ erant adeuntibus vltro, ac libere paterent.

Quocirca Silueſter haud vlla interpoſita mora, temporis opportunitate fretus in præmemorato loco Eccleſiam extruere cœpit, & ad id opus Thermarum, quæ Titianæ dicebantur, partem, quæ ſub Oratorio a ſe erecto ſitæ erant ſapienti conſilio deſtinauit, perfectoque iam opere ad ſolandos Chriſtianorum animos eandem in Eccleſiæ vſum ſacris de more ritibus ſub præmemorati Equitij titulo inſtituit, vt ex M.S. Damaſi Papæ Codicibus, qui apud Vaticanam Bibliothecam aſſeruantur, & ex ipſius Bibliothecarij verbis hunc in modum videre eſt: *Hic fecit in Vrbe Roma Eccleſiam in prædio cuiuſdam presbyteri ſui qui cognominabatur Equitius, iuxta Thermas Domitianas; quem titulum Romanum conſtituit, & vſque in hodiernum diem appellatur titulus Equitij*. Hic interim enarratis iſthæc paulo infra Damaſus ſubijcit: *Eiſdem temporibus conſtituit Beatus Silueſter in Vrbe Roma titulum ſuum in regione tertia iuxta Thermas Domitianas, quæ cognominantur Traianæ, titulum ſcilicet Silueſtri*. De eodem.

Eccleſiam autem, cuius hic Damaſus meminit, Deiparæ Virgini ab eodem Silueſtro dicatam fuiſſe nonnulli aſſerunt, ad id aſſerendum permoti ex perantiqua eiuſdem Virginis imagine ex muſiuo confecta, quæ adhuc ibidem cernitur, etſi temporum iniuria, hæc iam ex parte exciderit. Præmemorata autem imago quodam in loco, qui in ampliori Thermarum ambitu in altaris formam aptatus eſt, cernitur. Sacris verò picturis eundem locum, quem in Eccleſiæ titulum Silueſter erexerat, exculptum fuiſſe, prophano gentilitiæ ſuperſtitionis cultu, ac ornamentis omnino abolitis, credere par eſt, vt ipſiuſmet loci proſpectus intuentes admonet. Eccleſia cui dicata.

Quod autem ad ſacras nunc Chriſtianorum imagines ibi expreſſas attinet; in fornice maioris Thermarum alæ Crux miræ magnitudinis varijs diſtincta coloribus contemplanda exhibetur, quæ præcipuum quidem Chriſtianorum inter exurgentis fidei primordia ſignum, ac ornamentum eſſe conſueuerat. Ibi pariter in altero inferioris ordinis fornice Chriſti Saluatoris imago, vna cum Sanctorum Pauli Apoſtoli, & Proceſſi Martyris imaginibus ad dexteram cernitur, ad ſiniſtrum autem latus B. Petri Apoſtoli, & Martiniani Martyris effigies coloribus adumbratur. De Imaginibus.

bratur. In cuiuſdam item arcuati fornicis proſpectu, Agnus media quidem parte candidus, qui Chriſti ſymbolum eſt, librum ſub pedibus præferens, ſuſpiciendus occurrit, quem a dextris Ioannes Præcurſor his plane verbis velut digito præmonſtrare videtur: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, eundem verò ad læuam Ioannes Euangeliſta illis itidem verbis prænotat: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*. Præterea, vt ſingula hic breui ſermone perſtringamus, ſacer ille locus quampluribus Deiparæ imaginibus diuerſimode pictorum penicillo delineatis nobilitatur. Sanctarum item virginum, quas eidem Beatiſſimæ Dei Genitrici ornamenti conciliandi gratia pictorum manus adiunxit. Verum haud hic ſilentio obuoluendum eſt, in tribus videlicet locis, quæ fornicem vſque pertingunt, tres palmarum arbores fructibus onuſtas intuentibus contemplandas exhiberi: palmam quippe iuſtorum ſymbolum eſſe nemo ſacræ antiquitatis ſtudioſus eſt qui neſciat: quapropter toties in ſacris Chriſtianorum cœmeterijs Chriſti Martyrum corpora hoc victoriali præſertim ſymbolo prænotantur: & cum locus, quem ſupra memorauimus, in interiori parte vacuus appareat, fieri etiam potuit, vt Martyrum ibi exuuiæ, ſicuti olim mos erat, reconditæ ſubſiſterent.

Imaginum antiquitas.

Verum enimuero illud a nobis hic ſtatuendum videtur præmemoratas imagines ſub ipſa Conſtantini tempora pia pictorum manu concinnatas, ibidem fuiſſe, tum quia hæ parum perpolitæ ſunt, cum eo potiſſimum ſeculo rudis admodum pictorum ars exiſteret, multiplici Chriſtianorum artificum, & præcipue præſtantium numero impijs perſecutorum gladijs reſecto. Id autem vel ex eo perſpicuè comprobatur, quod ſub ipſa Conſtantini tempora Sacrarum imaginum cultus magis magiſque vigere iam cœperat, vt ex verbis Adriani Papæ Primi ad Carolum Magnum in hunc modum ſcribentis videre eſt: *Enimuero in primo ſancto Concilio ſæpius oſtenſum eſt, quia Sanctus Silueſter Papa, & Conſtantinus Chriſtianiſſimus Imperator venerati ſunt ſacras Imagines, & cum nomine Chriſtianitatis palam coram omnibus fideliter, atque mirabiliter eas oſtenderunt, & a tunc vſque hactenus Sanctorum Pontificum, videlicet Silueſtri, & Marci, & Iulij mira magnitudinis ſancta eorum Eccleſiæ apud nos ſunt depicta, tam in Muſiuo, quamque in cæteris hiſtorijs cum ſacris Imaginibus ornatus*. En tibi, o Lector, patentibus vtique notis venerandas ſub Beato Silueſtro imagines quæ coloribus in erecta ab eodem Eccleſia pictæ ſunt deſignat, & digito, vt ita dixerim, demonſtrat: quas profecto picturas ea ætate qua hæc ſcribebat, illibatas omnino, ad quadringentos videlicet annos poſt Silueſtrum perſtitiſſe credere par eſt, & quas hic innuere viſus eſt.

De Thermis.

Porro deſcripta a nobis hactenus D. Silueſtri Eccleſia ſupra Titianas Thermas ingentis molem magnitudinis exhibentes ſubſiſtit, quæ lateritia ſatis vaſta eidem ad ſuſtinendum fulcimenta præbent. In eiuſdem

autem

autem Eccleſiæ parietibus, & varijs quidem locis foramina quædam, & concauitates conſpiciuntur, quas ad Martyrum inferenda, ſeruandaque corpora, vti in Cœmeterijs conſueuit, aptatas, pia Chriſtianorum manu fuiſſe, haud nobiſ improbabile redditur. Quod autem immanes iſtæ ſubſtructiones in Thermarum olim vſum deſeruierint, ex varijs quidem cuniculis quibus aquæ infundebantur, & calidus aer euaporabat, patens fit.

Oborta igitur optata temporum tranquillitate, ad Eccleſiam hanc Chriſtiani, hilares, vegetique confluebant, & patefactis ex inſperato Eccleſiarum valuis haud clam, ſed in ipſa pomeridiana luce immortali Deo placabiles hoſtias, ac ſacrificium laudis offerebant: cum interim Conſtantinus Silueſtri exemplo permotus, Eccleſijs munifice extruendis manum admouit. In ſuo quippe Lateranenſi Palatio Saluatori Ædem conſtruxit: in Vaticano Colle B. Petro Baſilicam: aliam inſuper Oſtienſi via B. Paulo erexit. Ædem quoque S. Crucis in agro Sertoriano, D. Agnetis Via Nomentana, & Laurentij Martyris Via Tyburtina magnificentiſſime exædificauit. Eccleſiæ a Conſtantino erectæ.

Porro quo venerationis cultu B. Silueſtri Eccleſia a fidelibus excolenda ſit illud potiſſimum pio Lectori ſuadere videtur, quod primum quidem eodem in loco Chriſti fideles è tenebris emerſit, ibidemque pietas, ac religio, domicilium, ac ſedem ſortita eſt: hic quippe poſt expiatum baptiſmali fonte Conſtantinum duo Concilia a Silueſtro Pontifice celebrari contigit, primum videlicet Romanum anno Chriſti 324. in quo Epiſcopi numero 284. totuſque Romanus Clerus deuote conuenit ad hymnum laudis immortali Deo canendum, ob Imperatorem Eccleſiæ fœliciter adiunctum, & ad ſalubriter Eccleſiæ regimini proſpiciendum: vbi quoque præcipua ad Nicænum Concilium præludia communi Patrum conſenſu præhabita fuere. Quod poſtea primum Concilium Nicænum appellatum eſt, in quo nefanda, ac impia Arij dogmata reiecta, ac tenebris addicta ſunt: & orthodoxæ fidei Symbolum, veluti validum Chriſtianorum propugnaculum, cunctis plaudentibus edictum eſt. Quod autem hoc potiſſimum loco Concilium, quod primum Romanum dicitur, a S. Silueſtro conflatum ſit, ipſa Concilij verba id aperte legentibus demonſtrant. In primo enim Canone qui ſancitus eſt, iſthæc recitantur: *Et quoniam mater Eccleſia genuerat filium chariſſimum Conſtantinum, Silueſter Epiſcopus Vrbis Romæ collegit vniuerſam Synodum Epiſcoporum cum conſilio Auguſti., vel matris eius, & fecit parari in Vrbe Roma intra Thermas Domitianas quæ nunc cognominantur Traianæ. Collegit autem in gremio Sedis ſuæ, &c.* Quibus verbis iſthæc Baronius ſubtexuit: *Epiſcopi conuenerunt in titulum Silueſtri, & fuerunt hæc veluti quædam Chriſtianæ pietatis encænia de primo Chriſtiano Imperatore ſummo omnium gaudio celebrata.* Eccleſiæ cõcurſus.

Porro in hoc ſacro Concilio ſoli dumtaxat Epiſcopi conſederunt, Epiſcopi.

Pre-

Presbyteri verò cum reliquo Clero ſtantes, vt acta exhibent, adfuere, & illud inſuper præſentia ipſemet Conſtantinus Magnus vnà cum pijſſima Matre Helena Auguſta illuſtrare, ac inſignire voluit, cui Calphurnius item Vrbis Præfectus, qui ex Gentilitate nomen Chriſto dederat, interfuit. Alterum verò Concilium quod in eiuſdem Silueſtri Ædibus celebrari contigit, illud fuit, in quo ipſemet Sanctiſſimus Pontifex vna cum 275. Epiſcopis, & Presbyteris tanquam ſupernum Orthodoxæ Eccleſiæ caput anno 325. ſingulæ Nicænæ Synodi decreta, Patribus eiuſdem Synodi exorantibus, Apoſtolica authoritate confirmauit. Eccleſia igitur hæc tot condignis antiquitatis recolendæ monimentis exculta, iugi fidelium veneratione, tum ſub ipſo Silueſtro Pontifice coli conſueuit, tum poſtquam idem è viuis deceſſit, tunc enim eadem in eius honorem tanquam in perennem Pontificis de Eccleſia optime meriti memoriam dicata eſt, vt perantiqua Cardinalium hoc Silueſtri titulo prænotata monimenta teſtantur. Poſt longa autem euoluta annorum ſecula, eadem Eccleſia tanquam de facie haud cuiquam nota inculta omnino remanſerat, licet ſub iam deſcripto *Equitij* titulo in ſacris adhuc tabulis eiuſdem dumtaxat nomen vigeret, cui cæteri Pontifices multiplicia ornamenta diuerſis ſubinde temporibus comparare non deſtitere.

Subterraneus locus.

Verum dum locus iſte ſubterraneus totius Orbis luce digniſſimus perobſcuris inuolutus tenebris è conſpectu omnium, atque memoria excidiſſet, præclara Chriſtianæ fidei monimenta nemo erat, qui pro merito recoleret, ſuſpiceretque; cum en tibi ſub anno redempti Orbis 1637. caſu, Deo diſponente innoteſcit, & Eccleſia pariter S. Silueſtri, & Oratorium non inquirentibus ſuſpiciendum, ac venerandum palam fit, vt profecto, abſque vllo ambigendi ſcrupulo, manu quiſque deprehendat ſub vno, eodemque Equitij titulo duas olim Eccleſias recenſitas fuiſſe; alteram a S. Silueſtro in præmemoratis Thermis erectam, & alteram eaſdem apud Thermas in ſuperiori parte a Symmacho Pontifice exædificatam, quæ ambæ ita ſitu differunt, vt vna inferior ſit, quæ S. Silueſtri dicitur, altera verò ſuperior, quæ à Symmacho Pontifice initium habuit.

Exclamatio.

Verum ſubſiſte parumper Lector, dum nobis interim hic exclamare licet: O locum omni plane veneratione digniſſimum (de ſubterranea nunc loquor Eccleſia, ad quam e ſuperiori D. Martini templo aditus patet) o locum, inquam, a fidelibus iugiter ſuſpiciendum, qui Silueſtrum Pontificem ſub ipſa Pontificatus initia inquilinum habuit, qui opportunas eidem Sanctiſſimo viro perſecutionis tempore latebras præbuit: huc inuictus Chriſti ſacerdos poſtquam apud Soracten delituerat, in Vrbem a Conſtantino euocatus, remeauit; hic precibus a Deo pacis tranquillitatem, & vt in erecta a ſe Eccleſia Euangelium Chriſti palam omnibus annunciaretur obtinuit: hic duo inſuper celeberrima Concilia ad totius Eccleſiæ ſtabilitatem, ac munimentum ab eodem coacta

ſunt:

ſunt: hic Pontificia eiuſdem ſedes integro decem annorum ſpatio immota conſtitit: hic demum ſolutis captiuorum Chriſtianorum vinculis, & Gentilium ſuperſtitione penitus abolita, palam ac libera fronte Chriſtiana Religio vexillum erigens, de ſubacta Romanę Vrbis idololatria triumphum reuexit, vt in ipſius nunc ſubterraneæ Eccleſiæ aditu coloribus adumbrata intuentibus ad viuum imago exhibet. Huc igitur ſibi pie, ac ſtudioſe, tu quis es antiquitatis perſcrutator, & oculis contemplare, ac venerare oſculis locum in quo tot ſanctiſſimorum Epiſcoporum pedes conſtitere, vbi ſacerdotalis Siluestri pietas domicilium ſibi defixit, vbi Oratorium ille conſtituit, & ab hominibus ſequeſter cum Deo de Chriſtianorum rebus, & de cunctorum ſalute fiducialius egit. Hic certe locus excelſior Capitolio a fidelibus habendus eſt: ibi enim de Tyranno coronam victor Conſtantinus promeruit, nec non de Vrbe in libertatem vindicata palmam obtinuit: hic Chriſtianorum fides, ac Religio iubilans de idololatriæ ſuperſtitione trophæum erexit. Vt quid autem cum profano Capitolio locus hic comparandus, qui vel ipſomet Carmeli iugo, in quo Elias zelo Dei incenſus diu latitauerat æquiparandus videtur? Silueſtrum enim Romanum Pontificem latitantem pari, ac Eliam erga Dei cultum ardore ſuccenſum hic locus excepit, fouit, & orbi vna cum Euangelij luce eminus coruſcantem protulit.

Et merito quidem locum hunc Religioſorum Carmelitarum familia multis abhinc annis incolit, ipſius plane Carmeli iugi, ex quo Elias Ordinis eiuſdem auctor exijt, typum exhibentem. Vt adinuentos autem hoc in loco ſacræ, latentiſque antiquitatis theſauros, Lector, cui debes, acceptos referas, id merito pietati, ac ſtudio Reuerendiſſimi Patris Ioannis Antonij Philippini Romani Carmelitanæ familiæ Magiſtri Generalis adſcribe, qui cum Priorem apud eandem Eccleſiam locum teneret, toto in rem animi ſtudio incumbens, haud vlli parcens incommodo, ac labori, dum loca ſingula venerandæ antiquitatis perquirit, perluſtratque, recolendas, quarum ſermo eſt, Domitianas Thermas, & conſepultam in eiſdem B. Silueſtri Eccleſiam deprehendit. Vt autem vir de ſacra antiquitate optime meritus, cunctorum pietatem adaugeat, totum ſacri huius loci ſubterranei ambitum, Lectori ob oculos tabulis æneis delineandum curauit, cuius ille hiſtoriam edito iam ab anno 1637. ſingulari eruditione hac ſuper rè libello explanauerat.

Porro nobilis inſtar monimenti ſacris venerandiſque locis carmina iſthæc inſcripſit.

Hoc opus auguſtum ſi cernis forte viator,
Siſte gradum, nam ſunt mira videnda tibi.
Aſpicies Papæ Silueſtri dulce cubile,
Quo conſtat plures ipſum habitaſſe dies.
Inferiora petens, templum mirabere priſcum

Sub

Sub Conſtantino cuius origo fuit.
Quod tunc Silueſter Traianas extulit intra
Thermas, Exquilijs, Equitijque loco.
Munere multiplici exornans, ſacrauit & illud,
Et bis Concilium concelebrauit ibi.
En ſacra quanta modis miris monumenta coruſcant,
Ergo auidus viſas, & reuerere pius.

Inſcripta hæc interim recolendæ antiquitati carmina debitum deuotionis cultum cunctorum animis ingerunt; ad quem Reuerendiſſimus idem Pater magis magiſque propagandum, nunc ſuperiorem quoque Symmachi Baſilicam Martino Turonenſi Epiſcopo conſecratam, tot ſacris Martyrum exuuijs ex nobili Priſcillæ Cœmeterio illuc translatis apprime refertam, vetuſtate collabentem, ingenti plane animo inſtaurare aggreſſus, haud vllis expenſis, aut laboribus parcit, quo minus Eccleſiam omnibus abſolutam numeris, vetuſtate penitus abolita in nouam, ac pulchriorem formam cunctis ſpectabilem exhibeat: in qua antiquam quidem ſtructuræ totius maieſtatem columnæ marmoreæ, quibus incumbunt Eccleſiæ parietes, & recentem huius ætatis elegantiam picturæ, ſtatuæ, & laquearia venuſtate ſingulari conſpicua, totaque Eccleſia opere architectonico circumueſtita contemplantibus exhibent. Sed propoſitis primum Tabulis ad alia tranſeamus.

Poſt quæ apponit hic Author Tabulam ipſius Eccleſiæ, ſeu Baſilicæ a S. Silueſtro dicatæ cum his annotationibus denotantibus ea quæ in ipſa cernuntur.

Concilij.



Thermæ Titianæ, poſtea Domitianæ, ac Traianæ á S. Silueſtro Diuino Cultui dicatæ.

Poſtea adiungit ſequentia pro alia tabula Concilij primi Romani, de quo egimus *tom.* 2. *ſub ann.* 324. vbi etiam *num.* 8. diximus quo ſenſu hoc Concilium *primum Romanum* appellari poſſit.

Hic quidem Thermarum, quæ Traiana dicuntur, locus venerabilis, atque conſpicuus redditur ſacris bonis Oecumenicis Concilijs quæ a S. Silueſtro Romano Pontifice ibidem, vt diximus, celebrari contigit. Concilium autem primum Romanum (cuius ſermo incurrit) in Thermis Traiani in gremio Sedis ſuæ a Silueſtro collectum fuiſſe in primo eiuſdem Concilij capite expreſſum reperitur: quo tempore ſingularis pietas, & munificentia Conſtantini Orthodoxos erga Patres enituit, quibus ex tota Italia a Silueſtro in Vrbem aduocatis, ab Auguſto vehicula ſuppeditata ſunt, & annona inſuper, vt ipſiuſmet Synodi exordia perhibent. Ex hoc autem tempore Conſtantinus ſe in omnibus, & coram omnibus etiam gentilibus (vt Barouius ait) Chriſtianum perfectiſſimum exhibuit, & in Chriſtiana fide propagandi ardentiſſimum declarauit, omnia plane contraria perſecutoribus Imperatoribus officia explens, quæ quidem Euſebius eiuſdem laudator in hæc plane verba digeſſit: Illi (ideſt ethnici Imperatores) Chriſti famulos domicilijs, & laribus orbatos in exilium eycere: hic eos omnes domum reuocare, & proprijs ſedibus reſtituere. Illi eos ignominijs appetere, hic honoribus, & in omnium conſpectu illuſtres reddere. Illi pijs viris vitam eripientes inique eorum bona publicare: hic illos pluribus muneribus benigne, & liberaliter excipiens ad priſtinum ſtatum reducere. Illi per ſcripta decreta palam contra Eccleſiarum præſides diuulgata falſis calumnijs eos obiectare: hic contra viros eoſdem ad gloriam efferre, apud ſe ad altum dignitatis gradum tollere, & edictis, ac legibus multo clariores efficere. Illi ſacras Ædes precibus deſtinatas funditus euertere, eaſque è ſublimi diſiectas ſolo æquare: hic tum eas quæ ſupererant altius erigere, tum nouas ſumptu ex ipſius regijs theſauris ſuppeditato magnifice extruendas ſancire. Illi mandare, vt libri diuinitus inſpirati in ignem iniecti penitus delerentur; hic vt ijdem ex ærario regio, & ornarentur magnifice, & numero augerentur decernere. Illi iubere ne Epiſcopi vnquam conuentus cogere aggrederentur: hic eos ex omnibus gentibus ad ſe conuocare, intromittere in palatium, ſinere in eius intimas partes penetrare, & laris ſui, menſæque regalis compotes eſſe. Et infra hæc ſubijcit: *Illi Dei ſeruos fœdis afficere ſupplicijs: hic eos qui hæc patraſſent perſequi, pœnaque debita Dei ope inflicta ad meliorem mentem traducere. Sanctorum etiam Martyrum memoriam hic colere non deſtitit, &c. In quas quidem res oculis coniectis dixerit aliquis merito nouum quendam, & inuſitatum mundi ſtatum modo apparuiſſe inſolito quodam lucis ſplendore veluti poſt craſſam caliginem mortali hominum generi eluceſcente, &c.* Quibus omnibus enarratis iſthæc coronidis inſtar apponit: *Fatendum ergo,* inquit, *vniuerſum opus ipſius Dei eſſe qui Imperatorem, tam pium impiorum multitudini aduerſariorum oppoſuerit.* Hæc merito Euſebius. *Vides quæ, & quanta laudabiliter Chriſtianæ Religioni auguſtiſſimus Imperator præſtiterit. Vides quam*

De Concilijs.

exoptata Chriſtianis, qui metu perculſi in tenebris deliteſcebant, lucis exordia affulſerint. Vt autem ſacræ huius Oecumenicæ Synodi, qua Vrbs Roma, & ſacer iſte Thermarum locus illuſtratus eſt, memoria menti fidelium altius inſideat, & oculis quoque iugiter ingeratur, antiquam rei hiſtoriam recenti quidem pictura in eadem Eccleſia qua ad ſubterranea loca deſcenſus patet, Carmelitanæ familiæ Patres repræſentandam voluere, cuius hic tibi ex nouo prototypo oblatam nobis iconem contemplandam exhibemus.

Adiungit deinde Tabulam dicti Concilij cum hac inſcriptione. *Concilium primum Romanum, celebratum in Thermis Traianis a S. Silueſtro, cui interfuerunt 284. Epiſcopi cum Vniuerſo Clero Romano, præſentibus Conſtantino Magno, Helena Sancta, & Calphurnio Præfecto Vrbis: nunc Baſilica SS. Silueſtri, & Martini in Montibus Ordinis Carmelitarum Tituli Æquitij.*

Concilium Primum Romanum

Celebratum in Thermis Traianis, a S. Silueſtro, cui interfuerunt cclxxxiiij Epiſcopi cum Vniuerſo Clero Romano: præſentibus Conſtantino Magno, Helena Sancta, et Calphurnio Præfecto Vrbis: Nunc Baſilica SS. Silueſtri, et Martini in Montib. Ord. Carmelitar. tituli Æquitij.



Quamuis autem præfata SS. Silueſtri, & Martini Baſilica Summorum Pontificum præmemoratorum munificentia reparata, reſtituta, & ornata fuerit; ac maximè pietate S. Leonis Papæ Quarti, prout ſcripſimus *ſub ann.* 847. qui ſimiliter altare maius argento puriſſimo 116. librarum ponderis cooperuit; inſuper temporibus ſequentibus S. Caroli Borromæi Titularis deuotione, qui maioris nauis lacunar, ſeu tectum ligneis cælaturis mirè elaboratum reliquit; ac Diomedis Carrafæ etiam Titularis Cardinalis benignitate, qui & ſtationem antiquam intermiſſam, ad eam reduci curauit, alijſque memorijs, quæ vſque in præſens cernuntur excoluit; Gabrielis quoque Paleotti Cardinalis pariter Titularis munificentia, qui & Eccleſiæ ianuas refecit, Confeſſionemque ſub maiori altari ſitam in Sanctorum honorem picturis varijs decorauit: demum Pius V. ipſam Parrochialem matricem conſtituit, ipſi ſubmittendo Parrochias S. Praxedis, SS. Sergij, & Bacchi, S. Ioannis de Carapullo, S. Saluatoris in Suburra, & S. Saluatoris ad tres imagines; prout in marmoreo lapide regiſtratum ad perpetuam rei memoriam ibi conſpicitur. Quod creditur egiſſe eo quod Parrochia iſta ad tria, quatuor, imo ſeptem milliaria, extra Vrbis portas, ad Viam præſertim Tiburtinam, extenditur. Item Gregorius XIII. plenariam Indulgentiam eidem Baſilicæ conceſſit pro die S. Silueſtri Papæ, declarans ſimiliter in ea requieſcere eiuſdem Sancti corpus. Ad hæc Nicolaus Audet Cyprius, & Ioannes Baptiſta Rubeus Ordinis Priores Generales, qui ſuam reſidentiam in hac Eccleſia habere ſoliti, ſicut alij, erant, Monaſterium ipſi adiunctum ædificijs pro fratrum habitatione ampliarunt. Excellentiſſ. quoque Catharina Sforza Comitiſſa de S. Flora ſingulariter SS. Virgini Carmelitarum Patronæ deuota inſignem Capellam ſub titulo eiuſdem Sanctiſſ. Matris in ea fabricari fecit, vbi pulchre depictus cernitur fauor ſingularis, quo hæc Religio fruitur, protectionis eiuſdem almæ Virginis poſt mortem fratrum, & confratrum, ſcapulare ſacrum geſtantium. Illuſtriſsima etiam familia de Sancta Cruce cognominata Altare maius magni pretij marmoribus ornauit, ibi Reginæ Cælorum Iconem conſtituit, effigies Sanctorum Silueſtri, & Martini depingi fecit, & tabernaculum inauratum pro cuſtodia Sanctiſsimi Sacramenti ſimul cum ſex magnis candelabris æneis, ac alijs ornamentis magni valoris, liberaliter conceſsit. Magnis porro, & multis prædijs donatam hanc Baſilicam ab huiuſmodi inſignibus benefactoribus olim fuiſſe, non obſcure indicant plures contributiones, vulgo *canoni*, ſeu *liuelli*, quas ex Baſilica S. Mariæ Maioris, Eccleſia S. Petri ad vincula, & S. Laurentij in pane, & perna, & alijs, per tempora recipit.

A quibus ornata hæc Eccleſia.

Cæterum illud Aggæi 2. *Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plusquam primæ* merito huic Baſilicæ decantare poſſumus. Etſi enim quæ diximus de fabrica, conſtructione, ornatu, & donarijs ipſius pro præteritis temporibus, veritatem contineant; quæ tamen nouiſsime annis iſtis,

Maxime a Reuerendiſſ. Philippino.

Gene-

Generalatus præſertim prænominati Reuerendiſsimi Patris Ioannis Antonij Philippini induſtria, diligentia, ſolicitudineque ipſius in ea geſta ſunt, illam illuſtriorem, & longe celebriorem in tota Vrbe reddiderunt. Quæ ſigillatim expendenda ad Dei gloriam, Deiparæ, & SS. honorem, & gratitudinem, quam tota Religio huius Generalis munificentiæ exhibere debitrix eſt. Deſcriptis etiam, etſi laconicè, totius Eccleſiæ fabrica, & ornamentis:

Templi deſcriptio. Primo etenim Templum totum in tres, vt inquiunt, naues, diuiſum, viginti quatuor columnis marmoris cariſtij, ſeu maculoſi, cum epiſtylijs Corinthij Ordinis, & baſibus artis mirabilis fulcitur. In capite autem Chorus, ſeu Odeum a tergo Summi Altaris cernitur, gloriam, ſeu beatitatem SS. omnium, eorum maximè, qui Carmeliticum decorarunt Ordinem, ac præſertim Deiparæ Patronæ Scapulare B. Simoni Anglico tribuentis, intuentium aſpectibus in fornice repræſentans, ac deuotionem Religioſorum eo loci Deo laudes canentium exacuens. Fornicis porro fimbria muſiuè elaborata a S. Leone IV. Papa, vt dicitur, verſus illos *Sergius hanc cæpit Præſul, &c.* ſuperius relatos demonſtrat. Viſuntur præterea in Odeo Imagines S. Silueſtri, Symmachi, & aliorum Summorum Pontificum, qui huius Eccleſiæ ſpecialiter benefactores extiterunt. In ea autem parte, qua Eccleſiam reſpicit, ad manum dexteram S. noſter Patriarcha Elias depictus offertur, hac cum inſcriptione. *S. Elias Propheta antiqui Carmelitani Ordinis Inſtitutor ante Incarnat. an.* 920. Ad læuam autem S. P. Eliſeus cum iſta. *S. Eliſeus Propheta Carmelitarum Religionis Propagator.* Et qualiter locus iſte cum alijs ad Eccleſiam, & Cœnobium ſpectantibus ab eodem Generali, dum in minoribus eſſet, reſtitutus, ampliatus, & ad meliorem formam redactus fuerit, inſcriptio hæc lapidi inſculpta oſtendit.

D. B. V. D. M. C. T.

Gregorio Canalio, Theodoro Stratio, & Alberto Maſſario, Vniuerſo Carmelitarum Ordini Præſidentibus, Fr. Ioann. Antonius Philippinus Romanus, Hiberniæ Prouincialis, & Cœnobij M. Prior, illius habitationem, veteribus mutatis ædificijs, nouiſque additis, commodiorem reddidit. Hortum ruderibus egeſtis complanatum muro diuiſit, & perenni aqua ditauit. Eiuſdem Cœnobij annuos prouentus, expuncto ære alieno, multipliciter auxit. Antiquiſſimam S. Silueſtri Eccleſiam, quæ per multa ſæcula incognita delituerat, nouam in lucem eduxit, & publicæ venerationi expoſuit. Huius autem Eccleſiæ lacunar multis in locis lacerum reſtituit, plateam ante minorem portam picturis decoratam aperuit, Sacrarium ampliauit, ac multiplici ſupellectili inſtruxit. Odeum hoc in aditu verſicoloribus valuis, & pulchriori ornatu concluſit. Intus vero, deletis vetuſtis æuo deturpatis picturis, nouiſque elegantioribus inductis; in formam multo quam antea decentiorem redegit. Anno ſal. 1642. *Vrbani VIII. Pontif. Max. an.* 19.

Eleua-

Eleuatur in medio chori, inſulæ inſtar, altare ſupremum, lapidibus, columnis, & picturis verſicoloribus condignis exornatum; in medio referens deuotiſsimam Deiparæ Virginis iconem, inter S. Siluestri Papæ, & S. Martini Epiſcopi imagines, ex Baglionis penicillo. Ad illud aſcenſus eſt per gradus marmoreos, quorum magnificentia, quia nondum perfecta, ſed hoc tempore inchoata, quamcitius apparebit. Conformis ſanè authoris pietati, ac deuotioni erga tot, ac tam inſignes Sanctos, quales ij, quorum memoriæ ſub eo altari ſitæ ſunt. Silueſter nempe, Martinus, Fabianus, Sother, Stephanus, Anaſtaſius, & Innocentius Romani Pontifices: Aſterius, Cyriacus, Maurus, Largus, & Smaragdus; & alij vtriuſque ſexus, quos longa ſerie in præcedentibus retulimus. Altare maius.

Quamuis autem pretioſiſsimas has reliquiarum, & Sanctorum, ac Sanctarum corporum gazas, eo loco reconditas eſſe nullum eſſe dubium poſſit; nec de hoc certiores fieri fratres noſtri deſiderarent; cum tamen pro fornicum, graduum, murorum, & aliorum ornamentorum dicti cœmeterij, altaris, & odei, fabrica, terræ pars magna eruta, & effoſſa eſſet, caſu contigit, vt arca marmorea, in qua cæleſtis hic theſaurus reconditus creditur, pariete quodam lateritio incluſa, obſcurè cerneretur; ſed candelula accenſa, & pro poſſe approximata, clarius compertùm eſt, cum eſſe locum SS. Reliquiarum. Illum igitur pie venerati fratres, intemeratum omnino reliquerunt; etſi pro perpetua rei memoria hoc inſtrumentum, ſeu teſtificationem fecerint; cuius originale in Archiuio eiuſdem Conuentus reſeruatur. Reliquiarum inuentio.

Anno Domini 1652. die 19. Decembris. Cum de mandato Reuerendiſſimi P. Magiſtri Ioannis Antonij Philippini Romani totius Ordinis Carmelitarum Generalis effoſſa eſſet terra in ſpatio eminentiori, in quo collocatum eſt altare maius Eccleſiæ SS. Silueſtri, & Martini in Montibus, quo extruerentur ibi fornices, & eruta poſtmodum inde terra locus ſubterraneus aperiretur ad ornatum, & elegantiam Templi, peruentumque eſſet ad radicem Altaris maioris, poſt aliquam ſuffoſſionem retectus eſt paries quidam lateritius craſſitiei non mediocris, in cuius medio erat forulus vacuus, ad cuius latera vtrimque conſpiciebantur imagines duæ depictæ, quæ etſi aliquatenus deletæ erant, ſatis tamen apparebat duos ibi Sanctos ex Ordine Carmelitarum repræſentari. Vt primum dirui cœpit dictus paries ad ſingulos ligonum ictus audiebatur repercuſſus ſoni, qui aliquid intus inane arguebat. Et verò paulo poſt peruentum eſt ad arcam marmoream palmorum circiter . . . . in quadrum; ibi ſtatum eſt, donec moneretur dictus Reuerendiſſimus Generalis, qui vocatis Patribus infraſcriptis, & inſinuata per rimas dicti marmoris minuta candela cerea, ipſe cum cæteris deprehendit intra præfatas marmoreas tabulas contineri capſam ferream craſſitiei vnius digiti. Obſeruauerunt præterea in ſuperiori parte dictæ arcæ ferreæ laminas quaſdam eiuſdem metalli ærugine, vt videbatur, corruptas, & deorſum curuatas eſſe. Inter

eas

eas laminas videbantur oſſa exilia, vt coſtas eſſe diceres. Hæc cum dictus Generalis cum alijs Patribus ſedulò obſeruaſſet, & religioſe veneratus eſset, nulla re mota vel mutata, iuſſit vt fornix ſuperextrueretur. Voluit autem teſtimonium hoc authenticum, & ab ijs qui teſtes præmiſſorum fuerunt, oculati, ſubſcriptum, ad poſteros peruenire, quo certiores eſſent condita ibi eſſe plurimorum Sanctorum Corpora, prout fert antiqua traditio, conſtatque ex veteri tabula marmorea, quæ in prædicta Eccleſia, hodieque aſſeruatur.

Ego frater Ioannes Antonius Philippinus Generalis Carmelitarum in præmiſſorum teſtimonium propria manu ſubſcripſi die, & anno quibus ſupra.

Ego frater Franciſcus Scannapieco Prouincialis Saxoniæ Secretarius, in præmiſſorum teſtimonium manu propria ſubſcripſi, die & anno quibus ſupra.

Ego frater Gabriel a S. Ioſepho Prouincialis Daciæ, & Secretarius, in præmiſſorum teſtimonium manu propria ſubſcripſi, die & anno quibus ſupra.

Ego frater Cyrillus de Maria Prior Carmeli Ciuitatis Caſertæ olim Prouincialis Neapolitanus in præmiſſorum teſtimonium manu propria ſubſcripſi.

Ego frater Albertus Strofolinus Prior Carmeli Ciuitatis Capuæ olim Prouincialis Neapolitanus in præmiſſorum teſtimonium manu propria ſubſcripſi.

Ego frater Petrus de Matthia in præmiſſorum teſtimonium manu propria ſubſcripſi, die & anno quibus ſupra.

De fratrum Carmelitarũ Imaginibus.

In hoc porro inſtrumento a Reuerendiſſ. P. Generali, & grauioribus Patribus Conuentus S. Martini in Montibus, qui eo tempore ibi commorabantur, facto, illud maximè animaduertendum, quod id quod in eo dicitur de duabus depictis Imaginibus eo loco repertis, quæ duos Ordinis Carmelitarum Diuos repræſentabant, cum eis colludere, quæ diximus *ſub ann.* 844. *n.* 6. videlicet, Papam Sergium Secundum, qui Eccleſiam hanc Sanctorum Sileſtri, & Martini in meliorem formam redegit, reliquijs, Sanctorumque Corporibus alijſque donarijs mirifice exornauit; Cœnobium quoque Monachorum Deo ſeruientium, qui aſſiduis Dei laudibus inſiſterent a fundamentis ibiconſtruxiſſe: quod non incongrue ex noſtris Eliadibus Orientalibus fuiſſe eo loco inſinuauimus. Hi enim Orientales Monachi ſub habitu Ordinis noſtri recte depingi potuerunt. Pro quo videnda quæ loco relato diximus.

Inſcriptio reperta.

In fabrica etiam chori, dum terra effoditur, hæc inſcriptio marmore rubrocælata, litteris etſi deformatis, reperta eſt.

Hic

Hic requieſcit in pace
Amandus qui vixit cum vxore
an̄. N
Locum quem donauit Dominus Papa
Hormiſda poſſe datur loc,
eum ne quis remoueat, defunctus eſt
nōn. Nouembris
Simmaco & Boetio
VV. CC.

Correſpondet anno 522. quo Conſules erant Symmachus, & Boetius hic nominati, prout ex Honuphrio in Chronicon ſub eo tempore habetur.

Maior nauis Baſilicæ a Choro vſque ad maiorem portam per 120. ſeu, ipſo choro comprehenſo, 150. palmorum ſpatium extenditur. Cuius tectum, ſeu lacunar, vulgo *ſuffito*, pietate, vt dictum eſt, S. Caroli Borromæi Eccleſiæ iſtius Titularis Cardinalis, affabrè elaboratum primò fuit; ipſius, & Pij IV. auunculi, ac Religionis Carmeliticæ ſtemmatibus exornatum: ſed valde, multumque conſpicuum hodie inter alia Baſilicarum Vrbis, effulget; quod auro, cæruleoque colore, mira arte, ſummo labore, & magnis ſumptibus, inauratum, depictum, ac ſingulariter hinc inde decoratum, ſtudio, zelo, & diligentia eiuſdem P. Generalis, conſpiciatur. Prout hæc inſcriptio, lapidi marmoreo inſculpta, cui gentilitia ſtemmata ipſius Reuerendiſſimi, Aquila nempe biceps, apponuntur, demonſtrat. De maiori naui.

D. O. M.

INNOCENTIO DECIMO
ROM. PONTIFICE MAX.

Baſilicam Æquitij a Silueſtro I.
iuxta Thermas Imperatoris Titi erectam,
a Conſtantino Magno ditatam,
a Symmacho reædificatam, ab Hadriano I.
Sergio II. Leone IV.
reparatam,
Petr. Alonſ. Card. Carraffa Titulare,
Fr. Ioannes Antonius Philippinus Romanus Generalis Carmel.
reſtaurauit, & ornauit, anno Iubilei
M. DC. L.

In vtraque verò parte tecti ſic magnificè elaborati vox *Humilitas* aureis De humilitate.

reis litteris ſcripta legitur, quia propria S. Caroli Borromæi fuit, & propria Religioſorum hæc virtus eſſe debet.

Ornatus nauis maioris.

Ornatur maxime nauis hæc maior, & media Baſilicæ, pulcherrima corona, vulgo *cornice*, ſeu *corniccione*, in qua, & ipſius fimbrijs, mirabiles admodum conſpiciuntur figuræ, auro, cæruleo, alijſque dignis coloribus interiectæ; Sanctorum videlicet, & Sanctarum, quorum, quarumque Reliquiæ in Eccleſia conditæ manent; inſtrumentorum, & ſignorum eorum ſanctitatis, vel Martyrij; Mitræ Papalis, & Coronæ Imperialis, Silueſtri nempe Papæ, & Conſtantini Imperatoris; Aquilæ Imperialis, & Philippinorum domus Gentilitiæ; Capelli Cardinalitij, eorum vtique, qui Titulares Baſilicæ fuerunt; numiſmatum, ſeu medagliarum varij generis; Hieroglyphicorumque ſacrorum Patrum veteris teſtamenti: nec abs re, eo quod Titus Imperator, qui Ieroſolymam euertit, plura Hebræorum trophæa ad hunc locum, in quo ipſius Thermæ erant, attuliſſe dicatur.

Ornatus ſecundæ nauis.

In ſecunda Eccleſiæ naui, quæ dextrum latus occupat, primò, & veluti in capite, Capella Sanctiſſimæ Dei Genitricis de Monte Carmelo cernitur, cum ipſius depicta tabula, fauorem, quem animabus Purgatorij fratrum, & confratrum præſtat, oſtendens: quo loco huius Confraternitatis alumni, & deuoti alij ipſi pias laudes decantare ſolent. Sequitur in primo vacuo muri antiqua Eccleſia S. Petri in Vaticano depicta, admirabili perſpectiua, & referens Concilium ſub S. Dionyſio Papa Prophetici huius Ordinis alumno, celebratum, manu Philippi Gagliardi Romani. Supra autem alia pictura oſtenditur magnum Eliam Prophetam in monte Horeb latitantem demonſtrans: quam hiſtoriam *tom.1. ſub anno Mundi* 3127. *n.* 2. deſcripſimus. Proxime adhæret altare Sanctiſſimæ Trinitatis, & Sanctorum Apoſtoli Bartholomæi, ac Nicolai Epiſcopi. Interponitur Sacriſtia, ſeu Sacrarium Eccleſiæ a præmemorato P. Generali apprime, & ſingulariter elaborata; columnis magnis ſuffulta; ornamentis, & vaſis ſacris, ſericis, & argenteis valde pretioſis, & in capſis, ſeu ſcrinijs ligni nucei reconditis, copioſè locupletata; reliquijs quoque Sanctorum, maxime Regno mundi, ſeu Mitra S. Silueſtri Papæ, ac pretioſiſsima Reliquia S. Martini Turonenſis Epiſcopi ex Galliæ partibus, dum in illis viſitationis gratia ipſe P. Generalis moraretur, Romam delata. Supra ſacriſtiam autem, & vacuo muri depictus eſt S. Pater Eliſeus dum cum duodecim iugis boum arans meruit a protoparente Elia pallio, & Monachatu ornari, prout ex ſacræ paginæ libris oſtendimus eo 1. *tom. ſub anno Mundi* 3127. *num.*4. Apparet etiam ſupra hanc picturam alia ipſiuſmet Eliæ Achab regem Iſraelis reprehendentis ob idololatriæ piaculum. Quod geſſiſſe ex eadem Sacra pagina *ſub anno Mundi* 3123. deſcriptum habemus. Subſequitur altare cum tabula, & imagine Sancti noſtri Alberti Muciani opera depicta. Et poſt hæc Romanum Concilium in hac Baſilica celebrarum, Conſtan-

ſtantino Imperatore præſente ſupra [illegible] ſuperiorem ad inferiorem, ac vetuſtiorem deſcendit. Quam [illegible] præcedentibus enucleatam Lector habet. Aſta [illegible], per quam ex Eccleſia ad Conuentum fit aditus, cum ſequenti apud [illegible] inſcriptione: *Diomedi Carrafio Presbytero Cardinali Arianenſi tituli huius Eccleſiæ, viro, moribus, doctrina, virtute, & ſanctimonia exculto, Sacrarum Ædium inſtauratori religioſiſſimo, qui hoc Templum deformatum in meliorem faciem quam dudum fuerat reduxit. Fratres Carmelitæ ex Eliæ, & Eliſei ſcola oriundi, ob inſtauratam ſui Cœnobij partem infimam horto contiguam, necnon ob ſarta detrimenta, quæ illis ex teſtamento donauit, ad nominis perpetuitatem, ad integritatis, & honoris, virtutiſque fidem eius illuſtrium Carrafiæ, & Vrſinæ familiæ inſignia, & hunc inſculptum lapidem plurimis effuſis lachrymis conſtituerunt: atque, vt inde poſteri Carmelitæ, dum agnouerint quam de Inſtituto Carmelitico optimus ille Pater fuerit benemeritus, non obliuiſcantur quæ debent; debent autem ſingula, ita loquuntur, ſeptimana, Miſſam funebrem, & quotannis pridie Idus Auguſti ſupremi illius diei exequias repetere, ac iterare. M. D. LXI. die* XIIII. *Octobris*. Supra præmemoratam ianuam hiſtoria primo depicta conſpicitur filiorum Prophetarum, vt Patrem adorantium Eliſeum, poſt Patriarchæ Eliæ tranſlationem ad Paradiſum. Adhuc ſuperius alia eiuſdem Eliſei per vrſos, & maledictionem ſupplicium inferentis paruulis, qui eum, & Dei Prophetas floccipendebant. Tangitur a nobis vtraque hiſtoria eodem *to.* 1. *Annal. ſub anno* 3139. *num.* 17. & 18. Huic ferme ianuæ adhæret altare cum imagine, & tabula S. Angeli noſtri in eremo agentis, & a Chriſto Domino conſolationis gratiam recipientis. Poſt quod ſequitur interior proſpectiua antiquæ Baſilicæ Lateranenſis eundem S. Angelum, & glorioſos Patriarchas Dominicum, & Franciſcum, qui ipſum concionantem audierunt, etiam repræſentans. Et ſupra hanc picturam quædam alia de Sacrificio noſtri P. Eliæ quando ignem e Cælo deſcendere fecit in Monte Carmelo antiquo huius Religionis, & primordiali loco: quam etiam hiſtoriam tetigimus prædicto II. Tomo *ad ann. Mundi* 3[illegible]26. Demum ad calcem huius ſecundæ nauis Eccleſiæ S. Cyrillus Græcus Carmelitarum Generalis depictus conſpicitur baptiſmi lauacro abluens Sultanum quendam Mahumetanum. Quam rem *tom. ſeq.* Deo dante, dum de eodem B. Cyrillo ſermo erit, comprobabimus.

Tertia nauis Baſilicæ huius ad ipſius læuam ſita oſtendit primo in muro depictam hiſtoriam de viſione, ſeu reuelatione [illegible] Carmeli eremitis, de progenie videlicet Sereniſſimæ Virginis Mariæ, ipſiuſque conſanguinearum; maximè Emerentianæ, quam ex pluribus Authoribus, tum exteris, tum domeſticis, ſcripſimus eodem 2. *relato to. ad an.* 3976. Cui ſuperponitur ferme ſimilis alia facta parenti Eliæ ante ipſius ortum, quam etiam commemorauimus *ad annum* 3123 *num.* 7. Adhæret proxime Capella S. Cardinalis Caroli Borromæi [illegible] Baſilicæ Titularis, &

p[illegible] h[illegible] c[illegible]or[illegible]. Poſt quam ſequitur pictura delineans hiſto-
r[illegible] ſtraici p[illegible], & Hieroſolymorum Vrbis euer-
ſ[illegible] vi[illegible] Carmelo per Baſilidem Carmeli ſacerdotem,
bonum de futura victoria Veſpaſianus augurium accepit. Prout late,
ex Ethnicis, & Chriſticolis Authoribus *to. 2. Annal. ſub ann. Chriſti 69.*
ſcripſimus. Supra hanc hiſtoriam oculis præſentatur alia Cyrilli iam,
commemorati de mirabili illa receptione duarum tabularum argenti,
mundi futuros caſus continentium. Quam quoque hiſtoriam *tom. ſeq.*
annuente Deo elucidare noſtrum erit. Succedit altare S. Stephani la-
pidati cum eius imagine manu Ioannis Angeli Canini Romani depicta.
Adhæret proxime pictura Patriarchæ Eliæ Azahelem in Regem vngen-
tis, quod qualiter contigerit, & an potius Eliſeus id egerit *tom. 1. Annal.
ſub ann. 3127. & 3149.* delineauimus. Apparet etiam ſupra Elias depi-
ctus Iezabelis impietatem fugere monitus iuxta ea etiam quæ eodem,
tom. ſub anno 3123. num. 12. annotauimus. Apparet item poſtea alta-
re S. Martini Epiſcopi Turonenſis ipſum effigians quando dimidium,
pallij pauperi largitus eſt. Vnde ad pallium alludens ſequitur poſtea pi-
ctura Patriarchæ Eliæ tranſeuntis Iordanem ſicco pede per pallij percuſ-
ſionem; quod & ſcriptum reliquimus eo 1. *tomo ſub anno 3139. num. 3.*
Conſpicitur, & ſuper hanc picturam, alia quoque eiuſdem Eliæ, cui cor-
ui cibaria miniſtrant, iuxta hiſtoriam S. Scripturæ quam *ſub ann. 3123.
num.* 12. retulimus. Altare ſequitur S. Virginis Thereſiæ cum viſione,
Virginis virginum, & virginis Sponſi Ioſephi pretioſa donaria ipſi
tribuentium. In vacuo ſequenti depicti monſtrantur Elias, & ipſius
diſcipulus cum viſione nubeculæ paruæ, quam etiam ex ſacris litteris
ſub annis Mundi 3126. 4037. & 4042. elucidauimus. Et ſupra hanc
picturam alia de raptu ipſius ad Paradiſum pallio relicto ſocio Eliſeo hi-
ſtoria quoque ſacra a nobis quoque deſcripta eo anno *3139.* Accedit al-
tare B. Virginis Magdalenæ de Pazzi in extaſi poſitæ. Poſtea depicti
quoque cernitur Elias præcipiens militibus, vt Baalitas ſacerdotes, ſeu
Prophetas ſacrilegos, interficerent, ſicut ex ſacris paginis retulimus *ſub
anno* 3126. Ac ſupra B. Symon Stoch in trunco arboris incluſus, & cæ-
leſtibus conſolationibus decoratus. Demum in calce huius terti[illegible]
fornix eſt ad modum altaris, vbi Baptiſterium huius Baſilicæ conſpicitur,
& Saluator mundi in Iordane cum Ioanne Baptiſta baptiſmi lauacra,
conſecrans. Ac ad latus Baptiſterij decretum Apoſtolicum erectionis
huius Baſilicæ in Parochiam Matricem, prout in ſuperioribus annota-
uimus.

Principalis huius Baſilicæ porta quatuor Ionicis columnis ſuffulta,
cum alijs breuioribus adiacentibus, verſus orientalem plagam extare,
conſpicitur; nobiliter ab externa parte, ſed nobilius ab interna, quæ
reſpicit ipſam Eccleſiam, exornata; ſtatuis enim inſignibus, & alijs or-
namentis a[illegible], & cæruleo colore delineatis ſpecioſitate fulget. A dex-
tris

1470969

tris in inferiori parte Principem Apoſtolorum Petrum habens, cum hac inſcriptione *Paſtor ouium*; & a ſiniſtris coapoſtolum Paulum cum iſta, *Doctor gentium*. In ſuperiori vero ad dextrum latus S. Ioannem Baptiſtam cum hac, *In ſpiritu, & virtute Eliæ*, qua denotatur Chriſti præcurſorem primi Eliæ æmulatum fuiſſe veſtigia, prout copiosè primo Tomo Annalium oſtendimus. Ad læuam tamen S. Antonium Abbatem, ſic notatum *Propagator Inſtituti Eliæ*, quod illud mirificè in Thebaide, Ægypto, & alijs Africæ locis geſſerit, ſicut ſecundo Tomo fuſius explanauimus. Inferior quoque, ſeu minor Eccleſiæ porta, verſus occidentalem ferme plagam aſpiciens, ſua venuſtate non caret, ob ea, quæ in ea egit Illuſtriſſ. Dom. Bertazzolus Abbas S. Barbaræ Mantuæ, eam inſtaurando, & depingendo, ad inſtantiam ſupra memorati Reuerendiſſ. P. Generalis noſtri. De cuius etiam munificentia in amplianda hac Baſilica, quoad pauimentum, & alia, quæ ipſi deſunt, in ſequentibus Tomis, prout ſperamus, latè dicendum.

Ad laudem Omnipotentis Dei, Virginis Matris, Eliæ Parentis Ordinis, & aliorum Sanctorum.

INDEX RERVM MAGIS NOTABILIVM,

Quæ in hoc tertio Tomo Annalium continentur. In quo prior numerus paginam, ſecundus autem marginalem numerum denotat.

A

ABBATES Cœnobij Sanctorum Coſmæ, & Damiani Toleti, cuius Inſtituti æmulatores fuerint. *pag.*285. *nu.* 12. Nomina aliquorum recenſentur. *ibid.*

Abbatiſſa Monaſterij, in quo Euphraſia vixit, pecuniam ipſi oblatam liberaliter reſpuit, *pag.*107. *nu.*8. ſua ſub protectione infantulam recipit, *ibid.* Creatque Monialem, *ibid.* Præuidit, prædixitque Monialibus eius mortem, *ibid.* Agnouit per viſionem ſolium gloriæ Euphraſiæ præparatum, *ibid.* Conditur in Euphraſiæ ſepulchro, *ibid.* Ante mortem eligit Abbatiſſam. *ibid.* Eius adhortatio *pag.*108.

Abdias Propheta Eliæ diſcipulus, *pag.* 59. Eius geſta, *ibid.*

Abraham Monachus Monachorũ pater, *p.*209. *n.*2. Eius ortus, *ibid.* Suſtinet pro Chriſto carcerem quinquennij, *ibid.* Eripitur, Occiduaſque partes venit, *ibid* Regit Monaſterium, *ibid.* Virtutibus, & ſignis claret, *ibid.*

Acepſimas Monachus Eſſenus, *pag.* 132. *num.*7. Clauditur per 60. annos in quadam domuncula neminem videns, *ibid.* Eius victus, *ibid.* Fugit onus ſacerdotij, *ibid.*

Accœmetarum Monaſterij Monachi inſignes, *pag.*201. *num.*3. Obſeruabant propriam Regulam, *ibid.* Eorum egregium facinus, *pag.*210. *num.*2. Sectati ſunt errores Nonnij Monachi, *pag.*243. *num.*2.

Adelberus reformator Monachatus, *pag.*452. *num.*5.

Adel-

Adelbertus Pragenſis Epiſcopus Monaſticum induit habitum, *pag.* 465. *num.* 1. Cuius Inſtituti, *ibid.*

Adeodatus Abbas, *pag.* 220. *num.* 7. Quænam fuerit eius Regula Monaſtica, *ibid.*

Adulatio Monachis fugienda, *pag.* 105. *num.* 4.

Agalienſe Cœnobium fundatur, *pag.* 263. *num.* 5. Locus in quo fundatur, *ibid.* In honorem cuius S. Iuliani conditum dicatur, *ibid.* & *pag. ſequ.* Ipſius Inſtitutum, *pag.* 264. *num.* 6. Abbates, *pag.* 265. *nu.* 7. Eius celebritas, *nu.* 8. Inundatio, *pag.* 473. *num.* 3.

Agapetus Papa, *pag.* 245. *nu.* 1. Cogitur a Theodato Gothorum Rege legationem ad Imperatorem ſuſcipere, *ibid.* Reprehendit Iuſtinianum, *ibid.* Impedit electionem Anthimi hæretici in Conſtantinopolitanum Antiſtitem, *ibid.*

Agapitus deſtinatur pedagogus Euphroſynæ, *pag.* 134. *num.* 4. Eius impaſſibilitas quomodo accipienda, *num.* 5. & *pag.* 136.

Agreſtinus Monachus ſuperbus, *pag.* 300. *num.* 4. Appetit prædicationis munus, *ibid.* Aquileiam tranſijt, *ibid.* Schiſma fouet, *ibid.* Inſurgit aduerſus regulam Columbani, *ibid.* Securi interijt, *ibid.*

Aidanus Monachus, & Epiſcopus, *pag.* 287. *num.* 4. Eius conuerſatio, *ibid.* Viſa eſt ipſius anima in cælum aſcendere, *ibid.* Eius exercitatio, & dogmata, *ibid.*

Ailbeus, ſiue Alueus Mumonienſis Cœnobiarcha, *pag.* 202. *num.* 5. Conuertitur ad fidem a Palladio, *ibid.* Educatur in Monachatu, & litteris ſub S. Hilario, *ibid.* Extat coadiutor eiuſdem Patritij, *ibid.* Fit Archiepiſcopus Imlilenſis, *ib.* Scripſit Regulam Monaſticam, *ibid.*

Alba pallia Carmelitarum quando depoſita, *pag.* 320. *num.* 5.

B. Alberti Regula Carmelitis tradita, eſt compendium libri Ioannis Ieroſolymitani *de Inſtitut. Monachor. pag.* 32. *num.* 5. Eſt legiſlator Ordinis Carmelitici, *ibid.*

Alfonſus Rex curat erigi Cœnobium Toletanum in Eccleſiam Cathedralem, *pag.* 503. *num.* 5. Eius priuilegium de eodem Cœnobio, *pag.* 520. *nu.* 21. Explicatur, *n.* 22.

Allegoria temporis ortus B. Mariæ Virginis ex traditione per S. Eliam, *pag.* 87.

Amandus Monachus, & Epiſcopus, *pag.* 332. *num.* 8. Eius Monachatus, *ibid.*

Amos Abbas ordinatur Patriarcha Ieroſolymitanus, *pag.* 199. *num.* 2. Deprecatur auxilium diuinum pro animarum cura, *ibid.*

S. Amphilochius Vitæ S. Baſilij ſcriptor, *pag.* 7. *num.* 10. Nullam fecit mentionem de Principatu ipſius ſuper vniuerſos alumnos Monaſticæ diſciplinæ, *ibid.* Vocat illum Paſtorem, & Magiſtrum, *ibid.*

Anabertus Monachus, & Epiſcopus, *pag.* 337. *num.* 4. Fuit Confeſſarius Regis Francorum, *ibid.* Eius induſtria, *ibid.* Inſtitutum, *ibid.*

Anacenardus Monachus, & Eremita, *pag.* 413. *num.* 11. Ex Germania venit in Hiſpaniam, *ibid.* Martyrio coronatur, *ibid.* Eius Monachatus, *ibid.*

Anachoretæ cur interdum Eremitæ Carmelitani appellati, *pag.* 69.

Anaſtaſius Papa an integer in fide Catholica, *pag.* 221. *num.* 1. Communicauit cum Photino Diacono Acaciano, *ibid.* Moritur, *ibid.*

Anaſtaſia Monachatus Prophetici alumna, *pag.* 230. *num.* 6. Secedit in Palæſtinam, *ibid.*

Anaſtaſius Sinaita opponit ſe Iuſtiniano Imperatori erranti in fide, *pag.* 260. *num.* 2. Eius Monachatus, *ibid.* Accuſatur calumnioſè, *pag.* 266. *num.* 2. Mittitur in exilium, *ibid.* Reſtituitur ſuæ Sedi Antiochenæ, *num.* 3. & *pag.* 280. *num.* 6.

Anaſtaſius Perſa, *pag.* 302. *nu.* 2. Carmelitis accenſetur, *ibid.* Collecta eius Officij, *ibid.* Reijcitur ſententia Baſilianorum, *ibid.* An fuerit Benedictinus, *ibid.* Colobio vſus eſt, *pag.* 303. *num.* 2. Eius natales, *num.* 3. Cauſa ſuæ conuerſionis, *ibid.* Militauit, *ibid.* Monaſtico ſe habitu induit, *ibid.* Cœnobium Elianorum ingreſſus eſt, *ibid.* Diſquiritur quodnam fuerit hoc Cœnobium, *num.* 4. Eius martyrium, *pag.* 307. *num.* 3. Viſio, *pag.* 308. *num.* 3. Deuotio celebris erga ipſum, *pag.* 349. *num.* 4. & *pag. ſeq.* Eius geſta ex Concilio Nicæno, *pag.* 377. *num.* 8. Miracula, *pag.* 378. *num.* 9. & *pag. ſeq.*

Anaſtaſius Papa Tertius commendatur, *pag.* 443. *num.* 1. Vocatur *Vates*, *pag.* 444. *num.* 3.

Andreas Epiſcopus Samoſatenus Neſtorij partes tuetur, *pag.* 146. *n.* 12.

Andreas, & Benedictus Eremitæ Eliani, *pag.* 475. *num.* 5.

Andronicus, & Athanaſia Monachi, *pag.* 120. *num.* 7. Quam eremum habitarunt, *ibid.* Accenſentur Eliadibus, *ibid.* Eorum hiſtoria, *pag.* 121.

Anglia quales Monachos habuit ante Auguſtinum, Benedictum, & D. Baſilium, *pag.* 19. *num.* 24. In ipſa moritur Ioſephus Arimathæus, ibidemque requieſcit, *ibid.* In hanc Monachi a Carmeli Monaſterijs ſeſe dilatauerunt, *pag.* 20. *num.* 25. Reliquo Occidenti Monachos dedit, *ibid.* Viget in ea Monachiſmus, *pag.* 126. *num.* 6. Introducitur Monachiſmus Ægyptius, *ibid.* Eius Monaſteria, & Monachi, *pag.* 266. & *ſeq. num.* 5.

Antiochus Eremita. *pag.* 277. *num.* 4. Eius mirabilis abſtinentia, *ibid.* & *pag.* 281. *num.* 6.

Antiochus Monachus Palæſtinus narrat Barbarorum feritatem in Monachos, *pag.* 298. *num.* 2. Homilias ſcripſit, *pag.* 299. *num.* 3. Quare illas ſcripſerit, *ibid.* & *pag. ſeq.*

S. Antonij Abbatis corpus inuenitur, *pag.* 242. *nu.* 3. Transfertur ad Alexandriam, *ibid.*

Antonius S. Seuerini diſcipulus, *pag.* 212. *num.* 2. Eius ſanctitas, donum prophetiæ, & ſtudia Monaſtica, *ibid.* Quieſcit in ſuo Monaſterio Lirinenſi, *ibid.*

Antonius Monachus S. Simeonis miniſter, *pag.* 186. *num.* 8. Mittitur è Carmelo a Capraſio, *ibid.* Scripſit vitam eiuſdem S. Simeonis, *ibid.*

Apollinaris Abbas creatur Antiſtes Alexandrinus, *pag.* 256. *nu.* 3. Eius charitas, *ibid.* Epiſcopos ordinat, *ibid.*

Apollonius Eremita, *pag.* 423. *num.* 2. An primus canonizatus, *ibid.*

Appendix de Eccleſia S. Martini in Montibus, *pag.* 553.

Archimandritæ Catholicæ fidei defenſores, *pag.*189. *num.*7. *&* *pag.* 190. *num.*8.

Armeni Monachi inſectantur libros Theodori Mopſueſteni contra fidem Catholicam a quibuſdam excitatos, *pag.*155. *num.*1. Armenorum errores, *pag.*425. *num.*4.

Arnolphus Epiſcopus, *pag.*301. Eremum coluit, *ibid.* Eius Inſtitutum, *ibid.* Reliquit Epiſcopatum ſolitudinem affectans, *ibid.*

Aſaphus Elguenſis Monaſterij alumnus, *pag.*282, *num.*9. Ad Epiſcopalem dignitatem euehitur, *ibid.* Annumerandus inter Elianos, *ibid.* Eius diſcipulus, *ibid.*

Aſcetica Inſtituta, quid contineant, *pag.*14. *num.*18.

Athanaſia & Andronicus coniuges fiunt Monachi, *pag.* 120. *num.*7. Eorum hiſtoria, *pag.*121. *num.*8. *&* *ſeqq.*

Athanaſius anachoreta, *pag.* 398. *num* 4. Columnam aſcendit, *pag.* 399. *num.*4. Concluditur in ſpelunca, *ibid.* Exiens Monaſterio excipitur, vbi moritur, *ibid.*

Attala Monachus, & Columbani diſcipulus, *pag.*300. *num.*5. Multa patitur pro obſeruantia regulari, *ibid.* Eius vita, *ibid.*

Attila diruit Aquileiam, *pag.*190. *nu.* 1. Alia tentat, *ibid.*

Audomarus Abbas, *pag.*334. *num.*3. Adfuit Concilio Rothomagenſi, *ibid.* Fit Epiſcopus, *ibid.* Taruanenſem gentem conuertit, *ibid.* Eius Monachale Inſtitutum, *pag.*335.

S. Auguſtini Regula qualis, *pag.* 14. *num.*18. Eius labores, & ſcripta contra Pelagium, *pag.*119. *num.*4. Moritur, *pag* 149. *num.* 18. Inuitatus a Theodoſio Imperatore, vt Concilio Epheſi adeſſet, morte preuenitur, *ibid.*

Auguſtinus Monachus mittitur in Angliam a D. Gregorio Papa, *pag.* 281. *num.*7. Fuit Præfectus Monaſterij eiuſdem Gregorij, *ibid.* Ordinatus eſt Epiſcopus, *ibid.* Regem cum multis conuertit, *ibid.* Eccleſiam ſignis & miraculis clarus gubernauit, *ibid.* Concilia celebrauit, *ibid.* In illis partibus obijt, *ibid.* An alumnus fuerit S. Benedicti, *ibid.* Scribit ad Gregorium, *pag.*282. *num.*8. Ante ipſius aduentum in Angliam qualem vitam degerent Monachi Britanniæ, & Scotiæ, *pag.*19. *num.*24.

Aureliani Regula Monaſtica, *pag.* 12. *num.*17. *&* *pag.*254. *num.*6.

Auxentius Abbas, *pag.*189. *num.*6. Interrogatur de fide Catholica, *ib.* Illam profitetur, *ibid.*

B

Babylas Epiſcopus Veronenſis, *pag.*350. *num.*7. Venit Toletum, *ibid.* Docet pueros primas literas, *ibid.*

Baculus Monachorum Montis Carmeli veluti proprius, & eius ſpiritualis ſignificatio, *pag.*97.

Balduinus coronatur Rex Ieruſalem, *pag.*526. *num.*2. Eius geſta, *ibid.*

Bannochorenſe Collegium permutatur in Cœnobium, *pag.*240. *nu.*7. Extitit primorum per Europam Monaſteriorum caput, *ibid.* Quot Monachos habebat, *ibid.*

Baradatus Monachus mirabilis tolerantiæ, *pag.*196. *nu.*1. Includitur in arca, ſola diuina fruens conſolatione

tione, *ibid.* Accipit literas Leonis Imperatoris, *ibid.*

Barba Monachorum, *pag.*373. *nu*-3.

Baronij inſignis Cardinalis placita, *pag.*111. *num.*5. & *pag.*117. *nu*.15. & *pag.*141. *num.*6. Eius exiſtimatio, *pag.* 164. *num.*4. Diſcutitur, *pag.*165. & *ſeq.* Enodatur, *pag.*166. *num.*7. Quid ſenſerit, *pag.*169. & *ſeq. num.*4. An rectè, *pag.*174. *n.*18. Quid clariſſimi Authores de ipſius placito, *pag.*176. *num.*19. Eius ſententia de S. Martino Papa, *pag.*325. *num.*2. Item de Patriarchatu Haymerici, *pag.*551. *num.*4.

Barrata pallia quando aſſumpta a Carmelitis, *pag.*320. *num.*5. Quam ob cauſam, *pag.*323. *num.*8. & 9.

Barſuma Monachus, & eius impietas, *pag.*183. *num.*1.

S. Baſilius quo tempore ſuas Monaſticas Inſtitutiones edidit, *pag.*3. *nu.*2. An recenſeatur a D. Hieronymo inter Monachorum Principes, *pag.* 4. *nu.*3. Vbi ſuas Inſtitutiones propagauit, *ibid.* An appellandus Monachorum Patriarcha, *ibid.* Fuit Eliani Monachatus ſectator, *nu.*4. Teſtimonia de eius Monachatu, *nu.*5. & *ſeq.* Poſt ipſius Inſtitutum quales Monachi, & cuius Monachiſmi ſectatores erant, *pag.*5. *n.*8. Aliqua ipſius ſcripta documenta notata a Caſſiano, *pag.* 6. *num.*8. Eius vita a S. Amphilochio deſcribitur, *pag.*7. *num.*10. Vocatur ab eodem *Paſtor*, & *Magiſter*. *ibid.* Eius Regula eſt expoſitio, & additamentum antiquarum Regularum, *pag.*14. *num.* 18. Ipſius Ordini adſcribere Monachos omnes qui in hiſtorijs reperiuntur, placitum plurium Authorum eſt, *pag.* 22. *nu.*28. Carmeli ſectatoribus regulam præſcripſit, *pag.*30. *num.*4. Fuit eorum Coëremita, *pag.*31. *num.*4. Quomodo Carmelitæ ſub eius regula fuere, *pag.*103. *num.*16. Vixit quondam ipſe ſub Carmelitarum regula, *pag.*103. *num.*18.

Baſilius Imperator renouat Templum Prophetæ Eliæ, *pag.*433. *nu.*2. Item nouum conſtruxit in nomine Domini Ieſu Chriſti, Principis Apoſtolorum, & Eliæ Prophetæ, *ibid.* Curat multa alia templa ædificari in nomine Eliæ Prophetæ, *ibid.*

Baſilius Anachoreta frater Pauli Latri, *pag.*456. *num.*3.

Beliſarius Iuſtiniani Imperatoris Dux obtinet Siciliam, *pag.*248. *num.*1. Capit Neapolim, & a Romanis in Vrbem recipitur, *ibid.* Mittit Siluerium in Græciam, & Vigilium ſubſtituit, *ibid.* Vrbem vtcumque reſtaurat, *pag.* 253. *num.* 1. Excæcatus victum ſibi quæritat, *pag.*260. *num.* 1.

Bellarminus egregius Card. qualiter ſe gerat in cenſura quadam, *pag.*178. & *ſeq. num.*20.

Benedictus Papa Tertius, *pag.* 419. *num.*1. Eijcitur a ſolio Pontificio, *ibid.* Conſecratur poſt reconciliationem cum factioſis, *ibid.* Eius geſta, *num.*2.

S. Benedicti Patriarc. Regula Inſtituta Orientalium PP. non abſorpſit, *pag.*11. *n.*16. Excepit ſuas Inſtitutiones a Regulis Monachorum Orientalium, *pag.*12. *num.*16. Patrum Ægyptiorum Regulas non aboleuit, *ibid.* Poſt ipſius Regulam alij quoque Regularum legiſlatores extiterunt, *pag.*13. *num.*17. Recordatus fuit in ſua Regula S. Baſi-

lij, *pag.*14. *num.*18. An mendicauerit Regulam ab eodem S. Baſilio, *ibid.* Eius Regula eſt additamentum, & expoſitio antiquarum Regularum; *ibid.* Quando propagari cœpiſſe dicitur in Gallijs, & alijs Europæ partibus, *pag.*15. *nu.* 19. An iure appellandus omnium Monachorum pater, *pag.*17.*n.*21. Nullam de eius Inſtituto mentionem fecit Beda in hiſtoria Anglorum, *ibid.* Non militauit ſub Regula Baſilij, *pag.*18. *num.*22. An Monachi qui ante ipſum, vel poſt ipſum in Anglia degebant, Benedictini fuerint, *pag.*20. *nu.*25. Non omnes Monachi vniuerſaliter loquendo eius Ordini affigendi ſunt, *pag.*22. *nu.*28. Relinquit Vrbem, & petit eremum, *pag.*216. *num.*1. Deliteſcit in ſpelunca per triennium, *ibid.* Non eſt primus omnium Monachorum, *num.*2. An inter Occidentales Monachos primus; *ibid.* Eius imago Monachalis, *pag.* 218. *num.*3. Dat initium ſuo Inſtituto, *pag.*231. *num.*10. Recenſetur inter Apoſtolicos Monachos, & Eſſenos Alexandrinos, *pag.* 232. *num.*10.

Benedictini mittuntur in Angliam, *pag.*282. *num.*8. Eorum ſententia in hiſtorijs, *pag.*22. *num.*28. Pontifices Romani, *pag.*439. *num.*2.

Benedictus Biſcopius Magnus Monachiſmi propagator, *pag.* 345. *nu.*3. Conſtruit Monaſterium; *ibid.* Suſcipitur beneuole ab Agathone Papa, *ibid.* Fit Benedictinus, *ibid.* Eius primæuum Inſtitutum, *ibid.*

Benedictus Papa V. *pag.* 458. *num.*1. An Carmelitis accenſendus; *ibid.* Eius hiſtoria, *ibid.* Epitaphium, *pag.*459. *num.*1. Imago, *ibid.* Geſta, *num.*2. In exilium mittitur, *pag.* 460. *num.*3.

Benedictus Papa IX. decennio Petri ſedem aſcendit, *pag.* 485. *num.*1. Ob ſuam turpitudinem ſchiſma patitur, & a Sede expellitur, *ibid.* Abdicauit ſponte ſe Pontificatu, *ibid.* Apparens cuidam poſt ſuam mortem damnatum ſe aſſeruit, *pag.* 486. *nu.*1. An iſte miſerit in Hungariam S. Gerardum Sagredum, *num.*2.

Bernolphus Abbas, *pag.*320. *num.*4. Eius Monachatus, *ibid.* In Cœnobio Bobienſi, *ibid.*

B. Bertholdus oritur, *pag.*496. *num.*4. *& ſeqq.* Suſcipit Pariſijs Lauream Doctoratus, *pag.*501. *num.*2. Sociat ſe Petro Eremitæ, *pag.*513. *num.* 12. Eorum progreſſus, *pag.* 514. *num.*13. Suſcipit habitum in Carmelo, *pag.*527. *nu.*3. An eum ipſo etiam Petrus Eremita eius ſocius, *num.*4. Conſtituitur in Priorem generalem, *pag.*537. *num.*3. Eius ſtudia, *pag.*550. *num.*3.

Berſanuphius Anachoreta, *pag.* 253. *num.*3. Sectatur Propheticum Inſtitutum, *ibid.* Per quinquaginta annos in ædicula includitur, *ibid.* A nemine videtur, nec quidquam alimenti, vel aliarum rerum in terra cepit, *ibid.* Claret miraculis, *ibid.*

Bobienſe Monaſterium inſtituitur, *pag.*290. *num.*5. Amplectitur Regulam Benedictinam, *ibid.* Quot Monachos alebat, *ibid.* Eius Abbates, *ibid.* An omnes Benedictini, *ibid.* Transferuntur plura Monachorum ibi degentium corpora, *ibid.*

Boethius a Theodorico Rege occiſus, *pag.*

pag. 234. *num.* 1.
Boiſilus Abbas, *pag.* 288. *num.* 6. Eius Inſtitutum, *ibid.*
Bonifacius Anglus Presbyter, & Monachus, *pag.* 353. *num.* 3. Creatur Moguntinus Epiſcopus, *ibid.* Eius Monachatus, *ibid.* Mittit diſcipulum ſuum in Montem Caſſinum, *ibid.*
Bonifacius Caldeaquenſis Auguſtinianus, *pag.* 137. *num.* 3.
Bonifacij Papæ electio, *pagina* 124. *num.* 1. Moritur, *pag.* 127. *nu.* 1.
Bonifacius Papa II. deligit ſibi ſucceſſorem, *pag* 241. *num.* 1. Improbat, & reſcindit factum, *ibid.* Moritur, *ibid.*
Bonifacius Papa IV. erigit ſuam domum in Monaſterium, *pag.* 288. *num.* 1. Conſecrat Pantheon Dei Genitrici, & omnibus Sanctis, *ib.* Eius interceſſione Phocas Tyrannus de medio tollitur, *ibid.*
Bopardienſe Monaſterium primum Carmelitarum in Germania, *pag.* 471. *num.* 4. Eius primus Prior, *ibid.* Fundator, *pag.* 489. *num.* 4. Antiquitas, *ibid.* Sententia Segeri Pauli de eiuſdem erectione, *pag.* 517. *num.* 19.
S. Brigida virgo, *pag.* 232. *num.* 11. Exercet vitam Monaſticam, *ibid.* Eius meritorum fama, *ibid.* Tradit Regulam obſeruandam Monialibus, *ib.* Dicitur Abbatiſſa tredecim millium Monacharum, *ibid.* Eius Inſtitutum quale, *ibid.*
Britannia, *vide* Anglia.
Britanniæ Monachi, quam vitæ rationem gererent, *pag.* 19. *num.* 24.
Burdegalenſe Monaſterium erigitur, *pag.* 516. *nu.* 17. Hiſtoria eiuſdem, *pag.* 517.
Burgundofora Abbatiſſa, *pag.* 301. *num.* 6. Inſtituit Monaſterium ſecundum Regulam S. Columbani, *ibid.* Inibi vitam cum alijs ancillis Dei ducit, *ibid.* Eius mirabiliter geſta, *ibid.*

C

Canopus quis locus ſit, *pag.* 106. *num.* 5.
Cæleſtinus Papa moritur, *pag.* 149. *num.* 1. Succedit illi Sixtus Romanus, *pag.* 150. *num.* 1.
Cænigenus Congelli amicus, *pag.* 242. *num.* 5. Fuit primus parens Grandolorchenſis Cœnobij, *ibid.* Item fundator aliorum Monaſteriorum, *ibid.* An propriam tradiderit Regulam, *ibid.*
Cæſaria Sanctimonialis, *pag.* 226. *num.* 4. Eius ſanctitas, *ibid.*
Cæſarius Arelatenſis, *pag.* 192. *nu.* 8. Annumerandus an Elianis? *ibid.* Duplicem Regulam Monaſticam ſcripſit, *pag.* 193. Proficit ſub diſciplina Porcarij Abbatis, *num.* 9. Præeſt Concilio Agathenſi, *pag.* 225. *num.* 2. Cogitur exulare, *ibid.* Miraculis clarus reuocatur ab exilio, *ibid.* Detruditur in carcerem, *ibid.* Eripitur, *ibid.* Vendit pro pauperibus vaſa argentea, *ibid.* Cunctis fuit celebris, *ibid.*
Calixtus Papa Secundus, & eius geſta, *pag.* 535. *num.* 1.
Campanæ inſignibus Carmelitici Ordinis notatæ peruetuſtum monumentum, *pag.* 252. *num* 5.
Capraſius Montis Carmeli Prior, *pag.* 26. *num.* 9. Præbuit Ioanni Ieroſolymitano motiuum ſcribendi librum

brum de Inſtitutione Monachorum, *pag.* 29. *num.* 2. Qua de cauſa hoc petijt, *pag.* 30. *num.* 2. Quis ipſe fuerit, *pag.* 99. *num.* 9. An fuerit Monaſterij Lirinenſis Archimandrita, *ibid.* An idem cum Lirinenſi, *ibid.* Efficitur Carmeli Præfectus, *pag.* 101. *num.* 12. Lirinenſis ille an fuerit Benedictinus, *pag.* 101. *n.* 13. Adfuit Synodo Epheſinæ, *pag.* 148. *num.* 16. Expetijt addi titulum Dei Genitricis Ordini Carmelitarum, *ibid.* Mittit è Carmelo Monachos ad tuendam Catholicam fidem contra Eutychianos, *pag.* 184. *nu.* 3. Qui illi fuerint, *num.* 4. & *pag.* 185 *num.* [illegible]. & *ſeqq.* Eius obitus, *pag.* 186. *num.* [illegible]. An qui in Martyrologijs decantatur ſit idem cum Capraſio Carmelita, *pag.* 187. *nu.* [illegible].

Carith quid ſignificet, *pag.* 45. & 50.

Carithon Eliani Inſtituti aſſecla, *pag.* 126. *num.* 4. Habitat Lauram Pharam, *ibid.*

Carmelitæ a quibus Monachis ſeſe deriuent, *pag.* 20 *num.* 25. A Carmeli Monaſterijs in Angliam, & ab Anglia in reliquas prouincias ſe dilatauerunt, *ibid.* Eorum Patres fuere Monachatus Ægyptij, Palæſtinique profeſſores, *ibid.* Dederunt Monachos reliquo Occidenti, *ibid.* Eorum Ordini plurima aggreganda Cœnobia, *pag.* 21 *nu.* 26. Recenſentur pro ipſis Bullæ Pontificiæ, *pag.* 23. *num.* 2. Declarantur hæredes Prophetarum Eliæ, & Eliſei, *ibid.* Vixerant tempore naſcentis Eccleſiæ, *nu.* 3. Ab Alberto Ieroſolymitano Antiſtite poſtea Regulam acceperunt, *ibid.* Huius Regulæ declaratio, *ibid.* Trucidantur plures a Saracenis, *pag.* 24. *num.* 4. Habitantes in Vrbibus ab infidelibus afflicti ad Eremum Carmeli redire compelluntur, *num.* 5. Multiplicatur eorum numerus, *ibid.* Eorum præconia a Trithemio Abbate decantata, *ibid.* Pax, & ſanctitas, *ibid.* Perduratio, & proles, *pag.* 26. *num.* 6. Priuilegijs augentur, *ibid.* Eriguntur in auitam obſeruationem, *ib.* Ipſorum continuata ſucceſſio, *pag.* 26. *num.* 8. Recitantur plura eorum nomina, *pag.* 27. *num.* 9. Alij imitatione, alij ſucceſſione, Eliæ poſteri fuere, *ibid.* Quales appellandi ſunt veri Carmelitæ, *pag.* 28. *num.* 10. Eorum perfectio ab Elia Propheta emanauit, *ibid.* Tenent ab eo hæreditariam ſucceſſionem, *pag.* 59. Cur a Carmelo potius dicti ſint quàm à Carith, *pag.* 61. Cur dicti Carmelitæ, *pag* 68. Appellati ſunt Anachoretæ, *pag.* 69. Manent liberi a communi captiuitate Iſraelitarum, *pag.* 75. Eorum receſſus ad Monaſterium in Ieroſolymis ſitum, *pag.* 82. Facti fuere Apoſtolorum coadiutores, amantes allegoriam veterum Scripturarum, *pag.* 85. Accepta Euangelij lampade myſteria quondam ab Elia reuelata clarius intuentur, *pag.* 86. Veteris teſtamenti orant Deũ, vt mittat Saluatorem, *pag.* 9[illegible] Quare dicti ſint fratres Beatæ Virginis Mariæ, *pag.* 92. Erigunt eidem Virgini in Carmelo Oratorium, *ibid.* Eorum habitus, *pag.* 94. Zona, *ibid.* M[illegible], *pag.* 95. Superhumerale, ſiue Scapulare, *pag.* 96. Pallium album, *pag.* 97. Baculum, *ibid.*

ibid. Quomodo fuerint ſub Regula S. Baſilij, *pag.* 103. *nu.* 17. Confirmatur eorum titulus Fratrum B. Mariæ Dei Genitricis, *pag.* 147. *num.* 15. *& pag.* 148. Manent immunes ab hæreſi Eutychiana, *pag.* 191. *num.* 3. Perſecutionem patiuntur, *pag.* 249. *& ſeq. num.* 4. Eorum manſiones, *pag.* 251. *nu.* 3. Vigent in Hiſpania a tempore antiquiſſimo, *pag.* 285. *num.* 11. Eorum antiquitas, *ibid.* Comprobatur ex quadam Indulgentia, *pag.* 409. *nu.* 6. Detrimenta, *pag.* 289. *num.* 3. Monaſteria multa in Aſia, & Africa habebant, *pag.* 297. *in fin.* Reſtaurantur eorum Cœnobia, *pag.* 309. *num.* 6. Cladem, & martyrium ſuſtinent, *pag.* 313. *num.* 3. *& num.* 4. *& pag.* 314. *num.* 5. *& pag. ſeq.* Eorum veſtes, & habitus, *pag.* 320. *num.* 5. *& pag. ſeq.* Cur barrata aſſumpſerint, *pag.* 323. *num.* 8. *&* 9. Deuaſtantur eorum Eccleſiæ, *pag.* 358. *nu.* 3. An aliqui Romani Pontifices, *pag.* 361. *n.* 2. Fauores quos a Carolo Magno Ieroſolymis acceperunt, *pag.* 389. *nu.* 5. Eorum ſtatus in Terra Sancta, *pag.* 396. *num.* 6. *& pag. ſequ.* Ipſorum modus viuendi tempore Petri Eremitæ, *pag.* 508. *num.* 5. Redeunt ad Monaſterium Toletanum, *pag.* 519. *num.* 21. Eorum felix progreſſus, *pag.* 535. *num.* 2. *& pag. ſeq.* Reformatio ſub B. Bertholdo, *num.* 3. Monaſteria quæ in S. Ciuitate Ieruſalem habebant, *pag.* 545. *num.* 8. Item alij progreſſus, *pag.* 547. *num.* 2. *& num.* 3.

Carith interpretatur, *pag.* 35. *& ſeq.*

Carmelus Mons vbi ſit, *pag.* 25. *nu.* 6. In eo Prophetæ vitam ſolitariam egerunt, *ibid.* Anachoretæ plurimi illum locum tenuere, *ibid.* Nunquam deſeritur ab incolis eremitis, *pag.* 26. *num.* 7. Recenſentur eorum nomina, *pag.* 27. *num.* 9. In eo plantauit Elias Religionem Eremiticam, *pag.* 64. Eius celebritas, *pag.* 65. Ipſius Eremitarum pietas, *pag.* 66. Ipſius interpretatio, *pag.* 89.

Carolus Magnus Imperator inuocatur a Conſtantino VI. contra Paganos, *pag.* 576. *nu.* 7. Lacrymatur captiuū Domini ſepulchrum, *ibid.* Edicit, vt omnes arma arripiant, *ibid.* Proficiſcitur ad Terram Sanctam, *ib.* Honoratur ab Aarone Rege Saracenorum, *ibid.* Traditur ei Ieruſalem, *ibid.* Coronatur Imperator, *pag.* 387. *num.* 1. Relinquit Imperium Ludouico filio, *ibid.* Eius zelus, *pag.* 388. *nu.* 3. Victoriæ, *ibid. & num.* 4. Eleemoſynæ in Terram Sanctam, *pag.* 389. *num.* 5. Donatio, *pag.* 393. *num.* 9.

Carthago à Vandalis capta, *pag.* 160. *nu.* 7. Cauſæ ſuæ direptionis, *ibid.*

Carthagus Monachus, *pag.* 277. *nu.* 6.

Caſſianus, *vide* Ioannes.

Caſſiodorus Senator, & Præfectus efficitur Monachus, *pag.* 259. *num.* 3. Plurima ſcripſit volumina, *ibid.* Moritur in Monaſterio a ſe conſtructo, *ibid.* Eius Inſtitutum quale, *ibid.*

Caſtor Monachus Elianus, *pag.* 129. *num.* 4.

Cedmonus *ſimplex Monachus*, *pag.* 333. *num.* 2. Eius Inſtitutum, *ibid.*

Ceolulphus Anglorum Rex, & Monachus, *pag.* 360. *num.* 6.

Charitatis neceſſitas, *pag.* 41 Eſt pri-

primum omnium mandatum, *pag.* 41. Propter quod diligere debemus, *pag.* 43. Eſt legis plenitudo, *ibid.* Eius vis, *ibid.* Quæ ab ipſa cor hominis diuellunt, *pag.* 44. Eius effectus, *pag.* 45. *& ſeq.*

Chriſtophorus Papa deturbatur à Sergio inuaſore, *pag.* 441. *nu.* 1. Amplectitur Monachatum, *num.* 2. Cuius Inſtituti, *ibid.* Fuit Inuaſor Pontificatus, *ibid.*

Claudianus Monachus, *pag.* 313. *nu.* 4. Commendatur à Sidonio, *ibid.* Eius epitaphium, *ibid.*

Collegia filiorum Prophetarum, *pag.* 68.

Colonienſe Cœnobium fundatur, *pag.* 518. *num.* 20. De hoc lapſus cuiuſdam authoris, *ibid.*

Columbanus Regulas plurimis Monachis tradidit, *pag.* 13. *num.* 17 *& pag.* 262. *num.* 3. Nihil ferme habuit commune cum Benedictino Inſtituto, *ibid.* Eius vita à quibus deſcripta, *ibid.* Eius diſcipuli, *pag.* 18. *num.* 22. *& pag.* 262. *num.* 4. Monachatus, *pag.* 261. *nu.* 3. Multa fundat Cœnobia, *pag.* 262. *nu.* 3. Moritur, *ibid.* Inſtituit Bobienſe Monaſterium, *pag.* 290. *num.* 5. Eius corpus transfertur, *ibid.*

S. Columba centum Monaſteriorum pater, fundator & legislator, *pag.* 277. *nu.* 5. Fidei Catholicæ propagator extitit, *ibid.* Inter Monachos Ægyptios annumeratur, *ibid.* Eius Auditores, & diſcipuli, *nu.* 6. Cuius Inſtituti ſectatores, *ibid. & pag. ſeq.*

Concellus Monachiſmi Ægyptij in Britannia propagator, *pag.* 240. *nu.* 7. Eius ieiunia, vigiliæ, lacrymæ, *ibid.* Permutat Bannochorenſe Collegium in Cœnobium, *ibid.* Efficitur primus Abbas, *ibid.* An Monachus Benedictinus, *ibid.*

Conceptio SS. B. Virg. Dei Genitricis ex Synodo Epheſina, *pag.* 149. *num* 17.

Concilium Chalcedonenſe celebratur *pag.* 187. *nu.* 1. Adſunt Marcianus Imperator, & Pulcheria eius vxor, *num.* 2. Damnat Eutychetem, & Neſtorium, *ibid.* Adeſt Eliotarum Generalis, *num.* 3. Item adſunt alij Monachi, *pag.* 188. *n.* 4.

Confratria vnde dicta, & quid importat in Indulgentijs Carmelitis conceſſis ab Hadr. II. *pag.* 429. *nu.* 6.

Conſtantinus Imperator Græcorum ab Irene matre obcæcatus moritur, *pag.* 387. *num.* 1.

Conſtantinus Copronymus, *pag.* 357. *num.* 1. Eius vitia, *ibid.* Expoliatur ab Artabaſde Imperio, *ibid.* Obſidet Conſtantinopolim, *pag.* 361. *num.* 1. Capit Artabaſdem, & eius filios, eoſque excæcat, *ibid.* Ipſius facinus, *ibid.* Eius odium in Monachos, *pag.* 368. *& ſeq. n.* 2. *&* 3. Eius impietas, *pag.* 370. Moritur, *pag.* 373. *num.* 1.

Conſtantinopolis vexatur à terræ motu, *pag.* 181. *num.* 1. Liberatur miraculosè, *ibid.* Reſpirat ab hæreticorum ira, *pag.* 375. *nu.* 5.

Conſtantinus VI. Imperator, *pag.* 376. *num.* 7. Expellit Saracenos ab Ieroſolymis, *ibid.* Mittit Patriarcham Ieroſolymitanum ad Carolum Magnum, *ibid.* Eius Epiſtola, *ibid.*

Conuentus Senarum auſpicatur, *pag.* 346. *num.* 6. Eiuſdem ſecunda erectio, *pag.* 390. *num.* 7. Inſtrumentum fundationis, *pag.* 391. *num.* 2. Piſanus Conuentus, *pag.* 393. *n.* 10.

Cordubenſes Martyres, *pag.* 414. *n.* 13. *&* 422.

*& 422. num.*4. Religiones, *ibid.* Cuius Inſtituti, *ibid. & pag.* 416. *num.* 14. Monachorum tranſmigratio, *pag.*425. *num.*7.

Coruorum nomine Prophetæ intelliguntur, *pag.*47. Eorum natura, *ibid.*

SS. Coſmæ, & Damiani Cœnobium Toleti, *pag.*285. *num.* 12. Eius Inſtitutum, *ibid.* Nomina aliqua ipſius Abbatum, *ibid.*

Coſmas Abbas eunuchus, *pag.* 266. *num.*4. Miracula patrauit, *ibid.* Fuit hæreticorum acerbus hoſtis, *ibid.* Quid dicere ſolebat cadaueri cuiuſdam Epiſcopi hæretici, *ibid.* Pertranſijt inoffenſus draconem miræ magnitudinis, *ibid.* Eius ſtudium erga Sanctos Patres, & ad hoc eius etiam dictum, *ibid.* Pſallebat a veſpere vſque ad mane, *ibid.* Orto ſole ſedebat legens in Sanctis Euangelijs, *ibid.*

Coſdroe Perſarum Rex deficit a Romano Imperio, *pag.* 249. *num.*4. Damna quæ intulit, *ibid.* Capit Ieruſalem, *ibid.* Expugnat Antiochiam, *ibid.* Occidit Catholicos, *ibid.* Deſtruit Eccleſiam Ieroſolymitanam, *ibid.* Patitur ignominioſam repulſam, *pag.*253. *num.*1.

Coſroas alius Rex Perſarum magnam partem Reipublicæ Romanæ capit, *pag.*288. *num.*2. Multa ſubiugat regna, *ibid.* Deuaſtat Damaſcum, & alia loca, *ibid.* Eccleſias incendit, *ibid.* Viros, & mulieres occidit, *ibid.* Patriarcham Ieroſolymitanum captiuum ducit, *ib.* Aſportat in Perſidem partem Crucis Domini, *pag.* 289. *num.* 2. Fugatur, & vincitur, *pag.*301. *num.*1. Eius ſuperbia, *pag.* 307. *num.* 2. Vult coli vt Deus ab omnibus, *ibid.*

Cryſaphius fautor Eutychetis, *pag.*183. *num.*2.

Cudbertus Monachus, & Epiſcopus, *pag.*286. *num.*3. Eius vitæ norma, *ibid.* An Benedictinus, *pag.* 287. *num.*3. Linea vtebatur zona, *ibid.* Eius veſtes, *ibid.*

Cuteclarenſe Cœnobium, *pag.* 414. *num.* 13.

Cyra ſectatrix vitæ Aſceticæ, *pag.*132. *num.*7.

Cyriacus Anachoreta viuit in Cœnobio Euthymij, *pag.* 195. *num.* 3. Exercet ſe in Laura veteris Sucæ, *ibid.*

S. Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, *pag.*104. *num.*1. Geſta ipſius, *ibid.* Eo curante fit translatio Reliquiarum Sancti Marci Euangeliſtæ, & aliorum in Canopum, *pagin.* 106. *num.* 5. Erigit Monaſterium Monialium ſuæ Religionis, *ibid.* *num.* 6. An in eo Euphraſia floruerit, *ibid.* Hebræos in Chriſtianos ſæuientes occidit, aut expulit, *pag.* 112. *num.*6. Defendit ſuam Eccleſiam, *pagin.* 112. *num.* 7. Docetur ab Euſebio quodam de Valeriano Pelagij ſectatore apud ipſum degente, *pagin.* 119. *num.*3. Scribit ad Monachos, quos Neſtorius peruertere conabatur, *pag.* 141. *num.* 6. Defendit maternitatem Deiparæ, *pag.* 142. *num.* 6. Scribit Epiſtolam Neſtorio, *ibidem*. Eius geſta contra Neſtorium, *num.*7. Congregat Synodum Epheſinam, cui præſes fuit, *pag.*144. *numer.* 10. Patitur à pluribus, *pagina* 146. *numer.* 12. Purgat ſe coram Epi-

ſcopis

ſcopis ab impoſito ſibi crimine, *ibid.* Habet coram populo Epheſino celebrem homiliam de maternitate Virginis Mariæ, *nu.* 13. Eius meritorum fama, *pag.* 149. *num.* 18. Calumniatur a Neſtorianis, *pag.* 150. *num.* 5. Moritur, *pag.* 163. *num.* 2. Catalogus librorum quos ſcripſit, *ibid.* Eius manuſcripta, *pag.* 164. Ducit ad veritatem quemdam ſenem Anachoretam, *ibid.* Sepelitur in Eccleſia Alexandrina multis clareſcens virtutibus, *ibid.* Eius mors grata hæreticis, *num.* 3. Vindicatur eius Monachatus in Carmelo, *pag.* 166. *num.* 8. Encomia ipſius varia, *pag.* 180. *num.* 21.

Cyrillus Monachus, quo tempore floruit, *pag.* 8. *num.* 12. Commendatus a Dom. Cardinali Baronio, *ibid.* Vitas Sanctorum quorundam ſcribit, *ibid.* Baſilij, aut Auguſtini Patriarchatus in Monachos non meminit, *ibid.*

Cyrillus alius Monachus, *pag.* 425. *num.* 5.

Cyrus Monachus, *pag.* 344. Prædicit recuperationem Imperij Iuſtiniano Imperatori, *ibid.* Eius Monachiſmus, *ibid.* & *pag. ſeq.*

D

DAlmatius Archimandrita adeſt Concilio Epheſino, *pag.* 144. *num.* 11. Eius ſanctitas, *pag.* 145. *num.* 11. Vixit recluſus annis 48. *ibid.* Egreditur imperante voce cœlitus ad eum delapſa, *ibid.* Eius authoritas, *ibid.* Modus ſuæ ſubſcriptionis, *ibid.*

Daniel Monachus ſuccedit Symeoni Stylitæ, *pag.* 198. *num.* 5. Conſequitur eius cucullam, *ibid.* Columnam aſcendit apud oſtia Ponti, *ibid.* Claret ingentibus ſignis, *ibid.* Duodenis Monachus efficitur, *pag.* 200. Accipit benedictionem à Simeone, *ibid.* Commoratur vbi ſcit ſpiritus malignos habitare, *ibid.* Accuſatur apud Antiſtitem Conſtantinopolitanum, *ibid.* Decoratur diuinis reuelationibus, *ibid.* Orat Deum, perſecutionem patitur, & defenditur miraculoſe, *ibid.* Claret multis miraculis, *ibid.* Eius veneratio, *pag.* 201. *num.* 1. Prædicit Vrbi Conſtantinopolitanæ incendium, *ibid.* Zenoni Imperatori ab Imperio repulſam, & herbarum paſtum, *pag.* 208. *num.* 3. Vocatur ab Acacio pro fidei defenſione, *ibidem*, Obiurgat ipſum Zenonem aduerſarium, *ibid.* Moritur, *pag.* 212. *num.* 2. Claret mirabilibus ſignis, *ibid.*

Decades generationum, ex quibus Chriſtus ortus eſt, numerantur, *pag.* 88.

Demetrias Virgo Sanctimonialis, eiuſque natales, *pag.* 104. *num.* 2. Fuit æmulatrix Carmeli Eremitarum, *ibid.* Eius geſta, *pag.* 105. *num.* 2.

Deſcenſio peccatorum quid, *pag.* 43.

Dilectio Dei, ſui ipſius, & proximi, qualis eſſe debeat, ex documento Dei ad Eliam, *pag.* 42. & 43.

Dij Monachi ſic appellati pugnant pro fide Catholica contra Acaciū, *pag.* 211. *num.* 3. Patiuntur varia tormenta, *ibid.*

Dionotus Auonius Monachiſmi Eliani cultor, *pag.*286. *num.*2. Factus in Monaſterio Banchorenſi Archicœnobiarcha, *ibid.*

Dionyſius cognomento *Exiguus* dat initium Cyclo Paſchali, *pag.* 237. *num.* 1. Eius patria, profeſſio, & doctrina, *pag.* 238. *num.* 2. Eius merita, *ibid.* Accenſetur Monachis priſcis, *ibid.*

Dioſcorus aſcendit Sedem Alexandrinam poſt mortem B. Cyrilli, *pag.* 181. *num.* 2. Cœpit exagitare affines ipſius Beati, *ibid.* Fit præſes cuidam falſæ Synodo Epheſinæ, in qua nefarie Eutyches abſoluitur, *pag.* 183. *num.* 1. Excommunicat Leonem Papam, *ibid.*

Domitianus Euthymij diſcipulus fundat Monaſteria circa mare mortuum, *pag.* 126. *num.* 5.

Domnina ſectatrix vitæ aſceticæ, *pag.* 132. *num.* 7.

Domnus Monachus, & diſcipulus S. Euthymij proficiſcitur Achaiam, *pag.* 150. *num.* 4. Eius infelix diſceſſio è Monaſterio ob inobedientiam, *ibid.* Adeſt Synodo Chalcedonenſi, *pag.* 188. *num.* 4.

Drepanenſis Imago Deiparæ quo tempore inſculpta, *pag.* 350. *num.* 9. Alia de ipſa, *ibid.* Eſt in Eccleſia Carmelitarum, *ibid.*

E

EAta Abbas, *pag.* 287. *nu.* 5. Eius Inſtitutum, *ibid.*

Eccleſia S. Martini in Montibus Vrbis, *pag.* 325. *nu.* 2. & 223. *num.* 2. & *pag. ſeq.* & *pag.* 553. & *ſequentibus*. Deiparæ primo dicata, *pag.* 554. *num.* 2. Vide *S. Silueſtri Eccleſia*, *S. Mariæ de Alſizen* Toleti, *pag.* 342. *num.* 4. & *pag.* 359. *nu.* 3. & *pag.* 503. *num.* 5. Eſt Carmelitarum, *ibid.* & *pag.* 521. *num.* 23. *S. Torquati* Toleti, *nu.* 5. *S. Chryſogoni* Vrbis, *pag* 359. *num.* 5. Eius antiquitas, *ibid.* Collocantur in ea Monachi. *pag.* 360. *nu.* 5. Cuius Inſtituti, *ibid.* Dona a Papa Gregorio IV. illi tradita, *pag.* 399. *num.* 1. Eſt antiquus titulus Cardinalium, *pag.* 431. *nu.* 2. & *pag.* 494. *num.* 3. *Tranſpontinæ*, *pag.* 34. *nu.* 4. Computatur inter titulares Cardinalium, *pag.* 494. *num.* 3.

Elesbaan Rex Ethiopũ efficitur Chriſtianus, *pag.* 230. *n.* 9. Interficit Dunaam impium Chriſtianorum hoſtem, *ibid.* Mittit diadema regium Ieroſolymam, *ib.* Induitur cilicio, Monachuſque efficitur, *pag.* 231. *nu.* 9. Nihil aliud poſſidet niſi ſolam ſtoream, & poculum ad aquam bibendum, *ibid.*

Elias Monachorum Princeps, *pag.* 4. *num.* 3. & *pag.* 35. Vitæ continentis, & philoſophiæ Aſceticæ primus vexillifer, *num.* 4. Eius encomium, *ibid.* Teſtimonia de ipſius ſupremo Principatu ſuper vniuerſos Monachos, *num.* 2. & *ſeq.* Natalis, *pag.* 35. Religioſam, & Propheталem vitam Eremiticam primus hominum ducere cœpit, *ibid.* Apparuit ei Deus, *ibid.* Quid illi mandauit, *ibid.* Eius vitæ primus gradus perfectionis, *pag.* 37. Abnegauit propriam voluntatem, *p.* 38. Eius ſolitudo, & caſtitas, *p.* 39. Charitas, *pag.* 41. Studium, *pag.* 49. & 55. Quæ fugit, *ibid.* Virginitate perpetua primus hominum ſeipſum ſponte decorauit, *ibid.* Eius geſta, *pag.* 50. Perfectio, *pag.* 51. An æqua-

æqualis Ioanni Baptiſtæ, *ibid.* Paſcitur a coruis, *ibid.* Eius ſucceſſores, *pag.* 52. Quæ ipſos docuerit, *ibid.* Quales Prophetas fecerit, *pag.* 53. Exemplar perfectionis Monaſticæ fuit, *pag.* 59. Cur eius ſpirituales poſteri a Carmelo potius, quàm à Carith dicti ſint, *pag.* 61. Exponitur eius viſio in ſpelunca Montis Oreb, *pag.* 62. Plantat Religionem eremiticam in Monte Carmelo, *pag.* 64. Eius miracula, *pag.* 65. Translatus eſt in Paradiſum, ſed rediturus, *pag.* 70. Quali habitu vſus fuerit, *pag.* 322. *num.* 7. Templa ipſi dicata, *pag.* 433. *num.* 2.

Elias alius Monachus, *pag.* 215. *nu.* 4. Venit ex Ægypto ad S. Euthymiũ, *ibid.* Efficitur Epiſcopus, *ibid.* Nunquam bibit vinum, *ib.* Eius ſtudia, *ibid.* Geſta ex Baronio, & alijs, *ibid.*

Elianum Inſtitutum etiam poſt Diuos Baſilium, Auguſtinum, & Benedictum vigebat, *pagina* 3. *num.* 1. Eius Monachi a Ioanne baptizati, docentur ab eodem de baptiſmo Chriſti in ſpiritu, *pag.* 80.

Eliotarum Generalis adeſt Synodo Chalcedonenſi contra Eutychetem, & alios celebratæ, *pag.* 187. *num.* 3. Quis fuerit ex aliorum ſententia, *ibid.*

Eliſæi prophetæ diſcipuli magni Eliæ vita, *pag.* 57. Eius nominis interpretatio, *pag.* 63. Succeſſio in ſpiritu, & prælatura S. Eliæ, *pag.* 70. Miracula quædam, ipſiuſque paterna ſollicitudo pro commiſſis ſibi filijs, *pag.* 72. Dulces reddit colochyntides, ac panem multiplicat filijs Prophetarum, *pag.* 74. & *ſeq.*

Eliſeus Abbas, *pag.* 204. *num.* 5. Diſcit abſens virtutes, & formam corporis S. Marcelli, *ibid.* Eius diſcipuli, *pag.* 205. *num.* 5.

Elpidius Monachus præfectus Lauræ Carithonis, *pag.* 195. *num.* 3. Fuit Archimandrita, *ibid.*

Elpidius primus Toletanus Antiſtes Monachus an Carmelita, *pag.* 263. *n.* 3. Quomodo ad fidem conuerſus, *ibid.* Venit in Hiſpaniam, *ibid.* Fundat Toleti Monaſterium Virginum, & Monachorum, *ibid.* Monachiſmum in Hiſpaniam infert, *pag.* 274. *num.* 7. Eius ſocij, *ibid.* Eremiterium Toleti ſuis Carmelitis ædificat, *pag.* 284. *num.* 11.

Eluodugus Probus Monachus Banchorenſis, *pag.* 182. *num.* 9. Sui Cœnobij factus eſt Præſes, *ibid.*

Epiſtola Deiparæ ad Meſſinenſes, *pag.* 549. *num.* 5. Eiuſdem traditionis veritas cuidam reuelatur, *ibid.*

Ephrem Syrus Eliam, & Ioannem Baptiſtam Monachorum Patriarchas agnouit, *pag.* 5. *num.* 6.

Equitius, & eius diſcipuli cuinam Monaſtico Inſtituto accenſendi, *pag.* 272. *num.* 3.

Equitij titulus, *pag.* 553. *num.* 1 Ibi eſt Eccleſia S. Martini, *ibid.*

Eremitæ Montis Carmeli, *pag.* 26. *num.* 9. Eorum in veteri, & nouo teſtamento pietas, *pag.* 66. Appellati interdum ſunt Anachoretæ, *pag.* 69. Facti fuere Apoſtolorum coadiutores, *pag.* 85. Appellabantur homines Dei, *pag.* 153. *nu.* 11. Vide *Carmelitæ*.

Eſſeni perdurarunt poſt Baſilium, *pag.* 17. *num.* 20. Eorum diſcipuli, *ibid.* Introducitur in Occidentis

partibus ipſorum Inſtitutum, *pag.* 156. *num.* 6. Eorum viuendi genus admirabile, *pag.* 158. *num.* 5.

Euagrius impugnatur ob ſententiam impaſſibilitatis, *pag.* 134. *num.* 5. Sectatus eſt Origenis errores, *ib.*

Eucherius Monachus Lirinenſis, *pag.* 161. *num.* 3.

Eudoxia Imperatrix vtitur conſortio, & magiſterio Melaniæ, *pag.* 156. *num.* 2. Ædificat Monaſteria, *ibid.* Amplexatur tanquam ſorores Moniales, quæ cum Melania viuebant, *ibid.* Nubit Maximo Imperatori, *pag.* 194. *num.* 1. Fit captiua cum filiabus à Genſerico, *ibid.*

Eudoxia ſenior conuertitur ad fidem opera Monachorum, *pag.* 194. *numer.* 2.

Eugenius Toletan. III. plura celebrat Concilia, *pag.* 329. *n.* 2. An Monachus, & cuius Inſtituti, *ibid.*

Eulogius Cordubenſis Martyr, *pag.* 405. *num.* 7. Eius peregrinatio, *ib.* Deſcribit exercitia cuiuſdam Monaſterij, *pag.* 406. *nu.* 7. Eius Martyrium, *pag.* 424. *num.* 3.

Eugippius Abbas S. Seuerini diſcipulus, *pag.* 194. *nu.* 10. An fuerit Benedictinus, *ibid.*

Eulogius Martyr quo tempore vixerit, *pag.* 18. *num.* 12. Eius ſcripta, *ibid.* Non fecit mentionem de Auguſtiniano, Benedictino, nec de Baſiliano Inſtitutis, *ibid.*

Euphemius Abbas, & eius Socij Agalienſis Cœnobij alumni, *pag.* 265. *num.* 7.

Euphraſia Eliana Virgo an floruerit in Monaſterio à Cyrillo erecto, *pag.* 106. *num.* 6. Monaſticen egit in Thebaide, *ibid.* Eius geſta, *n.* 7. Comedebat ſemel in die, *ibid.* Triclinia mundabat, *ibid.* Superabat abſtinentia diaboli tentationes, *ibid.* Ipſius exercitia, *ibid.* Ieiunauit quandoque tota ſeptimana, *ib.* Nunquam per totum annum ſedit, *ibid.* A diabolo in puteum præcipitata, incolumis euaſit, *ib.* Vulnerauit ſe ſecuri, *ibid.* Eius miracula, *ibid.* Mors, & ſepulcrum, *ibid.* Scriptores ipſius vitæ, *ibid.*

Euphroſyna virgo Ordinis Carmelitici, *pag.* 123. *num.* 3. Eius natales, *ibid.* Orbatur genitrice, expetiturque in ſponſam, *ibid.* Ipſius facinus generoſum, *ibid.* Induitur habitu virili inter Monachos ſe exercens, *ibid.* Diaboli in eam tentationes, *ibid.* Detegitur Virginis ſexus, *ibid.* Pœnitentia, *ibid.* Prædicit ſuam mortem, *ibid.* Claruit miraculo, *ibid.* Sepelitur in monumento Patrum, *ibid.*

Euſtachius Presbyter quo tempore floruit, *pag.* 8. *num.* 13. Multa ſcripſit de Monaſtica diſciplina, *ibid.* Baſilium, aut Auguſtinum Monachorum Patriarchas non agnoſcit, *pag.* 9.

Euſtaſius Monachus Columbani ſucceſſor, *pag.* 300. *num.* 4. Opponit ſe conatibus Agreſtini Monachi, *ibid.* Eius Inſtitutum, *ibid.*

Euſtochium Virgo Paulæ Romanæ filia moritur, *pag.* 124. *nu.* 2. Fuit Monialis Monaſterij Bethlehem, *ibid.*

Euthymius Abbas floret in Palæſtina, *pag.* 125. *num.* 4. Scriptores eius vitæ, *ibid.* Amplexatus eſt Elianum Inſtitutum, *ibid.* Accenſetur inter Prophetalis Ordinis cultores, *ibid.* Natus eſt Melitenæ, *ibid.* Eius profectus, *ibid.* Petit Ieroſolymam, *ibid.*

ibid. Peruenit ad Pharam Lauram, Includitur in Cella, texens ramos palmarum, *ibid.* Suppeditat egentibus victum ſuis laboribus, *ibid.* Manet per quinquennium in Pharam, *pag.* 126. *num.* 5. Fugit, deueniteque ad ſpeluncam, vbi herbis veſcitur, *ibid.* Extruit cum ſocijs Monaſterium, *ibid.* Conſtruit aliud Cœnobium, ibique regularia documenta tradit, *ibid.* Fundat Monaſteria circa mare mortuum, *ibid.* Curat remouere Domnum eius diſcipulum a peregrinatione in Antiochiam, *pag.* 150. *num.* 4. Manet incolumis ab hæreſi Eutychiana, *pag.* 191. *num.* 4. Eius reſponſum datum Legatis apoſtatæ Theodoſij, *ibid.* Conuertit ad rectam fidem Pſeudo-monachos, *ib.* Repellit è ſua Laura Eudoxiam Auguſtam, *pag.* 198. *num.* 6. Moritur, *pag.* 203. *num.* 7. Reliquit ſuis ſodalibus veluti pro teſtamento Charitatem, *ibid.* Eius imago, *ib.*

Euthymius alius Monachus, *pag.* 440. *num.* 3. Fuit genere Iſauricus, in Monte Olympo diu Monachatum exercens, *ib.* Conſtituitur Patriarcha Conſtantinopolitanus, *ibid.* Abdicatur, & percutitur pugnis, & colaphis a Clero, *ibid.* Transferturque eius corpus Conſtantinopolim ab Imperatoribus, *ibid.*

Eutyches improbus Monachus tragœdias in Eccleſia excitat. *pag.* 182. *num.* 1. Negat in Chriſto duas perſonas, duaſque naturas, *ibid.* Dirigit ſuum errorem Monaſterijs, *pag.* 183. *nu.* 1. Accuſatur, & damnatur a Synodo Conſtantinopolitana, *ibid.* Priuatur presbyteratu, & Monaſterij adminiſtratione, *ibid.* Excuſat ſe apud Leonem Papam, & Theodoſium Imperatorem, *ib.* Abſoluitur nefarie in Pſeudo-ſynodo Epheſina, *ibid.* Excitant ſui ſectatores tumultus in Palæſtina, *pag.* 191. *num.* 2.

Eutychius, Monachus illuſtris, & Conſtantinopolitanus Patriarcha, *pag.* 255. *num.* 2. Eius natales, *ibid.* Educatur Auguſtopoli, *ibid.* Vocatus ad Epiſcopatum Lazichenorum Monachalem habitum induit ſolitarius, *ibid.* Elianus cenſendus eſt, *ibid.* Vocatur quaſi ſecundus quidam Elias, *ibid.* Monachorum cœtus gubernat, *ibid.* Venit Conſtantinopolim, creaturque Patriarcha, *ibid.* Expellitur a ſua ſede, *pag.* 256. *num.* 2. Collocatur in Monaſterio prope Chalcedonem, *ibid.* Exul deportatur ad ſuum Amaſeæ Cœnobium, *ibid.* Miraculis claret, *ibid.* Reuocatur Conſtantinopolim, *ibid.*

F

S. Fabritius, & Philibertus Monachi Eliani, *pag.* 443. *nu.* 2. Dedicarunt Monaſterium Deo, & Beatiſſimæ Virgini, *ibid.*

Familia Illuſtriſſima de S. Cruce quę beneficia Eccleſiæ Sanctorum Silueſtri, & Martini de Montibus piè contulerit, *pag.* 571.

Fandila Monachus, *pag.* 418. *num.* 19. Iudici aſtans Euangelium prædicat, *ibid.* Machometum exprobrat, *ibid.* Martyrio coronatur, *ibid.*

Fauor ſingularis protectionis Deiparæ Virginis erga Carmelitas, & ipſorum Confratres poſt mortem, depictus in Capella Eccleſię S. Mar-

tini de Montibus, *pag.* 571.

Fauſtus Monachus Lirinenſis; *pag.* 202. *num.*4. An pertineat ad Benedictinum Inſtitutum; *ibidem*; Creatur Epiſcopus Regienſis, *pag.* 206. *nu.* 4.

Fimbria fornicis chori; ſeu odei Eccleſiæ Sanctorum Silueſtri,& Martini, muſiuè elaborata a S. Leone IV. Papa, *pag.*572.

S. Fintanus Monachus, *pag.* 277. *nu.* 6. Cognoſcitur per reuelationem caput magni populi, *ibid.*

Flauianus Patriarcha Antiochenus, *pag.*227. *nu.*9. Fuit aliquando Monachus, *ibid.* Defenſor fidei Catholicæ, *ibid.* Multa ab hæreticis paſſus eſt, ac ab ipſis damnatur, *ibid.* Manet in ſua ſede, *ibid.* Expellitur à Seuero hæretico, *ibid.*

Flauianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus occiditur pro fide Catholica, *pag.*183. *num.*1.

Florentia virgo Sanctimonialis, *pag.* 306. *num.* 7. Eius Inſtitutum, *ibid.*

Fœlix Romanus Pontifex, *pag.*210. *num.*1. Cohortatur Zenonem Imperatorem, & Acacium ad fidei defenſionem, *ibid.* Damnat Petrum Cnapheum, *ibid.*

Fœminæ ſectantes vitam aſceticam, *pag.*132. *num.*7. Marana, Cyra, & Domnina, *ibid.*

Formoſus Papa laudatur, *pag.* 434. *num.*1. Coronat Guidonem Lamberti Ducis Spoletani filium in Imperatorem, *ibid.* Male tractatur poſt mortem, *pag.*435.

Fornix odei Eccleſiæ Sanctorum Silueſtri, & Martini in Montibus, *pag.* 572.

Fulgentius Aſtigitanus Carthaginenſis Antiſtes, *pag.*274. *num.*6. Prophetici Inſtituti æmulator extitit, *ibid.* Cuius Conuentus altumnus fuerit, *num.*7.

S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, *pag.* 212. *num.* 3. Sectatur vitam Monaſticam, *ibid.* Fit Monachus, *ibid.* Eius mirabilis abſtinentia, *ibid.* Efficitur Abbas Monaſterij, *ibid.* Fugit cum Monachis, *ibid.* Cooptatur in Epiſcoporum numerum, *pag.* 213. Seruat in Epiſcopatu integritatem Monachatus, *ibid.* Extruit Monaſterium, *ibid.* Qui veri Monachi ex eius ſententia, *ibid.* S. Auguſtini Monachatus profeſſor exiſtimatur, *pag.* 225. *num.*1.

Fullo, aliàs Petrus Cnapheus hæreticus Eurychianus, *pag.* 203. *nu.*2.

G

GAbella Monachis impoſita, *pag.*461. *num.* 2. Expoſtulata, *ibid.* a Deo in exactores punita, *ibid.*

Gabriel Monachus, *pag.* 195. *num.* 3. Acceſſitus cum Chryſippo ab Eudoxia, vt cuſtodiret S. Crucem, *ibid.*

Gamaliel Pauli Apoſtoli magiſter loquitur Luciano presbytero, *pag.*109. *nu.*1. Tribuit nomen *Sancti* Ioanni Epiſcopo Ieroſolymit. in ſua reuelatione, *ibid.* Apparet Nugetio Monacho, *pag.* 109. *num.* 2.

Gaudiolus Præſes Monaſterij, *pag.* 205. *num.*5. Commendatur ſpiritu & gratijs diuinis, *ibid.*

Gelaſius Papa, & eius geſta, *pag.* 535. *num.* 1.

Georgius Bethlehemita Monachus, *pag.*

pag. 417. *num.* 16. Mittitur in Africam, *ibid.* Venit in Hiſpaniam, *ibid.* Decoratur Martyrio, *ibid.* Eius ſepulchrum, *ibid.* Epiſtola quam ad Monachos ſui Monaſterij ſcripſit, *ibid.*

Gerardus Bronienſis Abbas, *pag.* 447. *num.* 2. An idem cum Gerardo Veneto, *ibid.*

Gerardus gubernator Hoſpitalis Ieroſolymitani, *pag.* 539. *nu.* 6. Cenſetur Carmelita, *ibid.* Inſtitutus dicitur ad vitam eremiticam a S. Brocardo, *ibid.* Accepit Regulam S. Auguſtini, *ibid.* Alia ipſius geſta, *ibid.* Probatur ex multis eius Monachatus Carmelitanus, *pag.* 540. *num.* 6. & 543. *num.* 7. & 8. Mira alia de ipſo recitantur, *pag.* 540. & *ſeq.* An fuerit mere Laicus, vel Conuerſus, *pag.* 545. *num.* 9.

Gerardus Venetus oritur, *pag.* 465. *num.* 3. Rationes quibus Carmelita oſtenditur, *pag.* 466. *nu.* 4. Reſpondetur obiectionibus, *num.* 5. Eius Officium pro Ordine approbatũ, *pag.* 467. *num.* 6. Eius incunabula, *pag.* 468. *num.* 7. Oblatus eſt puer quinquennis Monaſterio, *num.* 8. Eius adoleſcentia, *pag.* 470. *nu.* 2. Creatur Canonicus S. Marci Venetiarum, *pag.* 472. *num.* 2. Degens in Monaſterio Patrum Benedictinorum aſperas pœnitentias ſubit, *pag.* 475. *num.* 2. Decoratur officio Prioratus, & Abbatis, *ibid.* Mittitur Bononiam ſtudij cauſa, *pag.* 476. Pergit Ieroſolymam, *pag.* 478. *num.* 3. Eius iter, *ibid.* Dubitatur an Carmelitis ſit accenſendus, *pag.* 479. *num.* 4. & *ſeq.* Suſcipit habitum Carmeliticum, *pag.* 482. *nu.* 8. Cogitur in Hungaria manere, *pag.* 483. *num.* 9. Ibi Eccleſiam exædificari curat, *ibid.* Colitur à beſtijs, *ibid.* Eius deuotio erga Deiparam, *num.* 10. Omnium primus in ea patria B. Virgini ſabbatum conſecrauit, *pag.* 484. *num.* 10. Eligit ſibi ſepulturam, *ibid.* Corollarium eius hiſtoriæ, *nu.* 11. Aſſiſtit Regi Hungariæ pro ſchiſmate ibi orto, *pag.* 488. *nu.* 2. Eius obitus, *pag.* 490. *num.* 2. Et martyrium, *ibid.* Claruit ſpiritu prophetico, *pag.* 491. *num.* 3. Eius Prophetia de Regno Hungariæ, *ibid.* Monumenta quæ reliquit, *num.* 4. Explicantur eius encomia epigrammate, *ibid.*

Gerardus alius Carmelita, *pag.* 486. *num.* 3. Aſſumitur in Patriarcham Antiochenum, *ibid.* Venit Romam, & à Benedicto IX. ſuſcipitur, *ibid.* Creatur Legatus à latere Henrico Imperatori, *ibid.* Eius orationibus Henricus Ducem Bohemiæ ſubiugat, *ibid.* Examinantur ſuper hoc aliqui Authores, *pag.* 487. *num.* 4. Eius geſta, *pag.* 489. *num.* 3. Fundat Cœnobium Boppardienſe, *num.* 4. Ex Syria querelas Chriſtianorum delaturus Romam venit, *pag.* 496. *nu.* 3. Mittitur ad Imperatorem, *ibid.* An redierit in Palæſtinam, *ib.*

Geraſimus Monachus commendatur, *pag.* 195. *nu.* 3.

Germana Monialis æmula S. Euphraſiæ, *pag.* 107. *num.* 7.

Germanus Abbas, & Epiſcopus Pariſienſis, *pag.* 258. *nu.* 2. Inſtitutum Monaſticum, *ibid.*

Gildas Albanius, *pag.* 228. *num.* 12. Fuit diſcipulus S. Patritij, *ibid.* Quærit Eremi ſolitaria loca, *ibid.* Annumeratur Eliæ imitatoribus, *ibid.*

ibid. Eius ortus, & obitus, *ibid.* Reperitur eius corpus, *ibid.* An idem cum Gilda Badonico, *ibid.*

Gildas Badonicus Monachus Elianus, *pag.* 278. *nu.* 8. Monaſterium Banchorenſe incolit, *ibid.*

Glaſconienſe Monaſterium a S. Ioſepho Arimathenſi inchoatum, *pag.* 153. *num.* 11. Eius Inſtitutum, *ibid.*

Gordiana S. Gregorij Papæ conſanguinea qualis, *pag.* 270. *num.* 2.

Gorgonenſes Monachi edocentur ab Angelis de martyrio S. Iuliæ, *pag.* 161. *num.* 2. Afferunt è Corſica eius corpus in Inſulam Margaritam, *ibid.* Cuius Inſtituti fuerint, *ibid.*

Gotheſcalcus hæreticus, *pag.* 412. *nu.* 10. Eius dogmata, *ibid.* Mores, *ibid.*

Gothi vexant totam Chriſtianitatem, *pag.* 205. *num.* 1.

Gothefridus efficitur Rex Ieruſalem, *pag.* 514. *num.* 14. Eius geſta, *pag.* 516. *num.* 16. Iuſſit exhiberi Carmelitis omni ſabbato eleemoſynam, *ibid.* Moritur, *pag.* 526. *n.* 2.

Gradus ad charitatem a Deo Elię edocti, *pag.* 43. *& ſeq.*

Gregorij Nazianzeni de Monachatu Eliæ, & Baſilij ſententia, *pag.* 4. *num.* 1.

Gregorij Nyſſeni teſtimonium de principatu Monachatus Eliani, *pag.* 4. *num.* 4.

S. Gregorius Papa, qui antea Monachus, *pag.* 270. *num.* 2. Eius natales, *ibid.* Duas patris ſui ſorores habuit Virgines Deo dicatas, *ibid.* Bonas excoluit literas, *ibid.* Calluit iuris ſcientiam, *ibid.* Inter Senatores militauit, *ibid.* Geſſit Præfecturam Vrbanam, *ibid.* Sex Monaſteria in Sicilia erexit, ſeptimum Romæ, *ibid.* An fuerit Benedictinus, *num.* 3. *&* *pag.* 271. Apocriſarius Apoſtolicæ Sedis creatur, *pag.* 276. *num.* 1. Eutychium Conſtantinopolitanum Antiſtitem ſui erroris compotem facit, *ibid.* E Conſtantinopoli rediens in Monaſterio quod condiderat ſe includit, *pag.* 276. *nu.* 3. Creatur Romanus Pontifex, *pag.* 279. *num.* 2. Indicit Litanias pro lue auertenda, *ibid.* Videt Angelum nudatum gladium in vaginam recondere, *ibid.* Concedit exemptionis priuilegium Monaſterio Sueſſionenſi, *pag.* 280. *num.* 5. Pluribus fauoribus Apoſtolicis Monachos decorat, *ibid.* Monachos in Angliam mittit, *pag.* 281. *num.* 7. Moritur, *pag.* 286. *num.* 1. Fabula de anima Traiani a precibus Gregorij liberata, *ibid.*

Gregorius Sinaita ſubrogatur in locum Anaſtaſij ad Sedem Antiochenam, *pag.* 266. *num.* 3. Eius mores, *ibid.* An legitime in Antiſtitem aſſumptus, an verò intruſus, *ibid.*

Gregorius Turonenſis Antiſtes, *pag.* 268. *num.* 3. Eius ſanctitas, ac nobilitas, *ibid.* Liberatur a deſperato morbo precibus S. Martini, *ibid.* Multa patrauit ſigna, *ibid.* Charitate, & humilitate celebratur, *ib.* Monachatum induit, *ibid.* Cui Inſtituto accenſendus, *ibid.* Cum aliquando D. Gregorio Papæ adſtaret miranti quòd paruæ eſſet ſtaturæ quid protulerit, *ibid.*

Gregorius Papa V. concedit Indulgentias Ordini, *pag.* 469. *num.* 2.

Guido de Malephayda eiuſque ſoboles, *pag.* 496. *num.* 4. Ducit in vxorem

rem

rem nepiem Regis Hungariæ, *ibid.* Mittit ſuos filios Pariſios, *ibid.* Corripitur menda aliquorum DD. de matrimonio Guidonis, *pag.*497 *num.* 5.

Gulielmi Malmesbrienſis ſententia de vita Monachorum Britanniæ, & Scotiæ ante Auguſtini aduentum, *pag.*19. *num.* 24.

H

Habitus Monachorum Montis Carmeli, *pag* 94. De Zona, *ibid.*

Habitus à Sanctiſſima Virgine Præmonſtratenſibus conceſſus, *p.*548. *nu.*4. Item habitus ab eadem Virgine Alberico Ciſtercienſi traditus, *ibid.* Colludunt cum hiſtoria de Scapulari ab ipſamet Deipara Beati Simoni Stoch donato, *ibid.*

Hadrianus Papa, *pag.* 373. *num.*1. Eius vigilantia, *ibid.* Munificentia in ornandis Eccleſijs, *pag.*374. *nu.* 2. *& nu.*3. Maximè quòd noſtram Sanctorum Silueſtri, & Martini renouauerit, *pag.*554. *num.*4.

Hadrianus Papa II. concedit Indulgentias Ordini Carmelitano, *pag.* 429. *num* 4. *& ſeq.*

Hæretici quomodo vitandi, oſtenditur mirabili exemplo Coſmæ Abbatis, *pag.* 266. *num.*4.

Haymericus quo tempore Sedem Antiochenam aſcenderit, *pag.* 537. *num.*4. Lapſus aliquorum Scriptorum, *ibid. & pag.*551. *num.*4. Ad Sedem Patriarchalem Antiochenam aſſumitur, *pag.* 551. *num.*4. Ipſo promouente reformatur Carmelus, *ibid.*

Helena Conſtantini Mater Ædem erigit circa ſpeluncam Ioannis Baptiſtæ, vbi olim domicilium habuit, *pag.*171. *nu.* 14. Item aliam in Promontorio Carmeli, *ibid.* Adeſt Synodo Romanæ in Eccleſia Sanctorum Silueſtri, & Martini celebratæ, *pag.* 554. *num.*2.

Henricus de Boppardia primus Prior Cœnobij Boppardienſis moritur, *pag.* 534. *nu.* 13. Eius Epitaphium, *ibid.*

Heraclius Imperator parat expeditionem aduerſus Perſas, *pag.*301. *nu.* 1. Legiones ducit in Aſiam, *ibid.* Victoriam obtinet, *ibid.* Coſdroam fugat, *ibid.* Eius geſta, *ibid.*

Hermenegildus Leouigildi Regis Hiſpaniæ filius ad fidem conuertitur, *pag.*274. *num.*5. Eius frater, *ibid.* Suſcipit arma contra Patrem pro defenſione Catholicæ Religionis, *pag.*276. *num.*1. In carcerem detruditur, martyriumque ſubit, *ibid.*

S. Hieronymi teſtimonium de Monachorum Principibus, *pag.*4. *n.*3. Commẽtum videtur aſſerere ipſum Monachum Baſilianum fuiſſe, *ibid.* Ipſius exemplum, *pag.* 105. *nu.*4. Regit Monaſterium Monialium à Paula erectum, *pag.*116. *num.*14. Exagitat ſcriptis Pelagium, *ibid.* Flet mortem Euſtochij, *pag.* 124. *num.*2. Moritur valde ſenex, *nu.*3. Sepelitur Bethlehem, *ibid.*

Hierotheus Monachus propagat fidẽ Catholicam apud Turcas, *pag.*456. *num.* 2.

Hilarius Arelatenſis, *pag.*136. *num.*1. Laborat pro defenſione doctrinæ D. Auguſtini, *ibid.* Non fuit Inſtituti Auguſtiniani, neque Baſiliani, *ibid.* Cenſetur Elianus, *ibid.* Eiuſdem

dem frater cum vxore fit Monachus, *ibid.* Adeſt primus Concilio Arauſicano, *pag.* 161. *num.* 3. Fuit Monachus Lirinenſis, *ibid.* Efficitur Epiſcopus, *pag.* 182. *nu.* 3. Conatur tueri iura ſuæ Eccleſiæ, *ibid.* Condemnatur à Leone Papa, & à Valentiniano Imperatore, *ibid.* Succedit in Lirinenſis Cœnobij præpoſitura Honorato, *ibid.* Eius zelus, ac virtutes, *ibid.*

Hilarius Papa conſtruit Romæ Monaſteria, *pag.* 204. *nu.* 2.

Hildas Abbatiſſa, *pag.* 335. *num.* 4. Transfretauit in Galliam, *ibid.* Eius geſta, *ibid.* Et Inſtitutum, *ibid.*

Hiſpalenſe Monaſterium a quibus conſtructum, & Monachatu prius ornatum, *pag.* 274. *num.* 7.

Hiſpania deuaſtatur, *pag.* 351. *num.* 2. *& ſeq.* Reportat victoriam contra Saracenos ſub Ramiro Rege, auxiliante D. Iacobo, *pag.* 402. *num.* 1.

Homar Ieruſalem obſidet, *pag.* 312. *num.* 3. Captiuat, *ibid.* Eius clades, *ibid.* Damaſcum inuadit, Syriam occupat, *ibid.* Eius ſtrages, *ibid.* Templum conſtruit pro Saracenis, *ibid.*

Hominis dignitas quomodo per peccatum ſordeſcat, *pag.* 41.

Honoratus Monachus eiuſque ſocij florent in Gallijs, *pag.* 129. *num.* 4. Fuit Eliani Inſtituti, *ibid.* Habuit cum fratre ſuo Venantio magiſtrum Capraſium, *ibid.* Eius geſta, *num.* 5. Venit in Italiam, *pag.* 130. *num.* 5. Conſtruit in Inſula Lirinenſi Monaſterium, *ibid.* Numeratur inter Monachorum legiſlatores, *ibid.* Lucrifecit Chriſto Hilarium ipſius vitæ ſcriptorem, *ibid.* Expetitur Epiſcopus, *ibid.* Proxime moriturus dat monita Monachis, *ibid.*

Honorius Imperator fauet ſchiſmati cuiuſdam Eulalij, *pag.* 124. *num.* 1. Mutat ſententiam, *ibid.* Moritur, *pag.* 127. *num.* 1.

Honorius II. Papa, & eius geſta, *pag.* 547. *num.* 1.

Hoſpitius magnæ abſtinentiæ vir cuius Inſtituti ſectator extitit, *pag.* 268. *num.* 4. Eius victus, & pœnitentia, *ibid.*

Humilitas omnibus neceſſaria, *pag.* 47. In coruis denotata, *ibid.* Eliæ filijs commendata, *ibid.* Deſcripta in tecto, ſeu lacunari Eccleſiæ Sanctorum Silueſtri, & Martini in Montibus, *pag.* 575. Quia propria S. Caroli Borromæi, qui illud refecit, & Religioſorum virtus eſſe debet, *pag.* 576. Humilitatis exemplum in Symeone dicto *Salus*, *pag.* 254. *num.* 5.

Hunericus Vvandalorum Rex perſequitur Eccleſiam Africanam, *pag.* 210. *num.* 1. Eius impudica facinora, *ibid.*

I

S. Iacobus Apoſtolus Pontifices creat, *pag.* 275. *num.* 7. Affert in Hiſpaniam multos diſcipulos, *ibid.* Eorum nomina, & Epiſcopatus, *ibid.*

Iacobus Anachoreta, *pag.* 224. *num.* 4. Viuit cancellis interſeratis incluſus, *ibid.* Victitat ex ſeminibus tantum, *ibid.* Impetitur à Perſis ſagittis, *ibid.* Remanet incolumis, *ibid.* Reſtituit Barbaris membrorum vſum, *ibid.*

Iaco-

Iacobus Niſibita Monachus auſterus, *pag.*151. *num.*7.
Iacobus Porphyrionita Monachus Carmeli, *pag.*245. *num.*4. Habitat in ſpelunca quindecim annis, *pag.* 246. *nu.*4. Eijcit dæmones, & languores curat ſolo Ieſu Chriſti nomine, *ibid.* Conuertit ad ſe venientes ad veram fidem, *ibid.* Celebre ipſius factum, *pag.*256. *num.*4. & *pag. ſeq.*
Iannicius Eremita, *pag.*398. *nu.*3 Eius Inſtitutum, *ibid.* Defendit fidem, *ibid.* Pertranſit inuiſus cuſtodes carceris, vinctoſque catenis liberat, *ibid.* Moritur, *ibid.*
Ieruſalem capitur ab Homaro Saracenorum Principe, *pag.*309. *nu.*7. Reſpirant Chriſtiani in ea degentes à Barbarorum tyrannide, *pag.* 495. *num.*2. Capitur à Chriſtianis, *pag.*514. *num.*14.
Ildefonſus Monachus, & Abbas, *pag.* 326. *num.*5. Eius Inſtitutum, *ib.* Variæ DD. ſententiæ de eius Monachatu, *pag.*527. An Benedictinus, *pag.*328. Succedit Archiepiſcopo Eugenio, *pag.* 330. *num.*5. Eius mores, *ibid.* Regem reprehendit, *ibid.* Iudæos baptizat, *ibid.* Hæreticos confutat, *ibid.* Veneratur à Rege, *ibid.* Dona illi exhibita à Deipara, *nu.*4. Impenditur ei gladioſus à Rege Gothorum ad reſcindendum velum S. Leocadiæ, *pag.* 331. *num.*6. Eius obitus, *pag.*332. *num.*7. Epitaphium, *ibid.*
Imago Chriſti Redemptoris admirabilis, *pag.*453. *num.*2. Romam delata eſt vbi colitur in titulo S. Silueſtri, *ibid.* Imago celebris Crucifixi Toletani Cœnobij Carmelitarum, *pag.*523. *nu.*24. A quibus effigiata, & vnde reperta, *pag.* 524. *num.*25. Imago Deiparæ celeberrima in eodem Cœnobio dicta de Alfizen, *ibid. num.*26.
Impaſſibilitas quid importet, *pag.*134. *nu.*1. Impugnatur Euagrij ſententia quam de illa tradidit, *ibid.* Denotat aliquando ſtatum virtutum heroicarum, *pag.* 135. Monachi qui illa decorati videntur, *ibid.*
Imperatores, & Imperatrices Monaſticam vitam profitentes, *pag.*593. *num.*11. & *pag. ſeq.*
Indulgentia Ordini Carmelitarum conceſſa, qua eius vetuſtas comprobatur, *pag.*409. *nu.*6. Probatur varijs rationibus, *pag.*411. *nu.*7. & 8. Cauſa cur conceſſa fuerit, *pag.* 412. *n.*9. Indulgentia Greg. XIII. *p.* 171.
Innocentij Papæ geſta, *pag.*118. *nu.*2. Fecit Conſtitutum quoddam de Regulis Monaſteriorum, *ibid.* Relegauit Cataphrygas, *ibid.*
Innocentius II. Papa, & eius geſta, *pag.* 549. *nu.*1.
Inſcriptio Eccleſiæ SS. Silueſtri, & Martini in Montibus, *pag.*572. Beneficia ipſi à Reuerendiſs. Generali Philippino exhibita continens, *ib.* Alia de eiſdem beneficijs *pag.*575. Alia cuiuſdam antiqui ſepulchri, *ib.*
Inſtitutum admirabile Rechabitarũ, *pag.*73.
Ioanna Papiſſa, & eius fabula, *pag.*419. *nu*3. & *pag. ſeq.* Occaſio huius erroris, *pag.*430. *num.*1.
Ioannes Archicantor Abbas S. Martini, *pag.* 336. *num.*3. Eius Inſtitutum, *ibid.* Obitus, *pag. ſeq.*
Ioannes Antonius Philippinus Ordinis Generalis quanta beneficia fecerit Eccleſiæ, & Monaſterio SS. Silueſtri, & Martini in Montibus, *pag.*

553. *& ſeq.* Maxime 572. *& ſeq.*

S. Ioannes Baptiſta an Monachus Inſtituti S. Eliæ, *pag.*79. Baptizauit Monachos Elianos, eoſque docuit de baptiſmo Chriſti in ſpiritu, *pag.* 80. Apparet Iacobo Monacho candida veſte indutus, *pag.*132. *nu.* 7.

Ioannes Caſſianus Monachos fuiſſe, innumeros poſt Baſilij Inſtitutum probat, *pag.*5. *num.* 8. Facit Monachorum Principes Eliam, & Eliſeum, ac Ioannem Baptiſtam, *ibid.* Monachos inſtituit, *ibid.* Natione fuit Scytha, *pag.*100. Venit in Galliam Narbonenſem, & Maſſiliam, ibique duo Monaſteria condidit, *ibid. & pag.*128. *num.*2. Profeſſus eſt ritum viuendi patrum Ægypti, *ibid.* Agnoſcitur ſuperior quinque mille Monachorum, *ibid.* Scripſit pro illis propriam regulam, *ibid.* Ipſius librorum vtilitas commendatur, *num.* 3. Adhæſit Pelagio, *pag.*136. *num.*1. Scripſit libros ſeptem de Incarnatione aduerſus Neſtorium, *pag.*146. *num.*12.

Ioannes Climacus Monachus, *pag.*251 *nu.*4. Eius libri propoſitum, *ibid.* Nuncupat illum ad Ioannem Abbatem Montis Sinai, *ibid.* Reprehenditur à quibuſdam, *ibid.* Vindicatur, *ib.* Fit Monachus in Monte Sina, *ibid.* Eius ſtudia, *ibid.* Conſtituit ſibi domicilium ſuæ palæſtræ, *pag.*252. *num.*4. Eius vitæ curſus, *ibid.* Accenſendus eſt Elianis, *ibid.*

Ioannes Cuzibita ex Monacho Lauræ creatur Epiſcopus, *pag.*237. *nu.*7. Eius miracula, *ibid.*

Ioannes de Atares, *pag.* 343. *num.*6. Eius patria, *ibid.* Vita anachoretica, *ibid.* Corpus cum inſcriptione, *ibid.* Eliadum æmulator, *ibid. & pag. ſeq.*

Ioannes *Eleemoſynarius* Patriarcha Alexandrinus, *pag.*289. *nu.*4. Appellabat pauperes *dominos ſuos*, *ib.* Quot pauperes per ſingulos dies alebat, *ibid.* Interdixit ne ſui Officiales munera acciperent, *ibidem.* Opertorium pretioſum ſibi donatum abiecit, *ibid.* Ratio ſui cognomenti, *ibid.* Eius virtutes, *ibid* Monachum honorat, *ib.* Eius dictum, *ibid.* Duos aluit Conuentus, *ibid.* Annumeratur inter Elianos, *pag.* 290. *num.*4.

Ioannes Epiſcopus Sarracenorum, magni Euthymij diſcipulus adeſt Concilio Chalcedonenſi, *pag.* 188. *num.*4.

Ioannes Damaſcenus, *pag.* 353. *num.* 4. An Carmelita, *ibid.* Habitauit Monaſterium S. Sabæ, *ibid.* Manus illi amputata Virginis ſanctiſſimæ patrocinio reſtituitur, *pag.*354. *num.* 5.

Ioannes *Ieiunator* Monachus, *pag.* 276. *num.* 2. Eius Inſtitutum, *ibid.* Hypocriſis, *ibid.* Vacat Sedes Conſtantinopolitana, fugam arripit ſimulans non niſi coactus eam aſcendere, *ibid.* Inaniter ſuperbus nomen ſibi Patriarchæ Oecumenici iactat, *ibid.*

Ioannes Ieroſolymitanus iunior Patriarcha à ſua Sede eijcitur à Saracenis, *pag.*389. *num.*6. Excipitur Conſtantinopoli à Conſtantino Imperatore, *ibid.* Eo annuente Aaron claues, & vexilla Sancti Sepulchri, & S. Ciuitatis ad Carolum Magnum mittit, *ibid.* Eius virtutes, *ibid.* Miracula, *ibid.* Volumen quod extat, *pag. ſeq.* Epiſtolæ quas ſcripſit, *ibid.* An idem cum Ioanne

Ieroſolymitano authore libri de Inſtitutione Monachorum, *ibid.*

Ioannes Ieroſolymitanus Antiſtes ſenior author libri de Inſtitutione Monachorum, *pag.* 29. *num.* 2. & *pag.* 179. *num.* 20. Fuit Carmeli incola, *pag.* 30. *num.* 2. Scribendi ſcopus, *pag.* 31. *num.* 5. Ipſius libri forma, & encomia, *ibid.* Refertur legiſlator Ordinis Carmelitici, *pag.* 32. *num.* 5. De eius libro cenſura, *num.* 6. Vindicatur, *ibid.* Ipſius Operis intentum, *pag.* 34. *num.* 1. Incipit eius liber de Inſtitutione, *ibid.* Explicat Dei verba quæ Eliæ propoſuit, *pag.* 36. Eius libri variæ lectiones, *pag.* 99. Dedit Regulam Carmelitis, *pag.* 101. *nu.* 14. Quænam illa fuerit, *pag.* 102. *num.* 15. & *pag.* 103. *num.* 16. Interpellatur in reuelatione cœlitus facta Luciano Presbytero, *pag.* 108. *num.* 1. Defenditur à crimine hæreſis, *ib.* Vocatur à Gamaliele, & ipſo Luciano *Sanctus*, *pag.* 109. *num.* 1. Lacrymatus eſt præ gaudio reuelationis Reliquiarum S. Stephani, & aliorum, *ibidem*. Celebrat Synodum, in qua damnatur Pelagius, *pag.* 110. *num.* 3. Infamatur quod amicus Pelagij factus ſit, *pag.* 111. *nu.* 5. Vindicatur, *ibid.* Eius mors, & funus, *pag.* 112. *num.* 9. An dicendus *Sanctus*, *ibid.* Referuntur teſtimonia de eius ſanctitate, *pag.* 113. An cenſeri debeat canonizatus ab Eccleſia, *pag.* 114. *n.* 10. Eius ne extent miracula, *pag.* 115. *n.* 11. Sepulchrum, *p.* 115. Claruit ne ſpiritu prophetiæ, *ibid.* Eius Opera, *num.* 12. Defenditur à dictis Pauli Oroſij, *pag.* 116. *nu.* 13. Item à literis Innocentij Papæ, *ibid.* & *pag. ſeq.* Reſpondetur obiectionibus Baronij, *pag.* 118. *num.* 15. Vindicatur eiuſdem Monachatus in Carmelo, *pag.* 173. *num.* 16. & *pag.* 178. *num.* 20.

Ioannes Ieroſolymitanus Antiſtes *Tertius* appellatus an idem cum Ioanne Authore libri *de Inſtitutione Monachorum*, &c. *pag.* 230. *nu.* 5.

Ioannes Papa huius nominis Primus à Theodorico impio Italiæ Rege captus in carcere ſanctè obijt, *pag.* 234. *num.* 1.

Ioannes Patriarcha Antiochenus inſurgit contra Cyrillum, illumque exauthorationis ſententia damnat, *pag.* 145. *num.* 12. Arcetur à Patribus ab omni Eccleſiaſtica communione, *ibid.* Init pacem cum Sixto Papa, & Cyrillo Alexandrino, *pag.* 155. *num.* 1. Diſcedit è vita, *ibid.* Succedit illi Domnus Monachus eius nepos, *ibid.*

Ioannes Moſchus Monachus, *pag.* 317. *num.* 8. Eremum incoluit, *ibid.* Eius Opus, *ibid.* Perrexit ad partes Antiochiæ magnæ, *ibid.* Item Alexandriam, *ibid.* Ad Romam nauigio appulit, *ibid.* Eius induſtria, *ibid.* Eiuſque libri vtilitas, *pag.* 318. Accenſetur Elianis, *ibid.*

Ioannes Silentiarius Monachus, *pag.* 214. *num.* 2. Sequens aliorum veſtigia venit ad Lauram Sabæ, *ibid.* Relinquit Epiſcopatum, *ibid.* Eius ſtudia, *ibid.* An ſit Elianus, *ibid.* Innoteſcit in Palæſtina, *pag.* 221. *num.* 2. Cogitur reuelare ſuam dignitatem, *ib.* Quare illi cognomen *Silentiarius*, *p.* 222. *n.* 2. Fugit, *p.* 226. *n.* 7. Deducitur ad nouam Lauram Sabæ, *ib.* Manet omnibus ignotus, *ibid.*

ibid. Proditur eius dignitas Epiſcopalis ab Angelo, *pag.* 227. *num.* 7.

Ioannes IX. Papa congregat Concilium Rauennæ, *pag.* 439. *num.* 1. Abrogat geſta per Stephanum Papam contra Formoſum, *ibid.* Fuit Monachus, *ibid.* Cuius Inſtituti *ibid.*

Ioannes Papa X. & eius geſta, *pag.* 444. *num.* 1. Conceſſit Indulgentias Carmelitis, *pag.* 445. *num.* 2. An fuerit legitimus Pontifex, *ibid.* Egit pœnitentiam, *pag.* 446.

Ioannes Papa XI. *pag.* 448. *nu.* 1. Eius mores, *ibid.* Conceſſit Carmelitis Indulgentias, *pag.* 448. *num.* 2.

Ionæ prophetæ diſcipuli magni Eliæ geſta, *pag.* 56.

Iordanis etymologia, *pag.* 41. Interpretatio, *pag.* 50.

Ioſeph Arimathçus moritur in Anglia *pag.* 19. *num.* 24.

Irenis Conſtantinum filium Imperatorem obcæcat, *pag.* 387. *num.* 1. Imperij habenas regit, *ibid.* Deponitur à Nicephoro, in exilium mittitur, ibique moritur, *ibid.*

Iſaac Monachus Tabernenſis, *pag.* 413. *num.* 12. Opponit ſe Machometo, *ibid.* Eius martyrium, *ibid.* Monachatus, *ibid.*

Iſacius Comnenus Græcorum Imper. contra Monachos ſæuit, *pag.* 493. *num.* 2. Edit Conſtitutionem qua Monaſteriorum bona fiſco addicit, *ibid.* Fulmine percutitur, imperium exuit, Monachum induit, *pag.* 494. *num.* 2. & 495. *num.* 2. Cuius Inſtitutio, *ibid.*

Iſichius Monachus Palæſtinus, *p.* 137. *num.* 3. Fit Pontifex Toletanus, *ib.* Alumnus fuit Prophetici Monachiſmi, *ibid.*

Iſidorus Antiſtes Hiſpalenſis, *p.* 304. *num.* 6. Eius ſtudia, *ibid.* Regulam tradidit Monachis. Quænam illa fuerit, *ibid.* An Benedictinus fuerit, *ibid.* Eius encomia, *pag.* 305. *num.* 6. Eius fratres, *ibid.* Eorum epitaphium, *ibid.* Apparet in ſomnijs Cypriano Epiſcopo Legionenſi, *pag.* 503. *nu.* 6.

Iſidorus Peluſiota Monachus ſcribit contra Cyrillum, *pag.* 164. *num.* 12. Mutat ſententiam, *ibid.*

Iulia Euphraſiæ magiſtra moritur, & conditur in ipſius ſepulchro, *pag.* 108. *num.* 8.

S. Iulia patitur martyrium, *pag.* 161. *num.* 2. Reuelatur ab Angelis eius corpus, *ibid.* Defertur Brixiam à Regina Longobardorum, *ibid.*

Iulianus Boſtrenſis Epiſcopus, *pag.* 227. *num.* 10. Eius Monachatus, *ibid.* Venenatum potum ebibens ſigno Crucis illæſus remanet, *ibid.*

Iulianus Sabas Monachus Eſſenus, *pag.* 131. *num.* 7. Eius victus, *ibid.* Pater fuit Monachorum, & ſpiritu prophetico illuſtris, *ibid.*

Iuſtinianus Imperator promulgat ſuas Conſtitutiones, *pag.* 237. *num.* 1. Hæreſim incorruptibilium imbibit, *pag.* 260. *num.* 1. Excitat perſecutionem in Epiſcopos orthodoxos, *ibid.* Eius mors, *ibid.*

Iuſtinus Imperator deſignat ſucceſſorem ſuo Imperio, *pag.* 237. *num.* 1. Moritur, *ibid.*

K

Kalendis viſitari ſolitus erat ab Hebræis Carmelus, *pag.* 74.

S. Kieranus, ſeu Queranus Cluanenſis Abbas, *pag.* 233. *num.* 12. Extruit

ſtruit Monaſterium, *ibid.* Cuius Inſtituti ſit, *ibid.*

Kilianus Monachus accipit poteſtatem prædicandi Euangelium, *pag.* 340. *num.* 3. Eius Inſtitutum, *ibid.*

L

LAcunar, ſeu tectum Eccleſiæ Sanctorum Silueſtri, & Martini in Montibus, *pag.* 571. S. Caroli Borromæi pietate reficitur, *ib.* & 575.

Latta Monaſterium in Gallijs inſigne: *pag.* 269. *nu.* 4. Ipſius Monachi clamant contra hoſtes Monaſterium direpturos, *ibid.* Mirabilis caſus circa defenſionem horum Monachorum, *ibid.*

Launomarus Abbas Curbionenſis, *pag.* 222. *num.* 3. Eius natalis, *ibid.* Fuit Monachorum legislator, *ibid.* Liberalitas, & benignitas in egenos, *ibid.* Ordinatur ſacerdos, *ibid.* Petit eremum, *ibid.* Plurima facit miracula, *ibid.* Monachos inſtituit, *pag.* 223. *num.* 3.

Laura Phara eadem cum Laura *Pharus*, *pag.* 126. *num.* 4. Eius incolæ, *ibid.* Diſtat à Ieroſolymis ſex milliaribus, *ibid.* Recitantur mira de ipſius Colonis, *pag.* 135. *nu.* 5.

Lauræ cur vocata Monaſteria, *pag.* 240. *nu.* 6. A Fluuio vicino *Laura* nominato, *ibid.*

Lazarus Monachus, & pictor celebris, *pag.* 400. *num.* 2. Depingit ſacras Imagines, *ibid.* In carcerem conijcitur, *ibid.* Emittitur è carcere, *ibid.* Plagis male affectus Imagines etiam exprimit, *ibid.*

Lazarus Monachus celebratur, *pag.* 457. *num.* 2.

Leander Archiepiſcopus Hiſpalenſis, *pag.* 272. *num.* 4. E Monaſterio ad Præſulatum extrahitur, *ibid.* Eius Monachatus, *ibid.* Epitaphium, *ibid.* & *pag.* 273. Frater, & ſoror, *ibid.* Accenſentur ne inter Elianos, *pag.* 274. *num.* 4. Ipſius vitæ perfectio, *num.* 5. Satagit ſeruare plebem ſibi in Pontificatu commiſſam ab omni hæreſum labe, *ibid.* Auget diuinum cultum, *ibid.* Sui Inſtituti Monachis, & Monialibus dat præcepta, *ibid.* Mittitur Legatus Conſtantinopolim, *ibid.* Fit S. Gregorij familiaris, *ibid.* Commentarios in Iob conſcribit illi, *ib.* Eius ſermonibus Hermenegildus conuertitur ad fidem, illique fauet contra patrem Arianum, *ibid.* & *pag.* 276. *nu.* 3. Moritur, *ibid.* Cuius Conuentus alumnus fuerit, *nu.* 7. Synodum celebrat, *pag.* 280. *num.* 6. Mittitur illi à Gregorio Papa pallium, *ibid.*

Legislatores Regularum Monachorum, *pag.* 12. *nu.* 17.

Leo Imperator mittit in exilium Timotheum Monachum, *pag.* 196. *num.* 1. Scribit literas ad celeberrimi nominis Anachoretas, *ibid.* Veneratur Danielem Stylitam, *pag.* 201. *num.* 1. Dat illi donaria, *ibid.* Vincit Aſparem Arrianum, *pag.* 204. *num.* 4. Moritur, *pag.* 205. *num.* 1. Eius ſucceſſor, *ibid.* Sanciuit multa ad Monachos pertinentia, *nu.* 2.

Leo Iſauricus Imperator fauet hæreticis, *pag.* 357. *num.* 1. Perſequitur Orthodoxos, quorum aliqui recenſentur, *num.* 2. & *pag. ſeq.*

Leo Papa IV. *pag.* 407. *num.* 1. Fuit Monachus Monaſterij SS. Silueſtri,

ſtri, & Martini, *ibid.* Eius geſta glorioſa, *ibid.* & *num.* 3. Cœnobium Monachorum inſtituit, *pag.* 498. *num.* 4. Indulgentias Eccleſijs Carmelitarum conceſſit, *num.* 5. Moritur, *pag.* 419. *num.* 1.

Leo Sextus Imperator *Sapiens* compellatus, *pag.* 433. *num.* 1. Laborat in reſtituendis Eccleſijs, *ibid.* Victorias plurimas contra hoſtes obtinet, *ibid.*

Leo Papa Tertius tenetur ſacrilege a nepotibus Hadriani Pontificis litanias per Vrbem celebrans, *pag.* 387. *nu.* 1. Percutitur, & oculis, ac lingua orbatur, *ibid.* Reſtituitur ei diuinitus viſus, & lingua, *ibid.* Monachos amauit, *num.* 2. Eccleſias ampliauit, *ibid.* Dona quæ contulit Eccleſiæ S. Chryſogoni, *ibid.* Itemque dedit Eccleſiæ Sanctorum Martini, & Siluestri, *ibid.* Item Eccleſiæ Tranſpontinæ, *ibid.*

Leo Tuſchus eligitur in Papam, *pag.* 161. *num.* 1. Eius ſtudia, *ibid.* Excommunicatur à Dioſcoro Alexandrino Antiſtite, *pag.* 183. *num.* 1. Damnat Synodum Epheſinam, *ibid.* Mittit Legatos Chalcedonem ad celebrandam ibi Synodum, *pag.* 187. *num.* 2. Notat Monachos Palæſtinos in fide titubantes, *pag.* 188. *num.* 5. Monet Pulcheriam Auguſtam de ſtatu Monachorum, *pag.* 189. *num.* 6. Commendat Archimandritas Monachorum pro defenſione fidei Catholicæ, *ibid.* Reprimit Attilæ furorem, *pag.* 190. *num.* 1. Studet promulgare in Occidente Synodum Chalcedonenſem, *ibid.* Redarguit Anatolium, *ibid.* Scribit Marciano Imperatori pro Alexandrinis Dioſcori ſectatoribus, *pag.* 191. *nu.* 1. Moritur, *pag.* 199. *nu.* 1.

Leocadia Monialis Ordinis Propheticì, *pag.* 264. *num.* 6. Eius Monaſterium fit Monachorum, *pag.* 278. *num.* 9.

Leontinus Conuentus Carmelitarum erigitur, *pag.* 400. *num.* 4. Inſtrumentum erectionis, *ibid.* An primus Ordinis fuerit poſt Carmeli Coloniam, *pag.* 401. *num.* 4.

Leontius Monachus, *pag.* 213. *num.* 5. Eius doctrina, *ibid.* Declarat Sacram Scripturam prophetica gratia, *ibid.* Videtur fuiſſe Eliani Inſtituti, *ibid.* Scribit contra Zenonem Imperatorem, *ibid.*

Leontius Abbas incolit Monaſterium Lauræ, *pag.* 242. *num.* 4. Eius viſiones, *ibid.*

Lirinenſe Cœnobium in Gallijs celebratur, *pag.* 151. *nu.* 8. Eius Monachi an Eliani Inſtituti æmulatores, *pag.* 152. *num.* 9. & *pag.* 162. Claret ſanctis viris, *pag.* 161. *num.* 3. Catalogus eorum qui hoc Cœnobium incoluerunt, & Sancti quamplures, *pag.* 162. & 163. *nu.* 3. Monachi inſignes, *pag.* 202. *num.* 4. Peruenit ad Monachos S. Benedicti, *pag.* 212. *num.* 2.

Lirinenſes Monachi clari, *pag.* 161. *nu.* 3.

Liber Ioannis Ieroſolymitani de Inſtitutione Monachorum inſeritur huic operi, *pag.* 34. & *ſeq.*

Longobardi influunt in Italiam, *pag.* 266. *nu.* 1. Capiunt Mediolanum, *ibid.* Eorum Rex necatur ab ipſius vxore, *ibid.*

Lucas Monachus accedit ad Euthymium, & Theoctiſtum, apud quos herbis paſcitur, *pag.* 126. *num.* 5.

Eius

Eius opera, *ibid.*
Luciani Presbyteri ſubditi Ioannis Ieroſolymitani viſio, *pag.* 108. *nu.* 11. Appellat ipſum *Sanctum*, *pag.* 109. *num.* 1.
Lupus vxore relicta fit Monachus, *pag.* 136. *num.* 1. Eius obitus, *pag.* 209. *num.* 3. Fuit diſcipulus S. Honorati, *ibid.* Eius exempla virtutis, *ibid.* Ratio vitæ, *ibid.*
Luxouienſe Cœnobium fundatur à S. Columbano, *pag.* 262. *num.* 4. Eius Inſtitutum, *ibid.* Monachi, *ibid.* Deformatur, *pag.* 550. *num.* 2. Laboratur pro reparatione, ſed fruſtra, *ibid.*

M

Macedonius Monachus, *pag.* 204. *num.* 5. Eius vita prophetica, *ibid.*
Mahumetes Propheta falſus Saracenorum naſcitur, *pag.* 291. *nu.* 6. Eius exercitia, *ibid.* Origo, *ibid.* & *pag. ſeq. num.* 7. Vxorem ducit, *ibid.* Meſſiam ſe eſſe iactat, *ibid.* Eius aſtutia, *ibid.* Princeps latronum euadit, *ibid.* Dat legem Arabibus, *ibid.* Alcoranum librum componit, *ibid.* Eius magiſtri, *ibid.* Inſtitutiones, *ibid.* Fraudes, *ibid.* Lex, *ibid.* & *pag. ſeq.* Quare legiſer factus ſit, *pag.* 292. *num.* 6. Eius arrogantia, *ibid.* Rex Arabum coronatur, *ibid.* Perſas vincit, *ibid.* Moritur, *ibid.* Nutritus fuit ab Idololatra, *nu.* 7. Epitome ipſius vitæ, *pag.* 293.
Maiorianus Imperator moritur, *pag.* 199. *num.* 1.
Marcellus Monachus Abbas Monaſterij Acœmetarum, *pag.* 201. *n.* 2. Eius patria, *ibid.* Diſtribuit pauperibus ſua bona, *ibid.* Venit Epheſum, *ibid.* Diu in ſcribendo laborat, noctu orando, *ibid.* Induit habitum Monachi, *ibid.* Eius ſtudia, *ibid.* Moritur clarus miraculis, *ibid.* Videt Leonis Imperatoris victoriam, *pag.* 204. *num.* 4. Orans ab Angelis ſubleuatur, *nu.* 5.
Marcianus Imperator vxorem ducit Pulcheriam, *pag.* 183. *nu.* 1. Remittit ad Concilium querelas Pſeudo-monachorum, *pag.* 188. *nu.* 5. Petijt à Synodo non poſſe Monaſteria ſine Epiſcoporum conſenſu ædificari, *ibid.* Decreuit multa alia pro Monachis, *ibid.* Interrogat Auxentium Abbatem de fide quam profitebatur, *pag.* 189. *num.* 6. Exagitat noua lege Eutychianos, *pag.* 190. *num.* 1. Promulgat ſanctiones contra Eccleſiæ hoſtes, *pag.* 191. *nu.* 1. Deſignat propria munia Monachis, *ibid. num.* 2.
Marcianus Monachus magni Baſilij magiſter, *pag.* 131. *nu.* 7.
Marcianus alter Monachus conſtituitur præfectus ad comprimendam Lazari, & Anaſtaſij impudentiam, *pag.* 214. *nu.* 4.
Marci Euangeliſtæ, & aliorum tranſlatio reliquiarum, *pag.* 106. *num.* 5. Fuit eximius Eſſenorum propagator, *ibid.*
Marcus Abbas, *pag.* 440. *nu.* 4. Dotatus fuit ſpiritu prædictionis, *ibid.* Prædixit vitam Leoni Imperatori, *ibid.*
Maria Virgo celebratur, & definitur pro Matre Dei, *pag.* 146. *num.* 14. Deuotio in ipſam, *pag.* 147. *num.* 14. Eius protectio, *pag.* 355. *nu.* 6. Imago mirabilis, *pag.* 428. *num.* 3.

Ma-

Maria Ægyptiaca apparet Zoſimæ Monacho, *pag.* 235. *num.* 2. Narrat ipſi hiſtoriam ſuæ vitæ, *ibid.* Perdit virginitatem, *ibid.* Eius luxuria, *ibid.* Aſcendit Ieroſolymam, *ibid.* Illaqueat animas iuuenum, *ibid.* Repellitur diuinitus è Templo, *ibid.* Compungitur, *ib.* Templum ingreditur, *ibid.* Vocem audit, *ibid.* Pergit verſus Iordanem, *ibid.* Agit in ſolitudine vitam, *ibid.* Petit viuifica Sacramenta, *ibid.* Quæritur eius corpus exanime, *ibid.* Sepelitur, *ibid.* An accenſenda Carmelitis, *pag.* 136. *num.* 3. An titularis Patrona, *ibid.*

Maria Tharſenſis meretrix, *pag.* 237. *num.* 4. Conuertitur, ingrediturque in Monaſterium, *ibid.*

Maria pſaltria Anachoreta, *pag.* 244. *num.* 3. Apparet, & manifeſtat ſe S. Quiriaci ſocijs, *ibid.* Viſitatur, & inuenta eſt mortua, *ibid.* Sepelitur in ſua ſpelunca, *ibid.*

Marinus accedit ad Euthymium, & Theoctiſtum, apud quos herbis veſcitur, *pag.* 126. *num.* 5. Eius ſtudium, *ibid.*

Martialis Apoſtolatus confirmatur, *pag.* 478. *num.* 2.

S. Martinus Turonenſis Propheticæ ſcholæ alumnus, *pag.* 160. *num.* 6.

Martinus Papa Synodum Lateranenſem congregat, *pag.* 324. *num.* 1. Damnat hæreticos, *pag. ſeq.* Moritur, *ibid.* & *nu.* 2. Eccleſia Sancti Martini in Montibus an ipſi dicata, *ibid.* & *pag. ſeq.* Translatio eius corporis, *ibid.* Eius reliquiæ, *nu.* 4. Sepulchrum, *ibid.*

Martyres Cordubenſes, *pag.* 414. *nu.* 13. & *pag.* 422. *num.* 4. In perſecutione Mahometana, *pag.* 314. *num.* 5.

Martyres Monachi, *vide* Monachi.

Martyrius ſubrogatur in Epiſcopum Antiochenum, *pag.* 197. *num.* 3. Eijcitur è propria Sede à Petro Cnapheo, *pag.* 205. *nu.* 2. Patriarchatui renuncians proclamat in publica Eccleſia, *ibid.* Cauſa ſuæ perſecutionis, *ibid.* An ſit idem cum Martyrio Timothei diſcipulo, *pag.* 206. *num.* 2.

Martyrius Monachus Nitrienſis, *pag.* 208. *num.* 4. Venit ad S. Euthymium, *ibid.* Succedit in Sede Ieroſolymitana, *ibid.* Mittit legationem ad Zenonem Imperatorem, *ibid.*

Maurus Monachus deſeruit Gerardô in eremo Beel, *pag.* 485. *num.* 12. Ex Conuerſo martyr efficitur, *ibid.* Succedit in Epiſcopatu Canadienſi poſt mortem ipſius Gerardi, *ib.* Eius Inſtitutum Regulare, *ibid.*

S. Maxentius Abbas, *pag.* 225. *nu.* 3. Elianis accenſendus, *ibid.* Eius miraculum, *ibid.*

S. Maximus S. Martini Turonenſis diſcipulus, *pag.* 160. *num.* 6. Creditur alumnus Orientalis Monachiſmi, *ibid.*

Maximus Imperator vocat è Carthagine Genſericum, *pag.* 194. *nu.* 1.

Maximus Abbas, *pag.* 316. *num.* 8. Cuius Inſtituti fuerit, *ibid.* Eius patria, *ibid.* Pugnat pro fide, *ibid.* Author extitit Concilij celebrandi contra hæreticos, *ibid.* Pellitur in exilium, *ibid.* Reducitur, *pag.* 317. Lingua abſciſſa libere loquitur, *ibid.*

Melania iunior Monialis Monaſterij Bethlehemitici, *pag.* 124. *num.* 2. Accerſitur Conſtantinopolim, *pag.* 151.

151. *num.*7. Efficit Chriſtianum, etſi reluctantem Voluſianum eius patruum, *ibid.* Egreditur Ieroſolymis; *ibid.* Geſta in eius diſceſſu, *ibid.* Extruit Ieroſolymis virorum Monaſterium, *pag.* 156. *num.* 3. Claret miraculis, & ſignis, *ibid.* Luſtrat loca Terræ Sanctæ, *ibid.* Ad præſepe Domini reuerſa natalem eius celebratura morte præpeditur; *ibid.* Relata eſt inter Sanctas, *ibid.*

Melota antiquus Carmelitarum habitus, ac eius myſterium, *pag.* 95.

Melota filiorum Prophetarum quod genus veſtis ſit, *pag.* 95.

Menas vetuſtorum Monachorum æmulator, *pag.* 268. *nu.* 2. Eius ſtudia, *ibid.*

Methodius Monachus, *pag.* 425. *nu.* 5.

Michææ diſcipuli Eliæ geſta, *pag.* 58.

Michael Imperator, *pag.* 407. *num.* 2. Eius mores, *ibid.*

Mineruius Monachus Elianus, *pag.* 129. *nu.* 4. Fuit familiaris D. Hieronymo, *ibid.*

Miraculum claudi ad ſermonem Sancti Petri elucidatur, *pag.* 84.

Miſſæ ſacrificium propagatur, & colitur, *pag.* 336. *nu.* 2.

Mochteus, ſiue Maccæus cognomento Bacciarius S. Patritij diſcipulus, *p. g* 202. *num.* 6. Condidit Regulam Monaſticam, *ibid.*

Mochua S. Congelli alumnus, *pag.* 243. *num.* 6. Eius Monachatus, & miracula, *ibid.*

Modeſtus Monachus Palæſtinus, *pag.* 299. *num.* 2. Eius ſolertia, *ibid.*

Monachi plures poſt Diuos Baſilium, Auguſtinum, & Benedictum cuius Inſtituti erant, *pag.* 3. *num* 11.

Eorum Principes recenſentur à D. Hieronymo, *pag.* 4. *num.* 3. Et ab alijs Authoribus, *num. ſeq.* Eorum varij Inſtitutores, *pag.* 11. *num.* 15. & *ſeq.* Eorumque mos antiquiſſimus, *pag.* 11. *num.* 16. Monachi Monaſterij Fontanellenſis qualem Regulam obſeruabant, *pag.* 15. *num.* 18. Quales fuerint qui in partibus Britanniæ, & Scotiæ degebant, *pag.* 19. *num.* 24. & *ſeq.* De eorum veſtibus, *ibid.* Vitam ſuam iuxta Inſtituta Palæſtinorum Monachorum, *ibid.* Non habebant Regulam ſcriptam, *ibid.* Directi fuerunt à Sede Apoſtolica, *pag.* 20. *num.* 25. Tonſuram Monachorum Romanorum receperunt, *ibid.* Qui ante Benedictum viuebant cui Ordini arrogandi, *ibid.* Eorum vitæ finis, *pag.* 35. Primus gradus perfectionis, *pag.* 37. Abnegare debent propriam voluntatem, *pag.* 38. Amplecti ſolitudinem, & Caſtitatem, *pag.* 39. Vnde dicti, *pag.* 40. Diligere Deum, *pag.* 42. Quid exquirere, quidue fugere debent, *pag.* 45. Quomodo perſeuerare debent in perfectione propheticæ vitæ, *pag.* 46. & *ſeq.* Cur interdum *Anachoretæ* appellati, *pag.* 69. In veteri teſtamento recta fide veri Chriſtiani erant, *pag.* 78. Eliani à Ioanne baptizati docentur ab ipſo de baptiſmo Chriſti in ſpiritu, *pag.* 80. Propagantur in Hiſpania, *pag.* 127. *num.* 7. Monachi illuſtres, *pag.* 131. & *ſeq. num.* 7. & *pag.* 195. *num.* 3. & *pag.* 337. *num.* 5. & *pag.* 470. *num.* 3. Porrigunt libellum ſupplicem Imperatoribus contra Neſtorium, *pag.* 142. & 143. *nu.* 8. Non communicant cum Neſto-

rio,

rio, *pag.* 44. *num.* 9. Eorum geſta cir^a^ Synodum Epheſinam, *num.* 1. Monachi in Inſula Margarita. Vide *Gorgonenſes Monachi.* Monachi Lirinenſes, *pag.* 161. *nu.* 3. Carmelitas olim in Carmelo fuiſſe probatur, *pag.* 171. *num.* 14. Monachorum quorundam ſchiſma, *pag.* 188. *num.* 5. Impia facinora, *ibid.* Pij, & Catholicæ fidei defenſores, *pag.* 189. *num.* 6. Eorum munia ex mente Marciani Imperatoris, *pag.* 191. *nu.* 2. Septem martyres, *pag.* 211. *num.* 4. Decem alij martyres, *pag.* 360. *nu.* 7. Item 42. alij martyres, *pag.* 368. *num.* 3. Item alij, *pag.* 418. *nu.* 17. Alij vtriuſque ſexus, *num.* 20. Redeunt quidam ad fidem Catholicam, *pag.* 229. *num.* 2. Trucidantur à Barbaris, *pag.* 298. *& ſeq. num.* 2. Aluntur miraculoſe, *pag.* 324. *num.* 10. Eximuntur à iuriſdictione Epiſcoporum, *pag.* 334. *nu.* 2. Duodecim Apoſtoli Germaniæ, *pag.* 34. *num.* 2. Decorantur, *pag.* 345. *nu.* 5. Impœnitentis mors horribilis, *pag.* 346. *num.* 5. Commendantur, *pag.* 367. *nu.* 2. Plura pro fide patiuntur, *pag.* 368. *nu.* 2. Recipiuntur Romæ, *pag.* 371. *nu.* 4. Orientalium geſta, *pag.* 372. *nu.* 2. Eorum barba, *pag.* 373. *num.* 3. Vocantur *Dij*, *pag.* 221. *num.* 3. Eorum ſtatus in Terra Sancta, *pag.* 396. *nu.* 6. Accenſendi plures Carmelitis, *pag.* 416. *num.* 15. Duo Eunuchi, *pag.* 418. *num.* 18. Clauſtra deſerentes, *pag.* 426. *nu.* 1. Interfecti à Saracenis, *pag.* 431. *num.* 3. Defenſores Eccleſiæ, *num.* 6. Deploratur eorum ſtatus ſiue lapſus à Patribus Concilij Sueſſionenſis in Gallia, *pag.* 442. *num.* 2. Puniuntur deformate, & delicate viuentes, *pag.* 449. *num.* 2. Eorum perſecutio, *pag.* 450. *num.* 2. *&* 463. *nu.* 2. Notantur aliqua circa eorum reformationem, *pag.* 450. *num.* 3.

Monachiſmus Ægyptius introducitur in Occidentis partibus, *pag.* 126. *nu.* 6.

Monaſteria, vide *Conuentus.*

Monaſterij in Ieroſolymis ſitus, Eremitarumque Carmelitanorum ad id confluxus, *pag.* 82.

Monaſterium Acœmetarum, *pag.* 201. *num.* 3. Ipſius Monachi, & Regula, *ibid.* Agalienſe fundatur, & quo loco, *pag.* 263. *num.* 5. In cuius honorem dicatum, *ibid.* Eius Inſtitutum, Abbates, celebritas, & inundatio, *pag.* 264. *num.* 6. *& ſeq.* Monaſterium *Hiſpalenſe* cuius Inſtituti fuerit, *pag.* 274. *num.* 7. *Toletanum* reædificatur à Reccaredo Rege, *pag.* 282. *num.* 10. Spectat ad Ordinem Propheticum, *ibid. & pag. ſeq. Agalienſe, ibid. & pag.* 350. *num.* 8. Panormitanum, vide *Panormitanus Conuentus. S. Seruandi* Toleti, *pag.* 359. *num.* 4. In Cathedralem Eccleſiam erigi prætendebatur ab Alſonſo Rege, *pag.* 503. *num.* 5. Eſt primarium in toto Orbe poſt Carmelum, *ibid.* Traditur denuo Carmelitis, *pag.* 519. *num.* 21. Priuilegium Regium obtinet, *pag.* 520, Eius fabrica, *pag.* 525. *num.* 27. alia Regum priuilegia, *nu.* 28. Eiuſdem viri illuſtres, *num.* 29. *Florentinum* primum erigitur, *pag.* 363. *num.* 5. Datur Carmelitis, quorum nomina recitantur, *ibid. & num.* 6. Inſcriptio in eius clauſtro fixa, *pag.* 364. *num.* 7.

Viri inſignes qui ipſum coluerunt, *pag.* 365. *num.* 8. *& pag. ſeq.* A Papa Paulo I. Romæ quoddam extructum, *pag.* 371. *num.* 5. Senarum Monaſterium, vide *Senarum Conuentus*.

Monialium mirabile exemplum, *pag.* 427. *nu.* 2.

Mons Carmeli, vide *Carmelus, Carmelitæ*.

Montaniſtarum Pſeudo-prophetæ, *pag.* 118. *num.* 2.

Montis Thabor Cœnobium euertitur à Turcis, *pag.* 528. *nu.* 7. Cuius Inſtituti, *ibid.*

Munio Oniez latro inſignis, poſtea Anachoreta, quibus annumerandus, *pag.* 269. *num.* 5. Inuentor eſſe meruit Imaginis Beatæ Virginis Valuaneræ, *ibid.* Honor, & reuerentia erga ipſum, *ibid.*

Myrogenes Abbas hydropicus, *pag.* 253. *num.* 4. Eius Monaſterium, *ibid.* Eius dicta, *pag.* 254. *num.* 4.

N

NAbuchodonoſor tempore ſuo aliqui Eliæ diſcipuli fuerint in Hiſpania, *pag.* 285. *nu.* 11.

Negatio propriæ voluntatis Monachis neceſſaria, *pag.* 48.

Negotia ſæcularia valde fugienda Monachis, *pag.* 44. *&* 45.

Nennius Monachus Bannochorenſis, *pag.* 306. *num.* 8. Eius Inſtitutum, & merita, *ibid.*

Neſtorius hæreſiarcha, *pag.* 137. *nu.* 2. Creditus eſt nepos Pauli Samoſateni apoſtatæ, *ibid.* Creatur antiſtes Conſtantinopolitanus, *ibid.* Eius ſententia, *ibid.* Cœpit Arrianos inſectari, *ibid.* Demonſtratur Pelagianorum fautor, *ibid.* Eius errores, *ibid.* Graphice deſcribitur à Theodoreto, *ibid.* Conatur Monachos peruertere, *pag.* 141. *n.* 6. Impia eius facinora contra Monachos, *pag.* 142. *num.* 8. Damnatur, & exauthoratur à Synodo Epheſina, *pag.* 144. *num.* 10. Profligatur eius hæreſis, *pag.* 155. *nu.* 1. Deportatur exul in Oaſim, *pag.* 155. *nu.* 1. Vermibus eius lingua exeritur, *pag.* 156. *num.* 1.

Nicephori Phocæ Orientis Imperatoris Victoriæ bellicæ, *pag.* 457. *num.* 3.

Nicephorus Botoniates Orientis Imperator efficitur Monachus, *pag.* 502. *num.* 4. Cuius Inſtituti, *ibid.*

Niceta Studita Monachus Elianus, *pag.* 492. *num.* 2. Libellum contra Eccleſiam Latinam edidit, *ibid.* Anathematizauit ſuum errorem, *ibid.*

Nicolaus Audeth Cyprius Ordinis Generalis Monaſterium S. Martini ampliauit, *pag.* 571.

Nicolaus Papa I. *pag.* 423. *num.* 1. Eius geſta, *ibid. &* *num.* 2.

Niconis Monachi ſtratagema, *pag.* 136. *num.* 5.

Nicon Armenus Monachus, *pag.* 457. Eius virtutes, *ibid.* Titulus quo decorabatur, *ibid.* Erat hic titulus *Pœnitentiam agite*, *ibid.* Monachorum proprius, *ibid.* Ipſius Inſtitutum, *ibid.* Claret ſpiritu prophetico, *pag.* 469. *num.* 2.

S. Nilus Monachus, *pag.* 464. *num.* 3. Eius patria, *ibid.* Inſtitutum, *ibid.* Quid S. Simoni reuelauerit, *ibid.* Horribile ſane peccatoribus, *ibid.*

Ninulphus, ſiue Minulphus Monachus, *pag.* 186. *nu.* 9.

Nitriæ Monachorum geſta, *pag.*112. *num.* 7. Sunt ex numero Eſlenorum, *pag.*160. *num.*5. Clari Anachoretæ, *pag.*208. *nu.* 4.

Nonna Virgo præfecta Cœnobij Ieroſolymitani, *pag.* 120. *num.*6.

Nonnus Monachus Palæſtinus, *pag.* 243. *num.*2. Perturbat ſuis erroribus Eccleſiam, *ibid.* Suſcitat errores Origenis, *ibid* Superatur à Monachis Laurarum, *ibid.*

Nubeculæ, quæ Eliæ apparuit ſignum, *pag.*91. Quid prætendebat, *ibid.* Alia de ipſa, *ibid.*

Nugetio Monacho apparet Gamaliel, *pag.*109. *nu.*2. Monuit Lucianum presbyterum de inuentione Corporum Sancti Stephani, & aliorum, *ibid.*

O

OAſis locus, quo deportatus eſt Neſtorius hæreſiarcha, Theodoſio Imperatore iubente, *pag.* 155. *nu.* 1. Ibi, vel in vicino loco alio agens pœnas exoluit, linguâ vermibus exeſa, *ibid.* Vtpote quia in Cælum Cherubicum Virginem Mariam linguam erexerat, Dei Matrem eſſe diffitens, *ibid.*

Obedientia Religioſa commendata, *pag.*38. & 45. Ex Dei documento ad Eliam, *ibid.* Ex S. Euthymio, *pag.*126. *nu.* 5.

Occidentales Monachi propagantur, *pag.* 126. *num.*6. Eorum probata vita, *pag.*192. *num.*8. Ipſorum Patriarchæ, *pag.*217. *num.*2.

Occiſi multi Monachorum, vide verbo *Martyres*, & verbo *Monachi.*

Odeum, ſiue Chorus Eccleſiæ Sanctorum Siluestri, & Martini in Montibus, *pag.*572. Quis ornatus, & quid circa ipſum, *ibid.* In eo Imagines S. Siluestri, Symmachi, & aliorum Pontificum, qui eam Eccleſiam exornarunt, *ibid.* Extra ipſum Imagines Prophetarum Eliæ, & Eliſei, *ibid.*

Odio ſe habet qui male ſe diligit, *pag.* 42. Odio etiam habet proximum, qui male eum amat, *ibid.*

Odo Abbas ante quam Benedictinus eſſet Elianos eſt æmulatus, *pag* 448. *nu.*2. Infans è cunis ſublatus oblatus eſt S. Martino Turonenſi, *pag.* 449.

Odoacer Erulorum Rex in Regem Italiæ inauguratur, *pag.* 206. *nu.*1. Interimitur à Theodorico, ipſique regnum relinquit, *pag.*214. *nu.* 1.

Officium Inuentionis S. Stephani appellat Ioannem Ieroſolymitanum *Sanctum*, *pag.* 109. *num.* 1.

Officia Breuiarij Carmelitani approbantur à Sede Apoſtolica, *pag.*186. *num.* 8.

Olibrius ſuccedit Imperio, *pag.* 203. *num.* 1.

Oliueti mons antiquus locus Carmelitarum, *pag.*230. *num.* 6.

Oniez latro, vide *Muni...*

Orbis caſus, *pag.*361. *num.*1. Geſta, *pag.* 118. *num.* 1. & 124. *num.*1. Hiſtoria, *pag.* 127. *num.*1. & *pag.* 136. *num.*1. & *pag.*239. *num.*1. & *pag.*149. *num.*1. & *pag.*155. *nu.*1. & *pag.* 161. *nu.* 1. & *pag.*163. *nu.* 1. & *pag.*181. *num.*1. & *pag.*182. *num.* 1. & *pag.*187. *num.*1. & *pag.* 190. *num.* 1. Euentus, *pag.* 194. *num.* 1. & *pag.* 196. *num.* 1. & *pag.* 199. *nu.*1. Caſuſalij, *pag.* 204. *n.*1 & 205. *num.* 1. & *pag.*287. *nu.*1.

Ordinis Carmelitici incrementa, vi-

de

de *Carmelitæ*. De eius titulo Beatæ Mariæ Dei Genitricis, *pag.*147. *num.* 15.

Oriens denotat peccatum originale, *pag.*36. Quid ſit ire contra Orientem, *ibid.*

Orientalis Eccleſiæ tragœdia, *p.*184. *num.*3.

Orientalium Monachorum commendatio, *pag.*367. *num.*2. Recipiuntur Romæ, *pag.*371. *num.* 4. Eorum geſta, *pag.*372. *num.* 2. Barba quam geſtare ſolebant, *pag.* 373. *num.*3. Eos conatur peruertere Neſtorius, *pag.*141. *num.*6. Ipſorum Principes, *pag.*217. *num.*2.

Origenes, & eius errores damnantur, *pag.*249. *num.* 3.

Originalis cupiditas vitanda Monachis, *pag.*38. à Deo demonſtratum Eliæ, *ibid.*

Originale peccatum, *pag.*38. Quæ ex ipſo proueniant, *ibid.*

Ornatus trium nauium Baſilicæ Sanctorum Silueſtri, & Martini in Montibus, *pag.*576. *&* 577.

Orphea Regio vbi ſita, *pag.* 553. *n.* 1. In ea Conuentus Sanctorum Silueſtri, & Martini Ordinis Carmelitarum, *ibid.*

Ortus Eliæ Prophetæ, *pag.*34. *&* 35. Quo tempore, *ibid.* Quibus parentibus, *ibid.* Ortus Deiparæ Virginis indicatus Eliæ, *pag.*87.

Oratio filiorum Eliæ in Carmelo ante Chriſti aduentũ pro ipſo poſtulando, *pag.*90. *&* 91. Qualiter exaudita, *ibid.* Oratio ipſorum etiam vocalis, & externa, *pag.* 52. *&* 53. Cum canticis, & inſtrumentis muſicis, *ibid.* Oratio Palæſtinorum Monachorum, *pag.* 156. *nu.* 4. Oratio iugis, & continua Monachorum, qui dicebantur *Acœmetæ*, ſeu *Studitæ*, *pag.* 196. *nu.* 2. Proprium Monachorum exercitium, *ibid. &* *pag.*197.

Oratorium in Carmelo in memoriam B. Virginis à Carmelitis erectum, *pag.*92.

Oratorium S. Silueſtri in Eccleſia Sanctorum Silueſtri, & Martini in Montibus, *pag.*553. *num.*1. Ibi feriabatur S. Silueſter, *ibid.* Sacramenta miniſtrabat fidelibus, *ibid.* Id manifeſtat inſcriptio ibi poſita, *ibid.* Ex eo diſceſſit fugiens in Montem Soracte, *ibid. num.* . . .

Ordo Ioannitarum, ſeu S. Ioannis Ieroſolymitani, quando inſtitutus, *pag.*538. *nu.*5. Occaſio inſtitutionis, *ibid.* An ſit vera Religio, *pag.*544. *nu.*8. A qua domo incœperit, *pag.*545. *nu.*8. An ſub ſæcularium munere, & titulo, *pag.* 546. *num.*9. Quis, & qualis ſit ille Gerardus ipſius vocatus Inſtitutor, vide verbo *Gerardus*.

Otioſitas valde fugienda Monachis, exemplo D. Hieronymi, *pag.*125. *num.*3. Exemplo S. Euthymij, *nu.* 4. Doctrina eiuſdem Euthymij, *pag.*126. *num.*5. Exemplo Bannochorenſium Monachorum, qui manuum ſuarum laboribus victitabant, *pag.*127. *nu.*6.

P

PAlæſtini Monachi, *pag.* 135. *num.*5. Quo ſenſu impaſſibiles dicebantur, *ibid.* Mira aliqua de ipſis, *ibid.* Alij gregatim vitam degebant, *pag.* 156. *num.* 4. Nihil poſſidentes, *ibid.* Omnium veſtitus vnius eſſe videbatur, *ibidem*.

Menſam habebant communem, *ibid.* Eorum victus, *ibid.* Eorumque preces, & labores, *ibid.* Ieiunabant ad biduum, atque etiam ad triduum, *pag.* 157. Erant qui quinque dies continuos, & amplius ieiunabant, *ibid.* Alij qui in ædiculas ſe concludebant, *ibid.* Alij in ſpeluncis, & cauernis vitam aſſidue degebant, *ibid.* Aliorum vitæ genus admirabile, *ibid. & pag.* 158. Elianis aggregari debent, *ib. num.* 5. Curabant ad ſe trahere Ioannem Silentiarium, *pag.* 226. *num.* 7. Aliquorum martyrium, *pag.* 227. *num.* 7. Petunt damnari doctrinam Origenis cum ipſo authore, *pag.* 248. *num.* 3.

Palladius quidam obtinet à Deo, vt homicidij crimen innocenti impoſitum ab occiſo declaretur, *pag.* 131. *num.* 7.

Palladius an fuerit aliquando Carmeli incola, *pag.* 27. *num.* 9. S. Romanæ Eccleſiæ Diaconus mittitur à Papa Cœleſtino in Britanniam ad oppugnandam hæreſim Pelagij, *pag.* 139. *num.* 2. Fuit Græcus, authorque vitæ S. Chryſoſtomi, *ib. & pag.* 140. *num.* 4. Fertur diſcipulus Ioannis Ieroſolymitani, *ibid. & pag.* 140. *num.* 3. Appellatur primus Scotorum Apoſtolus, *ibid.* Eius ſcripta, *pag.* 140. Moritur, *ibid.* An Scotos ad fidem primo conuerterit, *pag.* 141. *num.* 4. An fuerit Cardinalis, *nu.* 5. Fuit Papæ Legatus, *ibid.* Moritur, *pag.* 152.

Pallium *album* Monachorum Montis Carmeli, *pag.* 97. *Barratum* quando fuerit aſſumptum, *pag.* 320. *nu.* 5. Vide *Barrata*.

Panormitanus Conuentus Carmeliticus, *pag.* 546. *nu.* 10. Eiuſdem erectio, *ibid.* De Icone Deiparæ quæ in ipſo colitur, *ibid.* De alijs reliquijs, *ibid.*

Papæ narratiuæ quando ſtandum eſt, *pag.* 410. *nu.* 6.

Paphnutij Monachi geſta, *pag.* 133. *num.* 4. Viuit in eadem cella in qua mortua eſt Euphroſyna eius filia, *ibid.* Moritur, *ibid.* An is fuerit author vitæ S. Onuphrij, *pag.* 134. *n.* 3.

Paſchalis Pontifex an fuerit Monachus, *pag.* 394. *num.* 2. Cuius Inſtituti, *ibid. & pag. ſeq.*

Patres appellabantur magiſtri filiorum Prophetarum, *pag.* 56.

S. Patritius ſuccedit Palladio in munere prædicationis in partibus Scotiæ, &c. *pag.* 152. *num.* 11. A magnitudine virtutum Magnus cognominatur, *ibid.* Eius ortus, per natales, *ibid.* Capitur, & venditur Hiberniæ Regi, *ibid.* Paſcit porcos, *ibid.* Habet ſermones cum Angelo, *ibid.* Liberatur à ſeruitute, *ibid.* Impendit operam ſub S. Germano, & S. Martino ſacris literis, *ib.* Rediens in patriam in Monaſterium ſeceſſit *ibid.* Romam proficiſcitur, ſummoque in pretio apud Cœleſtinum Papam fuit, *ib.* Conſecratur Epiſc. *ib.* Deſtinatur ad prædicandum in Scotiam, *ib.* Fuit Monachus Elianus, *pag.* 153. *nu.* 11. Vocatur Homo Dei, *ib.* Prædicitur à Magis, *ib.* Condit regulam, *pag.* 154. *n.* 12. Conſtruit plura Monaſteria, *ibid.* Æmulatur Monachos Ægyptios, *ibid.* Reparat Monaſteria à Paganis deſtructa, *ib.* Eius pœnitentiæ, *ibid.* Obitus, *pag.* 214. *nu.* 3.

Paula vidua erigit Monaſterium Sanctimonialium, *pag.* 116. *n.* 14. Patitur

tur cum ſuis Virginibus incommoda, & varias vexationes, *ibid.*

Paulinus Nolanus Epiſcopus, Monachiſmi Eliani æmulator moritur, *pag.*149. *num.*19. Celebrantur eius virtutes, *ibid.*

Paulus Abbas Anachoreta in Eremo *Porphyrio*, *pag.*138. *num.*4. Mira geſſit pro otioſitate vitanda, *ibid.* Veſcitur palmarum fructibus, *ibid.*

Paulus Monachus Tabennenſis ſubrogatur Epiſcopo Alexandrino, *pag.*245. *num.*2. Venit Conſtantinopolim, *ibid.*

Paulus Latrus Monachus Elianus, *pag.*455. *nu.*2. Habitauit Lauram, cuius curam geſſit, *ibid.* Ipſum per literas Conſtantinus VIII. Imperator venerabatur, *ibid.* Colitur etiam à Papa, *ibid.* Prophetia, & miraculis claruit, *ibid.*

Peccati miſeria, *pag.*41.

Pelagius Monachus an fuerit ex primis, qui ex Palæſtina in Britanniam vitam Monaſticam deportarunt, *pag.*19. *nu.* 24. & *pag.*127. *num.*6. Quare in hæreſim inciderit, *ibid.* Diſceſſit à Clero vexatus, *ibid.* Fuit honoris ambitioſus, *pag.* 20. *num.* 24. Palæſtinam iterum petijt, *ibid.* Cum Ægyptijs Monachis quandoque conuerſatus fuit, *pag.*21. *num.* 26. Ipſius verſutia, *pag.*105. *num.* 2. Quis ipſe fuerit, *ibid.* Scripſit lethalem epiſtolam ad Iulianam matrem Demetriadis, *pag.* 105. *num.*3. Damnantur eius errores in Synodo Lyddenſi, *pag.* 110. *nu.*3. Docet iterum ſua dogmata, *ibid.* Fallit verſipellis Epiſcopos ipſius Synodi, *pag.*116. *nu.*14. Eius facinora in Monaſterium Paulæ, *ibid.* Damnatur à duobus Concilijs Africanis, *pag.* 118. *n.* 1. Et eius reliquias execrantur Monachi, *pag.*200. *num.*4.

Perfectio Religioſa, in quo conſiſtat, *pag.* 43. 44. & *ſeq.* Perfectio Eliæ Prophetæ, *pag.*49. & *ſeq.*

Perſeuerantia in vita, ac perfectione Monaſtica, *pag.*46. & *ſeq.*

Petrus Cnapheus Monachus Monaſterij Accœmetarum, *pag.* 205. *nu.* 2. Dogmatizat errores Eutychianos, *ibid.* Expellitur è Monaſterio, *ibid.* Machinatur contra Martyriũ Antiſtitem Antiochenum, *ibid.* Eijcit illum è propria Sede, *ibid.* Ablegatus ab Imperatore in exilium fugit, exiliumque euadit, *ib.* Promulgat hæreſim Theopaſchitarum, *pag.*210. *num.* 4.

S. Petrus miraculis, & ſermone conuertit filios Prophetarum, *pag.* 84.

Petrus Eremita Galata ſepulchrum vice domus incolit, *pag.*131. *nu.*7. Eius miracula, *ibid.* Agnoſcitur Elianus.

Petrus *Eremita* promouet expeditionem in Terram Sanctam, *pag.* 497. *num.* 6. Creditur Carmelita, *ibid.* Eius ſepulchrum, *pag.* 498. *num.* 6. Inuentum eſt eius corpus adhuc integrum in habitu Carmelitano, *ibid.* An fuerit Benedictinus, *ibid.* Siue alterius Inſtituti, *ibid.* Cuius nationis, *pag.*499. *nu.* 7. Eius natale incertum, *nu.*8. Statura, *pag.*500. *num.* 9. Petri Doutremani Ieſuitæ ſententia adducitur, *num.*10. In quam eremum ſeceſſit, *pag.* 502. *num.* 3. Eius opus egregium, *pag.*504. *n.*12. Fuerit ne author recitandi per globulos, *n.*3. Id explicatur, *pag.*505. *nu.*4. Inuiſit

loca ſacra, *pag.* 506. *nu.* 2. An Carmeli Inſtitutum tunc aſſumpſerit, *pag.* 507. *n.* 3. Congruentia de hoc, *pag.* 508. *nu.* 4. Eius geſta, *pag.* 509. *num.* 6. *& nu. ſeq.* Explanantur aliqua ad eius hiſtoriam pertinentia, *pag.* 512. *num.* 10. Eius conſilium in gubernanda Ieruſalem à Chriſtianis capta, *pag.* 515. *num.* 14. Quid egerit poſt captam S. Ciuitatem, *num.* 15. Eius mors, *pag.* 529. *nu.* 8. Sepulturam ſibi elegit, *ibid* Transferuntur eius reliquiæ, *ibid.* Eiuſdem veſtes, *ibid.* Epiſtola qua Monachatus Carmeliticus ipſius Petri Eremitæ aſtruitur, *pagina* 530. *num.* 9. Idem comprobatur ex alijs Inſtrumentis, *pag.* 531. *nu.* 10. Eccleſiam fundauit, *ibid.* Recitatur Elogium in ipſius honorem, *pag.* 532. *num.* 11. Alia eiuſdem geſta, *pag.* 533. *num.* 12. Opinio de eius morte, *pag.* 534. *num.* 12.

Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, *pag.* 430. *nu.* 1. Eius mores, *ibid.* Recipitur in communionem Orthodoxorum cum eorum ſcandalo à Ioanne VIII. *ibid.* Damnatur cum eius geſtis à Marino Papa, *pag.* 432. *nu.* 1. Item ab Hadriano III. declaratur tanquam Laicus inuaſor Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, *ib.*

Pietas Eremitarum Montis Carmeli in lege veteri, & noua, *pag.* 66. *& ſeq.*

Pilemarienſe Cœnobiũ, *pag.* 414 *n.* 13.

Pinianus Melaniæ maritus ab vxore ſeparatus vitam Monaſticam agit, *pag.* 124. *num.* 2.

Pius Antiſtes Hiſpalenſis, *pag.* 275. *num.* 7. Monachatum propagat in Hiſpalenſi Vrbe, *ibid.* Socius fuit Elpidij, *ibid.* An Carmeli Montis Monachus, *ibid.*

Plato Monachus, *pag.* 373. *nu.* 6. Eius Inſtitutum, *ibid.* Obiurgat Imperatorem, *ibid.*

Pœnitentiam agite proprium Monachorum axioma, *pag.* 457. *num.* 2. Pœnitentiæ rarum portentum Simon Stylites, *pag.* 150. *nu.* 3.

Pontifices Romani, *vide Rom. Pontif.*

Polychronius Abbas in Laura noua, *pag.* 245. *nu.* 3. Refert mira aliqua, *ibid.* Eius caſus admirabilis, *p.* 557. *nu.* 5. *& pag. ſeq.*

Polyeuctus Monachus creatur Conſtantinopolitanus Patriarcha, *pag.* 456. *nu.* 2. Eius mores, *ibid.*

Porcarius Abbas, *pag.* 193. *nu.* 9. Fuit Monachus Lirinenſis, *ibid.* Aggregatur Elianis, *ibid.*

Porphyreonis Vrbis geographia, *pag.* 246. *num.* 5. Deriuatio eius nominis, *ibid.* Eſt *Caiphas* Ciuitas Carmelo adhærens, *ibid. & num.* 6.

Porphyrion Monachus ad Carmelũ, *Iacobus Porphyrio* nuncupatus, *pag.* 256. *nu.* 4. A Samaritis per meretricem quandam tentatus, *pag.* 257. Fortiſſimè reſtitit, *ibid.* Meretricem conuertit, *ibid.*

Porphyrio eremus celebris, *pag.* 138. *num.* 3. Videtur Carmelus eſſe, *ib.*

Principius Epiſc. Sueſſionenſis adeſt poſteriori Synodo Arauſicanæ, *pag.* 200. *nu.* 4. Fuit olim Colonus Lirinenſis Inſulæ, *ibid.* Annumeranduſne Elianis, *ibid.*

Proclus phyloſophus, *pag.* 229. *nu.* 1. Eius ſpeculum mirabile, *ibid.* Inimicus Chriſtianiſmi, *ibid.*

Prophetæ appellantur corui, *p.* 47. Eorum humilitas, *ibid.* Quid eſt Prophetas facere, *p.* 53. Loquuntur inſpirati à Spiritu S. *p.* 53. Sunt varij *pag.* 53. Quales fuerint quos Elia

edo-

edocuerit, *ibid.* Eorum Collegia, *p.*68. Multi eorum filij ad planum Chriſtianiſmum conuertuntur, *p.* 83. Reliqui quomodo, *pag.*84.

Prophetabant Eliæ poſteri, *pag.* 52. *& ſeq.*

Pſallebant Eliani, *pag.* 52. *& ſeq.*

Pſeudo-monachi tentant ſeducere ad hæreſim Eudoxiam Auguſtam, *pag.* 192. *num.* 5. Item Pulcheriam & Marcianum Imperatores, & coniuges, *ibid.* Curant interficere Iuuenalem Ieroſolymorum Antiſtitem, *ibid.* Inſurgunt contra Leonem Papam, *ibid.* Redduntur inanes eorum conatus, *ibid.*

Publius patrimonium in pauperes diſtribuit, *pag.* 131. *num.* 7. Meruit eſſe pater Monachorum, *ibid.*

Puer Eliæ quis fuerit, *pag.* 87. *&* 88.

Pulcheria Auguſta conſtruit templũ Dei Genitrici Mariæ, *pag.* 146. *nu.* 14. Eius pietati tribuitur relegatio impij Eutychetis, *pag.* 183. *num.* 1. Nubit Marciano ſui viri Theodoſij ſucceſſori hac lege, vt virginitatem ſeruare poſſet, *ibid.* Mittit literas ad Baſſam Abbatiſſam illam inſtruens, *pag.* 192. *num.* 6. Fuit Monialis, Monialiumque fautrix, *ib.* Videtur accenſenda Elianis, *ibid.*

Q

Qualitas operis Ioannis Ieroſolymitani de Inſtitutione Monachorum, *pag.* 38.

Quales fuerint Lirinenſes Monachi, vide verbo *Lirinenſes*. Quales Britanni, & Scoti, vide verbo *Britanniæ*, & *Scotiæ*. Quales Carmelitæ co verbo *Carmelitæ*. Quales Palæſtini verbo *Palæſtini Monachi*. Quales fuerint Prophetæ ab Elia Inſtituti, vide *Elias*, *pag.* 53.

Qualis debeat eſſe charitas in Deum, ſeipſum, & proximum, *pag.* 42. *&* 43. Ex Dei documento ad Eliã, *ibid.* Qualis Virginitas Eliæ, *pag.* 49.

Quatuor gradus ad perfectionem Monaſticam obtinendam, *pag.* 43. *& ſeq.* A Deo Eliæ, & Elianis edocti, *ibid.*

Queranus Archimonachus, *pag.* 13. *num.* 17.

Querelæ Monachorum, qui ad Epiſcopalem dignitatem euehebantur *pag.* 206. *&* 207.

Quiriacus, ſiue Cyriacus Anachoreta, *pag.* 239. *nu.* 6. Eius vita, & geſta, *ibid. & pag.* 244. *nu.* 2. Maria Pſaltria Anachoreta reuelatur vni ex eius diſcipulis, *ibid. nu.* 3.

R

Radegundis ſanctimonialis, *pag.* 226. *num.* 5. Lambit Cæſarij Monaſticas Inſtitutiones, *ibid.* Moritur, *pag.* 279. *num.* 3. Monaſterium ab ipſa erigitur, *ibid.* Eius alumnæ, *num.* 4.

Reccaredus Rex reædificat Monaſterium SS. Coſmæ & Damiani, *pag.* 282. *num.* 10.

Rechabitarum mirabile Inſtitutum, *pag.* 73. Dimittuntur liberi ab hoſtibus Chaldaicis, *pag.* 77.

Reformatio Monachorum quomodo introducenda, *pag.* 450. *nu.* 3. Eiuſdem methodus, *pag.* 451. *num.* 4. Qui Conuentus pro ea aptiores, *pag.* 452. *nu.* 6. Standum determinationi Sedis Apoſtolicæ, *ibid.*

Regularum Monachorum Inſtitutores, *pag.* 9. *num.* 15. Quales fuerint,

*pag.*13.*num.*18. Occidentis Regulæ, *pag.*11.*num.*16.
Regula ab Alberto Carmelitis tradita quænam fuerit, *pag.*32. *num.*5.
Regula S. Auguſtini qualis ſit, *pag.*14. *num.*18.
Regula S. Baſilij qualis, *pag.*14.*n.*18. Eſt additamentum præcedentium, *ibid.* An aliquam tradiderit Carmeli Eremitis, *ibid.*
Regula S. Benedicti Inſtituta Patrum Orientalium non abſorpſit, *pag.*11. *num.* 16. Vnde excerpta, *pag.* 12. *num.* 16. Ægyptiorum Patrum Regulas non aboleuit, *ibid.*
Religio Carmelitana, & eius fundatio, *pag.*543.*num.* 8. *& ſeq.* Vide plura in verbo *Carmelitæ*. Quare inſtituta ſit, *ibid.* Vide verbo *Monachus*, verbo *Monaſterium*.
Religioſi in Ieroſolymis ex diſperſis Iudæorum, *pag.* 81. Vide verbo *Carmelita*, verbo *Monachi*.
Reliquiæ Eccleſiæ Sanctorum Silueſtri, & Martini, vide *Eccleſia S. Silueſtri*, & Appendicem. Reliquiæ, quæ ſunt in Sacrario, ſeu Sacriſtia, *pag.*576. Reliquia Sancti Martini Epiſcopi Turonenſis, *ibid.*
Riuuli ab Eliæ Prophetæ Dei fonte dimanantes fuerunt particulares Inſtitutores Religionum, *pag.*60.

Romani Pontifices.

Innocentius I. *p.*29. *& ſeq.*
Zoſimus, *p.* 118. *& ſeq.*
Bonifacius, *p.*124. *& ſeq.*
Cœleſtinus, *p.*132. *& ſeq.*
Sixtus, *p.*149. *& ſeq.*
Leo, *p.*161. *& ſeq.*
Hilarus, *p.*199. *& ſeq.*
Simplicius, *p.*204. *& ſeq.*
Fœlix, *p.*210. *& ſeq.*
Gelaſius, *p.*214. *& ſeq.*
Anaſtaſius, *p.*221. *& ſeq.*
Symmachus, *p.*223. *& ſeq.*
Hormiſda, *p.*229. *& ſeq.*
Ioannes I. *p.*234. *& ſeq.*
Fœlix, *p.*237. *& ſeq.*
Bonifacius II. *p.*241. *& ſeq.*
Agapetus, *p.*245. *& ſeq.*
Siluerius, *p.*248. *& ſeq.*
Vigilius, *p.*250. *& ſeq.*
Pelagius, *p.*258. *& ſeq.*
Ioannes III. *p.*260. *& ſeq.*
Benedictus I. *p.*267. *& ſeq.*
Pelagius II. *p.*269. *& ſeq.*
Gregorius Magnus, *p.*279. *& ſeq.*
Sabinianus, *p.*286. *& ſeq.*
Bonifacius IV. *p.*288. *& ſeq.*
Deuſdedit, *p.*298. *& ſeq.*
Bonifacius V. *p.*301. *& ſeq.*
Honorius I. *p.*307. *& ſeq.*
Seuerinus, *p.*311. *& ſeq.*
Ioannes IV. *ibid.*
Theodorus, *p.*318. *& ſeq.*
Martinus I. *p.*324. *& ſeq.*
Vitalianus, *p.*329. *& ſeq.*
Adeodatus, *p.*333.
Donus, *p.*333. *& ſeq.*
Agatho, *p.*336. *& ſeq.*
Leo II. *p.*340
Benedictus II. *ibid.*
Ioannes V. *ibid.*
Conon, *ibid.*
Sergius, *p.*341. *& ſeq.*
Ioannes IV. *p.*344. *& ſeq.*
Conſtantinus, *p.*347. *& ſeq.*
Gregorius II. *p.*351. *& ſeq.*
Gregorius III. *p.*357. *& ſeq.*
Zacharias. *p.*361. *& ſeq.*
Stephanus III. *p.*367. *& ſeq.*
Paulus I. *p.*368. *& ſeq.*
Stephanus IV. *p.*372. *& ſeq.*

Ha-

Hadrianus I. *p.* 373. *& ſeq.*
Leo III. *p.* 387. *& ſeq.*
Paſchalis, *p.* 394. *& ſeq.*
Eugenius II. *p.* 397. *& ſeq.*
Gregorius IV. *p.* 399. *& ſeq.*
Sergius II. *p.* 401. *& ſeq.*
Leo IV. *p.* 407. *& ſeq.*
Benedictus III. *p.* 419. *& ſeq.*
Nicolaus I. *p.* 423. *& ſeq.*
Hadrianus II. *p.* 426. *& ſeq.*
Ioannes VIII. *p.* 430. *& ſeq.*
Marinus, *p.* 432.
Hadrianus III. *ibid.*
Stephanus VI. *p.* 433. *& ſeq.*
Formoſus, *p.* 434.
Stephani VII. *p.* 435. *& ſeq.*
Ioannes IX. *p.* 439. *& ſeq.*
Benedictus IV. *p.* 441. *& ſeq.*
Sergius III. *p.* 442. *& ſeq.*
Anaſtaſius III. *p.* 443. *& ſeq.*
Ioannes X. *p.* 444. *& ſeq.*
Leo VI. *p.* 447.
Ioannes XI. *ibid.*
Leo VII. *p.* 449.
Stephanus IX. *p.* 449. *& ſeq.*
Marinus II. *p.* 453. *& ſeq.*
Agapetus II. *p.* 455. *& ſeq.*
Ioannes XII. *p.* 456. *& ſeq.*
Benedictus V. *p.* 458. *& ſeq.*
Ioannes XIII. *p.* 461. *& ſeq.*
Donus, *p.* 462.
Benedictus VI. *ibid.*
Benedictus VII. *p.* 463. *& ſeq.*
Ioannes XV. *p.* 465. *& ſeq.*
Gregorius V. *p.* 469.
Siluester II. *ibid.*
Ioannes XIX. *p.* 472. *& ſeq.*
Sergius IV. *p.* 474.
Benedictus VIII. *p.* 475. *& ſeq.*
Ioannes XX. *p.* 478. *& ſeq.*
Benedictus IX. *p.* 485. *& ſeq.*
Gregorius VI. *p.* 488. *& ſeq.*
Clemens II. *p.* 490. *& ſeq.*
Damaſus II. *ibid.*
Leo IX. *p.* 492.
Victor II. *p.* 493.
Stephanus X. *p.* 494.
Nicolaus II. *ibid.*
Alexander II. *p.* 495. *& ſeq.*
Gregorius VII. *p.* 501. *& ſeq.*
Victor III. *p.* 504. *& ſeq.*
Vrbanus II. *p.* 506. *& ſeq.*
Paſchalis II. *p.* 526. *& ſeq.*
Gelaſius I. *p.* 535. *& ſeq.*
Calixtus II. *ibid.*
Honorius II. *p.* 547. *& ſeq.*
Innocentius II. *p.* 549. *& ſeq.*

Romanus Monachus S. Benedicti adminiſter, & magiſter, *pag.* 217. *&* 219. *num.* 2. *& num.* 3. Eique ſanctæ conuerſationis habitum tradidit, *ibid.* Degebat in Monaſterio ſub Theodaci Patris Regula, *ibid.* Panem ad manducandum ſibi ſurreptum, Benedicto ferebat, *pag.* 218. *num.* 3. Eius induſtrioſa charitas, *ibid.* Quis ille fuerit, & cuius Inſtituti, *pag.* 219. *num.* 5. An miſſus è Carmelo à Capraſio Archimandrita, *pag.* 220. *num.* 5. Luſtrat Syriam, *ibid. num.* 6. Mittitur Conſtantinopolim, *ibid.* Peregrinatur Romæ, *ibid.* Extruit Monaſterium in Sublacenſi regione, *ibid.* Accenſenduſne Elianis.
Romanus Monachus nunquam igne vſus eſt, neque lumine lucernæ, *pag.* 131. *num.* 7. Eius cibus, & potus, *ibid.* Fuit Eſſenus, *ibid.* Eius veſtis ferrum, & cilicium, *ibid.*
S. Romualdus Rauennas transfert in Italiam Thebaidas anachoreſes, *pag.* 462. *num.* 2. Eius ſanctitas, & doctrina, *pag.* 463. *num.* 2.

S

Sabas Monachus diſcipulus Euthymij, *pag.*195.*num.*3. Extitit Monaſticæ diſciplinæ reformator tempore hæreſum, *ibid.* Computatur inter Elianos, *ibid.* Conſcripſit Regulam, Ordinemque propagauit, *ibid.* Fundauit Lauram Maximam, *ibid.* Eius mirabilia, *pag.*228.*nu.*10. & *pag.*229. *nu.*3. Patria, *pag.*206.*num.*3. Relinquit omnia, Monaſteriumque ingreditur, *ibid.* Eius ſtudia, *ibid.* Pergit ad loca Sancta, *ibid.* Reputari poteſt ex Baſilij Monachis, *ib.* Sequitur ſcholam eorum qui Palæſtinæ Lauras colunt, *ibid.* Videtur Elianus, *ibid.* & *pag.*211. *nu.*5. Impetitur calumnijs Monachorum, *ibid.* Protegitur, & honoratur à Saluſtio ſacro Presbyteratu, *pag.*212. *num.*5. Eius mirabilia, *pag.*228. *num.*10. & 229. *num.*3. Mittitur Legatus ad Iuſtinianum Imperatorem, *pag.* 238. *num.* 4. Decoratur magnis donis, *ibid.* Relinquit Imperatorem, vt debitis horis ſacras preces effundat, *ibid.* Reſpondet aliter monenti, *ibid.* Obtinet multa gratioſe pro Eccleſiarum reparatione, *ibid.* Eius induſtria noua Laura conditur, *ibid.* Venit ad Maximam ſuam Lauram, *pag.*241.*nu.*2. Infirmatur, & monetur diuina reuelatione de tranſitu, *ibid.* Moritur, ſepelitur miraculis clarus, *ibid.*

Sabbatus dies conſecratur Deiparæ, *pag.* 492. *num.* 3. Quis omnium primus hunc illi conſecrauerit, *ibid.* Et de hoc remiſſiue, *pag.*493.

Sabinianus Papa, *pag.*286. Eius breuis, & infelix Pontificatus, *ibid.* Auaritia, *ibid.* Reprehenditur in viſu à Diuo Gregorio, & lethaliter percutitur, *ibid.*

Sacriſtiæ Eccleſiæ Sanctorum Silueſtri, & Martini in Montibus ornatus, *pag.* 576. Diligentia maximè Reuerendiſſ. Generalis Philippini, *ibid.*

Samſon Abbas S. Zoili Cordubæ in Hiſpania moritur, *pag.* 434. *nu.*4. Eius ſtudia, *ibid.* Epitaphium, *ibid.* Monachatus, *ibid.*

Sanctimoniales Bethlehemiticæ Romam pergunt, *pag.* 207. *num.* 5. Sintne Inſtituti Eliani, *ibid.*

Saraceni Hiſpaniam occupant, *pag.* 347. *num,* 2. Eorum perſecutio, *pag.* 375. *num.*4. Mala quæ in Italia perpetrarunt, *pag.*402. *num.*2. Eorum geſta, *pag.*462. *num.*4.

Sara ſanctimonialis tranſmittitur ad Cyrillum Alexandrinum, *pag.* 119. *num.*5. Impugnatur à ſpiritu fornicationis, *pag.*120. Habitat ſexaginta annos ſupra alueum Nili, *ibid.* Eius dicta, *ibid.*

Scapulare Carmeliticum à Deipara B. Simoni collatum, *pag.* 331. *nu.* 5. Huius Scapularis fauor, vide *Fauor ſingularis.*

Scotiæ Monachi quam vitæ rationem gererent, *pag.*19. *nu.* 24.

Sebbi Rex Orientalium Saxonum Monaſticum habitum ſuſcipit, *pag.*319. *num* 2.

Senarum Conuentus Carmelit. auſpicia, *pag.*346. *nu.*6. Eiuſdem ſecunda erectio, *pag.*390. *num.*7. Inſtrumentum fundationis, *pag.*391. *n.*8.

Sergius Abbas, *pag.* 204. *nu.* 5. Videt Angelos ſubleuantes Marcellum oran-

orantem, *ibid.*
Sergius Papa II. *pag.* 401. *num.* 1. Ornat Baſilicam Sanctorum Silueſtri, & Martini, *pag.* 402. *num.* 3. Dona quæ illi confert, *pag.* 403. *num.* 4. Corpora Sanctorum, quæ ibi condidit, *pag.* 404. *num.* 5. Conſtruit Monaſterium, *pag.* 405. *num.* 6. Cuius Inſtituti, *ibid.*
Sergius Papa III. *pag.* 442. *nu.* 1. Eius res geſtæ, *ibidem*. Concedit Indulgentias Carmelitis, *pag.* 443. *num.* 3.
Sergius Papa IV. & eius mores, *pag.* 474. *num.* 1. Conceſſit Indulgentias Carmelitis, *ibid.*
Sermo S. Petri, *pag.* 84.
S. Seruandi Monachi erant Carmelitæ, *pag.* 521. *num.* 23. Eijciuntur à dicta Eccleſia, in quam poſtea redierunt, *ibid.* Eſt idem cum Eccleſia S. Mariæ de *Alfizen*, *pag.* 522. *nu.* 23. Euincitur huiuſmodi Monachos non fuiſſe Benedictinos, *pag.* 523. *num.* 24.
S. Seuerinus nominatur Norici Apoſtolus, *pag.* 195. *num.* 10. Secedit ad ſolitudinem Orientis, *ibid.* Venit ad Norici Ripenſis oppida non ſine diuino impulſu, *ibid.* Adiuuat Eccleſiam à Barbarorum incurſionibus, *ibid.* Monet Monachos, *ib.* Obtinet puniri ſuperbiam Monachorum, *ibid.* Prædicit alijs ventura, *ibid.* Claret ſignis, *ibid.* Conſtruit Monaſterium, *ibid.* Eius ieiunium, *pag.* 194. *num.* 10. Non fuit Benedictinus, *ibid.* Ipſius miracula, *pag.* 212. *num.* 2.
Seuerus Monachus, & hæreticus, *pag.* 227. *num.* 8. Perit miſere, *ibid.*
Sidonius Monachus Lirinenſis, *pag.* 206. *nu.* 4. Fit Epiſcopus Aruernenſis, *ibid.* Eius verba de eligendis ad Epiſcopatum, *ibid.*
Sigibertus Anglorum Rex Monachus efficitur, *pag.* 319. *num.* 2. Multa fundat Monaſteria, *ibid.* Eiuſdem alia pia opera, *ibid.*
Silentium commendatum Eliæ, & Elianis, *pag.* 40. Ab ipſis obſeruatum, *pag.* 67. Commendatur à S. Euthymio, *pag.* 126. *num.* 5.
Siluanus Monachus, & Epiſcopus, *pag.* 151. In Epiſcopatu Monaſticam retinet diſciplinam, *ibid.* Fuit alienus ab omni faſtu, *ibid.* Sandalijs indutus ex fœno confectis inceſſit, *ibid.* Miraculum ab eo geſtum, & alia mirabilia, *ibid.*
Siluerius Monachus, & Papa mittitur à Beliſario in Græciam, *pag.* 248. *num.* 1. Reuertitur in Italiam, *ibid.* Relegatur in Inſulam Palmariam, vbi inedia confectus moritur, *ibid.* Expoliatus fuit Papatu, *num.* 2. Cogitur habitum Monaſticum induere, *ibid.* Eius Monachatus, *ib.* Mors, *pag.* 250. *num.* 1.
S. Silueſtri corpus in Eccleſia ſub eius, & S. Martini titulo requieſcit, *pag.* 571. Quæ ſit talis Eccleſia, *pag.* 555. *nu.* 1. Oratorium, *ib.* Quæ ibi egerit, *ibid.* Eccleſia Parrochialis Matrix à Pio V. conſtituta, *pag.* 571. Quas Parrochias illi ſubmiſit, *ibid.* Eius magnificentia, *pag.* 224. *nu.* 3. Dona illi collata à Greg. IV. *p.* 399. *num.* 1. Quæ in illa geſſerit Sergius Papa, *pag.* 402. & *ſeq.* Corpora, & Reliquiæ Sanctorum, quæ ibi ſunt, *ibid.* & *pag.* 454. *num.* 3. & 4. Cardinales huius tituli, *pag.* 494. *n.* 3.
Simeon Abbas *Salus* nuncupatus, id eſt *Stultus*, qualem quaſi impaſſibilitatem habuerit, *pag.* 135. *num.* 5.

Simu-

Simulauit ſe fatuum, *ibid.* Eius puritas, *ibid.* Aqua Iordanis, & Crucis figura inflammatio ſui corporis extinguitur, *pag.* 136. Rarum humilitatis exemplum, *pag.* 254. *num.* 5.

Simeon Anachoreta Elianus, *pag.* 436. *num.* 2. Eius figura, & habitus, *ibid.* Patria, & ſtudium, *ibid.* Prædicit aliqua Legato Imper. *ibid.* Narrat hiſtoriam de S. Theoctiſte Lesbia, *ib.* Canonizatur à Bened. IX. *pag.* 488. *num.* 5.

Simeon Armenus Anachoreta, *pag.* 477. *nu.* 3. Diuino monitu in Occidentem migrauit, *ibid.* Eius miracula, *ibid.* Geſta, *ibid.*

Simeon Priſcus ſpeluncam incolit, *pag.* 131. *nu.* 7. Fulget varijs ſignis, *ibid.*

Simeon Stylites interpellatur à Theodoſio, vt precibus pacem Eccleſijs à Deo impetret, *pag.* 150. *n.* 3. Ipſius pœnitentiæ portentum, *ibid.* Reſpondet Eudoxiæ ſeniori, *pag.* 194. *nu.* 2. Moritur, *pag.* 197. *n.* 4. Ipſius interceſſio apud Deum valde deſiderabilis, *ibid.* Claret miraculis, *ib.* Eius labores, *ib.* Fuit Eliani Inſtituti, *ibid nu.* 5. Subſtituit ſibi Danielem Monachum, *pag.* 198. *nu.* 5. Præcognouit ſui obitus diem, *ibid.*

Simplicius Monachus Carmelita an idem cum Simpliciano D. Auguſtini magiſtro, & D. Ambroſij in ſede ſucceſſore, *pag.* 185. *num.* 5.

Simplicius Papa ędificat Eccleſias plures in Vrbe, *pag.* 204. *nu.* 3. Conſtruit Tiburi Eccleſiam ſub titulo S. Petri, *ibid.* Seruat conditum ſub Ara maxima eiuſdem Eccleſiæ corpus S. Zotici martyris, *ibid.* Scribit ad Zenonem Imper. de Timotheo apoſtata, *pag.* 208. *nu.* 2. Eius obitus, *pag.* 210. *num.* 1.

Sion Mons antiquiſſima Carmelitarum manſio, *pag.* 545. *nu.* 8.

Sixtus Romanus ſuccedit Cœleſtino Pontifici, *pag.* 150. *nu.* 1. Laborat in procuranda ſalute Neſtorij, *ib.*

Solitudo commendata Eliæ, & poſteris ipſius, *pag.* 39. & 40.

Sophronius Monachus, *pag.* 310. *n.* 8. Eius natales, *ibid.* Inſtitutum Monaſticum, *ibid.* Pugnat pro Catholica veritate, *ibid.* Ieroſolymitanam aſcendit ſedem, *ib.* Plurima ſcripſit volumina, *ib.*

Soracte mons, vbi latuit S. Silueſter, *pag.* 553. *num.* 2.

Speculum Procli Philoſophi, *pag.* 229. *num.* 1.

Stephanus Iamneæ Monachus, adeſt Synodo Chalcedonenſi. *p.* 188. *n.* 4.

Stephanus Monachus, & Martyr, *pag.* 369. *num.* 3. Eius Inſtitutum, *ibid.* Cauſa ſui martyrij, *pag.* 370. Miracula patrat, *ib.* Detruditur in carcerem, *ibid.* Eius pietas, *ib.*

Stephanus Patriarcha Antiochenus, & Monachus, *pag.* 362. *num.* 3. Eius Inſtitutum, *ibid.*

Stephanus Papa V. quis fuerit, *pag.* 395. *nu.* 3.

Stephanus Papa VI. V. appellatus cõmendatur, *pag.* 433. *n.* 1. Concedit Carmelitis amplas Indulgentias *num.* 3.

Stephanus Papa VII. dictus VI. ſedem occupat, *pag.* 435. *num.* 1. Extrahit Formoſi Papæ cadauer è ſepulchro, ludibrioque exponit, *ibid.* Iactat illud in Tyberim, *ibid.* Ordinatos à Formoſo deponit, iterumque ordinat, *ibid.* An hoc verum vel fabula ſit, *ibid.* Eius mors infelix, *pag.* 436. *num.* 1.

Ste-

Stephani Protomartyris reliquiarum inuentio, *pag.* 108. *num.* 1. Deportantur ſolemniter in ſanctam Eccleſiam Sion, *pag.* 110. *num.* 4. Diuerſa earum translatio, *ibid.*

Stephanus Papa IX. alijs VIII. concitat ſibi tyrannorum odium, *pag.* 449. *num.* 1. Deformatus fuit à ſacrilegis crebris ictibus, *ibid.*

Stoica indolentia, ſeu impaſſibilitas qualis, aut quomodo reprobanda, *pag.* 134. *num.* 5.

Studitarum Cœnobium erigitur, *pag.* 196. *num.* 2. Appellatur *Acœmetarum*, id eſt inſomnium, *pag.* 197. *num.* 2. Monachis imitandi, *ibid.*

Sublimitas ſtatus Monaſtici prædicata à Theodoro Studita, *pag.* 398. *num.* 2. Quaſi ſecundus baptiſmus, *ibid.*

Subterranea loca Eccleſiæ Sanctorum Siluestri, & Martini in Montibus, *pag.* 557. *&* *ſeq.* Vide *S. Siluestri corpus*.

Suburbana loca ab Elianis habitata, *pag.* 68. *&* 69.

Succeſſio Eliſei in ſpiritu, & Prælatia Eliæ, *pag.* 70. Ipſius ſolicitudo pro filijs Eliæ gubernandis, *pag.* 72.

Superbia, Monachorum peſtis, *pag.* 193. *num.* 10. Notata in Zoſima, *pag.* 234. *num.* 2.

Superbi Monachi à Deo puniti, *pag.* 193. *nu.* 10.

Superhumerale, ſiue Scapulare Monachorum Montis Carmeli, *p.* 96.

Symmachus Papa, *pag.* 223. *num.* 1. Indicit Concilium Romanum, *ibid.* Multa patitur, *ibid.* Extruit Baſilicam ſanctis Siluestro, & Martino, *nu.* 2. *&* *pag.* 554. *num.* 4.

Synodus *Lyddenſis* celebratur, ibique damnatur Pelagius, *pag.* 11 *&* *nu.* 3. *Epheſina* condemnat Neſtorium, *pag.* 144. *num.* 10. Definit Sanctiſſimam Virginem *Dei Matrem* appellandam, *ibid.* Excitantur contra eam tragœdiæ, *pag.* 145. *nu.* 12. Alia Pſeudo-ſynodus Epheſina, *Prædatoria*, ſeu *latrocinium Epheſinum*, nuncupata, *pag.* 183. *nu.* 1. Abſoluit nefariè Eutychetem, Catholicoſque damnat, *ibid.* Damnatur à Leone Papa, *ibid.* *Conſtantinopolitana* celebratur, *pag.* 230. *num.* 7. Acclamationes in ea factæ, *ibid.* *Lateranenſis* damnat Sergium & alios, *pag.* 324. *nu.* 1. *Conſtantinopolitana* damnat eundem Sergium, eiuſque ſocios, *pag.* 336. *nu.* 1. *Nicæna*, *pag.* 374. *num.* 1. Synodus Romana in Eccleſia Sanctorum Siluestri, & Martini celebrata, *pag.* 554. *num.* 2.

T

Tabennenſe Cœnobium, *pag.* 414. *num.* 13. Tabennenſes Monachi, vide *Monachi*, *Monaſteria*.

Tabula Eccleſiæ Sanctorum Siluestri, & Martini, *pag.* . .

Tabula Concilij Romani in Eccleſia Sanctorum Siluestri, & Martini celebrati, *pag.* . . .

Templum Ieroſolymitanum euertitur, *pag.* 474. *num.* 3.

Templum Sanctorum Siluestri, & Martini in Montibus, *pag.* 572. Quomodo, & quorum ſtudio ornatum, *ibid.*

Terra Sancta expugnatur à Saracenis, *pag.* 24. *nu.* 5. Recuperatur à Chriſtianis, *ibid.* Eius clades, *pag.* 311. *num.* 2.

Tha-

Thaboris Montis Cœnobium, *pag.* 529. *num.*7. Qui illud coluere, *ibid.* Eius fundatores, *ibid.*

Theoctiſtes Lesbia, *pag.*437. *num.*2. Eius hiſtoria, *ib.* Inuenitur à quodam venatore nuda, tela araneæ tecta, *ibid.* Tegitur tunica à venatore dimiſſa, *ibid.* Ipſius figura, *ib.* Infans orbata parentibus traditur in Monaſterium Virginum, *pag.* 438. Ducitur captiua à Cretenſibus, *ibid.* Aufugit in intima ſyluæ, *ibid.* Alitur triginta annis lupinis, & herbis, *ibid.* Poſtulat à venatore, vt ſequenti anno Euchariſtiam ſibi deferat, *ibid.*

Theoctiſtus Eremita, *pag.* 396. *nu.*5. Eius errores in fide, *ibid.* Conuertitur à Theodoro Monacho, *ibid.*

Theoctiſtus Eliani Inſtituti Monachus, ſociuſque Euthymij, *pag.*125. *num.*4. Eius ſtudium, *ibid.* Manet per quinquennium in Pharam, *pag.*126. *num.*5. Deuenit ad ſpeluncam, herbiſque paſcitur, *ibid.* Eius opera, *ibid.*

Theodoretus ordinatur inuitus Epiſc. *pag.*130. *nu.*6. Ipſius vitæ periodus, *ibid.* Conuertit pluſquam decem millia Marcionitarum ad Eccleſiā Catholicam, *pag.* 132. *nu.*2. Vindicatur à calumnia, *pag.*164. *nu.*3. Fit inimicus Dioſcori Alexandrini Patriarchæ, *pag.*183. *nu.*2. Calumniatur, *ibid.* Prohibetur accedere ad Synodum Epheſinam ab Eutychianis celebratam, in qua ab ipſis damnatur, *ibid.* Appellat ad Leonem Pontificem, querelam illi mittens, *ibid.* Damnantur eius ſcripta à Theodoſio Imper. *ibid.* Adeſt Synodo Chalcedonenſi, *pag.*188. *n.*4. Dixit anathema Neſtorio, *ibid.*

Theodoricus Italiæ Rex occidit Symmachum, & Boëtium, *pag.*234. *n.*1. Manus in Ioannem Papam inijcit, *ibid.* Moritur prodigioſè, in infernumque detruſus creditur, *ibid.*

Theodorus Sicæota Archimandrita, *pag.*276. *num.*3. Eius ſtudia, *ibid.* Diutiſſime in aqua gelida ſtat, *ibid.* Latitat in ſpelunca biennio, *ibid.* Monachatum ſectatur, *ibid.* Collocat ſuam ſororem inter Moniales, *ibid.* Reſplendet miraculis, *ibid.* Epiſcopus eligitur, etſi inuitus, *ib.* Petit Ieroſolymam, Lauram Sabæ inuiſens, *pag.* 277. *nu.*3. Cuius Inſtituti æmulator, *ibid.* Reuelatur ei mors Mauritij Imp. *pag.* 281. *nu.*6.

Theodorus Monachus, *pag.*375. *n.* 6. Eius Inſtitutum, *ibid.* Obiurgat Imperatorem, *ibid.*

Theodorus Studita Monachus deteſtatur adulationis crimen, *pag.* 375. *num.*6. Imperatorem redarguit ob repudiatam vxorem, *ibid.* Flagellatur, & in exilium pellitur, *ib.* Laudatur à Pontifice, *ibid.* Monet alios Monachos ad anathematizandum Imperatorem, *ibid.* Decertat pro ſacrarum Imaginum cultu, *pag.*396. *num.*5. Reſiſtens Leoni Imperatori virgis cæditur, *ibid.* Multa patitur, *ib.* Reducit ad fidem Theoctiſtum Eremitam, *ibid.* Eius teſtamentum, *pag.*398. *nu.*2. Monita, *ibid.* Moritur, *ibid.* Corpus transfertur Conſtantinopolim, *ibid.*

Theodorus Santabarenus Monachus, *pag.*431. *num.*4. Eius mores deperditi, *ib.* Mittitur à Photio pro ſua cauſa ad Ioannem Pontificem, *ib.* Fuit carus ob magiam Baſilio Imperatori, *ibid.* Excæcatur à Leone Imper. & in exilium pellitur, *ibid.*

Eius filius, ſiue diſcipulus, *num.* 5.
Thermæ Domitianæ, ſeu Traianæ vbi ſitæ, *pag.* 553. *nu.* 1. Ibi ſita eſt Eccleſia SS. Siluestri, & Martini, *ib.*
Theodoſius author Cœnobiorum perducitur ad vitam Monaſticam, *p.* 126. *num.* 5. Eius ſanctitatis fama, *pag.* 134. *nu.* 4. Ipſius geſta, *ibid.* An idem fuerit qui Euphroſynæ morti aſtiterit, *ibid.* Reuelatur ei terremotus Antiochenus, *pag.* 237. *n.* 6. Eius cilicio Cericus dimicans victoriam reportat, *pag.* 238. *nu.* 3.
Theodoſius Imp. ſuccedit Honorio, *pag.* 132. *num.* 1. Deſignat Valentinianum Auguſtum, *ibid.* Excommunicatur à quodam Monacho, cibumque noluit ſumere donec à vinculo ſolueretur, *nu.* 2. Interpellat Monachos pro pace procuranda in Eccleſia Orientali à Neſtorio deturbata, *pag.* 150. *nu.* 2. Scribit ea de re ad Simeonem Stilitem admirandæ ſanctitatis virum, *ibid. nu.* 3. Tulit ſuppetias Eutycheti, *pag.* 183. *nu.* 1. Reſipiſcit, illumque dignitate, ac bonis ſpoliatum relegat, *ibid.* Moritur ſucceſſorem habens Marcianum, *ibid.*
Theodoſius apoſtata conatur Moniales Aſceteriorum Ieroſolymit. Vrbis prauis ſuis moribus euertere, *p.* 192 *nu.* 6. Eius impia facinora, *num.* 5.
Theogenia Abbatiſſa, *pag.* 198.
Theophanes, & Theodorus germani fratres profeſſores Lauræ, *pag.* 395. *n.* 4. Mittuntur Conſtantinopolim pro fidei defenſione, *ibid.* Eorum geſta, *ibid.* & *pag. ſeq.* Flagellantur, *ibid.* Relegantur in Pontum, *ibid.* Reducuntur ab exilio, *pag.* 400. *n.* 3. Affecti ſunt in frontibus inſcriptione, *ibid.* Iterum in exilium pelluntur, *ibid.*
Theophanes Monachus, *pag.* 238. *nu.* 5. Venit ad Cyriacum in Lauram Calamonis, *pag.* 239. Corripitur & ſuadetur ad fidem, *ibid.* Eius viſio, *ibid.* Adhæret Catholicæ Eccleſiæ, *ibid.* Moritur, *ibid.*
Theophilus Imp. *pag.* 399. *nu.* 2. Eius ſæuitia in cultores ſacrarum Imaginum, *ibid.* Præcipit reponi in Templis pro Sanctis pecudes, *ibid.* Prohibet Monachos Vrbium aditu, *ib.* Monaſteria profanis hominibus incolenda conceſſit, *ibid.* Eius inſania, *pag.* 400. *num.* 2.
Timotheus Monachus Elianus mittitur à Capraſio Antiochiam, *p.* 185. *nu.* 7. Qui ille fuerit, *pag.* 186. *n.* 7. Quare miſſus dicitur, *ibid.*
Titulus Equitij, *pag.* 553. & *ſeq.*
Titulus Monachorum proprius *Pœnitentiam agite*, *pag.* 457. *num.* 2.
Timotheus Monachus creatur presbyter Alexandrinus, *pag.* 196. *nu.* 4. Efficitur Dux ſectatoribus Dioſcori, *ibid.* Dat cauſam occidendi Proterium eius Sedis Patriarcham, *ib.* Subrogatur in eius locum, *ib.* Prophanat Cœnobia Virginum, *ibid.* Mittitur in exilium à Leone Imp. *nu.* 1. Obtinet liberationem, *pag.* 208. *nu.* 2. Reuertitur Alexandriam, *ibid.* Adnauigat Conſtantinopolim, *ibid.* Quærit occupare Baſilicam aliquam, *ibid.* Reſiſtitur, *ibid.*
Tonſura Monachorum à quibus recepta, *pag.* 20. *num* 25.
Toletanum Monaſterium Carmelitarum. Vide *Monaſterium*.
Totilas eligitur in Regem ab Oſtrogothis, *pag.* 250. *nu.* 1. Eius victoriæ, *ibid.* Romam proditione capit, ac diruit, *pag.* 253. *nu.* 1 Pergit ad expugnandos Lucanos, & Calabros, *ibid.* Occiditur à Narſete Eunucho,

pag.

pag. 255. *num.* 1.
Torquatus S. Iacobi diſcipulus, *pag.* 342. *num.* 5. Eius Eccleſia, *ibid.*
Translatio reliquiarum S. Marci, & aliorum, *pag.* 106. *num.* 5.
Traiani anima an precibus D. Gregorij à gehennæ incendijs liberata, *pag.* 286. *num.* 1.
Trithemij Abbatis doctrina, *pag.* 101. *nu.* 13. Defenditur, *pag.* 168. *n.* 11.

V

Valentinianus Imper. moritur, *pag.* 194. *nu.* 1.
Venetiarum Vrbis origo, *pag.* 190. *nu.* 1. In hac inclyta Vrbe an Ordinis noſtri Monaſterium ante ſexcentos annos? *pag.* 480. *& ſeq.*
Veſtigium hominis quid denotat in S. Scriptura, *pag.* 92. & 93.
S. Victor Eremita Elianus, *pag.* 198. *num.* 7. Fuit ab vtero matris ſuæ dæmonibus formidabilis, *ibid.*
Victorianus Abbas, *pag.* 233. *nu.* 14. Venit in Hiſpaniam, *ibid.* Inſtituit vitam Eremiticam in Monaſterio Aſſanij, *ibid.* Fit Benedictinus, *ibid.* Plurima fundat Monaſteria, *ibid.* Moritur, *ibid.* Claret miraculis, *ibid.* Sectatur antiquorum Monachorum ritum, *pag.* 234. *num.* 14.
Vigilius, qui primò intruſus, & à Silverio excommunicatus, in verum Pontificem eligitur, *pag.* 250. *nu.* 1. Opponit ſe conſtanter pro fide Theodoræ Imperatrici, & Beliſario, *ibid.* Calumniam patitur, *pag.* 253. *num.* 2. Damnat tria Capitula Concilij Calcedonenſis, *ibid.* Eius mors, *pag.* 258. *nu.* 1.
Vigilius Diaconus, & Monachus floret, & edit regulam pro Monachis, *pag.* 127. *num.* 8.
S. Vincentius Legionenſis martyr, *pag.* 233. *num.* 13. Eius Monachatus, *ibid.*
Vincentius Lirinenſis, *pag.* 151. *nu.* 9. Extitit Monachiſmi Eliani æmulator, *pag.* 152. *num.* 9.
Vintila Eremita moritur, *pag.* 434. *nu.* 5. Fuit æmulator Eliæ, & Ioannis Baptiſtæ, *ibid.* Colitur, vt Sanctus, *ibid.*
Vinum quomodo prohibetur Monachis, *pag.* 44. Eius damna, *ibid.*
Virginitas Eliæ qualis, *p.* 49. Virginitatis amor in Pulcheria Auguſta, *pag.* 183. *nu.* 1.
Via ad charitatis perfectionem Eliæ, & Carmelitis à Deo commendata, *pag.* 43. *& ſeq.*
Vigiliæ Monachorum, qui dicebantur *Acœmetæ*, id eſt, *inſomnes*, quia totum fere tempus in vigilia, & Dei laudibus conſumebant, *pag.* 196. *num.* 2. Proprium Monachorum munus, *pag.* 197.
Viſio diſcipuli Eliæ in Carmelo, *pag.* 90. *&* 91. Quid prætenderet, *ibid.* Alia facta eidem Eliæ in Monte Horeb, *pag.* 62. *&* 63. Late explicatur, *ibid.* Alia Sergij Abbatis, *pag.* 204. *num.* 5. Alia Nugeti Monachi, *pag.* 109. *num.* 2. Alia S. Nili horribilis, quia nimiam paucitatem prædeſtinatorum indicat, *pag.* 464. *num.* 3. Alia Theophanis Monachi, *pag.* 239.
Vita communis inter filios Prophetarum tempore Eliſei, *pag.* 74. *&* 75.
Vitæ perfectæ gradus primus, *pag.* 37. Gradus ſecundus, *pag.* 38. Gradus tertius, *pag.* 39. Gradus quartus, *pag.* 41. Gradus quintus, qui eſt culmen perfectionis, *pag.* 43.

Voluntatis propriæ abnegatio commendata Eliæ, & Eliadibus, *pag.* 38. Voluntatibus ſuis renunciantes hi verè Monachi cenſendi, *pag.* 213. *num.* 3. Qualiter id geſſerit Elias, *pag.* 60. Docebat id S. Euthymius, *pag.* 126. *num.* 5.

Voluſianus reducitur ad fidem Catholicam à Melania, *pag.* 151. *nu.* 7. Moritur Chriſtianus, *ibid.*

Vrbanus Epiſcopus Toletanus, *pag.* 348. *num.* 3. Fuit diſcipulus S. Ildefonſi, *ibid.* Eius Inſtitutum Monaſticum, *ibid.*

Vrſus Badouarius Venetorum Dux Monachatum amplectitur, *p.* 447. *num.* 3. Cuius Inſtituti, *ibid.*

Vvandregiſilus Monachus, *pag.* 319. Eius Inſtitutum, *ibid.* Et geſta, *ibid.*

Vvlfrannus Monachus, & Senonum Pontifex, *pag.* 341. *nu.* 3. Eius geſta, *ibid.* Inſtitutum, *ibid.*

Vvorgreſſius Abbas, *pag.* 309. *num.* 5. An fuerit Benedictinus, *ibid.*

Z.

ZAcharia Monachus dat operam inuentioni corporis Zachariæ prophetæ, *pag.* 112. *nu.* 8.

Zachariæ prophetæ corpus reuelatione inuenitur, *pag.* 112. *num.* 8.

Zacharias Papa, *pag.* 361. *num.* 2. Fuit Monachus, *ibid.* & *pag. ſeq.* An Elianus, *ibid.*

Zelmaan regio, vbi erat patria Eliſei Prophetæ, *pag.* 57.

Zeno Imperator hæreſum fautor, *pag.* 205. *nu.* 1. Adiuuat Petrum Cnapheum ad eijciendum Martyrium è ſede Antiochena, *num.* 2. Infeliciter moritur, *pag.* 214. *num.* 1. Creditur viuus ſepulturæ traditus, *ibid.*

Zeno Monachus S. Baſilij diſcipulus, *pag.* 31. *num.* 7.

Zona Monachorum Montis Carmeli, & eius ſignificatio, *pag.* 94. Cuius Inſtituti propria, *pag.* 287. *nu.* 3.

Zoſimas Abbas Monachus Lauræ Palæſtinæ, *pag.* 234. *num.* 2. Aggregatur Elianis, *ibid.* Eius ſtudium, *ibid.* Tentatur ſuperbia, *ibid.* Monetur diuinitus, *ibid.* Petit aliud Monaſterium, *ibid.* Eius victus, *ibid.* Aſpicit ſpectrum ſibi occurrens, *ibid.* Mariam Ægypriacam agnoſcit, *pag.* 235. *num.* 2. Ab ipſa corripitur, *ibid.* Audit illam loquentem, miratur, precatur, *ibid.* Defert illi viuifica Sacramenta, *ibid.* Reperit eius corpus examine, *ibid.* Sepelit, *ibid.* Reuertitur ad Cœnobium, moriturque, *ibid.*

Zoſimas Anachoreta natione Phœnix, *pag.* 237. *num.* 5. Leonem qui ipſius aſellum deuorauerat in ſarcinis ferendis aſini miniſterium ſubire cogit, *ibid.* Præcognoſcit Terræmotum Antiochenum, *ibid.*

Zoſimas Papa moritur, *pag.* 124. *nu.* 1. Subſtituitur illi Bonifacius, *ib.*

Zotici Martyris corpus vbi conditum, *pag.* 204. *nu.* 3. In Eccleſia Carmelitarum Tiburtina, *ibid.*

PRO-

PROTESTATIO AVCTORIS,

Iuxta decreta fel. record. Vrbani VIII. in huius libri fine apponenda.

Lector aduerte in Elogijs Virorum illuſtrium, quos hoc libro complexus ſum nonnulla me obiter attingere quæ Sanctitatem ipſis videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab ijs geſta, quæ cum vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt, præſagia futurorum, arcanorum manifeſtationes, reuelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſunt alia huiuſmodi: beneficia item in miſeros mortales eorum interceſſione diuinitus; demum nonnullis Sanctimoniæ, vel Martyrij videor appellationem tribuere. Verum hæc omnia ita meis lectoribus propono, vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata, atque approbata, ſed tanquam quæ a ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant; atque adeo non aliter, quàm humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum S. Congregationis S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis decretum anno 1625. editum, & anno 1634. confirmatum, integre, atque inuiolate iuxta declarationem eiuſdem decreti à Sanctiſſimo D. N. D. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam ſeruari à me omnes intelligant, nec velle me vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem Sanctitatis, aut Martyrij inducere; ſeu augere, nec quicquam eius exiſtimationi adiungere, nullumque gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione, obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hoc tàm ſancte profiteor, quam decet eum qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi.

FINIS.

A01 1470969

F61.

Digitized by Google